

CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO  
IVRE CIVIVM ROMA-  
NORVM. ITALIÆ. PROVINCIA-  
RVM. ROMANÆ IVRISPRVDEN-  
tiæ Iudiciis, tum priuatis, tum publicis,  
eorumque ratione. Libri XI.

*Quibus Romani Historici, Oratores, Iurisprudentes, locis innume-  
rabilibus, ex abditis monumentis, explicantur.*

E I U S D E M

DE REPUBLICA ATHENIENSIVM,  
EORVMQVE AC LACEDÆMONIORVM  
TEMPORIBVS, LIBRI QVINQVE.

*Quibus amborum populorum Disciplina, priuata ac publica, civilis &  
militaris, Reiq. Publ. Rationes, Virtutes, Labes, Mutationes ac  
Conuersiones enarrantur. Non græcorum historicorum, oratorum ac iuris-  
prudentum studiosis modò apprime necessarij, verùm ijs planè omnibus, qui  
publica in Regio, Optimatum, Populariue statu negotia domi forisque  
gerunt.*

*Omnia denuò & aucta, & ab authore recognita.*


A præfatione, horumce librorum omnium, tum capita, tum etiam argu-  
menta posuimus, quò magis eorum quæ perlecta fuerint me-  
moriam perstet, breuiariòque facilius repetantur.

P A R I S I I S,

Vænuantur à Iacobo du Puys, sub signo  
Samaritanæ, via D. Io. Lateranensis,  
prope collegium Cameracése.

M. D. LXXVI.

*Imprimi Lyon chez Jean Tournes 1576*



CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO  
IVRE CIVIVM ROMA-  
NORVM. ITALIÆ. PROVINCIA-  
RVM. ROMANÆ IVRISPRVDEN-  
tiæ Iudiciis, tum priuatis, tum publicis,  
eorúmque ratione. Libri XI.

*Quibus Romani Historici, Oratores, Iurisperdentes, locis innume-  
rabilibus, ex abditis monumentis, explicantur.*

E I U S D E M

DE REPUBLICA ATHENIENSIVM,  
EORVMQVÆ AC LACEDÆMONIORVM  
TEMPORIBVS, LIBRI QVINQVE.

*Quibus amborum populorum Disciplina, priuata ac publica, civilis &  
militaris, Reiq. Publ. Rationes, Virtutes, Labes, Mutationes ac  
Conuersiones enarrantur. Non graecorum historicorum, oratorum ac iuris-  
prudentum studiosis modò apprime necessarij, verùm ijs planè omnibus, qui  
publica in Regio, Optimatum, Populariue statu negotia domi forisque  
gerunt.*

*Omnia denuò & aucta, & ab authore recognita.*


A præfatione, horumce librorum omnium, tum capita, tum etiam argu-  
menta posuimus, quò magis eorum quæ perlecta fuerint me-  
moriam perstet, breuiariòque facilius repetantur.

PARISIIS,

Vænundantur à Iacobo du Puys, sub signo  
Samaritanæ, via D. Io. Lateranensis,  
prope collegium Cameracése.

M. D. LXXVI.

*Imprimé chez Jean Tournes 1576*



ILL<sup>mo</sup>. ATQ. EXCELL<sup>mo</sup>. DOMINO,

IACOBO BONCOM-  
PAGNO GENERALI

S. ROM. ECCL.

GVBERNATORI,

\*

Carolus Sigonius S.



**O**PTIMI, ac prudentis officium esse parētis arbitror, IACOBE Princeps illustris. non vsque adeo paruis liberis alendis, educandisque studere, vt eorum, qui iam grādiore sint, curam, si sit necesse, vestiendorum, ornandorumque abiiciat. Etenim, quanquā in teneris maior aliquanto indulgentiā, præfidiūque necessitas propter imbecillitatem elucet, ad gloriam tamen paternam magis pertinere videtur, vt qui robustiores sunt, ac laudem iam aliquam domesticam excitarunt, intentiore cura rebus ad tuendam dignitatem necessariis instruantur. Quod ipsum mihi hoc tempore casu nescio quo video contigisse. Nam cum primos ætatis meæ annos in rebus Populi Romani quærendis, pro dendisque memoriæ posuissem, proximos ita ad posteriora illustranda Italiæ tempora contuli, vt pro vehementi illius commentationis ardore Romanorum prope oblitus monumentorum viderer, à quibus nomen meum primum videbatur ad aliquam commendationem, apud homines profluxisse. Qua re

\*

2

animad

animaduersa, continuo, Italico illo munere absoluto, animum ad illos libros adieci, quos de iure populi Romani diuersis temporibus scriptos edideram. Et, quod doctis non improbatos fuisse hominibus eos senseram, incredibili statim ardere cupiditate experiundi coepi, num etiam gratiores, ac probatiores efficere illos noua nauanda opera possem. Cuius rei spem non minimam afferebant praecleara multa, quae interim ex latissimo, atque uberrimo Romanae disciplinae quasi campo collegeram, ac priuatae memoriae gratia seposueram. Quamobrem vetere industriae, studiique curriculo repetito cum multa necessaria ad doctrinam illam adiunxi, tum vero omnia, quae hucusque dispersa fuerant, in vnum corpus, quo commodius conspici possent, redegi. ac demum nouis quoque Romanorum Iudiciorum commentariis exornauit. Quo labore si Romanum hoc, ut ita dicam, aedificium ad summum fastigium non adduxi, at ad eam certe altitudinem sustuli, ut facile antiqua iam ab omnibus illius perspici forma, ac dignitas possit. Ceterum Romanarum litterarum post veterem illam barbararum nationum illuuiem misera adeo, atque afflicta conditio fuit, ut non tam diligentis, atque accurati scriptoris auxilium, quam potentis, atque amici alicuius viri praesidium implorarint. Anni enim ferme sunt quadringenti, cum Italia vna cum Ecclesia in libertatem diuina pontificum Romanorum virtute, atque constantia vindicata, Italici homines memoria antiquae gloriae reuocata ingenia sua ad vetera, quae obsoleuerant, studia rettulerunt. quo quidem tempore Latinae litterae paulatim oculos in vrbe Roma primum attollere, ac sensim quasi lucem aspicere ex diuturna caecitate coeperunt. verum ut quae graui, ac longa conflictatae valetudine fuerant, sero admodum vires suas, ac colorem pristinum receperunt. Extrema enim, ut mihi videtur, Romanae instaurandae antiquitatis cogitatio fuit. quae, si prima fuisset, multis profecto maiores nostros, iisque foedis erroribus exsoluisset, ac maximis eos ad veteris repetendae humanitatis laudem subsidiis instruxisset. Sed nescio quo modo hoc studium Romae primum, deinde in Italia vehementius celebrari me puero cum coepisset, breui nostrorum hominum aut occupatione, aut incuria, aut morte est dissolutum. Ego vero sic sum hoc munere iam inde ab ineunte adolescentia delectatus, ut quem cursum viginti

ante

ante annos industriae, officiique susceperam, in eo usque ad hanc iam ingrauescentem aetate compluribus editis commentariis manserim, multo etiam plura, multoque meliora comparaturus, si, dum vigeat ad omnem laborem, ac vigilantiam aetas, eum, quem iam pridem expeti dixi, his fautorem, adiutoremque studiis inuenissem. Nunc vero, cum diuino demum beneficio te IACOBE Princeps Clarissime sim adeptus, equidem non modo non dimittam, sed, nisi tibi fortasse molestum erit, omnium etiam scriptorum meorum consecratione deuinciam. Etenim cum tu litteras, quas priuatus eximio quodam doctrinae incensus amore complexus auidissime fueras, in celsissimo nunc rerum fastigio collocatus ita colere pergas, ut eas etiam non fucis, atque ambitione, sed sententia, atque iudicio tuearis, quem tandem alium meorum laborum patronum, quam te ipsum adoptem? Accedit praeterea, quod cum is tu sis, quem propter eximiam apud Gregorium Pontificem gratiam non tam necessitudine, quam modestia, & virtute conciliatam tota Italia, ac Roma ipsa conuersis prope in vnum oculis admiretur, non minus me tibi Romanarum rerum lucubrationes debere, quam Italicarum existimaui, quas proxime te potissimum auspice diuulgauit. Est enim haec cognitio cum principi summo, & ad summam dignitatem, amplitudinemque nato aptissima, tum te potissimum principe, dominoque dignissima. qui tantum studij, atque operis in optimis cognoscendis artibus posuisti, ut etiam sine alieno praesidio ad summos honorum gradus nixu tuo facile fueris ascensurus. Hos igitur Romanos, ut ita dicam, libros magna ex parte renouatos, & auctos clarissimo tuo quoque nomini, perinde, atque Italicos illos, inscribo. teque etiam atque etiam rogo, ut haec praecipue studia, quibus Romae, & Italiae, quae te virtutis causa suspiciunt, vetus dignitas, ac memoria celebratur, in fidem accipias. Cui laudi te non defuturum cum spectata mihi virtus, ac prudentia tua spondet, tum vero, quod constanti hominum sermone percrebuit, te veteris illius Scipionis exemplo inter gratissima armorum pro salute Italiae capiendorum consilia, atque adeo in mediis etiam ipsis rerum militarium studiis, eiusmodi tamen doctrinae cognitionem non intermittere, sed quotidie praecleari aliquid ingenio, studioque tuo aut meditari, aut exprimere. Ad eam praeterea

\* 3 rea

rea facultatem, quam summa tibi Dei benignitas tribuit, ut omnia, quæ iusta, & recta sunt, posses, tu laudem illam splendidissimam addidisti, ut eadem quoque, quod omnibus adhuc in rebus docuisti, avidissime cuperes. Quamobrem non dubito, quin quod præclarissime sentis, id etiam studiosissime præstaturus sis. Quod si feceris, polliceor fore, ut non solum eruditorum omnium vocibus, ac litteris ad illustrem nominis, & gloriæ commendationem in perpetuum celebreris, sed etiam ab omnibus hominibus Princeps non tam fortuna, quam virtute præstantissimus meritò iudiceris.

Vale. Bononiæ, Kal. Nouemb.

M. D. LXXIIII.



### Hoc volumine hæc continentur.

<i>De antiquo iure ciuium Romanorum.</i>	<i>Libri</i>	II.
<i>De antiquo iure Italiae.</i>	<i>Libri</i>	III.
<i>De antiquo iure prouinciarum.</i>	<i>Libri</i>	III.
<i>De iudicijs.</i>	<i>Libri</i>	III.
<i>De repub. Atheniensium.</i>	<i>Libri</i>	IIII.
<i>De Atheniensium Lacedæmoniorumq; tēporibus.</i>	<i>Liber</i>	I.



### Caroli Sigonij de antiquo iure ciuium Romanorum libri primi capita x x i.

<i>DE ciue Romano.</i>	CAP.	I.
<i>De vrbe, &amp; agro Romano.</i>	CAP.	II.
<i>De tribubus, &amp; curijs.</i>	CAP.	III.
<i>De classibus, &amp; centurijs.</i>	CAP.	IIII.
<i>De ijs, qui ius ciuium Rom. constituerunt.</i>	CAP.	V.
<i>De iure libertatis.</i>	CAP.	VI.
<i>De iure gentilitatis.</i>	CAP.	VII.
<i>De iure sacrorum.</i>	CAP.	VIII.
<i>De iure Connubiorum.</i>	CAP.	IX.
<i>De iure patrio.</i>	CAP.	X.
<i>De iure legitimi dominij.</i>	CAP.	XI.
<i>De iure testamentorum.</i>	CAP.	XII.
<i>De iure tutelarum.</i>	CAP.	XIII.
<i>De iure census.</i>	CAP.	XIIII.
<i>De iure militiae.</i>	CAP.	XV.
<i>De iure tributorum, &amp; vectigalium.</i>	CAP.	XVI.
<i>De iure suffragiorum.</i>	CAP.	XVII.
<i>De iure honorum.</i>	CAP.	XVIII.
<i>De sacerdotijs.</i>	CAP.	XIX.
<i>De magistratibus.</i>	CAP.	XX.
<i>De imperijs.</i>	CAP.	XXI.

### Eiusdem libri argumentum.

HIS libris consilium est de iure populi Rom. quod libera potissimum floruit repub. disputare. quod ius triplex esse constituit, ciuium Rom. Italicorum, & Prouincialium. Ceterum duobus his libris iura ciuium Rom. ostendit. atque eorum vno definitionem ciuis Romani inuestigat, ac tradit, altero tripartitam ciuium Rom. diuisionem affert, ac persequitur. Et quoniam ciuis pars est ciuitatis, ciuitatis verò descriptio respub. dicitur, rerump. autem genera multa traduntur, propterea primum, quod genus Romanæ reipub. fuerit, querit. vbi vero multas eius formas ex creberrimis ciuitatis mutationibus inuenit, cuius potissimum temporis rempub. & quem in primis ciuem ex tam multis se informaturum, ac descripturum esse profiteatur, ostendit. Vnde ciuem Romanum, qui quidem optimo iure ciuis sit, definiendum esse confirmat, hominem liberum vrbs, agrive Romani incolam, qui tribum cum honorum petitione sit consequutus. qua disputatione perfecta, partes ipsius definitionis declarare aggreditur. Quo fit, ut primum, quid sit vrbs Romana, & quot modis dicatur, quid ager Romanus, & quot modis accipiatur, exponat, ac fines vtriusque diligentissime inuestiget; deinde ad maximam tribuum questionem descendat. quo loco quid sit tribus, quot modis dicatur, à quo instituta, à quibus addita, quot in genera distributa fuerint, quæ iura obtinuerint, docet. & quoniam primarum tribuum partes fuerunt curiæ; classes vero ad tribuum, ut centuriæ ad classium diuisionem pertinere; ciuis autem optimo iure nemo olim fuit, qui non tribum, curiam, classem, & centuriam obtinuerit, de curijs etiam, & classibus, & centurijs, eadem ratione disputandi seruata, breuiter disserit. Vbi vero ciues omnes intra hos tribuum, classiumque quasi cancellos inclusit, tum iura ipsa tribuum, & classium exorditur. ita tamen ut ante, quibus quasi è fontibus hæc iura manarint, aperiat. eaque regijs legibus, XXI

decemvirum tabulis, legibus, edictis, plebiscitis, senatusconsultis, more, & instituto maiorum contineri probet, atque ex his reliquam omnem de iure civium Rom. disciplinam hauriendam esse demonstrat. Iura autem hæc ita explicat, ut ea in duo genera digerat, unum quod priuatam rationem attingit, alterum, quod publicam: priuatam, ut ius libertatis, gentilitatis, sacrorum, connubiorum, patrium, legitimi dominij, testamentorum, tutelarum; publicam, ut census, militiae, tributorum, & vectigalium, suffragiorum, & honorum. De libertate ita agit, ut non tam priuatam libertatem, quam publicam, cuiusmodi fuerit, ante oculos ponat. quinque enim Romanae libertatis genera fuisse contendit, ut ciues Rom. in potestate domini non essent constituti, ut regio imperio nullo obstructi, ut aduersus magistratum prouocationem haberent, neque à creditoribus neci possent, ut occultorum suffragiorum potestatem obtinerent, ad primum genus libertatis pertinent hæc quæstiones: qui liberi fuerint, qui serui, qui ingenui, qui libertini: quæ iura manumittendi serui, quæ propria tuenda libertatis extiterint. ex secundo intelligitur, ut Romani dominatu se regio liberarint, & quo studio semel partam libertatem defenderint. tertij sunt leges de prouocatione ad populum, leges sacratæ de tribunicia potestate, leges de tergo, & capite civium Rom. quibus ne ciuem Rom. magistratui aut verberare liceret, aut necare sancitum est. quarto leges continentur, ne quis aris alieni causa à creditore duci in carcerem, atque in ergastulo haberi posset. quintum leges tabellariæ complectuntur, quæ tegendo suffragio Rom. libertatem stabiliuerunt. De iure gentilitatis ita differit, ut doceat, quid sit gentem habere, quæ patricia gentes fuerint, quæ plebeia, quæ iura patricijs constituta sint, quæ plebeijs, & ut de iure suo partim retinendo, partim augendo inter se patricij, ac plebeij sepe contenderint. Sacra alia publica, alia priuata fuisse prodit. priuata vero, quæ essent priuatarum familiarum propria ostendit, atque quid sibi de eo iure compertum sit, aperit. Iam quoniam ad propagandam ciuitatem omnino posteritate est opus, ea vero sine legitima uxore parari iure ciuili non potest, deinceps primum vniuersum ius uxorium, communicationem connubiorum, totamque ceremoniarum nuptialium rationem summam perstringit: tum de liberis, ut more Romano essent in potestate parentum, & ut deficientibus proprijs filijs alieni adoptarentur, arrogarenturve, quidque in eo genere iuris proditum sit, narrat. His expeditis, quot modis suarum quisque fortunarum iure ciuili dominus esset, exquirat, eosque quia sex fuisse reperit, hereditatem, mancipium, usucapionem, in iure cessionem, auctiorem, & sub corona emptionem, quod ius eorum de singulis florente reipub. libertate, sancitum sit, planum facit. Postremo quoniam non solum quoad viuimus, domini esse rerum nostrarum volumus, sed post mortem eandem alijs etiam tradere auctoritatem cupimus, ut iure ciuili hoc factitatum sit, explicat. ubi de tribus antiquis testamentorum generibus scribit. atque hunc eundem ordinem seruat etiam in tutelis, ut quoniam liberos nostros tutorum fidei, à quibus eorum res qui ipsi per atatem non possunt, procurentur, libenter morituri committimus, quæ ipse de ratione antiquarum tutelarum obseruauerit, in medium proferat. atque ita totum ius Quiritum apud veteres tantopere celebratum, absoluat. Inde vero de censu disputationem instituit. quo loco quid census esset, à quo institutus, quo modo celebratus, ostendit. & quoniam duas censum opportunitates maximas reip. attulisse comperit, vnã ad delectum militare habendum, quod diuitiarum ciuilium magnitudinem patefecit, propterea constituta census quæstione, deinceps de iure militiae scribit, ac quid legio fuerit, ex quot, & quibus ciuibus, & quomodo conscripta sit, tradit. inde de sacramento militari, & ceteris rei militaris institutis ac legibus, in primisque de vacationibus, de præmij, & animaduersionibus militaribus singulis agit. Eademque ratione ciuilium tributorum, & vectigalium genera exequitur, ut quando tributa imperata, quando remissa, quando vectigalia instituta, quando sublata sint, querat, & plura propterea fuisse Romæ araria annalium veterum auctoritate confirmet. Cùmque nihil aliud restet, nisi, ut de suffragijs demum, atque honoribus agat, suffragiorum rationem ita proponit, ut breuiter de tribus comitorum generibus, & qui ciues suffragiorum iura habuerint, qui

qui nõ habuerint, & qua ratione, demonstret. honores vero ciuiles, in quibus optimum ius ciuitatis, vel Aristotele teste, ab initio posuit, in tres partes distribuit, sacerdotia, magistratus, imperia. ex quibus sacerdotia ita enumerat, ut ex ea oratione quæ patriciorum propria, quæ plebeiorum; quæ vtrisque communia fuerint, & quomodo delata sint, facile appareat. magistratus primo vim aperit. qua disputatione absoluta, tum quemadmodum singulis magistratibus reip. opus fuerit, ac quos patricij plebeijs cõcesserint, quos sibi reseruarint, ostendit. Inde quid Imperium fuerit, & ut magistratibus, ac priuatis, & quibus, & quot comitijs mandatam sit, narrat.

## Secundi libri capita xxi.

DE ordinibus ciuium Romanorum.	CAP.	I.
De senatoribus.	CAP.	II.
De equitibus Romanis.	CAP.	III.
De publicanis.	CAP.	IIII.
De plebe Romana.	CAP.	V.
De plebe rustica.	CAP.	VI.
De plebe urbana.	CAP.	VII.
De tribunis ærarijs.	CAP.	VIII.
De scribis.	CAP.	IX.
De mercatoribus, & negotiatoribus.	CAP.	X.
De argentarijs, & feneratoribus.	CAP.	XI.
De opificibus, & artificibus.	CAP.	XII.
De turba forensi.	CAP.	XIII.
De libertinis.	CAP.	XIIII.
De apparitoribus magistratuum.	CAP.	XV.
De notis ordinum.	CAP.	XVI.
De iure ordinum.	CAP.	XVII.
De iudicij ordinum.	CAP.	XVIII.
De spectaculis ordinum.	CAP.	XIX.
De nobilibus, nouis, & ignobilibus.	CAP.	XX.
De optimatibus, & popularibus.	CAP.	XXI.

## Eiusdem libri argumentum.

Hoc libro ciues omnes, quos superiore definitione complexus erat, in tres partes distribuit. quarum in prima ordines collocat, in altera nobiles, & ignobiles, in tertia optimates, & populares. Ordines tres esse probat, senatorium, equestrem, & plebem. De senatoribus, & equitibus ita agit, ut à quibus initia, atq; incrementa acceperint, quam multi fuerint, in quot genera dispersiti, ex quibus, & à quibus, & qua ratione lecti fuerint, quæ insignia gesserint, explicet. Et quoniam equites multi publicani fuerunt, id est vltro tributa, & vectigalia publica suo periculo à censoribus redemerunt, agit inde de publicanis, qui sint, & quomodo vltro tributa & vectigalia conduxerint, quemadmodum, & per quos exercuerint, quos motus in vrbe hoc nomine aliquando excitarint, & ut à senatu equestrem ordinem ab alienarint. Tertium inde ordinem, qui plebs Romana dicitur, in partes duas diuidit, rusticam plebem, & urbanam. rusticam quæ fuerit, & qualis, ubi exposuit, urbanam partes exequitur, tribunos ærarios, scribas, mercatores, & negotiatores, argentarios, & feneratores, opifices, & artifices, turbam forensis, libertinos, & magistratuum apparitores. atque de singulis, qui, quales, à quibus instituti, quo iure donati fuerint, tradit. His autem ordinum partibus constitutis, deinceps quemadmodum singuli ordines à censoribus, quorum notioni erant subiecti, infamia notarentur, ostendit. Inde iura ordinum aggredditur, quæ quoniam in indicandis, & spectandis potestate potissimum posita esse inuenit, propterea vtrinq; antiquitatem sibi explanandam

dam suscipit. de iudicijs autem quid fuerint, quot in genera partita fuerint, qui publica, qui priuata exercuerint, ut iudices a magistratibus dati, ex quo ordine lecti sint, quos Roma motus propterea conciuerint, docet. Quibus rebus constitutis, ad alteram ciuium diuisionem descendit, nobilium, nouorum, & ignobilium. atque quid more Romano nobilitas, quid nouitas, quid ignobilitas fuerit, aperit. & quoniam nobilitatem ab imaginibus proficisci inuenit, de usu etiam antiquo imaginum breuiter differit. Extrema vero diuisione ciues omnes, qui propter partium in rep. studia se aut optimates esse voluerunt, aut populares, complectitur, & quid utriq; sint, & quomodo Remp. Rom. tandem peruerterint, deleuerintque, ostendit. atq; ita huic de iure ciuium Rom. disputationi finem imponit.

## De antiquo iure Italiae libri primi capita xxvi.

DE triplici iure populorum Italiae.	CAP. I.
De Latinis.	CAP. II.
De agro Latino, & foederibus Latinorum.	CAP. III.
De iure Latij.	CAP. IIII.
De foedere, & iure Volscorum, & Aequorum.	CAP. V.
De agro, foedere, & iure Hernicorum.	CAP. VI.
De agro, foedere, ac iure Oscanorum, & Ausonum.	CAP. VII.
De Italicis.	CAP. VIII.
De agro Etrusco, & foederibus Etruscorum.	CAP. IX.
De agro, & foederibus Campanorum.	CAP. X.
De agro, & foederibus Lucanorum.	CAP. XI.
De agro Bruttio, Messapio, & Sallentino, & foederibus Bruttiorum, Messapiorum, & Sallentinorum.	CAP. XII.
De agro, & foederibus Apulorum.	CAP. XIII.
De agro, & foedere Frentanorum.	CAP. XIII.
De agro Piceno, & foederibus Picentum.	CAP. XV.
De agro Gallico, & Gallis Senonibus.	CAP. XVI.
De agro, & foederibus Umbrorum.	CAP. XVII.
De agro Sabino & foederibus Sabinorum.	CAP. XVIII.
De agro, & foederibus Vestinorum, Marrucinorum, Marsorum, & Pelignorum.	CAP. XIX.
De agro, & foederibus Samnitium.	CAP. XX.
De iure Italico.	CAP. XXI.
De Gallia citeriore.	CAP. XXII.
De agro, & foederibus Ligurum.	CAP. XXIII.
De agro, & foederibus Gallorum.	CAP. XXIII.
De agro, & foederibus Venetorum, & Carnorum.	CAP. XXV.
De iure prouinciae Galliae.	CAP. XXVI.

### Eiusdem libri argumentum.

POSTEA quam duobus libris iura vetera ciuium Ro. aperuit, deinceps de antiquo iure Italiae disputat. ut cum in primo populorum, in secundo ciuitatum iura tradiderit, in tertio demum, quemadmodum toti Italiae Romana sit ciuitas impertita, doceat. ad hunc autem finem ab his fere principijs peruenit. Primum Italiam ab antiquis duobus modis ostendit esse acceptam, uno, ut natura finibus terminaretur, altero, ut iuris. natura, alpi- bus, & mari contineri ait: iure, Rubicone, Arno, & mari. Ius autem a populo Rom. victore esse praescriptum. a quo item tria iura Italiae esse deducta, vnum Latinorum, alterum Italicorum, tertium prouinciae Galliae. gradus enim hos fuisse praemiorum, quae optime de rep. Rom. meritis data sint, ciuitatem Rom. ius Latij, ius Italicum, & ius prouinciae; ex quibus ut iure Latij ciuitas Rom. sic Italico Latinitas, & Italicum prouinciali commodius fuerit. Quemadmodum autem ius ciuium Ro. ex legibus, & senatusconsultis,

tis, & edictis proficisci alio libro ostendit. sic in hoc haec iura ex ijs legibus, quae in societate iungenda conscriptae sunt, manare demonstrat. Itaque quoniam societatis, quae se populus Rom. cum alijs populis obstrinxit, iura tria fuisse reperit, sponsonem, pactionem, & foedus, propterea quid sponso esset, ac quomodo fieret, quid pactionis vocabulo praecipue intelligeretur, ac qua ratione celebraretur, quid foedus esset, & quomodo ferretur, & tria demum fuisse foederum genera, iniquum, aequum, & aequissimum, planum facit. ex quo concludit, cum ius omne a foederis, & societatis legibus effluat, leges autem aliae alijs datae sint meliores, fieri, ut alij alijs commodiore conditione utantur, optimam autem esse ciuium Rom. aliquanto deteriore Latinorum, infra Latinos Italicorum, durissimam vero prouinciarum. quo iure donatam esse Italiae partem illam, quae ultra Vmbriam, & Etruriam vsq; ad alpium crepidinem est porrecta. His ergo fundamentis iactis, cum primo libro populorum iura sibi tradenda esse proposuerit, Latinorum, Italicorum, & Galliae, ob eam rem statim Latinos aggredditur, atque ab eorum definitione reliquam omnem de ijs disputationem deducit. Itaque cum eos Latij incolas, populi Rom. foederatos, iure Latij donatos, definiat, singularum huius definitionis partium deinceps rationem reddit. Quoniam autem ius omne a foedere proficiscitur, foedus autem ex victoria parta, & pace concessa indagatur, propterea, ut commodius foedera Latinorum inueniat, bella quoque eorum cum Romanis gesta, & clades vltro, citroq; illatas exponit. quod quia sine agri descriptione praclare consequi non potest, ob eam rem ab agro exorsus ad bella, a bellis ad foedera, a foederibus ad iura Latinorum patefacienda delabatur. Latium autem duplex, vetus, & nouum ex veterum sententia circumscribit. populos utriusq; enumerat. qui proprie Latini dicti sint, aperit. & de eorum concilio ad lucum Ferentinae, & ferijs Latinis in monte Albano disputat. Volscos, & Aequos, quanquam intra Latij fines inclusos, Latinos tamen tum non habitos docet. Inde foederibus Latinorum expositis, quod tandem ius Latij, vel Latinitas fuerit, prodit. nempe, ut Latini iuris Quiritium essent expertes, quod quale fuerit, ex libro de iure ciuium Ro. repetit, id est, ut neq; libertatis, neq; gentilitatis, neque sacrorum, neque connubiorum, neque patriae potestatis, neq; legitimi dominij, nec testamentorum, nec tutelarum iura eadem usurparent, quae ciues Rom. nisi fundi facti essent, id est, iura aliquot priuata populi Rom. asciuisissent. tales enim fundos populos fuisse ostendit. in ceteris autem rebus propius ad ciuium Rom. iura accederent, ut in censu, & tributis militarent tamen in auxilijs, non in legione, nec suffragium, nisi legum iubendarum causa, si inter magistratus conuenisset, Romae ferrent, & quod caput est. qui domi adilitatem, & quaesturam gessissent, in Romae se prociue Romano gerere possent. Aequorum inde, Volscorumq; bella persequitur. atque ut ad internicionem deleti, & in eorum agrum immissi Latini sint, docet. Deinde Hernicorum, Oscanorum, Ausonumq; agrum describit, iisdemq; victis ius, & nomen Latij noui concessum esse demonstrat. atq; ita primo Italorum iure enucleato ad alterum eorum, qui Italici dicti sunt, explanandum confert orationem. Italicos autem definit reliqua ad Rubiconem, & Arnum Italiae habitatores, populi Ro. foederatos, iure Italico praeditos. inter Italicos autem refert Etruscos, Campanos, Lucanos, Bruttios, Messapios, Sallentinos, Apulos, Frentanos, Picentes, Senones, Umbros, Sabinos, Marsos, Vestinos, Marrucinos, Pelignos, & Samnites. atq; eorum sigillatim agros, bella, & foedera pauca indicat. ex quibus foederibus ius illud haustum esse concludit, quod est Italicum appellatum. quod in ceteris rebus cum Latinitate fere par esse inuenit. praeterquam in suffragio, cuius nullam Italici partem adepti sunt, & ciuitate, ad quam nullum ydem aditum habuerunt. non tamen praetori Rom. eos obtemperasse, ut prouincia Galliae, docet. ex his tamen alios alijs afflictiore conditione esse potuisse, non negat. Postremo Galliam citeriorem aggressus, populos proficitur Ligures, Gallos cispadanos, ut Boios, transpadanos, ut Insubres, & Cenomanos, & praeter Gallos, Venetos etiam, & Carnos, eademque quae in alijs ratione, agrum eorum, & oppida prodit. quibus bellis singuli victi, atque in prouinciae formulam redacti sint, ac, quod ius prouinciae Galliae datum, cur Togatae nomen impositum sit, & in quo reliquis ipsa prouincijs excelluerit, declarare contendit.

De antiquo iure Italiae libri secundi capita xv.

DE multiplici iure ciuitatum Italiae.	CAP.	I.
De colonijs.	CAP.	II.
De iure coloniarum.	CAP.	III.
De republica coloniarum.	CAP.	IIII.
De colonijs ante bellum Italicum deductis.	CAP.	V.
De municipijs.	CAP.	VI.
De iure municipiorum.	CAP.	VII.
De republica municipiorum.	CAP.	VIII.
De municipijs ante bellum Italicum constitutis.	CAP.	IX.
De praefecturis.	CAP.	X.
De iure praefecturarum.	CAP.	XI.
De republica praefecturarum.	CAP.	XII.
De praefecturis ante bellum Italicum constitutis.	CAP.	XIII.
De foederatis ciuitatibus, & earum iure, ac republica.	CAP.	XIIII.
De foris, & conciliabulis.	CAP.	XV.

Eiusdem libri argumentum.

EXPLICATO vniuerso populorum Italiae iure in primo libro, ciuitatum iura aggre-  
ditur in secundo. ciuitates autem duobus modis considerari ait posse, ex arte, & ex iu-  
re: ex arte, alia oppida, alia castella, alia vicos dici: ex iure, alias colonias, alias municipi-  
pia, alias praefecturas, alias foederatas ciuitates, alias fora, alias conciliabula nuncupari.  
Itaque priore diuisione, quae non sit huius temporis, praetermissa, in secunda ita versatur,  
vt primum de colonijs, deinde de alijs disputet. Colonias autem tractat hoc ordine. pri-  
mum, quid coloniae sint, & a quo instituta, & quibus, & quot de causis deducta,  
ostendit. quoniam autem deductas eas aut senatusconsulto, aut rogatione populari inuenit,  
quae rogatio lex agraria dicta est, de lege agraria pluribus agit. & eius capita perse-  
quitur omnia, de agro, qui diuidendus esset, quibus, & quam multis hominibus, per quos,  
& quo modo, & quibus limitibus diuidi oporteret. qua de causa leges etiam agrarias  
omnes quae aut latae, aut tantum promulgatae sint, a primordio vrbs enumerat, ac quem  
quisq; agrum diuiserit, & cui generi hominum, aperit. Deinde vero colonos in agrum  
deductos per curatores agrarios, docet, qui modo triumui, modo quinqueni, modo  
septemui, modo decemui, modo vigintiui crearentur. Iam vero iugerum singulis  
assignandorum, & limitum quoque rationem in lege praesinitam docet, ac leges omnes  
de limitibus latas exponit, ac varia limitum nomina interpretatur. Legis agrariae capi-  
tibus enodatis, quemadmodum coloniae curatoribus agrarijs sub vexillo in coloniam de-  
ducerentur, vt ab iisdem vrbs, & ager aratro circumscriberetur, vt omnia haec denique  
auspicato fierent, docet. Deinde ad iura coloniarum explananda descendit, quo loco co-  
lonias tradit alias ciuium Ro. dictas, alias Latinas. ciuium Rom. fuisse, quibus ius Qui-  
ritium esset concessum, Latinas, quae iure Latij essent ornatae. Inde vero de censu, tri-  
butis, militia & vacationibus vtriusque generis differit. Qua disputatione confecta,  
remp. earum aggredditur, id est de senatu, populo, magistratibus, sacerdotibus, & le-  
gibus agit, ac, qualia haec omnia in colonia fuerint, aperit. Tum demum nomina sin-  
gularum, quae ordine temporum custodito ab vrbe condita vsque ad bellum Italicum  
sint deducta, persequitur. Quam eandem disputationis rationem deinceps in municipi-  
ijs seruat. nam & quid municipia fuerint, & a quo constituta, & quo modo, ostendit,  
quin etiam duo eorum genera assert, vnum sine suffragio, alterum cum suffragio, ac quo  
vtrunque fuerit iure, declarat. Remp. autem tractans municipiorum: pariter consilia,  
magistratus, sacerdotes, ac ius legum in ijs ferendarum exquirat, & quae ante bellum  
Italicum constituta municipia sint, prodat. atque hoc idem quaestionum genus deinceps in  
praefecturis quoque, & ciuitatibus foederatis tractandis exercet. Fora autem ostendit fuisse  
loca,

loca, in quibus non solum nundinae haberentur, sed etiam ius diceretur. conciliabula  
enim ius tantum habuisse nundinarum. Qua quaestione liberatus, propter nominis simi-  
litudinem, de foris etiam alijs disputat, vt Foro Appij, Caesij, Cornelij, vt vnde dicta, a  
quibus, & quare constituta sint, quid ipse sentiat, testatum apud omnes relinquat.

De antiquo iure Italiae libri tertij capita vi.

DE ciuitate socijs, atque Italicis data.	CAP.	I.
De ciuitate Galliae prouinciae data.	CAP.	II.
De ciuitate colonijs, praefecturis, ciuitatibus foederatis, foris, & conciliabulis data.	CAP.	III.
De colonijs militaribus.	CAP.	IIII.
De Istria ad Italiam adiuncta.	CAP.	V.
De Alpibus, & foedere, iureq; gentium Alpinarum.	CAP.	VI.

Eiusdem libri argumentum.

OMNI iure, quo ante bellum Italicum vsa Italia est, duobus libris breuiter explica-  
to, hoc libro reliqua post bellum Italicum tempora vsque ad Augustum Imperatorem  
exponit. primum autem quantopere Italici ad ciuitatis Rom. cupiditatem exarserint,  
& quam crebro ius eius tentarint, & quibus senatusconsultis, ac legibus eorum libidini,  
qui clam per migrationem, & censum in eam irreperent, obuiam itum sit, tradit, quo  
bco leges Claudiam, Papiam, Seruiliam, Muciam, Liciniam aduersus Italicos latas,  
temq; Semproniam, Fuluiam, Liuiam pro Italicis promulgatas interpretatur. Deinde  
vt, M. Liuius Druso, cuius se ope Italici ciuitate adepturos esse, in spem erecti erant, occi-  
so, de interficiendis in mote Albano consulibus conspirauerint. eaq; re patefacta, Q. Ser-  
uilio proconsuli ad motus suos comprimendos accurrenti Asculi manus intulerint, ac  
bellum, quod Italicum, & Marsicum, & sociale est dictum, concitauerint, prodat. Cuius  
belli eum fuisse exitum tradit, vt post varia vtrunque proelia facta, cum Etrusci, Umbriq;  
qui nihil dum mouerant, defectionem, & arma spectarent, lex a L. Iulio Casare cosule  
lata sit, vt, qui nondum a populi Rom. auctoritate descisissent, aut post defectionem in  
fidem eius redissent, ita in ciuitatem Rom. acciperentur, vt in tribus octo nouas conijce-  
rentur. qua lege ciuitatem socijs, & Latinis communicata tantum esse demonstrat. Quare  
postero anno Gallis cispadanis, Liguribus, & Venetis ciuitatem, transpadanis Latinita-  
tem Cn. Pompeij Strabonis lege impertitam docet. cumque transpadani post saepe ciuita-  
tem a senatu flagitassent, nunquam tamen, nisi dictatore Casare, cui carissimi fuerunt, ab  
ijs impetratam esse ita ostendit, vt interea quemadmodum multi Sullana victoria ciuita-  
tem amiserint, eamq; post mortem eius recuperarint, & quos in vrbe Sulpicius motus  
conciuerit, quos Cinna, quos alij, vt Italos in xxxv tribus, id quod illi magnopere expe-  
tebant, redigerent, non praetereat. Neq; vero populis singulis ciuitatem datam demonstra-  
se contentus, idem quoque ius colonijs, praefecturis, foederatis oppidis, foris, & concilia-  
bulis, concessum, ac, in quam ea collata tribum sint, qui est totius huius disputationis, &  
doctrinae finis, postremo quid militares coloniae, & quae fuerint, & a quibus deducta  
sint, aperit. earumq; auctores Syllam, Casarem, Antonium, Triumuiros Reip. consti-  
tuenda, & Augustum prodat. Et quoniam haecenus de Italia, quae Formione terminaba-  
tur amne, locutus erat, inde vt vsq; ad Arsiam, Istria prouincia comprehensa, ab Augu-  
sto sit propagata, cum vniuersa ante Gallia a Triumuiris esset liberata, demonstrat. Vlti-  
mo autem loco eximio quodam vetustatis aperienda studio adductus, alpes quoq; Italiam  
intuentes attingit, ac bella in ijs gesta, & foedera, iuraque alpinis populis tradita narrat,  
vsque adeo vt nullum veteris Italiae ius, nullam rem illustrem, nullam memoratu dignam  
actionem, quae quidem erui ex antiquorum monumentorum memoria possit, silentio  
praetermittat, sed conseruatis, notatisq; temporibus vno in conspectu omnia ponat.



De antiquo iure Prouinciarum libri primi capita xviii.

QVID Prouincia fuerit, & quo modo confecta sit.	CAP. I.
De Colonijs, & Municipijs prouinciarum.	CAP. II.
De Sicilia.	CAP. III.
De Sardinia, & Corsica.	CAP. IIII.
De citeriore, atque vltiore Hispania.	CAP. V.
De Narbonensi Gallia, & Comata.	CAP. VI.
De Illyrico.	CAP. VII.
De Macedonia.	CAP. VIII.
De Achaia.	CAP. IX.
De Asia.	CAP. X.
De Cilicia.	CAP. XI.
De Syria.	CAP. XII.
De Bithynia, & Ponto.	CAP. XIII.
De Cypro.	CAP. XIIIII.
De Africa.	CAP. XV.
De Cyrenaica, & Creta.	CAP. XVI.
De Numidia.	CAP. XVII.
De Mauritania.	CAP. XVIII.

Eiusdem libri argumentum.

VETERE Italiae iure exposito, deinceps prouinciarum iura ag greditur explicanda. Itaque primo libro de consuecendarum prouinciarum ratione disputaturus, primum quid prouincia fuerit, & quomodo confecta sit, aperit. & quoniam prouinciam regionem esse reperit, quae vectigal populo Rom. pendat, ac magistratui eius, qui iuredicundo praesit, obtemperet, breui de vectigalium generibus prouincijs impositis, & de foris, ac conuentibus in singulis prouincijs iurisdicundi causa constitutis disputat. Quo in loco, quoniam non omnes vniuersae prouinciae ciuitates eodem modo tractatas inuenit, etiam de conditionibus ciuitatum, vt aliae liberae, aliae stipendiariae, aliae immunes, aliae foederatae fuerint, & quid in tota ordinanda prouincia obseruatum sit, atque vt aliquando etiam coloniae, & municipia in prouincijs instituta sint, docet. Quibus rebus quasi prooemij loco propositis, deinceps de singulis prouincijs sermonem instituit. quibus finibus, quo statu ante imperium Ro. fuerint, quam saepe cum populo Rom. aut societatem coerint, aut bella gesserint, quibus foederibus post victoriam, aut alio modo in potestatem adductae in amicitiam venerint, qua victoria, per quos duces, quibus legibus in prouinciae formam redactae, ac demum quo iure, quibus conuentibus, quibus vectigalibus, quibus colonijs, ac municipijs, insignitae sint. In Europa autem numerat Siciliam, Sardiniam cum Corsica, citeriorem, atque vltiorem Hispaniam, Gallias Narbonensem, & Comatam, Illyricum, Macedoniam, & Achaiam: in Asia Asiam, Ciliciam, Syriam, Bithyniam cum Ponto, & Cyprum: in Africa Africam, Cyrenaicam cum Creta, Numidiam, & Mauritianiam.

De antiquo iure Prouinciarum libri secundi capita xii.

QUI praesides prouinciarum essent, & quo modo legerentur.	CAP. I.
De comitatu praesidum, legatis, tribunis militum, praefectis, reliquisque ministris.	CAP. II.
De quaestoribus prouinciarum, & eorum ministris.	CAP. III.
De profectioe praesidum, & quaestorum in prouinciam.	CAP. IIII.
De potestate praesidum, & in primis de iurisdictione.	CAP. V.
De imperio praesidum, siue administratione rei militaris.	CAP. VI.

De

De nomine Imperatoris, & supplicatione.	CAP. VII.
De potestate quaestorum.	CAP. VIII.
De decessione praesidum, & quaestorum.	CAP. IX.
De triumphis praesidum.	CAP. X.
De rationibus relatis ad aerarium.	CAP. XI.
De iudicijs in praesides, & eorum comites constitutis.	CAP. XII.

Eiusdem libri argumentum.

SECUNDO autem libro de prouinciarum administratione acturus, per quos ipsae administratae sint, quaerit. & quoniam per praetores, & proconsules a senatu lectos gubernatas, in eaq; re magnas mutationes factas reperit, vniuersa ratione in quattuor tempora distributa, quid quoque tempore in mandandis prouincijs ordine, atque extra ordinem obseruatum sit, planum facit, quo in loco leges omnes, quae de prouincijs fuerint, explicat, neq; vero solum vt prouinciae mandata, sed etiam vt militare imperium in ipsis atque ornamenta praesidibus prouincialibus data sint, aperit. atque ordine quidem imperium lege curiata magistratibus datum, extra ordinem vero plebiscito, aut S. C. priuatis, ostendit. Qua disputatione perfecta, alteram de praesidum comitatu ag greditur, vt legatis, tribunis militum, centurionibus, praefectis, decurionibus, itemq; de ministris eorum, cohorte praetoria, contubernalibus, quales fuerint, & qua ratione delecti sint. Quibus declaratis, de altero magistratu prouinciali quaestore, & illius ministris agere incipit, ita vt declarandum nihil sibi relinquat aliud, quam quo modo praesides imperio in Capua tollo accepto vrbe excefferint, & quo ordine in prouinciam iter fecerint, eamq; a decessore acceperint. quo demonstrato, officium eorum duplex persequitur, vnum cognoscendi, alterum belli gerendi. de cognitione vero disputans, primum quemadmodum, & quo ordine priuatas causas, & publicas iudicant, quae multiplex est disputatione, tradit (vbi de edictis, decretis, iudicijs, quaestionibus, & vniuersa iurisdictionis veteris ratione, praeterea de conuentibus habendis, & opera legatorum, aliorumq; comitum, & ministrorum edisserit) deinde de curatione rei frumentariae, tributariae, ac maritimae, & de honoribus prouincialibus agit. Rei vero bellicae ratione ita attingit, vt explicet primum quemadmodum exercitum acceperint, lustrarint, atque correxerint. Vt nihil nisi auspicio, cato, atque litato gesserint. deinde vero de potestate rei gerendae, de consilio castrensis, de legibus, quibus impedirentur, de honoribus, qui bene rem gerentibus haberentur. Postremo quaestoris etiam officium aperit. atque eum, attributam, & vectigalem pecuniam tractasse, praedam curasse, captiuos vendidisse ostendit. Quibus omnibus absolutis, vt praeses, ac quaestor de prouincia decesserint, vt praeses Romae triumphauerit, & qua pompa, vt nationes retulerint, vt comites in beneficijs ad aerarium detulerint, & quibus legibus, ac quaestionibus obnoxij fuerint, maiestatis, peculatus, repetundarumq; ostendit.

De antiquo iure Prouinciarum libri tertij capita xiv.

DE lege curiata magistratuum Gruchij opinio.	CAP. I.
De lege curiata magistratuum Sigonij opinio.	CAP. II.
De binis comitijs, praerogatiuae, & iureuocatarum.	CAP. III.
De lege curiata Imperatorum.	CAP. IIII.
Quid sit magistratus.	CAP. V.
Quid sit imperium.	CAP. VI.
An imperium in magistratu fuerit insitum.	CAP. VII.
De imperio consulum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in prouincias profecti sunt.	CAP. VIII.
De imperio praetorum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in prouincias profecti sunt.	CAP. IX.

De imperio consulum, qui summo senatusconsulto ornati erant.	CAP.	X.
De imperio lege Cornelia accepto.	CAP.	XI.
De imperio eorum, qui ex priuatis in prouincias missi sunt.	CAP.	XII.
De imperio eorum, qui ex priuatis ad bella missi sunt.	CAP.	XIII.
An proconsules, & propraetores, qui ex priuatis ad bella missi sunt, ut cum imperio, sic cum magistratu fuerint.	CAP.	XIIII.

### Eiusdem libri argumentum.

HIS EXPOSITIS, deinceps hoc libro respondet Nicolao Gruchio, qui à se in tota prouinciali ratione dissentiebat. atque opinionem eius infirmit, quæ erat, legem curiatam magistratum confirmasse, atque vnâ etiam militare imperium magistratu detulisse. sed iterum ei latam esse ad auspiciam transmittendum, eamque non à XXX curijs. sed à XXX curiarum licitoribus iussam esse. quam Gruchius ut firmaret, locum Ciceronis in Agraria ex ingenio emendauit. Improbatur autem talem opinionem argumentis, & auctoritates ab eo prolatas aliud velle ostendit, & lectionem ab illo illatam irridet. Exponit inde opinionem suam, nempe duas fuisse leges curiatas, vnâ ad confirmandum magistratum, quæ Ciceronis tempore obsoleta fuerit, alteram ad mandandum imperium, id est ius rei militaris exercendum, magistratus, quæ à XXX curijs iussa sit. quæq; contra priorem legem dicuntur, refellit, & veram è veteribus libris loci Agrariæ lectionem eruit. Inde occasione data de binis comitijs prærogatiua, & iureuocatarum agit, atque in ea re errare Gruchium docet. Pergit inde probare, legem curiatam de imperio diuersam esse ab ea, quæ est de magistratibus: ac rursus magistratum, imperiumq; definit, & quæ contra dicuntur, refellit. Inde imperium à magistratu esse diuersum, neque in eo esse insitum docet, ut Gruchius sentit, diuersitatem in creando, ineundo, administrando, & prorogando demonstrans, atque singulos contra Gruchium magistratus examinans. Quærit inde de consulibus, quomodo imperium in magistratu, aut ex magistratu habuerint, ac lege curiata habuisse ostendit, non iure magistratus, ut Gruchius censet. item de dictatoribus, & prætoribus. & quæ contra disputentur, euertit. Quærit præterea, quale imperium fuerit eorum, qui summo S. C. itemque qui lege Cornelia acceperunt. Quibus declaratis aggredditur dicere de priuatis, atq; eos siue S. C. siue plebiscito, non autem lege curiata imperium accepisse probat. atque ad extremum quærit, an priuati ut cum imperio fuerint, sic cum magistratu fuisse dici poterint, ac magistratum iterum ab imperio esse diuersum ostendit. quæ dum omnia facit, insignes locos Ciceronis, Liiij, Sallustij, & aliorum scriptorum exponit, ac totam proconsulum, & propraetorum supra traditam præceptionem confirmat, ac multo magis illustrat.

### De Iudicijs, primi libri capita XXXIII.

Quæ priuata iudicia fuerint.	CAP.	I.
De controuersijs ciuilibus, siue priuatis.	CAP.	II.
De controuersijs personarum.	CAP.	III.
De controuersijs rerum.	CAP.	IIII.
De controuersijs obligationum.	CAP.	V.
De legibus priuatorum iudiciorum.	CAP.	VI.
De prætoribus, siue ius dicentibus.	CAP.	VII.
De Decemuiris stlitibus iudicandis.	CAP.	VIII.
De legis actionibus, siue de exercenda iurisdictione.	CAP.	IX.
De vindicatione, & in iure cessione.	CAP.	X.
De emancipatione.	CAP.	XI.
De adoptione.	CAP.	XII.
De manumissione.	CAP.	XIII.
De postulatione, & datione tutoris.	CAP.	XIIII.

De

De postulatione, & datione bonorum possessionis.	CAP.	XV.
De postulatione Interdicti, & Interdicti interpositione.	CAP.	XVI.
De actionibus.	CAP.	XVII.
De in ius uocatione.	CAP.	XVIII.
De editione actionis.	CAP.	XIX.
De postulatione actionis, siue iudicij.	CAP.	XX.
De intentione actionis, siue litis.	CAP.	XXI.
De iudicijs.	CAP.	XXII.
De iudice, & iudicio postulando.	CAP.	XXIII.
De iudice, & iudicio dando.	CAP.	XXIIII.
De testibus.	CAP.	XXV.
De appellatione tribunorum pl.	CAP.	XXVI.
De satisfactionibus, & contestatione litis.	CAP.	XXVII.
De iudicio faciendo.	CAP.	XXVIII.
De sententiæ latione.	CAP.	XXIX.
De in integrum restitutionibus.	CAP.	XXX.
De additione.	CAP.	XXXI.
De iudicio calumniæ.	CAP.	XXXII.
De iudicio falsi.	CAP.	XXXIII.

### Eiusdem libri argumentum.

QUONIAM, dum de iure populi Rom. agebat, sæpe facta est mentio iudiciorum, neq; ea quæstio purgari obiter pro sui magnitudine potuit, propterea iure populi Rom. quod in Ciuitate, Italia, & Prouincijs positum erat, explicito, tres libros de Iudicijs addidit. primum, in quo de iudicijs priuatis agit; secundum, in quo de publicis; tertium, in quo de iudicijs populi. De iudicijs autem priuatis hoc ordine hoc libro agit. primum iudicia priuata definit. & quoniam ea decreta esse constituit facta de controuersijs priuatis à magistratibus ius dicentibus, aut à iudicibus datis ab eis, prout iure erat sancitum, propterea agit primum de controuersijs, & earum generibus, id est, quæ nascuntur ex personis, rebus, & obligationibus, ubi omnia controuersiarum nomina prodit. deinde de legibus XII tabularum, legibus post XII tabulas, & Edictis prætorum, unde ipsa iudicia sunt constituta. Tum de prætoribus, qui ius dixerunt, ubi ostendit, quid sit lege agere, & Ius dicere, & ut iurisdictione fuerit duplex, vna prætoris Urbani, altera peregrini, eæq; quotannis in sortem coniectæ sint. addit etiam aliquid de ædilibus, quin etiam docet, edicta à prætoribus quotannis Kal. Ianuarijs fuisse proposita, unde ius dicerent. agit de insignibus prætorum, de loco, ac die iurisdictionis, prætoriamque iurisdictionem tribus in verbis fuisse versatam, Do, Dico, Addico, prætoresque aut decretum interposuisse, aut iudicium dedisse ostendit: porro qui fuerint Decemuiri litium iudicandarum, & munus eorum. Exponit inde legis actiones, quæ apud prætorem fiebant, nempe vindicationem & in iure cessionem, emancipationem, adoptionem, manumissionem, tutoris, bonorum possessionis, Interdicti, & actionis postulationem. Prodit inde septem actionum diuisiones, & nomina earum, quarum aliqua actorem uti, eamque à prætore postulare, necesse sit. inde quemadmodum postularentur, expositurus, docet primum quæ ratio fuerit in ius uocandi, actionemque edendi. demum ut actio ipsa postulata sit, ubi etiam de uadimonio scribit, deinde, ut intenta sit, quo in loco in singulis actionibus quæ formula intendendæ litis fuerit, aperit. Quin etiam ut possessio primum, deinde dominium postulatam sit, & quibus verborum formulis, tradit, ubi vim simulatam tribus modis exponit, ac sponsonem, sacramentum, & satisfactionem, quæ inciderunt, præterea puram defensionem, exceptionem, translationemque, cuiusmodi fuerint, aperit. Agit inde de iudicijs, nempe iudice, arbitro, recuperatoribus, & centumuiris, qui fuerint, & quomodo lecti sint, & qua de re iudicant. Inde quemadmodum iudex, & iudicium postulatam sint, & datos à prætore iudices, in uerba sponsonis in singulis actionibus demonstrat.

strat. Constituto iudicio tradit de testibus proferendis, tribunis pl. appellandis, de satisfactionibus, contestatione litis, iuramentum iudicum, citatione litigatorum, edicto peremptorio, iuramento calumniae, & ceteris eiusmodi ad iudicium pertinentibus, de ratione causae agenda in omnibus iudicijs. Praecipue autem Centumviralia iudicia in basilicis facta, & in plura consilia diuisa, & a Decemuiris gubernata docet. & ut decemvirum iudicia centumviralium fuerint praedicta. Agit inde de officio iudicis, de ferenda sententia, & formulis diuersis sententiae ferendae pro diuersitate iudiciorum. Iudicio ad extremum facto, ostendit, quemadmodum reo data sit restitutio in integrum, & contra eum addictio: aduersus petitem iudicium calumniae: aduersus iudicem iudicium falsi. atque his praecipuis doctrinae iudiciorum priuatorum modum imponit.

## Secundi libri de Iudicijs capita xxxiii.

Quae publica iudicia fuerint.

De criminibus.

De poenis.

De praetoribus quaestoribus.

De iudicijs quaestionum.

De iudicijs.

De exercitio actionis, siue de actione instituenda.

De in ius uocatione.

De postulatione.

De nominis delatione.

De citando accusatore, & reo.

De iudicijs legendis.

De prima actione.

De quaestionibus.

De testibus.

De tabulis.

De accusatione.

De defensione.

De laudatione.

De secunda actione, quae Comperendinatio dicta est.

De officio quaestoris, dum causa agebatur.

De sententiae latione.

De aestimatione litis.

De animaduersione.

De iudicio calumniae, & praeuaricationis.

De legibus iudiciorum publicorum.

De legibus de pecunijs repetundis.

De legibus peculatus, pecuniarum residuarum, & sacrilegij.

De legibus maiestatis.

De legibus ambitus.

De legibus inter sicarios, ueneficij, & parricidij.

De legibus falsi.

De legibus de vi.

CAP.	I.
CAP.	II.
CAP.	III.
CAP.	IIII.
CAP.	V.
CAP.	VI.
CAP.	VII.
CAP.	VIII.
CAP.	IX.
CAP.	X.
CAP.	XI.
CAP.	XII.
CAP.	XIII.
CAP.	XIIII.
CAP.	XV.
CAP.	XVI.
CAP.	XVII.
CAP.	XVIII.
CAP.	XIX.
CAP.	XX.
CAP.	XXI.
CAP.	XXII.
CAP.	XXIII.
CAP.	XXIIII.
CAP.	XXV.
CAP.	XXVI.
CAP.	XXVII.
CAP.	XXVIII.
CAP.	XXIX.
CAP.	XXX.
CAP.	XXXI.
CAP.	XXXII.
CAP.	XXXIII.

## Eiusdem libri argumentum.

DEINCEPS de iudicijs publicis agit, quorum tractatio alia fuit, quam priuatorum. Quoniam autem iudicia publica desinit decreta, quae de criminibus quaestore aliquo iudicium exercente iudices ab eo dati fecerunt, prout leges de singulis criminibus cognoscendis lata iusserunt, primum de criminibus, deinde de quaestoribus, iudicijsque, atque

atque ad extremum de tota ratione accusandi, & iudicandi scribit Primum autem quae crimina intelligat, exponit, eaque nominat, maiestatis, peculatus, repetundarum, ambitus, caedis, parricidij, ueneficij, falsi, vi, & similibus. Unde criminales causae publicae dicuntur. Poenas inde demonstraturus: quae propositae erant criminibus, poenarum genera octo prodit, damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, & mortem; eorumque quid singula fuerint, prodit. poenas autem duabus uocibus continerit, multa, & capite, unde causae capitales profectae. De quaestoribus agens ostendit, quaestionem primam fuisse regum, deinde consulum, inde ablatam esse consulibus, & rursu populi quaestiones datas modo huic modo illi magistratui usque ad annum D. C. IIII. quaestiones inde perpetuas factas, & praetoribus commissas. itaque eos sortitos esse. non solum iurisdictionem urbanam, & peregrinam, sed etiam singulas quaestiones repetundarum, peculatus, ambitus, maiestatis, & alias neque tamen interea morem intermissum, quin populus extra ordinem aliquot quaestiones mandaret cui liberet. Addit etiam, quaestionem alio modo merum imperium appellari, nec potuisse mandari alteri ab eo, qui illam esset lege adeptus, nisi lex ipsa iuberet. adiungit inde praeter praetores fuisse iudices quaestionum. & quoniam ille magistratus fuerit, querit. Agit inde de iudicijs, ex quibus ordinibus lecti sint, & de numero, etate, & ratione legendi. His traditis ostendit, quemadmodum actio sit instituta: primum enim ut priuatum hominem in ius uocauerit accusator, docet, deinde, ut idem postulauerit a praetore, ut sibi liceret nomen deferre. quo in loco qui postulare, & qui postulari potuerint, aperit. tum de postulandis patronis, de constituendo accusatore, quod iudicium Diuinitio dicebatur. accusatores multos fuisse, quorum qui secundas, & tertias partes egerint, subscriptores dictos. Nominis delationem post iuramentum calumniae successisse. eamque & uerbo, & scripto celebratam certis formulis esse. Recepto nomine a praetore, quemadmodum accusator dicit ad inquirendum poposcerit, atque praetor accusatori, & reo ut ad iudicium adessent, edixerit. Die inde iudicij, ut lecti iudices sint, aut sorte, aut editione, lectique iurarent, ac prima actio instituta sit: ubi de quaestionibus testibus, & tabulis, quae ad iudicia pertineant, scribit. Rationem inde accusationis duplicem fuisse, breuem nimirum, eamque interruptam, & longam, eamque perpetuam. post accusatorem orasse defensorem, & quo modo, laudatorisque productos minimu decem. Inde secundam actionem esse susceptam, quae comperendinatio dicta sit. ibi prius defensorem, postea accusatorem dixisse. Cognita causa, inde ut sententia lata sit, docet. & reus aut absolutus, aut condemnatus, aut ampliatus, & de formulis earum rerum in primis; quid inter ampliationem, & comperendinationem intersuerit. & ad extremum ut praetor aut absolutum, aut condemnatum reum in tabulas rettulerit. Inde de aestimatione litis, & de animaduersione, quae aduersus reum item parata erat, & de iudicio calumniae aduersus accusatorem, & iudicio praeuaricationis aduersus patronum susceptis differit. His expositis agit inde de legibus iudiciorum, ac rationem, cur de singulis criminibus multae leges fuerint, reddit. & cum singula crimina, quid & quae fuerint, docet, tum singulas de ijs latas leges diligenter exponit. nempe de pecunijs repetundis, peculatu, maiestate, ambitu, sicarijs, ueneficis, parricidio, falso, & vi publica, & priuata, ac partes eorum criminum accurate demonstrat.

## Tertij libri de Iudicijs capita xx.

Quae fuerint iudicia populi.

De criminibus.

De poenis.

De iudicijs curiatis.

Quorum iudicijs tributis, & centuriatis actio fuerit.

Quo ordine comitijs centuriatis, aut tributis actum sit.

De die accusationis dicenda.

De citatione rei.

CAP.	I.
CAP.	II.
CAP.	III.
CAP.	IIII.
CAP.	V.
CAP.	VI.
CAP.	VII.
CAP.	VIII.


De triplici accusatione.  
 De acquisitione.  
 De multa, pœna de irrogatione.  
 De quarta accusatione, & defensione.  
 De die iudicio indicenda, & auxilijs reorum.  
 De euocando reo.  
 De rogatione ferenda, & iudicio faciendo.  
 De animaduersione.  
 De tormentis in Eculo.  
 De toga.  
 De tunica.  
 De calceis.

CAP. IX.  
 CAP. X.  
 CAP. XI.  
 CAP. XII.  
 CAP. XIII.  
 CAP. XIII.  
 CAP. XV.  
 CAP. XVI.  
 CAP. XVII.  
 CAP. XVIII.  
 CAP. XIX.  
 CAP. XX.

Eiusdem libri argumentum.

DEINCEPS exponit iudicia, in quibus populus iudicauit, eaque fuisse & priuata, & publica inquit. priuatorum vnum affert exemplum. De publicis ita agit. primum iam inde à Romulo rege iudicatum à populo tradit comitijs curiatis. Centuriata inde curiatis, & centuriatis tributa successisse. atque in ijs omnia iudicata crimina esse, quæ à magistratu ad populum sint delata, sed præcipue maiestatis, & peculatus. itémque pœnas, multam, seruitutem, & mortem. quo in loco quid caput, & perduellio fuerit, aperit, ac genera necis exponit. Iudicio inde curiato exposito, reliqua duo ag gredditur. ac de multa actum tributis comitijs ait, de capite vero, siue perduellione centuriatis, & quinam magistratus ius agendi habuerint, docet. Egisse autem hoc ordine. primum diem priuato dictam à magistratu pro rostris ad accusationem audiendam de certo crimine. ac formulam diei dicenda certam fuisse. tum vades aut prædes à reo datos esse iudicio sistendi causa, aut in carcerem ductum. Citatum inde die dicta reum, & si non affuisset, damnatum: si affuisset, triplici accusatione accusatum intermissa die, productis testibus. sequutam inde esse acquisitionem, & irrogationem, quarum illa verbo, hæc scripto pœnam complexa sit. & rogationem promulgatam mansisse per trinas nundinas. Inde quartam accusationem excepisse. & reo facultatem causæ dicendæ datam. accusatorem vero diem comitijs edixisse. Interea reis auxilia multa præsto fuisse, si tribuni pl. intercessissent, si rei precibus, & sordibus populum exorassent, si comitia per auspicia haberi non potuissent, si morbi, aut voluntarij exilij causa reus solum vertisse excusatus fuisset, si accusator aut diem produxisset, aut incepto destitisset. Quod si reus euocatus non affuisset, per cornicinem citabatur ante ostium domus. si ne tam quidem accessisset, exiliam ei scisccebatur. Si affuisset, rogatio ferebatur, & suffragia populo dabantur, vel absoluedi causa, vel damnandi. His expositis, narrat de iudicio perduellionis, in quo Duumviri creabantur. Damnato reo exponit, ut in eum sit animaduersum, ubi agit de homine libero vendundo, atque necando. & genera omnia necis, quo modo suscepta sint, exponit, percussio, strangulatio, precipitatio de saxo, de robore, in crucem actio, & proiecchio in profluentem. atque ultimo loco de Eculo torquendi, ac cruciandi homines instrumento. His expositis, postremo quoniam mentionem sepe ante fecerat toga, & tunica, de ijs etiam quæ ad hanc disputationem pertinere videntur, calceisque Romanis subiungit, atque ita tractationi de antiquo iure populi Romani finem tandem imponit.

CAROLI



CAROLI SIGONII  
 DE ANTIQVO IVRE  
 CIVIVM ROMANORVM  
 LIBER PRIMVS.



Ad Pont. Max. Pium III.



Erum humanarum, BEATISSIME PATER, magna varietas est, incredibilis inconstantia. possumus hoc tum omnibus in artibus, hominum ingenio, industriaq; partis, facile notare, cum oriatur alia, alia vero occidant, quæq; modo floruerint, nunc obsolescant: tum maxime in vniuersa imperij, ac reipub. ratione animaduertere. Quæ enim homines ad hominum societatem conciliandam, perpetuoq; tuendam excogitarunt, vix tamen ea satis non modo ad æternitatem, verum etiam ad diuturnitatem firma adhuc inuenta sunt. Etenim ut corpora nostra cernimus alia externa ferri impulsione, ictuq; perueri, alia intestina humorum dissensione interire, pauca quadam naturali confecta senio contabescere: sic ciuitates partim hostilibus armis afflictas, partim domestico seditionis morbo, quasi occulto quodam veneno, ante senectutis maturitatem consumptas licet intueri. Quod aliarum rerump. non obscure, clarissime vero Atheniensium, & Romanorum, florentissimarum quondam ciuitatum, exempla testantur. quorum illis Philippi atque Alexandri, his Casaris, atque Augusti inimica potentia, utrisque intestina perditæ cuiusdam luxuria atque auaritia vis, ne

a diutius

diutius possessam per tot secula libertatem retinerent, impedimētofue-  
runt. Quod autem multo etiam miserabilius, atque acerbius est, non  
vetus modo Romani imperij ius, quod antiqua urbis, ac ciuitatis  
maiestate continebatur, sed eiusdem etiam memoria nobilissimis an-  
nualium monumentis impressa, fere omnis intercidit, ita ut neque iu-  
ra, neque leges, neque instituta, neque omnino ulla antiqua reip. for-  
ma iam supersit. Accedit, quod diuersa natura conditio per eosdem  
homines ea commode instaurari non permittit. Vt enim non ab iisdem  
& imperium partum est, & imperij memoria litteris consecrata, sic  
nec per eosdem simul & vetera imperij iura commode restitui, &  
eorū cognitio litterarum ope reuocari videtur posse. ad eā enim rē vir-  
tus, ac sapientia, ad hanc studij quadam assiduitas, perpetuāq; opera,  
ac diligentia requiritur. Itaque qui obsoletam prope antiquitatum  
Romanarum notitiam hodie renouare conentur, fortasse multi; qui  
de vetere ciuitatis iure, atque imperio retinendo cogitent, prater eos,  
quibus hac est honestissima cura ab immortalī Deo commissa, nulli  
certe reperiuntur. Quod quidem ad manus cum Vestra paulo ante  
Sanctitas summa cum omnium gentium ac populorum approbatio-  
ne, Deique precipue nutu delecta sit, incredibile est, quantum ego pra-  
ter ceteros inde voluptatis acceperim. alios enim Christiana religio-  
nis incolunitas, alios Italia, quae amba summum in discrimen addu-  
cta videbantur, sollicitos habebat: me vero & ea cum alijs grauissima  
cura tangebatur, & litterarum prater ea, quas iam pridem negligi, atque  
contemni in Italia coeptas esse constabat, non leuis quadam cum pau-  
cis aliquot bonis viris cogitatio commouebat. Quamobrem cum Chri-  
stianis omnibus, atque Italiae vniuersa, tum ijs precipue, qui de anti-  
qua litterarum laude solliciti sunt, etiam atque etiam gratulor, quod  
is, quem optabamus, ac votis à Deo perpetuis poscebamus, & salutis  
auctorem, & dignitatis defensorem, & omnis antiquitatis instaura-  
torem, nobis sit tandem singulari eiusdem Dei benignitate concessus.  
Atque huius quidem reliquias praclari muneris partes vestrae San-  
ctitati ita cura & esse, & fore intelligo, ut cum ex ijs fundamentis,  
quae iacta iam audiuntur, opinionem superet omnium, eandem anti-  
quorum etiam studiorum neglectum antea patrociniū susceptu-  
ram esse facile sperare possimus. Id quod quanquam mihi in primis,  
in sapientiam eius admirabilem intuenti, planè persuasum sit, tantus  
tamen huius erga optimas artes beneficij meus amor est, tantumque  
studium,

studium, ut admonitores quosdam, minime illos quidem necessarios,  
attamen, ut opinor, in tempore ad Vestram Sanctitatem mittere au-  
sus sim. Hi sunt libri duo, his mensibus à me de antiquo ciuuum R.  
iure conscripti. misi autem non, ut eam erudiant, (quid enim tantam  
latere sapientiam possit?) sed ut maioribus occupatam curis modeste  
interdum appellent, ut Latinis litteris, in quibus nunc vnis vetusti  
Romani imperij sita maiestas omnis est, amissam dignitatem resti-  
tuat. quandoquidem honestissimarum actionum, & pulcherrimo-  
rum institutorum monumenta, quae nobis non ad cognoscendum so-  
lum iucundissima, sed ad imitandum etiam utilissima videbantur,  
vel temporum iniuria fregit, vel hominum inertia labefecit. Quae qui-  
dem licet ea fortuna conditione sint, vix ut ope humana refarciri vi-  
deantur posse, sit tamen nescio quo modo, ut sperem, cum Vestra non  
iam humana, sed plane diuina auctoritas, quasi propitium numen a-  
liquod, ad hanc se laudem penitus adiunxerit, fore, ut hac breui in  
antiquum statum, & splendorem cum summa urbis Romae, ac totius  
Italiae dignitate restituta videamus. Quam fore Sanctitati Vestrae cu-  
ram antiquissimam, cum graues, & illustres superioris eius vitae a-  
ctiones, tum hac noua in maximo Ecclesiae Dei sacerdotio insignia ad  
omne laudem nuper inita consilia non dubie pollicentur. Quae Deum  
Opt. Max. bonis omnibus consentientibus, precor, ut ad totius Chri-  
stianae reip. salutem, fortunare in perpetuum velit. Sed ad rem aggre-  
diamur.

## De Ciu Romano.

## CAP. I.



ROM, qui iura à populo Romano victore eodem, ac libero ac-  
ceperunt, quattuor, si diligenter attendimus, quasi gradus fuerunt:  
vnus ciuuum Romanorum, alter Latinorum, tertius Italicorum,  
prouincialium quartus. ex quibus ut iure Latij ciuitas Romana, sic  
Italico Latinitas, & Italicum prouinciali honestius & commodius  
fuit. Hæc autem iura quando ut cognitu pulcherrima, sic vetusta-  
tis iniuria obscurissima hoc tempore sunt, visa res est digna, in qua illustranda o-  
mnem meam operam, atque industriam collocarem, non solum, ut iis litteris, vnde  
praclara hæc monumenta sumuntur, sed etiam, ut ciuili ipsi disciplinæ, ad quam  
hæc omnia tanquam ad finem vltimum referuntur, opis aliquid, atque adiumenti  
afferrem. Quamobrem veteribus omnibus & Latinis, & Græcis monumentis, quæ  
quidem potui, conquisitis, ac perlustratis, doctrinam hanc omnem diuturno à me  
studio collectam, veterumque testimoniis, quoad licuit in hoc impedito disputa-  
tionis genere, comprobata, atque pro iudicij mei ratione dispositam in tres par-  
tes distribui, vnā, in qua ciuuum Romanorum, alteram, in qua Italiae, tertiam, in  
qua prouinciarum iura descripsi. scilicet, ut quem illi ordinem ad ius imperij con-  
stituendū adhibuissent, ego in eodem instaurando seruarem. Incipiamus igitur à ci-  
uitate, ita ut primū quid ciuis Romanus fuerit, & quibus, ac quot in rebus ius opti-

num ciuitatis Romanæ confiterit, exquiramus, deinde ciuium ipsorum diuisiones inter se, quæ quidem excelluerint, persequamur.

Placet igitur Aristoteli auctori omnis grauissimæ quæstionis locupletissimo, omnem, quæ instituitur de ciue, & ciuitate, disputationem, à rep. cuius illa est ciuitas, oportere deduci. scite ille quidem, & probe. Etenim, si ciuis est pars illius societatis, quæ ciuitas appellatur, ciuitatis autem descriptio quædam respublica existimatur; profecto cum omnis de ciue oratio ad reip. quæstionem est referenda, tum vero reip. eius, cuius potissimum ciuem quærimus, nobis ante est ratio cognoscenda. Qui autem præcepta nobis adhuc de republica reliquerunt, ij fere in eo vniuersi consentiunt, vt tres rectas esse resp. statuunt, & tres contra deprauatas. In bonis regem numerant, optimates, & populum; in vitiosis tyrannum, paucorum factionem, & plebem. bonas autem vocat respublicas, cum siue à rege, siue ab optimatibus, siue à populo bene, ac iuste, atque ad totius ciuitatis vtilitatem accommodate res ipsa publica administratur; prauas vero, in quibus siue tyranni, siue paucorum, siue plebis libidine, atque vtilitate omnia diriguntur. Itaque recte tyrannum regi, paucorum factionem optimatibus, plebem populo opposuerunt, quod vnus vni, pauci paucis, multi multis ita aduersentur, vt ipsi inter se non de re leuissima, sed de totius reip. sine dissentiant. Vt autem rectas illas quas dixi, vocarunt, sic quæ ex illis rectis esset temperata, atque confusa, multi optimam esse arbitrati sunt. Cui opinioni Cicero etiam in libris de rep. est assensus, cum se veterem illam Romanam remp. quam propter tæperationem optimam iudicauit, legibus, & institutis informatum esse professus est. Quibus ex rebus satis intelligi potest, vt non vnum perpetuo fuit Romanæ reip. genus, sic nec vnam ciuium Rom. rationem extitisse. Etenim cum complector animo, nunc vnum, modo paucos, plerumque multos Romanæ rerum potitos, eosque modo publica, plerumque priuata vtilitate omnia esse meritos inuenio. Primum enim reges reimp. tenuerunt, tum tyrannus: quo vrbe pulso paucorum patriciorum inuasit factio; qui cum in plebem omni honorum aditu interdito, impotentius dominarentur, eandem eò deduxerunt, vt non ante seditionibus in vrbe agitandis conqueuerit, quam & ipsa in partem magistratuum, & totius reip. venerit. Tum vero inducta est illa, quam Scipio apud Ciceronem laudibus in cælum extulit, reip. temperatio. qua deinde per Gracchos tribunos pl. tentata, per reliquos omnino labefactata, ad plebem summa reip. recidit. cuius tandem opibus fretus C. Cæsar perditum vnus dominatum inuadere non dubitauit. Ex quo fit, vt varias reip. formas varia etiam ciuium genera sint consequuta. Etenim, quod scribit Aristoteles, in quibus subiectæ res ita differunt, vt hæc sit prima, illa secunda, alia tertia, in iis aut nihil omnino, quatenus tales sunt, aut certe vix aliquid reperiri commune potest. respublicas autem inter se differre, & perditas bonis esse posteriores videmus. Quanquam autem Rom. reip. status sæpe mutatus est, nunquam tamen nisi duas mihi formas ipsa habuisse ciuitas videtur, vnam cum vnus, aut paucorum, alteram, cum multorum in potestate res fuit. Vt enim regibus, & patriciis dominantibus plebs honoribus caruit, sic iisdem facile, rerum potente populo, abundauit. Itaque vt in illis rebus publicis opifices, & sellularij ciuium è numero excludebantur, sic in his optimum etiam ius ciuitatis assequabantur. Quocirca nos, qui ciuem Rom. qui optimo iure ciuis sit, hoc loco quærimus, primam illam vel regum vel patriciorum temp. in ciuis Rom. definitione inuestiganda relinquemus, ad eam verò, quæ æquatis cum plebe maxime post bellum Tarentinum honoribus est inducta, nec post, nisi imperatoribus omnia ex libidine administrantibus, commutata, omnem nostram hanc disputationem accommodabimus.

Quod igitur in libris suis de rep. præclare scripsit Aristoteles, ciuium alios aliqua ex parte, alios omnino ciues esse, id in rep. etiã Romanorum verissimum esse deprehenditur. Nam cum varia ciuium Rom. iura fuerint, qui omnia obtinuerunt, optima, qui aliquot,

quot, ij non optima lege ciues Rom. fuerunt. Mihi vero in hanc quæstionem accuratius intuenti, qui ciuis Rom. præclarum hoc nomen usurparunt, liberi homines videntur fuisse, qui urbem, agrumve Romanum inhabitauerunt. ex quibus is mihi demum optima lege ciuis Rom. videtur, qui domicilium, qui tribum, qui honorum potestatem sit adeptus. Nam qui ciuem Rom. domicilio tantum, aut tribu, aut honore definiunt, quanquam alius alio magis, tamen nemo huic quæstioni cumulate satisfacit. is enim demum optima lege ciuis Rom. iudicatur, qui non domicilium solum, sed tribum etiam, & honorum petitionem est consecutus. domicilium enim etiam inquilini, & tribum libertini obtinuerunt. quorum tamen illi nullum ius ciuitatis, hi vero non optimum habuerunt. libertinis enim quanquam tribus urbanae, non tamen honores vlllo tempore patuerunt. Qui autem è municipiis fuerunt, quanquam tribum, atque honorum petitionem sunt adepti, tamen quia domicilio caruerunt, non ingenui ciues Rom. sic enim hos appellat in Bruto Cicero, sed municipes, nisi si quando Romæ fortunarum suarum domicilium collocassent, nominati sunt. vt M. Porcius Cato Tusculanus, quandiu fuit Tusculi, municeps fuit, id est non ingenuus ciuis Rom. sed ciuitate Rom. donatus; vbi vero Romam cum rebus suis commigravit, ciuis Romanus. Quod idem de auo M. Ciceronis est iudicandum. ille enim municeps fuit Arpinas. hic ciuis Rom. quod ille in municipio viuere maluerit, quam Romæ, vnde vox illa extitit Scauri consulis, cuius ipse Cicero in libris de legibus meminit: *Vtinam M. Cicero isto animo, atque virtute in summa rep. nobiscum versari, quam in municipali maluisses.* Huic autem definitioni eò libentius assentimus, quod ab Aristotelis definitione ciuis tradita non longe recedit. Vt enim ille ciuem plenum, & perfectum honorum gerendorum potestate descripsit, sic nos eundem domicilio, tribu, & honoribus definimus. Ad ciuitatis autem optimum ius domiciliū maxime pertinere, docuit omnis huius iuris auctor, & conditor Romulus, ac deinceps reliqui reges, atque exactis regibus populus Romanus: qui, quos ciues fecerunt, omnes Romam transfulerunt, atque in tribus, & quod probabile coniectura est, in curias descriperunt. In eo vero iure communicando hanc rationem sequuti sunt, vt ciuitatem dederint, aut oppidanis singulis, aut vniuersis. singulis, vt Hosto Hostilio Medullino Romulus, vt Lucumoni Tarquinio Tarquinienſi Ancus, vt Ser. Tullio Ocriculano Priscus, qui omnes singulis hominibus, quibus voluerunt, iura ciuitatis impertierunt. anno vero post reges exactos sexto Ap. Claudio Sabino, neque ita multo post Octauo Mamilio Tusculano consulum rogatione populus. Vniuersis, vt Antemnatis, Camerinis, Crustumis, Sabinis Romulus, quibus ciuitatem ita dedit, vt, quod scriptum apud Dionysium est, qui tum Romam ex oppidis suis commigrare vellent, ij omnes in tribus descripti ciuitatis Rom. iura omnia possiderent; qui domi in patria remanerent, ij nullum ius Rom. ciuitatis haberent. atque hi quidem non municipes, sed ciues Rom. dicti sunt. ex his autem populis Romanus populus erat conflatus. siquidem Albanorum tria milia, aut certe paulo amplius Romulo ad urbem condendam affuisse tradit cum Plutarcho Dionysius, quos ille Ramnenses vocauit. reliqua omnis turba peregrinorum fuit, quos ille suscepit in ciuitatem, Tatiensium, & Lucerum, sed hi nunquam municipes, semper ciues Rom. vocati sunt. De quibus locutum esse video in Balbi defensione Tullium: *Illud vero sine dubitatione maxime nostrum fundauit imperium, & populi Rom. nomen auxit, quod princeps ille creator urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere, cuius auctoritate & exemplo nunquam est intermissa à maioribus nostris largitio, & communicatio ciuitatis.* Post urbem autem à Gallis captam alio modo externo vniuerso populo communicari ciuitas coepta est. institutum est enim, vt, quotquot essent alicuius oppidi ciues, quotiescunque Romam venissent, quanquam Romæ domicilium nullum haberent, eodem, quo ciues Rom. loco ducerentur. ij vero dum domi suæ manserunt, municipes, si quando Romam domicilium

traduxerunt, ciues Romani hoc tamen, aut illo municipio oriundi vocati sunt, vt Porcij Tusculo, Coruncanij Camerio, Marij & Tullij Arpino. Sed de municipibus post in libris de iure Italiae differemus. Hoc vero idcirco in praesentia dictum est, vt intelligeretur, non tribum solum, & honorum petitionem, sed domicilium etiam ad ciuem Rom. ingenuum, cuius in his libris iura nobis quaerenda proposuimus, pertinere. à quo domicilium cum multa alia comoda proficiscuntur, tum maxime sacrorum, libertatis, dignitatis, vrbs, fori, ludorum, festorumque dierum. ad quae amplectenda & retinenda populum Rom. Cicero in agraria actione est cohortatus, cum eum ab agris à Rullo trib. pl. accipiendis deterreret, ne in colonias deductus vrbs Ro. domicilium, & tanta praeterea commoda posthaberet. sic enim dixit: *Vos Quirites retinete istam possessionem gratiae, libertatis, suffragiorum, dignitatis, vrbs, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Si ergo ciuitatis Romanae quasi fundamentum quoddam Romani domicilij largitio fuit, id vero non nisi in vrbe, aut agro Romano patuit, profecto, si traditam ciuis Rom. definitionem confirmare volumus, in qua domicilium, tribum, honoresque posuimus, primum de vrbs, agrive Rom. finibus, tum de tribuum Rom. numero, & iure, postremo de honorum ratione nobis est differendum. qua distributione perfecta, tum demum ad ciuium ipsorum genera distinguenda, & dissimilitudines demonstrandas descendemus. Quare, quod nunc instat, de vrbe, agroque Romano agamus.

## De vrbe, &amp; agro Romano.

## CAP. II.



**V**RBEM igitur appello tectorum, vt ait Cicero, coniunctionem, locis, manuque; sepram, delubris, & spatiis communibus distinctam, in qua coetus sit hominum, iuris consensu, & utilitatis communionem sociatus. Romanam autem urbem intelligo, quicquid regionum, & collium pomcerio, & moenibus Romanis includeretur. Pomcerium porro quod fuerit, quanquam ita est in promptu, vt res expositione non egeat, tamen si Varronis, & Liuij verba protulero, planius etiam, atque illustrius erit. Varro quidem scribit in libris de lingua Latina hoc modo: *Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu, multa, id est iunctis bubus, tauro, & vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. hoc faciebant religionis causa die auspicio, vt fossa, & muro essent munita. terram, vnde ex calpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum. postea quod fiebat orbis, vrbs principium, quod erat post murum, pomcerium dictum eiusque ambitu urbana auspicia finiuntur. cippi pomcerij stant circum Romam.* Liuius autem ita libro primo: *Pomcerium verbi vim solam intuentes pomcerium interpretantur esse. est autem magis circa moenium locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circum terminis inaugurato consecrabant, vt neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam coniungunt, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod post murum, quam murus post id, pomcerium Romani appellarunt.* Haec illi. Ego vero urbem Romanam idcirco pomcerio, & moenibus circumscripti, quia quanquam pomcerium vrbs terminus quidam fuerit, tamen urbem ultra pomcerium etiam processisse, accepi. Etenim, quod est apud Tacitum libro tertio decimo, & Gellium duodecimo, pomcerij proferendi ius nemini datum est, nisi qui agro de hostibus capto rem Romanam auxisset. Quod decus pauci sibi admodum vindicarunt, cum qui urbem muniuerint, atque variis comprehensis collibus dilatarint, complures extiterint. Palatium enim Romulus, Tarpeium montem, qui postea Capitolinus appellatus est, T. Tatius, Coelium siue Tullus, siue Ancus, siue Priscus, (haec enim omnia feruntur,) Esquilinum, & Viminalem, & auctore etiam Liuij, Quirinalem Ser. Tullius reges pomcerio incluserunt. Nam Tarpeium, & Coelium Romulus, & Ianiculum, atque Auentinum Ancus muro cinxerant illi quidem, non tamen pomcerio comprehendant.

derant. Sylla autem, & Caesar dictatores, & Augustus Imp. quos omnes pomcerium protulisse auctor est idem cum Tacito Gellius, quas eo regiones amplexi sint, parum certa memoria est. Illud autem dubitationem non habet, Auentinum, quem Ancus rex Latinis habitandum concesserat, non nisi post multa saecula à Claudio Imper. pomcerio esse inclusum, cum ante ab omnibus semper fuisset exclusus; nempe, quod, vt tradit ex Messalae sententia Gellius, in eo Remus vrbs condendae causa auspiciatus, aibus irritis habitis, à fratre in auspicio fuerit superatus, Ex quo efficitur, vrbs terminos aliquanto latius patuisse, quam pomcerij. Quanquam non spatium illud solum, quod est aut pomcerio, aut moenibus circumscriptum, sed etiam suburbana ipsa continentia cum muris vrbs aedificia, vno Romae nomine videntur esse communi sermonis consuetudine appellata. Hoc autem tradit satis, vt mihi videtur, aperte Marcellus iurisconsultus, his verbis: *Vrbs Roma est, quae muro cingitur. Roma est etiam, qua continentia aedificia sunt. nam Romam non muro tenuis existimari, ex consuetudine quotidiana potest intelligi, cum dicamus, Romam nos ire, etiam si extra urbem habitemus.* Quod idem ante etiam sensit Dionysius, cum de magnitudine vrbs Romanae differens ita scriptum reliquit: *Ser. Tullius regum vltimus vrbs ambitum dilatauit, duobus ad quinque collibus additis, auspiciato, & re diuina rite perfecta longius autem non processit, religionibus, vt fama est, impeditus. ceterum omnia suburbana aedificia, quae multa ac magna sunt, nullo vallo munita, hostium incursionibus exposita sunt. quae si quis oculis lustrans, magnitudinem inde vrbs colligere velit, necessario decipietur, neque certum habebit signum. vnde vrbs initium, finem de perspicere possit. adeo cum vrbe coniunctus ager est ac speciem in infinitum progredientis vrbs intuentibus hominibus praebet.* Agrum autem Romanum proprie vocamus, quidquid montium, camporumque extra urbem Romanam ex omni parte sociorum fines attingeret. Vt autem non iidem semper vrbs Romanae termini fuerunt, sic nec huius agri eisdem fines extitisse statuum est. Eisdem vero reges, qui vrbs, agri etiam fines protulisse, ego facile existimauerim. nam de eo post Ser. Tullium regnantem aucto nihil comperti habeo, Principio quidem angustissimus fuit, adeo vt Fabius Pictor scriptum reliquerit, agrum Romanum aetate Romuli arcus formam, cuius chorda esset Tiberis, reddidisse. egregie. Etenim ultra Tiberim in Etruria nullus erat, nec Latium versus multum patebat. eundem tamen etiam Romulum trans Tiberim Romanum agrum prouexisse, inde apparet, quod Veientibus victis, qui late trans Tiberim imperabant, agrum, qui Septempagi dicebatur, ademit. Quod idem ab Anco rege post factum indicat Liuius, cum scribit, *Anco rege non urbem tantum creuisse, sed etiam agrum, finisque. Mæstia sylua Veientibus adempta vsque ad mare imperium prolatum: itemque Dionysius, cum ait, Politorium, & Ficanam, quae, auctore Festo, via Ostiensi ad duodecimum ab vrbe miliarium fuit, priscorum Latinorum oppida, Romae vicina, ab eodem esse deleta.* Quin etiam de L. Tarquinio Prisco possumus aliquid suspicari, quem Apiolas, & Corniculum propinqua oppida Latinorum incendisse, & reip. fines propagasse, auctor est cum Dionysio Valerius. Eutropius certe scribit, *Priscum Sabinis victis non parum agrorum vrbs territorio adiunxisse. is autem ager trans Anienem fuit, quem Liuius credo intellexit, cum scripsit, Collatiam, & quicquid citra Collatiam agri, Sabinis fuisse ademptum.* Qui autem ex regibus vltimus pomcerium terminauit, eundem agro etiam modum imposuisse arbitror. si quidem Veientes, Carites, & Tarquinienfes Etruscos finitimos agro ab eo multatos, atque eo novos ciues donatos, apud Dionysium inuenio. Illud autem sine dubitatione confirmauerim, agrum Rom. in multas partes, quas pagos nominauit, Ser. Tullium diuisisse. Verum, siue Tullius, siue Romulus, siue quiuis regum alius agrum hunc circumscripsit, satis constat, eum non late admodum patuisse. Strabo quidem regnante Romulo intra quintum, aut sextum lapidem à Latio, locum Festos nomine, tanquam terminum Romani, qui tum erat, agri monstratum

ait, ac sacerdotes ibi, & aliis plerisque in locis, vt in finibus eodem die sacrificium fecisse, quod Ambaruale diceretur. Qui si postea ab ea parte accessionis aliquid accepit, certe non vltra Tiburtinum, Gabinum, Tusculanum, Lanuuium, Ardeatē, & Ostiensem agrum pertinuit. Nam trans Anienem Sabinos versus, Fidenatē, Antemnatem, & Collatinum attigit, trans Tiberim vero Veientem, & Cæritem vsque ad mare. Eundem autem vel Romuli temporibus à mari fuisse plurimum scribit Festus, cum ait: *Petuscum Palati dicta est ea regio vrbis, quam Romulus obuersam posuit ea parte, qua erat plurimum Romani agri ad mare versus, & qua mollissime adibatur vrbis, cum Etruscorum agrum à Romano Tiberis discluderet, ceteræ vicinæ ciuitates colles aliquos haberent oppositos.* Proximus autem ager cis Anienē fuit Tiburtinus, post Tiburtinum Gabinus. quanquam Gabij Tibure ab vrbe Roma viæ dimidio propius abfuerunt, nimirum citra Præneste, in via ipsa Prænestina, procul ab vrbe stadiis, vt inquit Dionysius, centum. de quo loquutus est etiam Varro, cum de generibus agrorum disputauit, his verbis: *Vt nostri augures publici dixerunt, agrorum sunt genera quinque, Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus. Romanus dictus, vnde Roma, ab Romulo, Gabinus autem ab oppido Gabijs. Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum, & Gabinum, quòd vno modo in his feruntur auspicia, dictus peregrinus à pergendo, id est progrediendo. eò enim ex Romano agro primum progrediebantur. quocirca Gabinus, siue peregrinus secundum hos auspicia habent singularia. ab reliquo discretus Hosticus, dictus ab hostibus. Incertus is ager, qui de his quatuor qui sit ignoratur.* Ceterum Gabinum agrum Romanus is videtur contigisse, qui Pupinia dictus est, octo millia passuum ab vrbe distans. quod ostendit Liuius, cum Annibalem ex Gabino agro in Pupiniam ait descendisse. Gabinum porro agrum sequitur Tusculanus, Tusculanum Albanus. quos & ipsos Romano adhæsisse agro ostendit Strabo, cum ait: *Post Tusculana iuga est mons Albanus, cui subest planities. deinde campi sunt, qui partim Romanam, & eius suburbia attingunt, partim ad mare pertinent.* Albanus autem cum Romano coniungebatur ad eum locum, qui Fossæ Clœliæ dicebatur, quinque millia passuum ab vrbe, vnde Albani bello Albano, & Coriolanus bello Volscò in agrum Romanum fecisse impressionem dicuntur. Romanum autem agrum haud ita multo latius patuisse, indicant oppida, quæ ab ea parte suis etiam temporibus vrbi vicina Cicero nominat, vt in Agraria Lauicos, Fidenas, Collatiam, Lanuuium, Ariciam, Tusculum; in Planciana Gabios, Bouillas, & Lauicos, quibus è municipiis vix, qui carnem Latinis peterent, tum inuētos fuisse ait. Quin etiam hoc esse causæ puto, cur Latini, cum vrbe exire à consulibus iubebantur, quinque millia passuum ab vrbe abesse iuberentur, quòd hoc minimum interuallo à Latino Romanus ager scilicetingeretur. Inde vero erat ager Solonius, Ardeas, Ostiensis. quorum agrorum meminit Liuius bello Latino secundo, cum ait, Antiates in agrum Ostiensem, Ardeatem, Solonium incursionem fecisse. Agrum autem Solonium via Ostiensi ad x i lapidem fuisse, narrat Festus. nam Ostiam ad x v i, Ardeā ad x v i i fuisse, in Eutropij historia scriptum est. Iam vero trans Anienē erant Sabinis, vls Tiberim Etrusci. In Sabinis vicina oppida Fidenæ, Antemnæ, Collatia, Crustumium. In Etruria Veiens ager procul à mari, ad mare vero Cære oppidum. Cum ergo postremis etiam temporibus horum aut oppidorum, aut agrorum fieri mentionem videamus, profecto neque vltra hos agros Romanum agrum propagatum fuisse, licet suspicari. Cum autem trans Anienem Fidenæ quinq; millia passuum ab vrbe abfuerint, certe nec ab ea parte Romanus ager fuit amplissimus. Nam Cæritem cum Romano agrum coniunctum fuisse, ex eo ducor ad suspicandum, quòd scribit Liuius lib. v i: *Cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas salinas, prædeq; partem in Cæritum fines auēctam.*

An igitur ciues Rom. vrbem tantū tenuerunt, atq; hunc solum, quem circumscripti, agrum? non, opinor. immo vero multos etiam in Latio, & Italia agros coluerunt vel publicos, vel priuatos, vel suos, vel alienos. Neque enim illud dubium

bium est, maiorem Italicorum, Latinorumq; partem agris à Romanis esse multatam, eosq; agros aut plebi Rom. esse diuisos, aut publicos factos arandos ciuibus Rom. datos. Huius enim rei testis optimus est Liuius, cum scribit, bello Latino secundo Tiburtes, Prænestinos, & totum fere Latium, ac Priuernum, Capuamq; agro multatos; Latinum, Campanum, Falernum, & Priuernatem agrum plebi R. diuisum. vnde nō multo post Palæpolitanos multa hostilia aduersus Romanos agrū Campanum, & Falernum colentes fecisse. & cum lib. x l i l. Postumium consulem ad agrum publicum à priuato dirimendum in Campaniam missum, cuius ingentem modum possidere priuatos, paullatim proferendo fines, constabat, prodit; & cum lib. v i i l. T. Quinctium patricium virum agrum in agro Tusculano coluisse; & cum lib. x l i l. Sp. Ligustinum ciuem R. in tribu Crustumina in Sabinis habitasse narrat. Neque vero Liuius solum, sed etiā Cicero, qui in agrariis dixit, Campanum agrum coli, & possideri à Romana plebe modestissima aratorum, & militum. Nec Cicero tantum, sed etiam Varro, qui in primo de re rustica inquit, M. Catonem ita scripsisse in Originibus: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui vritum datus est vltra agrum Picenum.* Quibus ex locis omnibus nemo est, qui non intelligere possit, ciues R. etiam extra agri eius, de quo diximus, terminos alterū agrum inhabitasse, quem nescio, cur non Romanum etiam, præsertim cum à Romanis possideretur & coleretur ciuibus, nominemus. siquidem agrum Hernicum à Liuiò videmus aliquando etiam Romanum appellari. vt libro x x v i i: *Frusinone natus Androgynus aruspices eum extorrem agro Romano procul terræ contactu alto immergendum responderunt.* quo ex loco quis non videt, Frusinatem agrum, qui fuit in Hernicis, pro Romano ab aruspices esse acceptum? Mitto, quòd alio loco dictatorem negat, nisi in agro Romano dici potuisse, agrum autem Romanum Italia terminari, interpretatum esse. Quod igitur, vt ad rem redeam, ciuem R. vrbis, agrive R. incolam definiui, id non habet eam vim, vt si is extra hos fines negotij fortasse gerendi causâ aliquando habitavit, eum ius ipsum ciuitatis R. statim amissurum esse constituam, sed vt illud intelligatur, si in aliam ille vrbe profectus, ab ea in ciuium numerum recipi se permiserit, eum continuo ciuem R. esse desitutum. neque enim, vt scribit Cicero pro Cæcina, *iure Quiritium idem duarum ciuitatum ciuis esse potuit.* Vnde illa sunt apud Nepotem de Attico, *factum esse, vt cum ei omnes honores, quos possent Athenienses publice haberent, ciuemque facere studerent, eo beneficio ille vti noluerit, quod nonnulli ita interpretarentur, amitti ciuitatem R. alicia ascita.* At Roma, & Romano agro abesse, quam diu cuique libuit, licuit, dummodo aut præsens, aut absens censeretur, ne si census nō esset, ciuium tum Romanorum in numero non fuisse iudicaretur. cuius generis controuersia multæ forum olim Romanum exercuerunt. quemadmodum satis magno esse documento is, quem modo nominavi, T. Pomponius Atticus, eques Rom. potest, qui cum Athenis habitaret, Romam tamen sæpe, & ad comitia amicorum, & ad censum ciuium, iuris retinendi gratia ventitauit.

## De Tribubus, &amp; Curijs.

## C A P. III.



**V**RBIS, agròque Romano constituto, deinceps sequitur, vt quemadmodum polliciti sumus, de tribubus, & earum partibus disputemus. De tribubus autem ita scribemus, vt & quid tribus fuerit, & à quo institutæ, quando quæque additæ, vnde nominatæ, in quot genera diuisæ fuerint, tum exquiramus, tum etiam, quantum ex veteribus intelligi monumentis possit, aperiamus. Tribus igitur nomen latius apud Romanos patuisse inuenio. Etenim & locum, & homines, & ius eos hoc nomine comprehendisse, auctor est Gellius. Quare si de loco quærimus, tribum partem quandam esse vrbis Ro. dicemus, si homines, partem



tem Rom. ciuitatis. siquidem Aristoteles etiam in primo eorum librorum, quos de rep. scripsit, ciuitatem perfectam esse societatem ex multis viciniis constantem, vicinitatem vero ex multis familiis iunctam societatem definiuit; si ius, tribum esse definiemus ius, quo donati sunt ij, qui in eam partem ciuitatis à censoribus fuerint distributi. Qua de triplici ratione mihi intelligo deinceps esse dicendum. Primum enim video, tribus Romæ ita vsurpatis, vt partes essent vrbs, agriq; Romani, deinde vero non vrbs, sed ciuitatis. Vrbs enim primum à Romulo in tres partes distributa est, vnde tribus dictæ. quanquam alij à tributo, quod populus Romanus in tribus diuisus conferre solitus fuerit, dictas esse existimant. Harum autem tam diuersarum opinionum duos grauissimos viros Dionysium, & Liuium auctores habemus. inter quos ne de tempore quidem, quo tribus nomen inuentum fuerit, video conuenire. Nam Dionysius, quem pleriq; sequuntur, Romulum; Liuius vnus Ser. Tullium regem tribuum profitetur auctorem. Ac Dionysio quidem placet, Romulum, vbi primum ab agresti illa Albanorum, conuenarumq; multitudine rex declaratus est, omnem populum in tres tribus, tribus autem singulas in decem curias diuisisse. agrum porro excepta ea parte, quam publicis, & quam sacris muneribus obeundis addixit, æqualiter ipsis triginta curiis partitum esse. post autem Antemnati, Cæninensi, Camerino, Fidenati, Sabino, & Veienti bello confecto, cum multos ex eis populis ciuitate donatos in tribus, atque in curias coniecisset, iisdem agri etiam capti partem distribuisse. quibus autem nihil forte à Romulo fuerat assignatum, iis Numam Pompilium, qui Romulum consecutus est, satisfecisse. Liuius autem non nisi Sabino confecto bello, atque consociato cum T. Tatio imperio, tres equitum centurias, ac xxx curias à Romulo factas, easque à mulieribus Sabinis appellatas prodit. cuius, vt apertior sententia sit, verba etiam ipsa subscribam: *Romulus cum populum in curias xxx diuideret, nomina Sabinarum curijs imposuit. Id non traditur, cum haud dubie aliquanto numerus maior hoc mulierum fuerit, atate ne, an dignitatibus suis, virorum ne, an sorte lectæ sint, quæ nomina curijs darent. ab eodem etiam centuriæ equitum tres conscriptæ sunt, Ramnenses ab Romulo, ab T. Tatio Tatienses appellati. Lucerum nominis & originis causâ incerta est.* Quibus ex verbis apparet, quas Dionysius tribus nominauit, eas à Liuiio centurias equitum appellari. Plutarchus vero, qui vtriusque historias videtur legisse, Dionysium sequutus scripsit, tribus tres, curias triginta à Romulo, verum non nisi post ciuitatem Sabinis datam, descriptas; atque illas quidem Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum, has vero non à Sabinis, vt multi putarint, mulieribus, sed à locis plerasque sumpsisse nomen. Quæ si vera sunt, profecto Dionysij sententia illa subuertitur, qui populum à Romulo, antequam rei bellicæ quicquam attingeret, in tres tribus esse descriptum dixit. nisi forte tribus ipsas, & curias ante Sabinum bellum institutas illas quidem, verum non nisi post Sabinam pacem his nominibus fuisse insignitas velit. Etenim & Varro, quem auctorem in ea re ipse sequutum se inquit, cum rationem, cur ita nominatæ tribus fuerint in libris de lingua Latina reddit, eas Sabino demum confecto bello ita appellatas significat. quid enim aliud ea verba volunt? *Ager Romanus primum diuisus in partes tres, à quo tribus appellatæ, Tatiensium, Ramnium, Lucerum; nominatæ, vt ait Ennius, Tatienses à Tatio, Ramnenses à Romulo, Luceres, vt ait Iunius, à Lucumone.* Quamobrem ego facere non possum, quin Asconium Pædianum, virum eum, quem alias in antiquitate demonstranda accuratissimum ipse soleo nominare, hoc loco aut inscitæ arguam, aut imprudentiæ. qui hæc verba in commentario Diuinationis reliquerit: *Principio tribus tres fuerunt, Tatiensium à Tatio rege, Ramnensis altera ab Romulo, Luceres altera ab Lucumone, siue Lucero, siue à Luco, quem Asylum vocauerat Romulus.* egregie hoc quidem. at quod sequitur, absurde: *Post de nominibus Sabinarum plures fuere,*

*fuere, quibus deprecantibus parentum bellum, maritorumque finitum est. ad extremum quinque & triginta facta.* cur autem absurde? quia tribus, quod nemo prodidit, à Sabinis mulieribus nūcupatas tradit, nisi forte curias falso easdem esse, ac tribus, voluit. Fuerunt ergo ab initio tres Romæ tribus, eaq; à generibus hominum, qui tum vrbs tenerent, nominatæ. Ramnenses Albani erant, qui ad tria mill. pedum, equites ccc, cum Romulo Romam coloniam condiderunt. Tatienses Sabinum, qui haud ita multo post cum T. Tatio Sabinorum rege Romam commigrarunt. Luceres siue Etrusci erant, qui cum Lucumone Etrusco, siue Ardeates, qui cum Lucero, regnante Romulo, (nam & hæc traduntur) fortunarum suarum Romæ domicilium collocarunt, siue præter Albanos, Sabinosq; reliquos aduentitius populus omnis, qui in vrbs confluxerat, atque in lucum confugerat. Vnde etiam Luceres appellati, qui regionem, quæ inter Palatium, & Capitolium sita est, ac deinceps, aucta vrbe, reliquos colles omnes obtinuerunt. Nam quod Liuius Lucerum nominis, & originis incertam causam esse tradiderit, id ita accipiendum esse arbitror, non quod nullam ipse tenuerit, sed quod incertam eam diuersos fecisse auctores, existimari. Quoniam autem ex singulis tribus singulæ equitum centuriæ conscriptæ sunt, hinc factum est, vt eadem nomina primarum tribuum fuerint, ac centuriarum equestrium. Id quod Liuius fortasse causam, vt, nulla facta tribuum mentione, tres à Romulo equitum centurias conscriptas libro primo tradiderit, easque postea libro decimo tres tribus appellarit. Has deinde siue tribus, siue centurias sub iisdem nominibus auxit L. Tarquinius Priscus, ac sex fecit, primos & secundos (vt ait cum Liuius, & Dionysio Festus) Ramnenses, primos & secundos Tatienses, itemq; Luceres. neque enim per Attium Nauium augurem, id quod optabat, suo insignes relinquere nomine potuit. Hic ergo siue centuriarum, siue tribuum numerus vsque ad Ser. Tullium regem permanit incolumis, à quo eodem tum, cum tribuum, ac centuriarum numerus auctus est, ipsæ inter se aperte distinctæ sunt. id quod his verbis non obscure fert Liuius: *Seruius pedestri exercitu ornato, distributoque, equitum ex primoribus ciuitatis xii conscripsit centurias. sex item alias centurias tribus à Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit. Quadrifariam autem vrbe diuisa regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit, vt ego arbitror, ab tributo. nã eius quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* Quamobrem, si Liuium attendamus, Seruium regem, vrbe in quattuor partes diuisa, primum tribus, ac tribus quattuor à collium, regionumq; nominibus appellatas, instituisse dicemus, Palatinam, Suburanam, Collinam, & Esquilinam; si Dionysium, vrbs, quam trium Romulus tribuum fecerat, Seruium in quattuor diuisisse, non gentium, vt ille, quæ habitarent, sed locorum, in quibus habitarent, habitacione. Id autem quemadmodum factum sit, quia non minimi momenti res est, verbis item Dionysianis allatis, exponam. *Seruius, inquit, cum pomerium protulisset, vrbs in iiii regiones diuisam quattuor tribuum fecit, easque à regionibus nominauit, Palatinam, Suburanam, Esquilinam, Collinam, cum eo vsque trium tantum fuisset. qui autem singulas earum partium incolebāt, eos aliò commigrare, atque alibi censeri, aut tributum conferre vetuit, neque in posterum per tribus generales, vt ante, sed per quattuor locales (sic enim τριμῶς & τοπιῶς vertemus) à se institutas rē militarem administrauit, ac singulis partibus præfides, qui, vbi quisque habitaret, cognoscerent, præfecit.* Quorum verborum satis plana sententia est: Romulum tres tribus τριμῶς fecisse, cum vniuersam populi multitudinem in tres quasi gentium partes diuisisset, Seruium in quattuor τριμῶς, cum totam vrbs in quattuor regiones distribuisset, atque idcirco neminem è sua regione in alteram transire, ne tribus ipsæ forte perturbarentur, voluisse. Hunc autem, vt à Romuli ratione, atque instituto discederet, hæc, vt opinor, causâ adduxit. Vidit Ramnenses, qui Palatium, & Tatienses, qui Capitolium tenebant, à Luceribus nouo, atque aduenticio populo longe numero superari, etenim quicun-

que in urbem quotidie confluebant, sese Luceribus adiungebant. Igitur ut omnes inter se tribus æquaret, ac parem in omnibus multitudinē redderet, qui Palatium, & Capitolium, & quicquid inter eos colles spacij erat, habitarent, in vnam omnes tribum coniecit, quam à nobiliori Palatij nomine, quòd in eo primum vrbs sita fuerit, appellauit; qui sub urbem veterem, quæ regio Subura dicebatur, in Suburanam; qui Esquilias, in Esquilinā; qui Quirinalē, Viminalēq; collem, in Collinam, quam ne alteri horum collium, qui dignitate pari erāt, iniuria fieret, non Quirinalē, aut Viminalē, sed Collinam nuncupauit. His rebus ita constitutis, sequitur, ut quoniam Seruium omnia fere tribubus ornamenta dedisse, comperimus, quàm multas ille tribus, & quot generum fecerit, quæramus. Ac plures quidem, quàm quattuor, ab eo institutas, atque has quidem, quas commemorauimus, urbanas, reliquas vero rusticas appellatas, auctor est Dionysius. scribit enim, eundem regem in multas item partes agrum Rom. esse partitum, quas tribus nominarit, easq; urbanis ipsis quattuor adiunxisse. Verum ne ipse quidem toti huic quæstioni satisfacit. recitat enim parum inter se constantes aliorum sententias, ut Fabij, ut Vennonij, ut Catonis, qui de numero rusticarum tribuum scripserunt. quid autē ipse existimet, non adscribit. verba vero eius si Latine reddantur, hæc sunt: *Diuisit agrum etiam vniuersum, ut Fabius inquit, in viginti sex partes, quas & ipsas tribus appellat. cumq; ipsis urbanas quattuor addidisset, triginta ex vtriusq; fecit: (Cato quidē has regnante Tullio fuisse omnes narrat) ut autē Vennonius prodit, in vnam, & triginta tribus. qui cum auctor sit melior, numerum tamen partium certum non ascribit.* Quæ si Dionysij sententia fuit, (nam libri mendam verba ipsa Græca vulgata subindicant) profecto apparet, tribus ex eorum sententia à Ser. Tullio aut triginta, aut amplius esse factas. Cui opinioni nec Varro, nec Liuius, nec Dionysius est assensus; Varro quidem, quia libro de vita populi Rom. primo, teste Nonio, ita scriptum reliquit: *Extra urbem in regiones viginti sex agros viritim liberis attribuit.* quod, ni mea coniectura fallit, de Seruio dictum est. ut ex his verbis intelligamus, agrum in partes illum quidem viginti sex diuisum esse, sed regiones eas, non tribus appellatas, & numerum tribuum cum numero regionum non conuenisse. si quidem Vaticanus ager non solum fuit Romanus, sed propè etiam suburbanus, at inde tamen tribus nulla nomen traxit. Nam Liuium tribus à Seruio plures quattuor, pauciores triginta institutas existimasse, multis argumentis doceri potest. sed maxime, quòd tribum Claudiam, quæ rustica fuit, sexto post reges exactos anno, qui fuit ab v. c. c c x l i x, cum vetus esset tribus, Claudiam appellatam scribit. deinde quòd apud eundem scriptum est, anno demum c c l v i i i, Claudio, Seruilioq; coll. Romæ vnam & viginti tribus esse factas; Dionysium vero, quia in iudicio Coriolani exponendo, quod quadriennio post, Sempronio, Minucioque coll. à plebe factum est, scribit tribus vnam, & viginti suffragium tulisse, ita ut nouem eum absoluerint, reliquæ condemnarint. Ergo, cum, id quod omnem huius dubitationis scrupulum euellere poterat, Liuius ita locutus sit, ut nec quot, nec quæ tribus additæ sint, ne tum quidem, cum vna & viginti factæ sunt, explicet; nec Dionysius hac de re quicquam adiiciat, vnde peruenire in suspicionem aliquam veritatis possumus, fingamus nos duas opiniones extitisse, vnam, ut dixi, Fabij, alteram Vennonij, quibus aut triginta, aut vna & triginta tribus à Seruio factæ dicantur; tertiam veto Varronis, Dionysij, & Liuij statuamus. quorum postremos tam magnum numerum tribuum non approbare inde liquet, quòd post reges exactos minorem multo ambo commemorent. Dicamus autem, exempli gratia, decem, & nouem tribus à Seruio esse factas. Hoc enim si constituerimus, à Dionysij non multum, à Liuij certe nihil sententia recedemus, qui non nisi ducentesimo quinquagesimo octauo demum vrbs anno, Claudio, & Seruilio coll. vnam & viginti tribus factas, scriptum reliquit, & post expletum demum triginta quinque tribuum numerum, duplicatum ipsarum

ipsarum esse numerum prodit. Harum autem decem, & nouem nomina, ut puto, fuerunt: Urbanæ, quas commemorauimus, quattuor, Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. reliquæ rusticæ, Romilia, Læmonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, Ac-milia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, & quæ post dicta est Claudia. Hæc igitur tribuum prima fuit à Seruio instituta diuisio, ut alteræ urbanæ essent, alteræ rusticæ. urbanæ à collibus & regionibus vrbs, rusticæ ab ruris, id est agri partibus nuncupatæ. Itaque scite Varro in libris de lingua Latina, vbi de locis egit, tribus omnes à locis nomen traxisse significat, cum ait: *Ab hoc quoque quattuor partes vrbs dicta, & ab locis, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina. sic reliquæ extra ab his rebus, de quibus in tribuum libris scripsi.* Quod autem à Varrone traditum est, ratione etiam in plerisque earum confirmari potest. fuisse enim hæc nomina fere vel vrbs, vel agri regionum satis constat. Ac de regionibus quidem vrbs quattuor, quo locupletiore vtar teste, quàm eodemmet Varrone, non habeo, qui eodem in loco ita scribit: *Reliqua vrbs loca olim discreta. è queis prima est regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina. In Suburanae regionis parte princeps est Cælius mons. eidem regioni attributa Subura, quòd sub muro terreo Carinarum. Suburam Iunius scribit ab eo, quòd fuerit sub antiqua vrbe. cui testimonium potest esse, quòd subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego à pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. nunc scribitur tertia littera B, non C. Pagus Sucusanus, quòd succurrit Carinis. Secunda regionis Esquilinae ab Esquilij. alij has scripserunt ab excubijs regis dictas, alij ab eo, quòd exculta à rege Tullio essent. Tertia regionis colles ab quinque deorum fanis appellati, è queis nobiles duo colles, Viminalis à Ioue Viminio, quòd ibi ara sunt eius, aut quòd ibi dimineta fuerunt. collis Quirinalis, vbi Quirini fanum, qui à Curetibus, qui cum T. Tatius Curibus venerunt Romam, quòd ibi habuerunt castra. Quarta regionis Palatium, quòd Palantei cum Euandro venerunt, aut quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi confederunt. Sed hoc alij à Palatia vxore Latini putarunt. eundem hunc locum à pecore dictum putant quidam. Itaque Neuius Balantium appellat.* Hactenus Varro. Suburanam ergo tribum ex urbanis primam fuisse, cum Plinius, Varro, & Festus, qui eam ceteris anteponunt, docent, tum maxime Cicero in Agraria, cum inquit: *A Suburana ad Arniensem nomina vestra proponat.* quod nihil aliud est nisi à prima tribu vsque ad extremam. Ut autem inter urbanas Suburana primam sedem obtinuit, sic inter rusticas Romilia. Hoc ostendit eodem in loco Cicero, cum Rullum reprehendit, qui se agrariæ diuisionis initium à Romilia tribu facturum esse responderat, cum, ut ipse interpretatur, aut urbanas præteriret, aut certe, quòd à rusticis inciperet, ordinem immutaret. quod idem non obscure tulit etiam Varro, cum Romiliam quintam tribu, quòd sub Roma esset, & Festus, quòd ex eo agro censerentur, quem Romulus ex Veientibus ceperat, scripsit. Sequuntur deinceps tres Læmonia, Pupinia, Veientina. quas omnes ab agri Rom. partibus nomina duxisse, quis ignorat: de iis enim sic Festus: *Læmonia tribus à pago Læmonio, qui est à porta Capena via Latina, dicta est, Pupinia ab agro Pupinio.* cuius nos ante, & saepe etiam Liuius alias, & Valerius meminerunt. Veientinam, cuius meminit in Planciana Cicero ab agro Veientum dictam existimari, quem Veientibus Ser. Tullius ipse ademit, & nouis ciuibus, ut tradit Dionysius, dedit. Quod idem de Galeria, Pollia, Voltinia, quanquam scriptum nihil extat, possumus suspicari. Voltinienses quidem Terentinæ vicinos scribit Cicero pro Plancio. Dicet aliquis: Quid ceteræ à pagis ne, & locis, an potius à virorum, familiarumve nominibus appellatæ sunt? Ego quidem existimo, à locis omnes, ut scripsit Varro, à Ser. Tullio rege nominatas, verum vindicata post in libertatem ciuitate, multas earum vetere relicto nomine illustrium aliquot familiarum sibi nomina asciuisse. Hoc me docuit Claudia tribus, quæ, ut ait Liuius, cum vetus esset tribus, eaque à pago ante forte aliquo appellata, adiectis postea nouis

tribulibus, Claudia vocitata est. Nam Papiriam quidem quid est cur à Papirio duxisse nomen dubitemus, cum Festus auctorem habeamus? Neque vero hoc cuiquam mirabile debet videri, Papirios, Cornelios, Aemilios, Sergios, Fabios, Horatios, Menenios, Veturios, qui patricij remp. vniuersam primis illis reip. temporibus in potestate habebant, quibus ipsi erant præditi opibus, nomina sua tribubus, quæ tum erant, diuersis rerum causis, atque euentibus imposuisse. Inde duæ adiectæ sunt anno, vt dixi, c c l v i i i. quarum altera Crustumina, altera Veientina, vt opinor, est appellata. de quibus tribus vna & viginti factæ; quatuor anno c c c l x i x, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis; duæ anno c c x c v, Pomptina, & Poplilia, siue Popillia, siue Poblilia; duæ anno c c c x x i, Mæcia, & Scaptia; duæ an. c c c x x x v, Vfentina, & Falerina; duæ anno c c c l i i i i, Aniensis, & Terentina; duæ demum anno d x i i, Velina, & Quirina. quibus numerus x x x v tribuum est expletus, qui integer vsque ad extrema reip. tempora penetrauit. Omnium autem harum Liuius auctor est, præter Crustumina & Veientina. quarum cum ego nomina celebrari partim in libris, partim in lapidibus veteribus viderem, neque tempus aliud, quo eas adiectas esse verisimile esset, reperirem, eo potissimum, quo dixi, anno additas arbitratus sum. Est autem Crustumina dicta ab oppido Crustumio, vt inquit Festus. Veientina à Veis. est enim intelligendum, vt decem, & nouem tribus, quas Seruius descripsit omnes aut in vrbe, aut in agro Rom. fuerunt, sic reliquas sexdecim extra agrum, aut in Sabinis, aut in Etruria, aut in Latio, aut in Campania fuisse. Crustumina autem in Sabino agro positam, docet Liuius, apud quem Sp. quidam Ligustinus se ex tribu Crustumina esse in Sabinis ait: ita fortasse appellatam, quod ex iis agris homines in ciuitatem asciti, in eisque tribus, vt de Ap. Claudio, & clientibus eius è Sabinis venientibus paulo ante factum erat, coniecti sint. quod semel fieri cœptum inde sæpissime celebratum est. neque enim quenquam negaturum esse arbitror, Stellatinæ, Tromentinæ, Sabatinæ, Arniensis nomina ab Etruscis locis esse imposita, qui hæc Liuij verba considerauerit: *Eo anno in ciuitatem accepti, qui Veientium, Capenatum, ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque ijs nouis ciuibus assignatus. tribus quattuor ex nouis ciuibus addite Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, eaq; viginti quinque tribuum numerum expleuerunt.* Quod si quis ex his verbis haud satis id quod proposui, confirmari putauerit, tribus, inquam, has quattuor non ab agro eis assignato, sed ab eo, vnde noui ciues venerant, nominatas, his adiiciat Pictoris, & Catonis auctoritatem, qui Stellates populos, Sabate lacum, Arnum fluuium in Etruria posuerunt. Cario quidem in vulgatis Originum fragmentis ita: *Vmbro in monte Sena colonia, Pistorium, Vmbro annis, Stellates, Fluentini, qui & Arnienses.* Pictor vero sic: *In area inter colles sunt vicus Longus, vicus Arniensis, vicus Stellatinus, Sabatinus, Lartenianus, qui & Veiens, Faliscus, quorum cognomina à Tuscis sunt commigrantibus in ciuitatem Romanam.* Iudicet præterea, quam verisimile sit, si hi populi vicos aliquos vrbis Romæ, quos obtinuerunt, suis nominibus decorarunt, eosdem tribus etiam, in quas relati sunt, suo insignes nomine relinquere potuisse. Nam Sabatinam quidem tribum à Sabate lacu dictam aperte scribit Festus. quem lacum non longe à Roma in Etruria collocat Strabo. Tromentinam autem cum à loco Cœlij Etrusci eius, qui cum Romulo vixit, nominatam Pictor auctor sit, profecto & hanc ab Etruriæ, vt ait Festus, campo Tromento dictam licet suspicari. Nam Arniensem, siue Arnensem ab Arno flumine appellatam, nemo dubitare merito poterit. Quod cum ita sit, sane ratio apparet, cur in Agraria Cicero dixerit: *A Suburana ad Arniensem,* id est, vt supra admonui, à prima tribu ad vltimam. neque enim nouissimam Arniensem intelligit, quæ vltimo loco addita sit, & quæ numerum triginta quinque tribuum

buum expleuerit, sed quæ longe ab vrbe Roma abfuerit. Arniensem autem omnium remotissimam esse, facie quisque intellexerit, qui locorum intervalla, vnde aliæ sunt appellatæ, notauerit. Iam Pomptinam à Pometia Latino oppido nomen sumpsisse scribit Festus. Quod idem de Mæcia, & Scaptia suspicari possumus, de quibus hæc litteris prædidit Liuius: *Lanuuii, Arcini, Nomentani, Pedani ciuitate donati. census actus noui ciues cens. tribus propter eos addite Mæcia, & Scaptia.* Atqui Mæciam Festus à castro quodam, Scaptiam ab oppido dictam refert. Castellum autem est Mæcium non procul ab Lanuuiio, vt auctor est Liuius, libro sexto. Scaptiam autem in Latio oppidum numerat cum aliis Plinius. Quod autem de his, idem etiam de Vfentina; & Falerina licet iudicare. quarum altera ab Vfente flumine, altera à Falerno agro (horum ille in Latio, hic in Campania est,) nomen traxit. Vfentinæ testimonium nobile est apud Festum: *Oufentine tribus, inquit, initio causa fuit nomen fluminis Vfentis, quod est in agro Priuernate intra mare, & Tarracinam.* Lucretius: *Priuerno Vfentina dente, flauioque Vfente. postea deinde à censoribus alij quoque diuersarum ciuitatum eorum tribui sunt adscripti.* Erat autem Priuernatibus decem ante annis ciuitas, auctore Liuiio, à Romanis communicata. Eodem autem modo Campanos aliquot tum in ciuitate ascitos, atque eorum causa Falerinam adiectam possumus suspicari. Vtriusque non tam Liuius, quam Diodorus meminit. Sequuntur Aniensis, & Terentina, atque extremæ Velina, & Quirina. de quibus, quod sciam, nihil aliud extat, quam quod est apud Festum de Quirina, quam à Curenibus Sabinorum populis ait esse vocatam. Aniensis potro ab Aniense flumine deriuatam; Terentinam à Terento loco, Velinam à lacu Velino Sabinorum existimauerim, quippe quæ vnà cum Quirina, quæ & ipsa in Sabinis fuit, anno d x i i à censoribus C. Aurelio Cotta, & N. Fabio Butone, auctore in epitomis Liuiio, sit adiecta. an autem Terentina à Terento manarit, qui locus ad Tiberim in campo Martio fuit, quem admodum ne de Poblilia quidem, à loco ne, an à viro aliquo nominata sit, affirmare non ausim. Hactenus de triginta quinque tribuum nominibus, quæ mihi proxime ad veritatem accedere visa sunt, exposui. De ceteris autem, quæ præter has veteribus in monumentis leguntur, vt Pappia, Camilla, ita, vt nunc quidem est, sentio, nomina esse tribuum x x x v, sed multas tribus duobus fuisse fortasse aliquando nominibus insignitas, altero, quod loci esset, altero quod familiæ, eaq; ab aliis hoc, ab aliis illo fuisse appellatas. siquidem constat, tres ex his alio post fuisse nomine vocitatas ab Augusto, Vespasiano, & Traiano, Iuliam, Flauiam, & Vlpiam. qua tamen causa, aut quo tempore in prioribus hoc factum sit, cum ne diuinatione quidem assequi me posse confidam, in aliorum suspitione malo relinquere, quam in oratione mea ponere.

Reliquum est, vt deinceps quid inter vrbanas tribus, & rusticas interfuerit, dicendum esse videatur. Quod igitur supra diximus, vrbanis tribubus eos, qui vrbem, rusticis, qui rus haberent, comprehensos, id verissimum fuisse Seruio regnante, ac primis illis temporibus possumus affirmare. Huius enim antiquitatis testem Dionysium habemus. qui Seruium facta vrbis, agrique diuisione in sua quæque vrbis, agrique regione habitare voluisse scripsit: sic enim de vtraque diuisione loquitur: *Tullius muro vno septem colles complexus, vrbem in quattuor partes diuisam, quas Palatinam, Suburanam, Collinam, & Esquilinam vocauit, quattuor tribuum fecit, quæ eousque trium fuerat. cauitq; ne, qui in quacunque quattuor partium habitarent, aut aliud domicilium sumerent, aut vrbem alibi contribuerent, vel in delectu militari, vel in pecunijs in bellum aut alios vsus, quos vnumquemque reipub. præstare oporteret, conferendis. neque amplius per tribus generales, vt ante, sed per quattuor locales, quas ipse descripserat, rem militarem administravit. cum curatores vniuscuiusque regionis creasset tribuum, atque vicorum principes, quos vbi quisque incoleret, cognoscere iussit.* Diuisit vero

agrum etiam omnem, ut Fabius inquit, in partes sex, & viginti, quas & ipsas vocat tribus, & cum ipsis urbanas quattuor adiecisset, triginta fecit ex vtrisque. (Cato quidem has regnante Tullio fuisse omnes narrat.) Ut autem Vennonius prodit, in vnam, & triginta tribus, qui cum auctor sit melior, numerum tamen partium certum non adscribit. Cum igitur Tullius in quascunque velis partes agrum diuisisset, in montanis, & firmissimis in primis collibus perfugia quaedam disposuit, quae Graece pagos nominauit, quos se agrestes ex agris per hostiles irruptiones reciperent, atque ibi pernoctarent: erant autem horum etiam curatores, quibus negotium datum erat, ut agricolarum in pagum contribuentium nomina, haec praedia, quibus eorum vita sustentabatur, nota haberent, & ubi res postulare, eos ad arma excirent, ac tributa viritum exigere. Ut autem eorum multitudo facilius inueniri, ac dirimi posset, aras ab eis iussit extrui dijs, quorum in fide pagus esset, atque eos communi sacrificio a conuenientibus quotannis rusticis coli, die ad id festo, qui Paganalia dictus est, instituto, iussit, ac leges quasdam de sacris illis, quas in hanc etiam aetatem Romani tenent, dedit. Ad hoc autem sacrificium omnes, qui eiusdem essent pagi, viritum nummum conferre, vnum viros, alterum mulieres, tertium impuberes statuit, ex quorum numero facile a curatoribus pagorum subduci ratio, & generum, & aetatum potuit. Adicit Piso, eundem, cum vellet ciuium, qui urbem incolerent, numerum nosse, & qui nascerentur, & qui e vita decederent, & qui inter viros ascriberentur, constituisse, ut pro cuiusque ortu cognati nummum in arcam Iunonis Lucinae inferrent; pro interitu, in Veneris Libitinae, pro ijs autem, qui togam virilem sumerent, in Iuuentae, ex quibus facile, quam multi quotannis, & qui ex his aetate militari essent, cogniturus erat. His autem rebus ita constitutis, aestimare sua quenque bona, eamque aestimationem iuratum profiteri, ac sua, patrum, vxorum, liberorumque nomina, & qua in vrbis regione, quoue in agri pago habitarent, deferre, qui secus fecisset, ipsum verberatum venire iussit. Haec Dionysius, ex quibus perspicue liquet, urbanas tribus tum fuisse eorum, qui urbem; rusticas illorum, qui rura, & quidem colendi causa haberent, ita ut tribus nihil aliud, quam pars aliqua vrbis, vel agri Rom. esset, eaq; habitationem sequeretur, & mutata habitatio ne mutaretur, quique in agris, iidem in aliqua tribu essent; siquidem tot ferè rusticæ tribus, quot agri partes numerarentur. vnde dixit Festus, *Viatores appellatos, qui magistratibus apparerent, eo quia initio omnium tribuum cum agri in propinquo erant vrbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam in vrbe. quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratibus.* Quo eodem etiam respexisse A. Gellium arbitror, cum tributa comitia esse definiuit, cum ex regionibus, & locis suffragium ferretur. Post autem mutata tota hæc tribuum ratio est. primum enim qui urbem inhabitabant, urbanas, qui agrum, rusticas obtinebant. deinde vero relictis urbanis optimus, ac præstantissimus quisque in rusticis cenferi voluit; ita ut tum tribus non vrbis, sed ciuitatis partes haberi cœptæ sint. Mutationi autem huic duæ res causam, meo iudicio, attulerunt, vna vitæ rusticæ commendatio, altera censoria potestas, & notio. De vtraque dicemus breuius. Ac magno quidem in honore vitam rusticam apud priscos illos Romanos fuisse, neminem esse puto, qui nesciat. Hoc Romuli vetus institutum probat, qui Dionysio auctore, sellullarias, & sordidas artes omnes seruis, ac peregrinis, militarem, ac rusticam liberis, & ciuibus tantummodo concessit, ita ut iidem rei bellicæ, ac rusticæ operam darent; ac pacato quidem tranquilloque ciuitatis statu in agris essent, nisi si quando eis in urbem veniendum esset, cui muneri nonum diem, qui Nundinæ dictus est, attribuit; ingruenti autem bello ad militiam nomina darent. vnde factum est, ut Nundinas Macrobius paganorum, id est rusticorum, fuisse ferias scripserit, qui conueniunt negotijs proprijs, vel mercibus promissuri. Quin etiam alio loco Dionysius scribit, ciues Rom. ita in agris fuisse, ut aut agros suos colerent, aut alienos, atque

atque vtrofque ad militiam ire coactos. mitto interea ex iis, qui urbem habitarent, quam multi, quanta cum laude, patricij etiam viri manibus suis agrum suum coluerint, atque ab agro ad honores vocati, ab honoribus ad agri culturam reuerterint. Hinc ergo factum est ut vita agrestium vrbano vitæ anteposita sit, quod illa laboris, hæc desidii plena esset. id quod significari video à M. Varrone in secundo de re rustica his verbis: *Viri magni maiores nostri non sine causa præponebant rusticos Romanos urbanis. Ut ruri enim qui in villa viuunt, ignauiores, quam in agris versantur in aliquo opere faciendo, sic qui in oppido sederent quam qui rura colerent, desidiores putabant. Itaque annum ita diuiserunt, ut nonis modo diebus urbanas res vsurparent, reliquis octo, ut rura colerent. & alibi: Non sine causa maiores nostri ex vrbe in agros redigebant ciues suos, quod & in pace a rusticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur.* Ut ergo rustica vita honestior vrbana haberi cœpta est, sic rusticæ tribus vrbis honoratiores. itaque vrbis libertinorum ordini relictis in rusticas ab ingenuis commigratum est. Quod quidem Plinius, vbi laudes agriculturæ narrat, aperte demonstrat, cum ait: *Iam distinctio, honosque ciuitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent, vrbane vero, in quas transferri ignominia esset, desidii probro: Itaque quattuor solæ erant a partibus vrbis, in quibus habitabant, Suburana, Palatina, Collina, Esquilina. nundinis urbem reuocabant. & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica auocaretur.* Ergo cum tantum honoris rusticis tribubus accessisset, tum suspicor commutata tota Seruij ratione eos etiam, qui urbem incolerent, nobiles homines in rusticas tribus transferri cœptos esse. quid enim? non ne Ap. Claudius, cui ex Sabinis in ciuitatem venienti pars vrbis ad ædes construendas, & ager ad colendum datus est, in rusticam tribum, quæ postea à se Claudia nomen accepit, coniectus est? certe sic enim de eo scriptum reliquit Dionysius: *Claudio, qui ex Regillo Sabinorum oppido Romam cum clientibus suis commigrauit, vrbis partem, quantum voluit ad construendas ædes populus dedit, & agrum publicum inter Fidenas, & Picentiam, ut partem clientibus suis distribueret. Ex quibus tribus etiam facta est temporis interuallo ea, quæ Claudia nominatur, quæ in hunc vsque diem nomen retinet.* Iam vero illi, quos supra commemorauimus, Etrusci, qui in ciuitatem accepti vicos multos vrbis tenuerunt, quos etiam suo nomine decorarunt, nonne in quattuor tribus rusticas distributi sunt? Neque vero novos solum ciues in rusticas tribus honoris causa translatos esse, sed veteres etiam ex vrbis in rusticas transitum fecisse, existimare possumus. Nam si Iulia gens Romam à Tullo Hostilio rege, Octauia à Tarquinio Prisco transducta est, id quod à Dionysio, & Suetonio accepimus, quid esse causæ potest, cur non vtraque vrbis demum tribus obtinuerit, in quas quicumque tum Romæ domicilium haberent, Ser. Tullius distribuerit? profecto, nisi quod ipsi procedente tempore ex vrbis in rusticas Fabiam, & Scaptiam transferint. Nam Scaptiensis, & Fabianos Augusti tribules prodit Suetonius; credo quod altera ille à Iulia, alteram ab Octauia gente tribum acceperit. Etenim qui adoptatus erat, ut nomen, sic etiam tribum eius, qui se adoptauerat, assequeretur. Neque vero ego aliunde tribum Papiriam, Corneliam, Aemiliam, Fabiam, Horatiam, Meneniam, Sergiam, & Veturiam appellatas existimauerim, quam quod in eas copiosissimæ hæ, ac nobilissimæ familiæ se coniecerint. nisi vero M. Liuium Salinatorem, qui Polliam, & C. Claudium Neronem, qui Arniensem, Ser. Sulpicium Rufum, qui Læmoniam, C. Curionem, qui Pobliliam, C. Verrem, qui Romiliam habuit, nobiles homines agros, non urbem, incoluisse, ac propterea rusticas, non urbanas tribus obtinuisse existimemus. Rusticarum vero tribuum honorem ex eo maxime tempore increbuisse crediderim, ex quo tribus censorum arbitrio sunt permixtæ, ita ut ij & noua tribus addere, & novos ciues in tribus coniicere, & veteres tribu mouere possent. quam

eorum potissimum fuisse potestatem accepimus. inde enim eam quisque tribum tenuit, quam sibi non vrbs, aut agri habitatio, sed censorium arbitrium detulisset. ostendit aperte id Festus, qui in Vstentiam tribum ex aliis post etiam ciuitatibus homines à censoribus, quàm qui ex Vstentina regione venerant, ait esse translatos. docet Diodorus, qui Appium Cæcum censorem potestatem dedisse ciuibus, vt in, quam vellent, tribum distribuere, in qua vellent, censerentur, scripsit. Vrbanas autem cum multis ante annis ignominiosas esse cœpisse putauerim, tum maxime post annū c c c c x l i x, quo Q. Fabius censor humillimos homines ex omnibus tribubus, in quibus dispersi erant, excretos in quatuor vrbanas coniecit. cuius rei auctor optimus est Liuius, qui ita scribit: *Ap. Claudius censor humilibus per omnes tribus diuisis forum, & campum corrupit. & ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas. aliud integer populus fautor & cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat. donec Q. Fabius, & P. Decius censes facti. & Fabius simul concordie causa, simul, ne humillimorum in manu essent comitia, omnem forensis turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanasque eas appellauit.* Adde quòd libertini, sordidum hominum genus, iam inde à Ser. Tullio rege in quatuor vrbanas tantum erant translati. vt si vrbana tribus libertinorum, atque humilium, forensiumque hominum fuerunt, intelligamus rusticas ingenuis, modestis, bonisque, siue vrbem, siue rus incolentibus relictas.

Hactenus, quod ad hunc locum attinet, sit dictum de tribubus. reliquum est, vt deinceps de curiis differamus. Est autem vt tribus, sic curiæ significatio triplex, nam & locum significat, & cœtum quendam ciuium, qui inde curiales dicti sunt, & ius, quo curiales ipsi donati sunt. Curias autem idem, vt dixi, Romulus instituit, vt essent partes tribuum. singulas enim tribus in decem curias dispersit, vnde triginta fuerunt. Docet hoc cum Dionysius, vt paulo ante admonui, tum M. Varro, & post Varronem Sex. Pompeius. Varro quidem ita: *Curia duorum generum. nam & vbi curarent sacerdotes res diuinas, vt curia veteres, & vbi senatus hâmanas, vt curia Hostilia, quam primus ædificauit Hostilius rex ante rostra.* Pompeius vero hoc modo: *Curia locus est, vbi publicas curas gerebant. Curia etiam nominantur, in quibus vniuscuiusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt ea, in quas populum Romulus distribuit numero xxx, ita vt in sua quisque curia sacra publica faceret, feriisque obseruaret.* Nominatas porro curias Liuius à Sabinarum mulierum, quæ raptæ erant, nominibus scribit, & Liuium fortasse sequutus Pompeius, ac Pedianus. quam opinionem ita auctore Varrone Dionysius, & post Dionysium Plutarchus refutauit, vt eas partim à locorum, partim à virorum nominibus appellatas esse tradiderint. Quoniam autem Romulus vrbis pomoerio Palatinum tantum montem comprehenderat, curiasque omnes intra vrbem construxerat, hinc factum est, vt omnes triginta curiæ primis temporibus in Palatio fuerint. post autem, cum ad populi, qui iam creuerat, frequentiam capiendam vix satis amplæ viderentur, nouæ totidem ampliores aliæ ædificatæ sunt, in quas ex veteribus sacra sunt euocata. quatuor autem fuerunt, ex quibus per religiones sacra euocari non potuerunt, Foriensis, Velienis, Rapta, & Velitia, quæ inde Veteres curiæ quatuor dictæ sunt. Quod ex Festo maxime cognoscitur, cum scribit: *Nouæ curiæ proxime compitum Fabricij ædificatæ sunt quòd parum amplæ erant veteres à Romulo factæ, vbi is & populum, & sacra in partes distribuerat, vt in ijs ea sacra curarent, quæ quando ex veteribus in nouas euocarentur, quatuor curiarum per religiones euocari non potuerunt. Itaque Foriensis, Rapta, Velienis, Velitiæ res diuine fiunt in veteribus curijs.* Ceterum præter harum quatuor nomina tres etiã aliæ alibi inueniuntur, Saucia, Titia, Tifata. Saucia meminit Liuius: *Atque et legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quòd Saucia curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ vrbis, & Caudinæ pacis;* Reliquarū Festus, Titiam enim curiam à Tito Tatio rege nuncupatam, Tifatam Romæ curiam fuisse

fuisse ait. Apparet autem ex his, antiquam illam Romuli diuisionem aliqua ex parte retentam esse, aliqua etiam immutatam. Nam triginta curiarum numerus idem perpetuo mansit, curiæ vero tribuum partes non semper fuerunt. Nam aucto tribuum numero, curiarum tamen non est amplificatus. Præterea vero cum tribus quattuor factæ essent vrbana, reliquæ vero rusticæ xxxi à partibus agri nominatæ, tamen nullæ curiæ in agro sunt constitutæ. Itaque curiæ tantum in vrbe ædes fuerunt, in quibus, qui vrbem colerent, sigillatim in sua quisque sacra facerent. Vt enim post Ser. Tullius tribubus vrbanis sacra quædam, quæ Compitalia, & rusticis alia, quæ Paganalia dicta sunt, assignauit, sic curiis singulis Romulus sua sacra constituerat, suis cuique diuis, quos colere deberent, demonstratis, & sacris faciendis certas pecunias ex ærario sumendas attribuerat, & vt rei diuinæ curiales cum suis curionibus interessent, vnaque feris in curialibus tricliniis epularentur, instituerat. fuisse enim suas cuique curiæ ædes scribit Dionysius, in quibus communis veluti focus singulis curiis erat consecratus, quæ ædes curiarum, & ipsæ curiæ sua etiam ætate nominarentur. Quo respexit Cicero in primo de oratore, cum dixit; *tantam in Crasso humanitatem fuisse, vt, cum lauti accubuisent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis; eaque esset in homine iucunditas, & tantus in iocando lepos, vt dies inter eos curiæ fuisse videretur, conuiuium Tusculani.* Ergo cum curiæ procedente tempore nihil ad tribuum rationem pertinerent, factum est, vt multi tribus obtinerent, curiarum tamen expertes essent. inter quos maxime erant municipes; qui extra vrbem agrumque Rom. domicilium habuerunt. Qui si sacra eadem cum ciuibus Rom. non habebant, profecto neque iidem erant omnino, ac ciues Romani. Quod & à principio huius disputationis attigimus, & post in libris de antiquo Italiæ iure apertius ostendemus.

## De Classibus, &amp; Centurijs.

CAP. IIII.



T autè tribus, & curiæ à Romulo sunt institutæ, sic classes, & centuriæ à Ser. Tullio. omnem enim populum in sex classes distribuit, classes autem omnes in centum tres, ac nonaginta centurias. primæ enim classis octoginta peditum fecit centurias, quadraginta quidem iuniorum, totidem vero seniorum, & decem atque octo equitum; secundæ ex senioribus, iunioribusque viginti peditum, & duas fabrum; tertiæ item eodem ætatis discrimine habito peditum viginti; item deinceps duabus tubicinum additis quartæ; triginta inde peditum quintæ; postremo sextæ vnam proletariorum, & capite censorum. ex quo factum est, vt omnes centurias centum tres, ac nonaginta reddiderit. Dionysium enim potius sequi placet, quàm Liuium; qui tres tubicinum prodit centurias, vt essent centum nonaginta tres. nam numerus impar in centuriis, vt etiam in tribubus quæritur. In classibus autem, & centuriis describendis non regionem, aut sacrorum communionem sequutus est, sed censum; qui, vt in quoque variatus est, sic varios ille fecit classium gradus. Nam in primam, qui centum millium æris, aut maiorem censum haberent, coniecit. vnde Asconius censos more maiorum dictos prodit, qui centum millia professione detulissent. & infra classem dictos refert Pompeius, qui minore summa, quàm centum, & viginti millium censi essent. Secunda intra centum vsque ad quinque, & septuaginta millium censum instituta. tertiæ millium quinquaginta censum esse voluit; quartæ quinque & viginti millium, quinta vndecim millibus censa. inde sexta proletariorum, & capite censorum effecta. Quanquam autem sex descriptæ classes sunt, tamen non nisi quinque sunt celebratæ: quoniam vltimæ non est habita ratio. Hoc ostendit apud Gellium Tubero, qui dixit, *Tullium classes quinque census faciendi causa instituisse;* & Liuius, cum ait, *tribunos pl. decem creatos binos ex singulis classibus;* & Asconius, qui in cōmentario Cornelianæ, *quinque*

primum tribunos creatos prodit, singulos ex singulis classibus; & Sallustius ad Cæsarem, qui C. Gracchum promulgasse inquit, *ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur.* Quod autem dixi, Seruum discrimina ætatum fecisse, aliosq; seniores, alios iuniores appellasse, intelligendum est, id me non solum ex Liuii sententia, sed eius etiam, quem modo nominavi, Tiberonis prodidisse, qui (ut est apud Gellium) scriptum reliquit, *Seruum pueros existimasse, qui minores essent annis septemdecim. atque inde ab anno septimo decimo, quos idoneos iam esse resp. arbitretur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum iuniores, supraq; eum annum seniores appellasse.* Præterea vero non eosdem fuisse proletarios, & capite censos, quos sextam expleuisse classem demonstraui, docet idem Gellius ex Iulij Pauli sententia. *Nam qui in plebe, inquit, Romana tenuissimi, pauperrimiq; erant, neque amplius, quam mille quingentum æris in censum deferrebant, proletarij appellati sunt, qui vero nullo, aut per quam paruo ære censabantur, capite censi vocabantur. extremus autem census capite censorum æris fuit ccc lxxv.* Ut ergo tribus cum curiis omnem ciuium multitudinem sunt complexæ, sic etiam alia ratione classes cum centuriis. Quamquam autem classes cum tribubus, & centuriæ cum curiis commune nihil à principio habuerunt, tamen procedente tempore institutum est, ut classes quodammodo tribuum essent partes. Hoc autem factum esse post expletas quinque & triginta tribus Liuius significat, cum addit: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, centurijs iuniorum, seniorumq; ad institutam ab Ser. Tullio summam non conuenire. quadrifariam enim vrbe diuisa regionibus, collibusq; quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit. neque hæc tribus ad centuriarum distributionem, numerumq; quicquam pertinere.* Cum ergo ait, tribus à Seruio institutas nihil ad centuriarum distributionem valuisse, post autem tribus xxxv expletas pertinuisse, satis ostendit, Seruij tempore populum vno modo in tribus, curiasq;, altero in classes, centuriasq; diuisum, ita ut alteram diuisionem altera non attingeret, post autem vtranque in vnum esse collatam. populum enim in tribus xxxv, singulas autem tribus in quinque classes, easq; in suas quaque centurias esse descripras. Hæc igitur, ut hunc locum aliquando concludamus, tribus, curiæ, classes, & centuriæ fuerunt, in quas vniuersus populus Rom. erat diuisus, & quas omnes ciues Rom. necessario obtinebant. ex quibus satis intelligi potest id, quod iam etiam à principio significauimus, latissimum totius Rom. ciuitatis seminarium fuisse tribum. nam qui tribum erat adeptus, is eodem etiam tempore & classem, & centuriam obtinuerat. Sed ad reliqua pergamus.

*De ijs, qui ius ciuium Rom. constituerunt.* CAP. V.



**T**RIBVS, & earum partibus expeditis, sane relinquatur, ut de iure tribuum, siue ciuium Rom. agamus, quo vno proposita ciuis Rom. definitio continetur. Ius ergo ciuium Rom. appello, vniuersum ius, quo utebantur, qui optima lege ciues Rom. erant, quod est aliud nihil, quam qui tribus, & maxime rusticas obtinebant. Huius autem duæ potissimum partes feruntur; vna, quæ scripto constitit, altera, quæ sine scripto in consuetudinem venit. Ac scriptum quidem ius reges, decemuiui, iurisperiti, pontifices, consules, tribuni pl. senatus, & prætores constituerunt. non scriptum vero mos maiorum, & instituta in reipub. inuenerunt. dicamus autem primum de priore ita ut partes eius nullas prætereamus, quæ fuerunt, regie leges, xii tabulæ, ius ciuile, legis actiones, leges, plebiscita, senatusconsulta, & edicta.

Regie leges eadem, quæ curiæ fuerunt, à Romulo, & reliquis deinceps regibus par-

bus partim ad imperium stabilendum, partim ad religionem constituendam, & omnino ad vniuersam fundandam reipub. comitijs curiatis perlata, quæ à Sex. Papi-rio, qui Superbo regnante vixit, collectæ iuris Papiriani nomē adeptæ sunt. Exactis autem regibus has omnes leges rogatione tribunicia abrogatas, Pomponius tradit ille quidem, verum non omnes tamen sublatas cum intelligere existimo, sed L. Bruto tribuno Celerum ferente eas, quæ ad regiam dominationem constituendam pertinerēt, esse abolitas. Neque enim si quæ aut res humanas, aut diuinas continerent, quæ plurimæ, & eæ è rep. fuerunt, sublatas esse crediderim. Tuetur autem coniecturam meam Dionysius, qui leges Ser. Tullij regis de commerciorum, & contractuum ratione à Superbo rege sublatas, à Bruto consule primo repositas prodit. confirmat etiam Liuius, qui post incensam à Gallis urbem fœdera, & leges conquiritas ait, fuisse autem æreas xii tabulas. & quædam regias leges; & L. Valerius tribunus pl. qui apud eundem in Oppiæ legis dissuasiōe ita agit: *Ex vtro tandem genere ea lex est, quam abrogamus? an vetus regia lex simul cum vrbe ipsa nata? an, quod secundum est, à decemuiris ad condenda iura creatis in xii tabulis scripta?*

Anno autē post reipub. recuperatam lxxx, post urbem autem conditā cccii, decemuiui duodecim legum tabulas conscripserunt, easq; in foro proposuerunt. Eius rei causam attulit C. Terentius Arsa tribunus pl. qui anno ante vndecimo, L. Lucretio, T. Virginio coss. cum nimium consulum in plebem imperium esse, idque imminui oportere, contenderet, legem promulgauit de quinqueuiris, qui leges consulari imperio conscriberent, creandis. Quæ lex cum per sexennium à tribunis pl. frustra iactata, tandem pro concessa sibi duplicandorum tribunorum plebis potestate deferuisset, post tamen Romilio, Veturioq; consulibus in plebem militiam detrectantem impotentius se gerentibus, placuit ea sententia, cuius auctor T. Romilius fuisse dicitur, ut legum latores crearetur, qui iura patribus, & plebi æqua scriberent, quæq; ab iis essent decreta, ea plebem, & patres tenerent. Plebe autem assentiente, missi sunt legati tres in Græciam, qui Atheniensium, & aliarum Græciæ ciuitatum leges, instituta, moresq; cognoscerent, eaque descripta Romam deferrent. Missi Tarpeio, Aterioq; consulibus tertio anno, quo Menenius, & Sestius consulatum gerebant, cum legibus reuertuntur. Cum autem instarent tribuni, ut tandem legum scribendarum initium fieret, iamq; in alterum annum designati consules essent Ap. Claudius, & T. Genucius, tum in Ap. Claudij sententiam senatusconsultum factum est, ut reliquis abrogatis magistratibus cum imperio consulari, ac regio sine prouocatione decemuiui crearentur, qui ex patriis moribus, & peregrinis legibus optimas seligentes, & reipub. maxime utiles, iura populi Romani constituerent, quæq; ij scripserint, ea, si senatus, populusq; Romanus accepisset, in perpetuum populum ipsum Romanum astringerēt. Quo senatusconsulto à populo comprobato, consules abdicarunt. in eorum locum decem viri consulares facti leges, quas commemoravi, ad populum pertulerunt. de quibus hæc ad verbum Liuius: *Decemuiui ingenti hominum expectatione propositis decem tabulis, populum ad concionem aduocauerunt. quod bonum, faustum, felixq; reipub. ipsis, liberisq; eorum esset, ire, & legere leges propositas iussere. se, quantum decem hominum ingenijs prouideri potuerit, omnibus summis, infimisq; iura æquasse. plus pollere multorum ingenia, consiliaq; versarent in animis secum vnam quaque rem, agitare deinde sermonibus, atque in medium, quod in quaque re plus, minusve esset, conferrent. eas leges habiturum populum Rom. quas consensus omnium non iussisse latas magis, quam tulisse videri posset. Cum ad rumores hominum de vnoquoque legum capite edito satis correctæ viderentur, centuriatis comitijs decem tabularum leges perlatae sunt; quæ nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias aceruarum legum cumulo sors omnis publici, priuatiq; est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas, quibus adiectis absolui posse velut corpus omnis Romani iuris. Postero anno hæc comitijs centuriatis sunt perlata. His autem legibus quantum tribu-*

tum auctoritatis sit, docet Cicero in primo de oratore, apud quem Crassus loquitur in hæc verba: *Sive quem hæc aliena studia delectant, plurima est in omni iure, & in pontificum libris, & in XII tabulis antiquitatis effigies. quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quaedam maiorum consuetudinem, vitamq; declarant. sive quis civilem scientiam contempletur, quam Scævola non putat pratoris esse propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc descriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus XII tabulis contineri videbitis. sive quem ista præpotens, & gloriosa philosophia delectat, hosce habet fontes omnium disputationum suarum. qui iure civili, & legibus continentur. Fremant omnes licet, dicam quod sentio. bibliothecas mehercule omnium philosophorum vnus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis libertate superare.* Merito. his enim vniuersi, quod propofui, iuris diuini, humaniq; partes comprehensæ sunt. cuius rei cum alia testimoniò sunt, tum tritus ille Antonij versus:

*Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ, Sacrum, priuatum, & populi commune quod vsquam est.* Quocirca factum est, vt propter iuris præstantiam, cum quid in lege scriptum esse dicerent, XII tabularum legem aliquam intelligerent, & legitimas hereditates, & legitimas tutelas appellarent, quæ legibus XII tabularum constituerentur, & legis actiones, quæ à XII tabularum potissimum lege profiscerentur.

Quoniam autem mirifica quædam eas implicabat obscuritas, propterea multi ingenio, & doctrina præstantes viri ad eas populo interpretandas se contulerunt. & inter se capita conferentes, fori disputationem inuexerunt. quæ proprium iuris civilis nomen adepta est. Ac huius quidem obscuritatis testem habemus Cicero nem, qui in II de legibus ait: *Quid Lessum XII tabulæ appellarent, veteres earum interpretes Sex. Aelius, & L. Acilius non satis intelligere se dixerunt: & Gellium, apud quem Phauorinus queritur, in ijs legibus verba multa tam fuisse obscura, vt dix ea quisquam posset interpretari.* Ius autem inde nouum emanasse, à Pomponio ipso cognouimus; qui in hunc modum subdit: *XII legum tabulis latis euenit, vt interpretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessariamq; disputationem fori. hæc disputatio, & hoc ius, quod sine scripto venit, compositum à prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, vt ceteræ partes iuris suis nominibus designantur, sed communi nomine ius civile appellatur.* Hoc autem ius civile, quod à iuris peritis est constitutum, intellexit etiam Cicero in III de officiis, cum dixit: *De iure prædiorum sancitum est apud nos à iure civili, vt in his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. nam cum ex XII tabulis satis esset cautum, ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret, à iurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta.* & paulo post: *Hoc propter deprauationem consuetudinis neque more turpe habetur. neque aut lege sancitur, aut iure civili.* & Paulus lib. sententiarum IIII; *Femine ad hereditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur, idque iure civili, vel Voconia rogatione videtur effectum. ceterum lex XII tabularum nulla discretionem sexus cognatos admittit.* Verum hæc iuris pars priuati tantum iuris rationem videtur attigisse. pauca enim de iure priuato leges post XII tabulas latæ sunt, vnde gloria iurisconsultorum, qui ius civile condiderunt, & maxime Scæolarum, manauit.

Vt autem ius civile iuris periti, sic Legis actiones pontifices intulerunt. quæ quales fuerint, in libris de iudiciis commodius differemus.

Actionibus porro adiuncta sunt senatusconsulta, id est, quæ senatus consulibus maxime aut magistratibus illis, per quos haberi senatus poterat, referentibus decreuit. quæ tanti semper in rep. ponderis, ac momenti fuerunt, vt merito partem magnam Rom. iuris occuparint.

Cum senatusconsultis autem connexæ sunt leges, & plebiscita. Leges vocantur

runt rogationes, quas populus vniuersus, consulibus, vel alio patricio rogante magistratu, vt dictatore, atque interrege centuriatis aut curiatis comitiis, vnde etiam centuriatæ & curiatæ dictæ sunt, iussit.

Plebiscita, quas, vt ait Festus, plebs tributis comitiis, sine patribus, plebeio magistratu, nimirum tribuno pl. rogante accepit. quibus tantum accessit roboris, vt quæ plebs sciuisset, ea omnes Quirites, maxime post legem à Q. Hortensio dictatore paulo ante Tarentini belli tempora latam, tenuerint.

Neque vero prætereunda, atque ab hoc numero excludenda Edicta sunt. id est, quæ cum magistratus ceteri, vt consules, ædiles, tribuni, tum potissimum prætores edixerunt. quos consulum loco ad iura in vrbe reddenda creatos accepimus. Hi vero, auctore Pomponio, vt scirent ciues, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seq; ad id præmunirent, edicta proponere soliti erant, quæ post tantæ fuerunt auctoritatis, vt inde Iuris honorarij nomen inuenerint. Atque de iure quidem scripto, & iis, qui illud scripserunt, hæc satis.

Instituta autem, mosq; maiorum (has enim non scripti iuris partes summas fuisse diximus) tantam vim habuerunt, vt cum antequam in consuetudinem venirent, sine crimine præteriri possent; postquam tacita omnium assensione sunt comprobata, pro grauissimis legibus sanctissime custodita sunt. Vnde scripsit in quinto de repub. Cicero, *ante suam memoriam & morem ipsum patrium præstantes viros adhibuisse, & veterum morem, ac maiorum instituta excellentes viros retinuisse.* & Dionysius testis est, Romulum rempublicam non legibus magis scriptis, quam non scriptis fundasse, Numam vero leges omnes, & instituta Romuli obseruasse. Ac si quæritis, quid institutum à more differat, non est difficile dictu. Nam qui primus egregij quicquam in repub. gessit, adeo vt eius exemplum posteris vltro sint sequuti, is auctor instituti prædicatur. vbi vero consuetudo aliqua teneri ignorato exempli auctore cœpit, mos maiorum appellatus est. quem alium quidem à lege fuisse, idem tamen, ac legem valuisse, ostendit Cicero in III de legibus, cum ait: *Si quæ leges forte à me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra repub. nec fuerint, tamen erant fere in more maiorum, qui tum, vt lex, valebat.* Quod idem postea confirmauit etiam Vlpianus, cum diceret, *diurnam consuetudinem pro iure, ac lege, in ijs, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solere,* & ratione comprobauit Iulianus, cum adderet, *quod ipsæ leges nulla ex alia causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt, merito & ea, quæ sine vlllo scripto populus probauit, omnes tenere.* Si ergo institutum antiqua obseruatio est, cuius auctor aliquis celebratur, profecto nihil inauspicato agere, instituto agebatur, quia Romulus, & deinceps ceteri nihil non captatis ante auspiciis est vnquam aggressus. collegam in demortui collegæ locum sibi subrogare, instituto custodiebatur, quia Valerius mortuo Bruto id fecit, eumq; posteritas omnis est imitata. diuortium cum vxore liberorum quærendorū causa, instituto tenebatur, quia C. Caruilio Ruga auctore factitatum ab omnibus est. More autem maiorum cum alia fieri dicuntur, tum ea, quæ iam inde à maioribus instituta sine vlla interruptione consuetudinis etiam vsurpantur. vt petitores in toga candida, eisdemq; discinctos petere; vt seniores à iuuenibus domo in curiam deduci, atque inde reduci; vt prætorem urbanum consulare imperium absentibus consulibus sustinere; vt ne quis se inter consulem, & proximum licetorem, quamuis officij causa vna progredieretur, interponeret; vt quæstori prætor parentis loco esset. Leges autem opponi moribus, atque institutis, vt ius scriptum non scripto, ostendit Liuius: *Tribuni pleb. inquit, appellati, negarunt, se in mora esse, quo minus, quod ei more maiorum permisum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret.* & Cic. in II de legib. *Hoc habemus in duodecim, reliqua sunt in more.* & in III: *Sunt posita deinceps quæ habemus in publicis institutis, atque legibus.* Quibus ex rebus illud intelligi potest, omnia ciuium Rom. iura ita nobis esse persequenda, vt ea non alibi, quam in his quasi latibulis indagemus.

dagemus. Neque enim aliud ius Romanis est, quàm quod ab his, quos indicauit fontibus est profectum.

## De iure libertatis.

CAP. VI.



**S**EQVITVR, vt iuris Romani auctoribus demonstratis, ipsius iuris partes singulas, in quibus præcipua ciuis Romani ratio cernitur, persequamur. Sic igitur sentio, ius omne Romanum aut priuatam rem attigisse, aut publicam. ad priuatam rem pertinet, intelligere, vt sui quisque dominus sit, quo sanguine ortus, quæ sacra colat, quam potestatem in vxorem, quam in liberos habeat, vt de bonis, liberisq; suis statuere queat. ad publicam ratio census, vnde & militum ætas, & bonorum æstimatio cognoscitur, quibus bella geruntur. vnde etiã honores in repub. suffragio aliis mandantur, ab aliis accipiuntur. Verum alia suo loco. nunc de libertate Romana dicamus. cuius varia iura, eaq; non satis, vt opinor, comperta nostris fuerunt. Dico igitur libertatis Romanæ ius quinquepartitum fuisse. ita enim ciues Romanos fuisse liberos, vt nec dominorum potestati, nec tyrãnorum imperio, nec magistratum potentia, nec creditorum libidini, nec ciuium suorum gratia essent obnoxij. Quibus rebus in singulis quæ vis posita sit, à prima exorisi consideremus.

Omnes homines, qui vrbem, agrumq; R. inhabitauerunt, liberi fuerunt, aut serui. Liberi vocati, qui naturale adepti, quid cuiq; liberet faciendi, arbitrium erant, nisi quod aut vi, aut iure prohiberetur. Serui contra, qui in dominorum erant potestate constituti. quos quidem aut natos, aut factos accepimus; natos ex ancillis dominorum, factos aut iure ciuili, si quis se pretij habendi causa venire passus esset, aut iure gentium, si qui bello capti aut ab imperatore donati, aut sub hasta venditi essent. quæ vna iusta seruitus à veteribus habita est. neque enim si qui à prædonibus, aut latronibus capti venissent, serui iudicabatur. Quin etiam seruorum in numero illos habitos esse inuenio, qui ex mulieribus essent nati, cum quibus connubium nullum esset. quod ex his Liuij verbis ostenditur: *Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes supra quatuor millia hominum orabant, vti sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decreuit, vti nomina sua apud L. Canuleium prætorem profiterentur. eorum si quos manumississet, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, vti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam esse, Libertinorum appellari.* Hos igitur quacunque ratione seruos nullam vnquam ciuitatis Rom. partem habuisse, nisi libertate donatos, satis constat. ex quo intelligitur, ciues Rom. vt dicebam initio, ita liberos fuisse, vt dominorum imperio nulli parerent. Liberos autem duo genera excelluerunt, ingenuorum, & Libertinorum. Ingenui erant, qui statim, vt nascebantur, erant liberi, quique ex duobus ingenuis erant geniti. significat hoc Ap. Claudius, homo patricius apud Liuium cum inquit: *An hoc, si Claudie familie non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed vnus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & viuere in libertate sciam, reticere possim?* & P. Decius plebeius cum ait: *An vnquam fando audistis, patricios primos esse factos, non de coelo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est nihil ultra, quam ingenuos?* Neque vero aliud etiam voluit Cincius apud Festum, cum patricios eos, qui post ingenui dicti sunt, esse appellatos prodidit. In libris autem veterum iurisperitorum scriptum est, ingenuum esse non solum, qui ex duobus ingenuis natus sit, sed etiam qui ex duobus libertinis, siue altero libertino, altero ingenuo. Quod ipsum quale sit, nisi qui libertinus fuerit, exposuerimus, vix intelligi poterit. Libertinos ergo illi definiunt, qui ex iusta seruitute erant manumissi. manumissionem vero, quasi de manu dationem. nam quandiu aliquis in seruitute erat,

erat, manui, & potestati suppositus erat, manumissus vero liberabatur potestate. Hanc porro manumissionem tribus modis celebratam, censu, vindicta, & testamento, docet Cicero in Topicis, cum ait: *Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber.* Quo in loco confirmat Seuerinus interpres, tribus modis manumitti seruos consueuisse, aut si quis consentiente, vel iubente domino, nomen serui in censum detulisset, aut virga in caput serui à prætore imposita, quæ vindicta dicebatur, in libertatem vindicatus esset, aut à domino testamento liber relictus esset. Manumissionem per censum Ser. Tullius rex, vt opinor, instituit. is enim & census auctor fuit, & seruis liberandis, vt post dicam, initium attulit. De eiusmodi autem libertate Cicero ita locutus est in primo de oratore: *Quid de libertate? quo iudicio nullam grauius esse potest? non ne ex iure ciuili potest esse contentio, quum quaeritur is, qui domini voluntate census sit, si lustrum non sit conditum, sit ne liber?* Locutus est etiam Vlpianus, *Serui, inquit, qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, si eos domini in censum ciuium à censoribus ascribi iuberent, libertatem consequerentur.* Vindictæ rationem intulisse fertur P. Valerius Poplicola anno post reges exactos, cum de præmiis Vindicis serui, qui coniurationem indicauerat, ad populum tulisset. à quo etiam vindictæ nomen ductum existimatur. inter quos est Liuius, qui ita scribit: *Premium indici pecunia ex arario, libertas, & ciuitas data. ille dicitur vindicta liberatus. quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindici ipsi nomen fuisse. post illum obseruatum, vt qui ita liberati essent, in ciuitatem accepti viderentur.* Quæ verba cum, vt opinor, Plutarch. legisset, ea ita in Poplicola explanauit, vt scripserit, Valerium decreuisse, vt *Vindex primus libertinus ciuis Romanus fieret, & in qua vellet tribu, suffragium ferret.* Itaque in libro etiam, quem de sera Dei vindicta reliquit, scripsit, *Romanos eorum corporibus, quos in libertatem assererent, tenuem festucam imposuisse.* Hæc autem potestas post à consule ad prætorem vrbis translata est, vt vindicta, id est virga in caput imposita manumitteret. quam intellexit Persius in Satyra quinta:

*Vindicta postquam meus à prætore recessi,  
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas?*

Et Cicero in Rabiriana: *Seruos nostros omnium suppliciorum metu dominorum benignitas vna vindicta liberat.* Addit Isidorus libro ix, Romanos, quos manumittebant, alapa percussos circumegisse, atque ita de manu misisse. Quod verum esse, Appianus in quarto Ciuili libro comprobatur, qui Labeonem ait, ciuem egregium, ne in manus Antonij victoris veniret, semet seruo occidendum præbuisse, cum dextra eius apprehensa ipsum circumegisset, vt mos Romanis erat in manumittendo. quod voluit etiam sine dubio Persius, cum eodem in loco dixit:

*Quibus vna Quiritem  
Vertigo facit. & post:  
Vertit hunc dominus, momento temporis exit  
Marcus Dama.*

Eorum qui testamento liberi à dominis relictus sunt, multa exempla sunt. nescio autem, an hoc originem à XII tabulis duxerit. in quibus cum esset: *VTI SVAE REI QVISQVE LEGASSIT, ITA IVS ESTO,* interpretatur Pomponius, etiam ad manumissiones pertinere, vt quotquot è suis quisque seruis liberos relinquere vellet, posset. His rebus ita constitutis, dico, qui aliquo pacto se ex seruitute in libertatem vindicassent, libertinos vocatos esse: hoc enim etiam his verbis tradit Iustinianus in Institutionibus: *A primis Romæ cunabulis vna, atque simplex libertas competeat, id est eadem quam habebat manumissor. nisi quod libertinus sit, qui manumittitur, licet qui manumittit, ingenuus sit.* Suetonius autem non hos, sed qui ex his procreati essent, ingenui libertinos primis temporibus dictos ostendit, de D. Claudio ita scribens: *Latam clauum libertini filio*



tradidit, cuius rei reprehensionem verens, etiam Ap. Cæcum censorem generis sui pro-  
 auctorem libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus tamen poribus Appij,  
 & deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos  
 ex his procreatos. Cuius viri, & scriptoris auctoritati quanquam ego repugnare  
 non audeo, tamen neque assentire satis possum. Nam si, ut illi placuit, libertinos  
 manumissorum filios ingenuos homines esse statuerimus, efficietur, ut idem fuerit  
 ingenuus, & libertinus. quod tamen qui fieri potest, cum ingenuo libertinus ita  
 opponatur, ut liber seruo? Quamobrem ego libertinos vocatos putauerim eos,  
 qui ex seruitute fuerant manumissi, qui autem ab iis generati fuerant, quod  
 proprium nomen non haberent, libertinorum filios nuncupatos, non liber-  
 tinos. Quod ni ita sit, cur non Cicero dixerit, M. Antonium ex libertina li-  
 beros suscepisse potius, quam libertini filia, cum id ad Antonij contumeliam  
 diceret? Quod si qui sunt manumissi, libertinorum nomine appellati non sunt,  
 quo tandem alio sunt? non seruorum, cum essent libertate donati, non inge-  
 nuorum, cum ex ingenuis non sint geniti, non libertorum, quod libertus patro-  
 no opponatur non ingenuo, & libertus respectum significet eius, à quo libera-  
 tus est, non hominis, de qua nunc agimus, conditionem. itaque eundem homi-  
 nem dicimus libertum, & libertinum, sed libertum quidem eius, à quo est libe-  
 ratus, genere vero, & conditione libertinum, id est ex iis vnum, qui seruitute,  
 quam aliquando seruiuerunt, liberati sunt. Vnde Cicero in Verrem: *P. Trebo-  
 nius fecit heredem libertum suum.* & post de eodem: *Equiti Rom. libertinus homo  
 sit heres?* cum enim dixit libertum, eum patronum habere, cum libertinum, qua  
 generis conditione esset, notauit. Quamobrem statuamus, ingenuos eos fuisse,  
 qui vel ex duobus ingenuis, vel libertino altero procreati essent, libertinos au-  
 tem, qui libertatem aut censu, aut vindicta, aut testamento recepissent. Liberti-  
 norum autem filios ingenuos fuisse, non libertinos, inde apparet, quod inge-  
 nuus libertinam ducere non poterat, libertini filiam poterat. si quidem, ut est a-  
 pud Liuium, *Hispala libertinæ s. c. concessum est, ut ob Bacchanalia indicata inge-  
 nuo nubere posset,* & M. Antonio consuli obiecit in maledictis Cicero, quod ho-  
 mo nobilis Q. Fadij libertini hominis filiam in matrimonio habuerit, atque ex  
 ea liberos suscepit. Et libertini quidem ad honores nunquam, at libertinorum  
 filij iam inde ab initio sunt admissi. Adde quod Macrobius ait, Priscum pue-  
 ris ingenuis bullam, & prætextam, tanquam ingenuitatis insignia permisisse; li-  
 bertinorum filiis, qui iusta duntaxat matrefamilias nati fuissent, togæ præte-  
 xtæ, & lori in collo pro bullæ decore gestandi ius indulgisse; libertinis ipsis non  
 aliter, quam peregrinis, vtrunque interdixisse. quanquam Aconius illis bul-  
 lam auream, his scorteam concessam refert. Ex quo efficitur, tres ciuium fuis-  
 se conditiones, libertinorum, ex libertinis genitorum, & ingenuorum; ex quibus  
 infima admodum fuit conditio libertinorum, commodissima ingenuorum, me-  
 dia mediorum. nam ingenui quidem fuerunt, sed tamen libertinæ conditionis  
 aliquid retinuerunt. quia patronus in liberti quoque sui filium iuris aliquid  
 habebat. Sed de libertinorum honoribus post alio loco pluribus. Nunc quod  
 instituimus, peragamus. Adeo igitur proprium ciuium Rom. libertatis hoc ge-  
 nus fuit, ut non modo seruus nunquam, sed ne primis quidem temporibus li-  
 bertinus quisquam ciuis fuerit. Romulus enim rex solos ingenuos, Ser. Tul-  
 lius aliquot post annis etiam libertinos in ciuitatem ascitos in tribus retulit. ser-  
 uos nemo vnquam ciuium Rom. nomine dignos existimauit. Ut autem priores  
 reges peregrinis ciuitatem impertuerant, sic Seruius, credo, ut libertinorum or-  
 dinem, vnde ipsum oriundum esse, fama erat, efferret, seruos, & quos ipse, &  
 quos alij manumississent, ciuitate donauit. Sed, ut dixi, libertatem per cen-  
 sum ille intulit. id enim non solum census ab eo institutus ostendit, sed etiam  
 lex ab eo lata, ut liber, qui incensus esset, veniret, & libertatem amitteret. Post autem  
 lege,

lege, ut dixi, Valeria institutum est, ut qui vindicta liberati essent, iidem &  
 cum libertate ciuitatem adepti intelligerentur. Quam libertatem significauit in  
 Cornelia Cicero, cum dixit: *Seruos bene de rep. meritos per sepe libertate, id est ci-  
 uitate publice donari vidimus.* itemque Iustinianus, cum in Institutionibus scripsit:  
*Iustam & maiorem libertatem vocari, cum vna & liberi fiebant, & ciues Rom. &  
 Liuius, cum scriptum reliquit, Latinos ciuitatis Rom. cupiditate flagrantes filios  
 suos ciuibus Rom. sepe vendidisse, cum eo, ut manumitterentur, ac manumissi ciuita-  
 tem Rom. assequerentur.* & alio loco, cum Romanos à Carthaginiensibus captos,  
 capite diminutos, & iure ciuium ab alienatos scribit, satis significauit, ut serui à ci-  
 uie Rom. liberati ciuitatem Rom. assequuntur, sic ciuem Rom. liberum in seruitu-  
 tem redactum ius ipsum ciuitatis amittere. Huius autem libertatis ius eiusmodi  
 fuit ut qui libertatem, ciuitatemque semel esset adeptus, is ea, nisi ipse auctor fa-  
 ctus esset, non posset amittere, cuius rei multa habemus, eaque grauissima Cicero-  
 nis testimonia. sic enim ille in oratione pro domo: *Hoc iuris à maioribus proditum  
 est, ut nemo ciuis Rom. aut libertatem, aut ciuitatem possit amittere, nisi ipse auctor  
 factus sit.* & infra: *Ius à maioribus nostris ita comparatum est, ut ciuis Rom. libertatem  
 nemo posset inuitus amittere. quin etiam si decemviri sacramentum in libertatem in-  
 iustam iudicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere se rem iudicatam re-  
 ferre posse voluerunt.* & post: *Maiores nostri de ciuitate, & libertate ea iura sanxe-  
 runt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratum, nec res tum iudicata, nec de-  
 nique vniuersi populi potestas, quæ ceteris in rebus est maxima, labefactare possit.* &  
 pro Balbo ita: *Iure nostro neque mutare ciuitatem quisquam, neque si velit, mutare  
 non potest.* Item: *O iura præclara, atque diuinitus iam inde à principio Romani nomi-  
 nis à maioribus nostris comparata, ne quis inuitus ciuitate mutetur, neve in ciuitate  
 maneat inuitus. hæc sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis; sui quæque  
 iuris, & retinendi, & dimittendi esse dominum.* & pro Cæcina, *Primum illud con-  
 cedis, non quicquid populus iusserit, ratum esse oportere. deinde nihil rationis affers,  
 quamobrem, si libertas adimi nullo modo potest, retineri libertas non potest. qui enim  
 potest iure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?* Quid plura? per-  
 sequitur multa tempora, quibus Romana ciuitas mutari, & libertas adimi posset  
 atque omnino nemine inuito fieri id posse concludit. Itaque ita addit: *Certe hoc quæ-  
 ri solere me non præterit, quemadmodum si ciuitas adimi non possit, in colonias Lati-  
 nas sepe ciues nostri profecti sint aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt. quam  
 multam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. Quid quem pater pa-  
 tratus dedit, aut pater, populusue vendidit, quo is iure amittet ciuitatem? ut religione  
 ciuitas soluat, ciuis Ro. traditur, qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus.  
 si non accipiant, ut Mancinum Numantini, retinet integram causam, & ius ciuitatis;  
 si pater vendidit eum, quem in suam potestatem susceperat, ex sua potestate dimittit.  
 Iam populus cum eum vendit qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iu-  
 dicat non esse eum liberum, qui ut liber sit, adire periculum noluit. quum autem incen-  
 sum vendidit, hoc iudicat, cum ij, qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum,  
 qui cum liber esset, censeret noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse. Quod si maxi-  
 me ij se rebus adimi libertas, aut ciuitas potest, non intelligunt, si per has rationes adi-  
 mi maiores posse voluerunt, alio modo noluisse. Nam ut hæc ex iure ciuili protulerunt,  
 sic afferant velim, quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta sit. nam quod ad  
 exilium attinet, perspicue intelligi potest, quale sit. exilium enim non supplicium est, sed  
 perfugium, portusque supplicij. nam qui nolunt pœnam aliquo modo subterfugere, aut  
 calamitatem, eo solum vertunt, hoc est sedem, ac locum mutant. Itaque nulla in lege no-  
 stra reperietis ut apud ceteras ciuitates, maleficium vllum exilio esse multatum, sed cum  
 homines vincula, necesse, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt  
 quasi ad aram in exilium. qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuita-  
 tem, quam vitam, amitterent. quia nolunt, non adimitur his ciuitas, sed ab his relin-*

quitur, atque deponitur. nam cum ex iure nostro duarum ciuitatum nemo esse possit, tum amittitur hæc ciuitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est in aliam ciuitatem. Hæc Cicero pro Cæcina. in eandem autem etiam sententiam locutus est idem iterum in oratione pro domo: *Qui ciues Rom. in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, noménque dederant. qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc ciuitatem amittebant, quam erant in eam recepti. quo vertendi, hoc est mutandi soli caussa uenerant. id autem ut esset faciendum, non ademptione ciuitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant.* Hoc quidem in orationibus Cicero ad causam illam quam tum in manibus habebat, defendendam accommodate. at in primo de oratore aperte uidetur negare, eum, qui deditus hostibus sit, ciuem remanere. sic enim inquit: *Si C. Mancinum propter inuidiam Numantini foederis pater patratu Numantinis deditisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum reuenisset, neque in senatum ire dubitasset, P. Rutilius M. F. tribunus pl. de senatu iussit educi, quod eum ciuem negaret esse, quia memoriæ sic esset proditum, quem pater suus, aut populus uendidisset, aut pater patratu deditisset, ei nullum esse postlimium.* Itaque Pomponius quoque D. de legatis sic scriptum reliquit: *Eum qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere. quem hostes si non recepissent, quaesitum est, an ciuis Rom. remaneret, quibusdam existimantibus remanere, alijs contra. quia quem populus iussisset dedi, ex ciuitate expulisse uideretur, sicut faceret, cum aqua, & igni interdiceret. in qua sententia uidetur P. Mucius fuisse. id autem maxime quaesitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non receperunt. de quo tamen lex postea lata est, ut esset ciuis Rom. & præturam quoque gessisset dicitur. & Ulpianus: *Maxima capitis minutio est, per quam & ciuitas, & libertas amittitur. ueluti cum incensus aliquis uenierit.* Satis ergo apparet ex his, ciuitatem, atque libertatem inuito fere nemini eripi licuisse. Proprium præterea fuit eiusmodi libertatis, immunem à priuatorum verberibus esse. Itaque iudicium de libertate lege Fabia de plagiariis constitutum fuit, cum quis liber verberibus, ut feruus, esset cæsus. cuius meminit Aconius in argumento Cornelianæ, his uerbis: *Cum quendam ciuem Metellus seruum esse contendens, ut arripuisset, ac verberibus affecisset, Curio a Bertore ei comparauit, deinde cum appareret, eum exitum illius iudicij futurum, ut liber is iudicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat, inter Metellum, & Curionem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perstaret in accusatione Curionis.* Item constitutum, ne liberi torquerentur. de qua re post in libris de Iudicijs. Sed de primo, eoque proprio genere libertatis Romanæ hæcenus, cuius præcipuum id ius extitit, ut non solum ciuitatem secum attulerit, sed ne adimi quidem inuito fere, ut dixi, alicui potuerit.*

Alterum genus libertatis fuit, quo se R. ciues à regum, & tyrannorum impotenti dominatione liberauerunt, & legibus se, ac magistratibus annuis obstrinxerunt. Quæ libertas, L. Tarquinio Superbo rege cum filiis vrbe pulso, inita est, L. Bruto, & P. Valerio in primis auctoribus, tum cum populus à Bruto cos. iureiurando adactus est, se neminem regnare Romæ passurum, atque rogationem iussit, ut sacrum cum bonis caput eius esset, qui regni occupandi consilia inisset. Itaque pro hac libertate tuenda incredibile est, quantas populus Rom. dimicationes, quanta bella susceperit, quantum sudoris, quantum sanguinis effuderit. Siquidem & cum Porfena rege, & cum Latinis populis Tarquinius exules reducentibus, & cum Pœnis, cum Cimbris, & Teutonibus, & alijs infestissimis exterarum gentium populis armis sæpe accerrime decertauit: Sp. vero Cassium, Sp. Mælium, M. Manlium, & Catilinæ socios ciues Rom. extremo etiam supplicio affecit, cum Cassius agris dandis, Mælius annona largienda, Manlius ære alieno plebem sua pecunia eximendo, Catilina perniciofa reip.

confi

consilia agitando, in affectati regni suspicionem incidissent. C. autem Cæsar priuatorum etiam consilio interfectus est, quod dictatoria potestate abusus, non ferendas in libera ciuitate opes sibi comparasset. Sed tamen hæc libertas dominante Sylla concussa, Cæfare uero regente labefactata, Augusto demum imperante funditus euersa est. quod fuit nihil aliud, nisi cum plus ille vnus in ciuitate potuit, quam vniuersa resp. Pro qua libertate retinenda cum alijs alij contenderunt, tum maxime contra Sullam Lepidus, & contra M. Antonium Cicero. cuius rei in primis pulcherrimas has voces testes reliquerunt. Lepidus quidem apud Sallustium: *Præclara Brutorum, atque Aemiliorum, & Lutatorum proles, geniti ad ea, quæ maiores uirtute peperere, subuertenda. Nam quid à Pyrrho, Annibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud, quam libertas, neu cui, nisi legibus, pareremus. quæ cuncta se uis iste Romulus quasi ab externis rapta tenet.* Cicero uero in Philippicis: *Res in extremum adducta est discrimen. de libertate decernitur. aut vincatis oportet Quirites, quod profecto & pietate uestra, & tanta concordia consequemini, aut quid uis potius, quam seruiatis. aliæ nationes seruitutem pati possunt; populi Rom. est propria libertas.*

Tertium huic libertatis genus consequens est quo se Romani ciues aduersus nimium magistratum, & præsertim consulum imperium munierunt. quod ius multis legibus esse uideo constitutum. quarum aliæ aliam vim habuerunt. Prima autem fuit Valeria à P. Valerio Publicola consule primo anno publicæ libertatis lata; *Ut si quis magistratus ciuem Rom. necare, verberare, multare uellet, priuatus eum ad populi iudicium uocare posset. interea uero à magistratu damni nihil acciperet, nisi ubi populus statuisset.* cuius legis Liuius, Dionysius, & Plutarchus meminerunt. Inde uero haud ita multo post sacratæ leges consequutæ sunt, omnes pro ciuium Ro. libertate latæ. quas sacratas dictas esse censet Festus, *aut quod eas plebes, cum à patribus secessisset, Cassio, Cominioque cos. anno ab v. c. cclx, iurata in monte Sacro seuerit, aut quod ijs sancitum est, ut si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui deorum esset.* Homo autem sacer, eodem teste alio loco, is est, quem populus iudicauit ob maleficium; neque fas est, eum immolari, sed, qui occiderit, parricidij nõ damnatur. cui opinioni assentitur Cicero, cum in Cornelianâ inquit, *sanciones sacrandas esse aut legis obtestatione, aut pœna, cum caput eius, qui contra facit, consecratur.* Fuerunt autem multæ, quarum tres pro plebis, reliquæ pro populi libertate sunt latæ. Primæ pro plebe fuerunt, vna, *Ut tribuni pl. quotannis quinque de plebe crearentur, qui auxilio plebi aduersus consules essent; altera, Ut iidem tribuni sacrosancti essent; tertia, Ne is honor nisi plebeijs pateret.* Quod cum ex II Liuij, tum ex VI Dionysij libro colligitur. Primam legem asserit Gellius, apud quem scriptum est, *tribunos pl. tantum prehensionem habuisse, uocationem uero nequaquam. quod antiquitus creati sint non iuri dicundo, nec causis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentibus fuissent; ut iniuria, quæ coram fieret, arceretur.* Vnde Plutarchus in Catone Uticensi scripsit, *Ius tribunicie potestatis magis ad impediendum ualuisse, quam ad agendum, quippe cum ceteris omnibus collegis uolentibus vnus, qui nolit, & intercedat, plus possit.* Duplicatus inde post annum xxxvi est numerus tribunorum, lege, ut inquit Liuius, à Trebonio tribuno pl. lata; *Ut qui plebem R. tribunos pl. rogaret, is usque eò rogaret, dum decem tribunos pl. faceret.* Secundam legem de sacrosanctis tribunis confirmat Festus, cum ait: *Sacrosanctum est, quod iureiurando interposito institutum est, si quis id uiolasset, morte pœnas penderet.* cuius generis tribunos pl. ædilesque eiusdem ordinis fuisse. Verba porro quibus sacrosanctos tribunos reddiderunt, hæc asserit Dionysius: *Ne quis uti tribunum quasi priuatum facere cogito, ne de uirgis cedito, ne de cædi, occidi, uel iubeto qui aduersus ea fecerit, sacer esto, bonaque eius Cereri sacra sunt, eumque occidere ius, fasque esto.* cum Dionysio uero facit Liuius, qui libro

tertio, pulsus magistratu Decemuiris tribuniciam potestatem restitutam cum scripsisset, ita subiunxit: *Et cum plebem hinc prouocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, cuius rei iam prope memoria aboleuerat, relatis quibusdam ex magno intervallo caeremonijs, renouari, & cum religione inuolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, & edilibus, iudicibus nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi, Liberæq; venum iret.* Tertia vero lex adeo custodita est, ut tribunatum nunquam ferè patricij ceperint, nisi ad plebem, vel adoptione, vel alia fortasse ratione, ut de Minucio Augurino tradit cum Plinio Liuius, se contulerint. In his autem legibus plebis libertatem fuisse positam, indicat Cicero in I I de legibus, qui cum de tribunatu loqueretur, ita concludit: *Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas.* Quarta inde lex sacra fuit: *Ne de capite ciuis Rom. nisi centuriatis agi comitijs posset.* Quinta: *Ne priuilegia irrogari liceret.* Hæc vero eadem leges post in X I I tabulas sunt translatae, de quibus in oratione pro domo hoc modo video Ciceronem verba fecisse, *Quo exemplo, quo more, quo iure legem nominatim de capite ciuis indemnati tulisti? vetant leges sacratae, vetant X I I tabulae, leges priuatis hominibus irrogari.* item: *Hoc iuris in hac ciuitate etiam tum, cum reges essent, dico fuisse, hoc nobis esse à maioribus traditum, hoc esse deniq; proprium liberæ ciuitatis, ut nihil de capite ciuis, aut de bonis sine iudicio senatus, aut populi, aut eorū, qui de quaque re iudices constituti sunt, detrabi possit.* & in Sextiana: *Cur cum de capite ciuis, & de bonis proscriptio ferretur, cum & sacratis legibus, & X I I tabulis sancitum esset, neque priuilegium irrogari liceret, neque de capite nisi comitijs centuriatis rogari, nulla vox est audita consulum?* & in tertio de legibus: *Tum leges præclarissimæ de X I I tabulis tralatae duæ, quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. nondum inuentis seditiosis tribunis ple. admirandum, tantum maiores in posterum prouidisse. in priuatos homines leges ferri noluerunt, id est enim priuilegium, quo quid est iniustius? cum legis hæc vis sit, scitum esse & iussum in omnes? ferri de singulis, nisi centuriatis comitijs noluerunt.* descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet ad suffragium consilij, quam fusc in tribus conuocatus. Atque his quidem legibus firmata in primis libertas ciuis Rom. putatur, quod caput eius nec magistratum libidini, nec plebis arbitrio, sed totius populi Rom. iudicio esset commissum. Hinc Liuius bello Punico narrando ait, hoc obseruatum in Campanis, cum senatorem quendam Rom. ita loquentem facit: *Per senatum agi de Campanis, qui ciues Rom. sunt, iniussu populi non video posse. idque apud maiores nostros in Satricanis factum est.* At de capite tamen Ciceronis priuatim legem tulit P. Clodius trib. pl. comitijs tributis. quid mirum? si per vim, ac iniuste. quod idem eodem in loco ipse admonuit, his verbis: *Quo verius in causa nostra L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis. præter enim quam, quod comitia illa essent armis gesta ciuilibus, præterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque vlla priuilegia. quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus.* & in Sextiana his: *Princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit, nihil de me actum esse iure, nihil more maiorum, nihil legibus. Non posse quenquam de ciuitate tolli sine iudicio, de capite non modo ferri, sed ne iudicari quidem posse, nisi comitijs centuriatis.* Inde lex altera Valeria lata est à L. Valerio, qui cum M. Horatio consul fuit, anno post urbem conditam C C C I I I. Lata est autem de prouocatione, & de tribunatu plebis, quæ à decem viris sublata fuerat, restituendis. De qua libet Liuiana verba subiicere: *Legem de prouocatione, vnicum præsidium libertatis, decemuirali potestate euersam, consules non restituerunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo noua lege, ne quis vllum magistratum sine prouocatione crearet. qui creasset, eum ius, fasque esset occidi, ne de ea cædes capitalis noxa haberetur.* & cum plebem hinc prouocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, cuius rei iam prope memoria aboleuerat, relatis quibusdam ex magno intervallo ca-

remo

remonijs, renouarunt. & cum religione violatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, & edilibus, iudicibus nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad aedem Cereris, Liberi, Liberæq; venum iret. Eadem vero de prouocatione lex post etiam relata est à M. Valerio Coruo consule. de qua item, quid idem ille scripserit, recitabo: *Eodem anno (is fuit ab v. c. quadringentesimus quinquagesimus tertius) M. Valerius consul de prouocatione legem tulit diligentius sanctam. tertium ea tum post reges exactos lata est, semper ab eadem familia. causam renouandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant ea qui prouocasset, virgis cædi, securiq; percuti vetuit. si quis aduersus ea fecisset, nihil aliud, quam improbe factum adiecit. id visum vinculum satis validum legis.* Deinde lata est lex Porcia de prouocatione. quam à Porcio Læca tribuno pleb. latam esse, docet nummus argenteus, cuius ab altera parte scriptum est, Prouoco, ab altera P. Porcius Læca. Hæc autem post Valeriam tertiam lata, ut eodem in loco addit Liuius, *gravi poena, si quis magistratus verberasset, necassetve ciuem Rom. sanxit, sed exilium irrogari ab eo permisit.* Quæ duo capita his, quæ sequuntur, testimonijs video confirmari, primum Ciceronis, qui cum Rabirium perduellionis reum consul defenderet, dixit, *plura sibi non esse dicenda de ciuibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis, & post, Legem Porciam virgas ab omnium ciuium corpore amouisse, libertatem ciuium licitori eripuisse,* deinde Sallustij, qui illud posuit in oratione Cæsaris: *Quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus animaduertetur in eos? an quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis ciuibus non animam eripi, sed exilium permitti iubent.* & post: *Maiores nostri Græciam morem imitati verberibus animaduertebant in ciues. de condemnatis summum supplicium sumebant. postquam res resp. adoleuit, & multitudine ciuium factiones valere, circumueniri innocentes, alia huiusmodi fieri cœpere. tunc lex Porcia, aliæq; leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permittitur.* Hanc autem legem M. Porcius Cato, ille censorius pro scapulis appellauit. sic enim scribit Festus: *Pro scapulis cum dicit M. Cato, significat pro iniuria verberum. nam consulares leges erant in ciues rogatae, quibus sanciebatur poena verberum. is significabat prohibuisse multos ciues in ea oratione, quæ est contra M. Cælium.* Liuius loco prolato, pro tergo latam ait. Plinius lib. V I I, de iure, ut opinor, virgarum vocauit, cum dixit, *L. Cornelium Balbum Gaditanum accusatum, & de iure virgarum in eum in consilium missum.* quibus verbis accusatum Balbum significat, quod falso ciuitatem Romanam vsurparet, cum esset peregrinus. In peregrinum enim ius erat virgarum, non in ciuem. Vnde M. Marcellus consul Nouocomensem quendam virgis multandum curauit in Cæsaris contumeliam, à quo erant Nouocomenses ciuitate donati. Porciam inde legem Semproniam sunt consequutæ, à C. Sempronio Graccho, iuris plebis retinentissimo, in tribunatu lata; Vna, *Ne de capite ciuium Rom. iniussu populi iudicaretur;* Altera, *Ut, qui magistratus indicta causa in ciuem Rom. animaduertisset, de eo populi quæstio constitueretur;* Tertia, *Ne quis coiret, conueniret quo quis iudicio publico circumueniretur.* Primæ legis meminit Cicero in oratione pro Rabirio, & pro domo; secundæ Plutarchus in vita eius, eamq; , ut P. Popillium, à quo consule Tiberij fratris focij misere fuerant diuexati, vlcisceretur, atque urbe, ut fecit, expelleret, esse latam adiicit; tertiam Cicero in Cluentiana; quo loco eandem in senatores pro plebe esse latam adiungit. Quin etiam, si quo me coniectura trahit, eò inclinem, addiderim quartam Porciam: *Ne magistratus ciuem Rom. virgis cæderet, aut securi ferret,* vetustate iam fortasse obsolescentem, ab eodem esse relatam. me vero in hanc opinionem adducunt verba eius, quæ citat Gellius ex oratione de legibus promulgatis; *Legebamus, inquit, orationem Gracchi de legibus promulgatis, in qua M. Marius, & quosdam ex municipijs Italicis honestos viros virgis per iniuriam cæsos à magistratibus populi Rom. quanta maxima inuidia potest conqueritur. Verba hæc sunt, quæ super ea re fecit: Nuper Teanum Sidicinum consul venit. uxorem dixit*

4

in balneo

in balneis virilibus velle lauari. quæstori Sidicino M. Mario datum est negotium, ut balneis exigerentur, qui lauabantur. Vxor renunciat viro, parum cito sibi balneas traditas esse, & parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoq; adductus suæ civitatis nobilissimus homo M. Marius. vestimenta detracta sunt. Virgine cæsus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauisse vellet, cum magistratus Rom. ibi esset. Ferentini ob eandem causam prætor noster quæstores arripit iussit. alter se de muro deiecit, alter prebensus, & virgine cæsus est. Hæc ex Gellio. ex quibus quis non intelligit, Gracchum hæc tum in concione dixisse, cum leges à se de libertate civium Rom. quæ neglecta lege Porcia à magistratibus Rom. violabatur, promulgatas suaderet? Vnde Cicero in actionibus in Verrem, harum legum memor, ita exclamavit: *Cædebatur virgine in foro Messanæ civis Romanus. ô nomen dulce libertatis, ô ius eximium nostræ civitatis. ô lex Porcia, legesq; Sempronie.* His igitur siue legibus, siue institutis libertas Romana aduersus magistratum patriciorum siue libidinem siue potetiam fuit vallata. Illud enim sapienter ab illis prouisum est, ne, cum ipsi se à libidine regia exoluissent, consulum aut aliorum magistratum intoleranda superbia opprimerentur. Quod adeo proprium fuit civium Rom. ut nomen civis Rom. in prouinciis, & exteris regionibus multos à summis sæpe cruciatibus corporis, & nece acerbissima à magistratibus ostentata vindicaret. Hinc enim illa sunt in Verrem: *Cervicibus in carcere frangebantur indignissime civium Rom. ut etiam illa vox, & illa imploratio civis Rom. quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea mortem illis acerbior, & supplicium maturius ferret.* Item: *Nulla vox audiebatur, nisi hæc: Civis Rom. sum.* & in epist. Asinij ad Ciceronem: *Cum illi misero quiritanti, civis Rom. sum, responderet, abi nunc, populi fidem implora.* Ex his autem legibus Semproniam, *Ne quis iudicio publico circumueniretur, quæ lege senatores, & ij, qui magistratum gesserant, soli tenebantur,* à Sylla dictatore retentam ait in Cluetiana Cicero. Reliquas ille mihi victoria parta non solum labefactasse videtur, sed etiam funditus sustulisse, quibus munita plebis, populiq; Rom. libertas fuit. nam proscriptione civium Rom. nouo exemplo proposita, cæde eorû acerbissima facta, agris plebi ereptis, iudiciis commutatis, tribunicia potestate debilitata, quid reliqui iuris civibus Romanis fecit? Tulit autem, *Ne tribunis plebis legum ferendarum ius esset, ne de ijs, qui tribuni plebis fuissent, alios postea magistratus capere liceret.* ut scriptum est in Liuij, & Appiani historia. Nam Cicero lib. III. de legibus, *potestatem iniuriæ faciendæ ademptam, auxilij ferendi relictam* auctor est. quod exposuit Cæsar, cum ius intercessionis à Sulla tribunis relictum in primo ciuilijs dixit. Tribunorum tamen iura post restituta sunt partim à Cotta, partim à Pompeio, & Craffo consulibus. C. enim Cottam consulem non multis post Sullæ mortem annis tulisse prodit Pedianus, ut tribunis alios magistratus capere liceret. Itaque C. Macer tribunus, apud Sallustium, per ea tempora hæc plebis iuris detrimenta deplorans, ita in concione dixit: *An dubium habetis, ne officere quid vobis vno animo pergentibus possit, quos languidos, secordesq; pertimere? nisi forte C. Cotta ex factione media consul aliter, quàm metu iura quædam tribunis plebis restituit.* & *quanquam L. Cincius primus de potestate tribunorum loqui ausus, mussantibus vobis, circumuentus erat, tamen prius illi inuidiam metuere, quàm vos iniuriæ pertæsum est: quod ego nequeo satis mirari Quirites. nam spem frustra fuisse intellexistis, Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium, finem mali credebatis. ortus est longe sæuior Catulus. tumultus intercessit Bruto, & Aemilio Mamercio consulibus. Denique C. Curio ad exitum vsque in fontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidiistis, quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur. quæ profecto incassum agerentur, si prius, quàm vos seruiendi finem, illi dominationis facturi erant, præsertim cum ciuilibus armis dicta alia, sed certatum vtriusque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio, aut avaritia in tempus arserunt, permansit vna res modo, quæ vtriusque quaesita est, & erepta in posterum, vis tribunicia,*

telum

telum à maioribus libertati paratum. Neq; verò haud ita multo post Cn. Pompeius, & M. Craffus cōsules pristinum ius, quod ante Syllam habuerant, restituerunt. cuius rei breui post Pompeium pœnituit, cum à P. Clodio tribuno pl. vexari acerime, ac sine villo dignitatis suæ respectu exagitari cœpit. auctor cum alijs Pedianus.

Quartum genus libertatis fuit, quæ se aduersus fœneratorum, & creditorum impotentiam non ferendam armarunt. Erat enim hoc ius iam inde à condita, ut opinor, vrbe, vel lege vel more constitutum, ut liberi, qui pecuniam deberent, cum soluendo non essent, trahi à creditoribus, atque ad operas in seruitute præstandas cogi possent. quæ licentia abusi multi in terga etiam miserorum crudelissime sæuierunt. vnde plebis in montem Sacrum secessio anno post R. E. xvi nata est. de qua ita Liuius: *Magno natu quidam in forum venit. Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. id cumulatam vsuris primo se agro paterno, auitoq; exuisse, deinde fortunis alijs; postremo velut tabem peruenisse ad corpus. ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum, & carnificinam esse. inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigijs verberum. ad hæc visa, auditaq; clamor ingens oritur: non iam pro se tumultus continet, sed passim totam urbem peruadit. nexi vincti, solutiq; se in publicum proripiunt.* Dionysius item eundem hominem immanitatem, & sæuitiam creditoris enarrantem inducit: se cum duobus filiis, quia æs alienum dissoluere non potuerit, abductum à fœneratore, ac quia difficilia imperantis domini opera facere recusat, ab eodem verberibus affectum. Itaque ad hunc tumultum multos, qui in seruitute operas dabant, catheras, & compedes trahentes nullo retinente, prodiisse. Atque hæc fere ante, quàm xxi tabulæ scriberentur. Post autem in eas hæc verba relata sunt, teste Gellio libro xx. *AERIS CONFESSI, rebusq; iudicatis xxx dies iusti sunt. post deinde manus iniectio esto. in ius ducito. ni iudicatum faxit, aut quis pro eo in iure vindex sit, secum ducito, vincito, aut neruo, aut compede, xv pondo ne minore, aut si volet, maiore vincito. si volet. suo viuito. ni suo viuit, qui eum vinctum habebit, libras ferris in dies dato. tertijs nundinis partes secanto. si plus, minusve secuerint, sine fraude esto.* Huius autem legis pars vna tantum obseruata est, ut debitores addictos in vincula abducerent, altera more publico abrogata, ne secarent. Prius illud verba Liuij indicant, qui postea, vbi de seditione M. Manlij leuando plebis fœnore conflata scribit, ita ait: *Acrioris quippe æris alieni stimulos esse, qui non egestatem modo, atque ignominiam minentur, sed neruo, ac vinculo corpus liberum terrent.* & *æris alieni magna vis, res damnosissima etiam diuitibus, edificando contracta.* & paulo post de eadem re: *Centurionem nobilem iudicatum pecuniæ cum duci vidisset M. Manlius, medio foro cum caterua sua occurrit, & manum iniicit, vociferatusq; de superbia patrum, ac crudelitate fœneratorum, & miseris plebis, ego nequicquam, inquit, hac dextra Capitolium, arcemq; seruauerim, si ciuem, commilitonemq; meum tanquam Gallis victoribus captum in seruitutem, ac vincula duci videam.* & infra: *An placere fœnore circumuentam plebem, ni potius, quàm sortem, creditum soluat, corpus in neruum, ac supplicium dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobilium domos? & vbiunque patricius habitat, ibi carcerem priuatum esse? Qui vero hoc modo seruibant, ij vero non serui, sed addicti dicebantur. inter quos quid interfit, egregie demonstrat Quintilianus his verbis: Circa propria, ac differentias magna subtilitas. ut cum quaeritur, an addictus, quem lex seruire, donec soluerit, iubet, seruus sit. altera pars finit ita: Seruus est, qui est iure in seruitute, altera, qui in seruitute est eo iure, quo seruus. aut, ut antiqui dixerunt, qui seruitutem seruit. quæ definitio etiam si constat æquo, nisi tamen proprijs, ac differentijs adiuuetur, inanis est. Dicet enim aduersarius, seruire eum seruitutem, aut eo iure quo seruum. Videamus ergo propria, differentiasq; liberorum. Seruus cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. seruus inuito domino libertatem non consequitur. ad-*

dictus

dictus soluendo citra voluntatem domini consequetur. ad seruum nulla lex pertinet, ad dictus legem habet propria liberi, quæ nemo habet, nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum, habet hæc addictus. Hoc autem ius obseruatum est vsque ad annum C D X X V I I, quo consules L. Papius fuerunt, & C. Pœtelius Vifolus. quo anno, vt inquit Liuius, plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quod necesse deserunt. mutatum autem ius ob vnius sceleratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papius is fuit. cui cum se C. Publilius ob æs alienum paternum nexum dedisset, quem ætas, formæque ad misericordiam elicere poterant, ad libidinem, & contumeliam animum accenderunt. cuius libidini cum iuuenis non cederet, laceratus ab eo se in publicum proripuit, libidinem, crudelitatemque conquerens sceleratoris. Ea causa excita in vrbe tumultu consules ex s. c. ad populum tulerunt, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in neruo teneretur. pecuniæ creditæ bonæ debitoris, non corpus obnoxium esset. Itaque nexi soluti, cautumque in posterum, ne necerentur. Atque hoc illud est, quod Varro intellexit, cum scripsit in libris de lingua Latina: Liber, qui suas operas in seruitute pro pecunia, quam debet, dum solueret, dat, nexus vocatur. Hoc C. Pœtelio Vifola rogante cautum, ne fieret, & omnes, qui bonam copiam curarent, ne essent nexi, dissoluti. Tantum autem abfuit, vt postea hoc nomine plebs detrimentum aliquod libertatis acceperit, vt sæpe etiam de ære alieno eius vel creditoribus ipsis inuitis relaxando agitatum sit. quam legem Romani Nouas tabulas appellarunt. quam vt nemo vnquam nisi perturbandæ reip. cupidus promulgauit, sic optimus semper quisque & ocij amantissimus repudiauit. Itaque de ea re sic Cicero in legibus: Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solueretur. armis, & castris tentata res est ab omni genere hominum, & ordine. quibus ita restituti, vt totum hoc malum de rep. tolleretur. nunquam nec maius æs alienum fuit, nec melius, aut facilius dissolutum est. fraudandi enim spe sublata, soluendi necessitas consecuta est. Vnde etiam querelæ illæ coniuuratorum in remp. eodem anno sunt natæ, de quibus Sallustius: Deos hominesque testamur, nos arma cepisse, vt corpora nostra ab iniuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia, atque crudelitate sceleratorum plerique patria, sed omnes fama, atque fortuna expertes sumus, neque cuiquam nostrum licuit, more maiorum lege vti, neque amisso patrimonio, corpus liberum habere. tanta sceleratorum, atque prætoris fuit. De secandis autem debitoribus, quod nunquam vsurpatum esse dixi, illud Cæcilij Iurifconsulti adductus auctoritate feci: cuius etiam verba subscribam: Vinculis debitoribus ius erat paciscendi. ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies LX. inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem ad comitium producebantur. quantæque pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. tertijs autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre. venum ibant. sed eam capitis pœnam sancienda fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu, nouisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. & quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes inuidiam me istam forte formidare. Tertijs, inquit, nundinis parteis secanto. si plus, minusve secuerunt, sine fraude esto. nihil profecto immittius, nihil immanius, nisi, vt re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquis neminem neque legi, neque audiri. quoniam scelerata ista pœna contemni non quita est. Idem notauit etiam Quintilianus, cum scripsit: Sunt quedam non laudabilia natura, sed iure concessa, vt XII tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit. quam legem mos publicus repudiauit.

Extremum genus libertatis attulerunt leges tabellariæ. quarum in vniuersum ea vis fuit, ne suffragia posthac à populo voce, sed tabella, id est, ne palam, & aperte, sed clam, & occulte ferrentur. recte, Etenim si libertatis ratio in eo posita est, vt facias, quod velis, idque ipsum tabella præstat, profecto maxima à tabellaria lege pars libertatis

libertatis proficiscitur. id quod etiam non obscure tradidit Cicero in Planciana, cum dixit: Populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes regit, datque eam libertatem, vt, quod velint, faciant. Quin etiam Sallustius, vbi de constituenda rep. præcepta dat, tabellam iis laudibus effert, vt dicat, eam obtentui fore, quo magis libero animo facere populus audeat. vnde scite in I I Agraria Cicero tabellam vindicem tacitæ libertatis, & in Corneliiana, legem Cassiam tabellariam principium iustissimæ libertatis appellauit. Leges autem tabellarias idem in I I I de legibus nominat multas, Gabiniam de mandandis magistratibus, Cassiam de populi iudicio, Papiam de iubendis legibus, & vetandis, Cœliam de perduellione, quem Cassius in sua lege exceperat. inde multas alias, Ne quis inspiceret tabellam, Ne rogaret, Ne appellaret. Has autem leges omnes libertatis retinendæ gratia populum expetisse, illud est argumento, quod ait idem, legem tabellariam à populo libero nunquam fuisse desideratam, ab eodem oppresso dominatu ac potentia principum flagitatam. Prima autem Gabina Pifone, & Lænatæ. collata est. siquidem, auctore eodem in loco Cicerone, biennio ante Cassiam lata est. ex quo intelligi potest, populum Rom. sero admodum vere se suffragiorum in libertatem vindicasse, in qua populo potestas honeste bonis gratificandi datur. nam ij cōsules in annum ab Vrbe cond. D C X I I I in fastis cōsularibus referuntur. Cassia enim Lepido, & Mancino collata est. vt ait idem in Bruto, neque multis post annis Papiam, & Cœlia lata est. Atque de ciuium quidem R. libertate, & iis, quibus ea stabilita est, legibus hætenus disputatum sit.

## De iure Gentilitatis. CAP. VII.



Vs libertatis nescio, an vllum aliud ius propius attingat, quam gentilitatis. neque id sine causa, sunt enim ab eodem ambo fonte deducta, id est à Romulo. qui quos liberos in tribus, curiæque descripsit, id est, quos omnino ciuitate donauit, eosdem in duas gentes simul diuisit, quarum vnâ patres, plebem alteram nominauit, patres quidem, ex Dionysij sententia, eos, qui in noua ciuitate ceteris genere, virtute, & copiis antecellerent, plebem vero, qui his omnibus rebus inferiores essent; patres autem vel ab ætate, quasi senes, vel quod soli filios haberent, vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos *εὐπατρίδας*, infimo *ἀγεῖρας* nominarunt. neque vero patres eos solum, & plebem, sed patricios etiam, & plebeios, quasi patrum, & plebis progeniem nuncupauit. quamquam patricios idem Dionysius, & præter Dionysium Plutarchus dictos asserunt, quod soli patres suos ciere, id est nominare possent, id quod plebeiis genti obscurissimæ, & prope à terra natæ non liceret. Ex quo intelligi potest, patricios tum aliud nihil fuisse, quam ingenuos. id quod P. Decius etiam apud Liuium significauit, cum dixit, patricios primum esse factos, non de cælo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil vltra, quam ingenuos. & apud Festum Cincius, qui aperte primis temporibus patricios eisdem fuisse cum ingenuis scribit. egregie, nam si ingenui sunt, qui ex duobus ingenuis orti sunt, profecto patricium neminem facere Romulus, nisi ingenuum potuit, cum patricius ille tum fuerit, qui patrem ciere potuerit. Quod si ita est, satis liquet, patricios primum, deinde plebeios gentem habuisse. siquidem gentiles sunt, auctore, vt est apud Ciceronem, Scæuola, qui inter se eodem nomine sunt, quorum nemo seruitutem seruiuit, nec capite diminutus sit. de patriciis illud argumento est, quod ait P. Decius apud Liuium, qui cum aduersus patricios loqueretur, ita demum intulit: Semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere. de plebeiis id, quod Ap. Claudius, vir patricius, dixit: An hoc si Claudia familie non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed vnus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum sciam, reticere possim? ex quibus verbis colligi licet, si qui se ab ingenuis ortum ostendere potest, is gentem habet, profecto plebeios, vbi

vbi patres indicare potuerunt, & ipsos gentem habere cœpisse.

His rebus expositis, nunc duo illa intelligenda sunt, primum alia fuisse iura gentilitatum, atque agnationum, deinde alia gentium patriciarum, ac plebeiarum. Ego autem inter gentilitates, & agnationes illud interfuisse opinor, quod inter gentis, & familiæ iura interesse alio libro admonui. quippe, vt, quemadmodum familia nos propius attingit, quam gens, sic agnati arctiore nobiscum, quam gentiles, necessitudine iuncti sint. cuius rei argumento esse, quod lex duodecim tabularum furiorum tutelam primum agnatis, deinde gentilibus commisit, eademque patrifamilias intestato mortui pecuniam primum ad agnatos, post ad gentiles voluit pertinere. Itaque cum Cicero homines arctissimo cum diis ipsis necessitudinis quasi vinculo constrictos esse in primo de legibus vellet ostendere, eos decorum agnatione, & gente teneri dixit. pro qua agnatione eundem in primo de oratore stirpem posuisse existimo, cum scripsit: *Quid? qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumviri iudicarunt. cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudij patricij eiusdem hominis hereditatem gente ad se redisse dicerent, non ne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis, & gentilitatis iure dicendum?*

Patriciarum autem, & plebeiarum gentium cum multa alia iura, eaque inter se longe diuersa fuerunt, tum celebre illud extitit, quod plebis iura simul cum ciuitatis adeptione impetrabantur. (nam eodem tempore qui ciuium, idem etiam plebeiorum iure donabatur.) patricius autem fieri, nisi lege nominatim ad populum lata, nemo poterat. quod fuit aut regum, aut consulum, aut dictatorum amplissimum beneficium. Patricios enim Romulus bis, teste Dionysio, legit, primum ex Albanis, quos socios vrbis condendæ habuit, deinde ex Sabinis iis, quos cum eorum rege T. Tatius in ciuitatem aduocauit. quo tempore Iulij, Pinarij, Potitij, Aemilij, Nautij, Fabij, Antonij in patriciorum numerum esse videntur relati. quem morem deinceps sequuti ceteri, Numa ex Sabinis, Valerios, & Marcios, Tullus ex Albanis, Alba excisa, Iulios iterum, & Seruilius, Geganius, Atilios, Curatios, Quinctilios, & Clœlios, Ancus ex Etruria L. Tarquiniũ, Priscus ex Latio Ser. Tullium, & Octauios in patriciorum numerum acceperunt. Imminutis autem cæde, exiliisque à Superbo patriciorum familiis L. Brutus, qui primus exactis regibus consul fuit, legisse patricios dicitur. inde, sexto post liberatam remp. anno, Ap. Claudius ex Sabinis Romam commigrans, lege item consulari patricius factus est. postremo C. Cæsar lege Cassia, & Diuus Augustus lege Sænia patricios iam magna ex parte extinctos suppleuerunt. Vnde apud Liuium Canuleius tribunus pleb. inuidiose quondam in patres dixit, *Nobilitatem patricios plerosque ex Albanis, & Sabinis non genere, nec sanguine, sed cooptatione in patres habuisse aut à regibus lectos, aut post reges exactos iussu populi.* de patriciis autem à Cæsare, & ab Augusto adlectis scribit cum Dione Suetonius. de omnibus fere Tacitus in hunc modum: *D. Claudius in numerum patriciorum vetustissimum quemque è senatu asciiuit, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerant. exhaustis etiam, quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sænia sublegere.*

Ad hæc vero fuit etiam illud à Romulo institutum, vt quoniam patricios extulerat, plebeios vero deprefferat, ne aut illis horum inuidia obesset, aut hi illorum potentia circumuenirentur, ambo inter se sanctissimo quodam necessitudinis vinculo astringerentur. patricios enim patronos plebis, plebeios patrum clientes esse constituit. atque amborum in ea colenda necessitudine officia diligentissime demonstrauit; patronorum, vt clientibus incognita iura traderent, causam eorum in foro, re postulante, defenderent; clientum, vt patronos domo deducerent, domumque reducerent, eosque in collocandis filiabus, si ita opus esset, pecunia subleuant. neutris autem licere voluit, se inter se aut nomen deferendo, aut testimonium dicendo, aut suffragium ineundo, aut cum inimicis sentiendo lædere. alio-

quin

quin eum lege à se de prodicione lata teneri, cumque sacrum Deo esse, id est impune occidi licere. Quæ necessitudo vsque ad Gracchorum ætatem sancte adeo, teste Dionysio, obseruata est, vt in multis, & magnis plebis, patrūque de rep. contentionibus nulla tamen vnquam vis, nulla cædes extiterit. quod clientes patronorum vel suadentium auctoritati, vel rogantium voluntati facile etiā iuris sui cum aliqua diminutione obtemperauerint.

Iam vero neque illud est contemnendum, quod patricij soli ex Romuli instituto auspicia habuerunt. quod ex oratione P. Decij plebeij aduersus patricios apud Liuium satis aperte cognoscitur. qui inquit: *Semper ista audita sunt eadem: penes vos auspicia esse; vos solos iustū imperiū domi, militiæque habere.* & ex oratione Claudij aduersus plebeios, cum ait: *Penes quos sunt auspicia? nēpe penes patres. nā plebeius quidem magistratus nullus auspiciato creatur. nobis adeo propria sunt auspicia, vt non solum quos populus creat, patricios magistratus aliter, quam auspiciato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspiciato interregem prodamus, & priuatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. quid igitur aliud, quam tollit ex ciuitate auspicia, qui plebeios consules creando, à patribus, qui soli ea habere possunt, aufert?* Item ex eodem loco: *Interroganti tribuno, cur plebeium consulem fieri non oporteret, respondit, quod nemo plebeius auspicia haberet, ideoque decemuiros conuulsiuim diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. plebs ad id maxime indignatione exarsit, quod auspiciari tanquam inuisi dijs immortalibus negarentur posse.* Cum autem auspicia tria fuerint, auium inspectio, de cælo obseruatio, & tripudij animaduersio, non est ignorandum, obseruationem de cælo ad omnia comitia esse adhibitam, auium inspectionem ad curiata, & centuriata tantum; tripudium rerum gerendarum fuisse proprium. Itaque cum plebeij carere auspiciis dicuntur, auium volantium aut canentium obseruatione in comitiis, tripudio in rebus gerendis carere dicuntur. quæ soli patricij tenuerunt. quemadmodum etiam, cum nulli essent in rep. magistratus, senatores patricij soli auspiciato interregem prodiderunt, qui rogandis magistratibus comitia haberet. Quorum duo priora iura procedente tempore interiisse, postremum vero perpetuum fuisse inuenio. Nam vbi primum plebs in partem patriciorum magistratuum venit; vt consulatus, tum vero ad plebeios ita translata auspicia sunt, vt & auspiciato crearentur, & ipsi auspiciato rem gererent. cuius rei confirmandæ gratia notissimo vno Liuij loco ero contentus: *In expectatione erat ciuitas, quod Genucius primus de plebe consul bellum suis auspicijs gesturus esset. perinde vt eueniret res, ita communicatos honores probe, aut secus consulto habitura. Forte ita tulit casus, vt Genucius ad hostes magno conatu profectus, in insidias præcipitaretur, legionibus necopinato pauore fusus consul circumuentus ab insidijs, quem interficerent, occideretur. quod vbi est Romam nunciatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti patres, quantum feroces infelici consulis plebeij ductu, fremunt omnibus locis, irent, crearent consulem ex plebe; transferrent auspicia, quo nefas esset; potuisse patres plebiscito pelli honoribus suis, num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia, quæ vt primum contacta ab eo sint, à quo nec ius, nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde turbato gentium iure auspicia turbarentur.* Neque vero dubium est, si Genucius plebeius consul est factus, quin auspiciato factus sit. nam centuriata comitia, quibus consules creabantur, auspiciata erant, vt tributa inauspicata. eademque ratione neque illud vllam habere dubitationem debet, si Genucius consul rem gessit, quin captatis ante auspiciis gesserit, cum magistratus, vt inquit Cicero in primo de diuinatione, tripudio solistimo vterentur. quod idem de ceteris est iudicandum. Cur enim priore consulatu C. Flaminius è plebe inauspicato consulem factum, posteriore sine auspiciis ad bellum profectum, quæ ne in externo quidem solo noua, atque integra concipere posset, atque eundem auspiciis neglectis cum hoste congressum,

d infi

insimularent annales, nisi plebeiis post cum magistratibus patriciis essent auspicia ipsa patriciorum communicata? at quæ auspicia cōtempfit Flaminius? tripudium. sic enim agit Cicero in primo de diuinatione: *C. Flaminius, cum tripudio auspicaretur, pullarius diem prælij committendi differebat. tum Flaminius ex eo quasi iussit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret; cum ille quiescendum respondisset, Flaminius, præclara verò auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa conuelli, & se sequi iussit.* At vero perpetuum illud ius patricij defenderunt, ut, nulli cum essent in rep. patricij magistratus, ad ipsos auspicia redirent. quod erat nihil aliud, nisi ut patricij senatores coirent, atque ex se auspiciato, qui comitia rogandis consulibus haberet, inter regem proderent. unde illa sunt Liuij libro IIII: *Patricij, cum sine curulibus magistratibus respub. esset, coiere, & inter regem creauere.* & Ciceronis illud ad Brutum: *Dum vnus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt.* & Pediani in Milonianam illud: *Cum mense Ianuario nulli dum neque consules, neque prætores essent, & Pompeius, ac T. Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patricijs conuocandis, qui inter regem proderent, non essent passi.*

Postremo vero cum idem etiam Romulus patriciis solis senatum, sacerdotia, magistratus, iudicia, ac totam denique remp. tradidisset, plebeiis agriculturam, & rem pecuariam, ac quæstuaras artes, eodem Dionysio teste, commisisset, neque hoc institutum diu admodum est seruatum. siquidem plebs interiecto tempore, & in senatum peruenit, & magistratus, ac sacerdotia cepit, & res iudicauit, & omnino remp. ipsam capessiuit. id quod quando, & quo pacto adepta sit, post suo loco aperietur.

Nunc vero illud tantum admonuisse satis sit, plebem, cum omnia ferè patriciorum iura esset consequuta, illud tamen impetrare nunquam potuisse, ut aut inter regem ex se, quemadmodum antea dixi, aut flamines maiores, Dialem, Martialem, & Quirinalem proderet, aut regem sacrificulum faceret, aut in Saliorum collegium cooptaretur, quos locos ut integros vsque ad extrema tempora patricij possederunt, sic proprium illud vsque ad extremum plebeiis reliquerunt, ut comitia tributa ab auspiciis, atque à patribus libera haberent, & tribunatum, atque adilitatem plebis soli caperent. quibus fere de rebus omnibus ita Liuius: *Patres contra non pro cōmunicatis, sed pro amissis honoribus fremēdo, negare. si ea ita sint, liberos tollēdos esse. qui pulsī maiorum loco, cernentēsq; alios in possessione dignitatis suæ, salij, flaminēsq; nusquam aliò, quàm ad sacrificandum pro populo sine imperijs ac potestatibus relinquuntur.* & Cicero pro domo sua, cum Clodium patricium à plebeio adoptatum reprehenderet: *Probate genus adoptionis, iam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis. iam patricius nemo relinquetur. cur enim quisquam vellet tribunū pl. se fieri non licere? angustiorē sibi esse petitionem consulatus? in sacerdotium cum possit venire, quia patricio non sit locus, non venire? ut cuique aliquid acciderit, quare commodius sit, esse plebeium. simili ratione adoptabitur. Itaque populus Rom. breui tempore neque regem sacrorum, neque flamines, neque salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriarum, & curiatorum comitorum auspiciæque populi Rom. si magistratus patricij creati non sint, intereant necesse est, cum interrex nullus sit, quod & ipsum patricium esse, & à patricio prodi necesse est.* Quo modo autem ab auspiciis plebeij liberi fuerint, alio loco dicendum est.

Neque vero alienum est, ut duo patriciarum gentium genera fuerint, intelligere. si quidem satis constat patricios alios maiorum gentium dictos, alios minorum. Sunt autem qui maiorum gentium appellatos putent, quos Romulus tantum prima lectione ex Albanis adlegit; reliquos inde, & quos ipse, & quos alij reges deinceps asciuerunt, minorum. Liuius quidem quos Priscus rex, Tacitus, quos Brutus consul patricios fecit, eos minorum gentium nuncupauerunt. peruasisse autem hanc vsque ad postrema etiam tempora differentiam, optimus testis est

est Cicero, qui in epistola ad Papirium, Papirios aliquot patricios fuisse tradit, sed minorum gentium. neque vero aliud quicquam his credo vocibus expresserunt, quàm patricios maioris & minoris antiquitatis. nam eiusdem, ut puto, & hi, & illi iuris fuerunt.

Neque verò illud etiam esse prætermittendum videtur, familias multas easdem patricias fuisse & plebeias, ut Claudiam, Papiriam, Corneliā, & Octauiam. de Claudia enim scripsit præter ceteros Suetonius in Tiberio, de Papiria Cicero in epistola ad Pætum, de Cornelia idem in secundo de legibus, vbi Cornelios patricios ita nominat, ut plebeios etiam aliquos fuisse significet: de Octauia idem in Augusto Suetonius. Cuius rei causas exquirenti non erit difficile multas & quidem probabiles omnes inuenire. Mihi vero hæc potissimum reddi videntur posse: Vna, quòd non ab eodem ambæ fonte fluxerint, ut de Tullia Longorum, & Ciceronum familia alio libro dixi, quarum patricia illa à Ser; Tullio rege, hæc plebeia à Tullo Atio Volscorum rege, teste Plutarcho, ex aliquorum opinione traxit originem; Altera, quòd cum patricij lecti sunt, non omnes vnus gentis lecti sint, verum aliquot in patricios ascitis, reliqui plebeiorum iura tenuerint; Tertia, quòd posteaquam patricij facti fuerint, nonnulli eo iure non contenti ab plebem se contulerint. fuisse enim à plebe ad patricios aditum, & ab iis ad plebem reditum, ostendit Suetonius, cum de Octauia gente ita loquitur: *Gens Octauia à Tarquinio Prisco inter Romanas gentes allecta, mox à Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magna vi per D. Iulium in patriciatum redijt.* Quod idem significauit etiam Cicero in Bruto cum dixit: *Transitiones à plebe sunt, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunduntur genus, ut si ego me à M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit & Plinius, cū L. Minucium Augurinum, hominem patriciū ad plebem se contulisse, & tribunum pl. vndecimum factum esse scribit. Hoc autem factum esse existimo, vel patriciorum iura repudiando, vel se in diuersam gentem adoptando. quo pacto effectum est, ut aut plebeius in patricij familiam transuerit, ut Liuius in Mamercij Lepidi, & Brutus in A. Albinij, aut patricius in plebeij, ut P. Clodius in M. Fonteij, P. Dolabella in Liuiæ transmigrarunt. qua vna ratione patricij ad tribunatum pl. aspirarunt, id est si patriciorum se ante iure abdicassent, ac plebis iura sumpissent: sed de adoptione post alio loco pluribus. Postremo vero ciuitatis etiam largitionem hanc diuersitatem intulisse opinor. nam qui ciuitatem beneficio alicuius patricij hominis obtinebant, ij nomen eius tantum, non gentem assequerantur, sed in plebe, cuius iura cum ciuitate adepti erant, remanebant.*

Ex his autem fontibus primæ illæ in rep. seditiones omnes emanarunt. Nam cum patricij, qui plebis patroni fuerant constituti, eam superbe, violentèrque vexarent, atque liberata rep. plebs, ut ante regibus, sic tunc consulibus, patriciisque seruiret, conflatis seditionibus, cum se aduersus eorum impotentiam instituto tribunatu munivit, tum eorum, ut dixi, iura fere omnia sibi asciuit. Hinc enim secessio in montem Sacrum ob libertatem suam aduersus patricios creditores defendendam, hinc in Auentinum, ob conseruandam ab patriciorum libidine pudicitiam extiterunt. hinc denique motus alij vrbani excitati, de communicandis connubiis, quæ decemuirali lege dirempta fuerant, de consulatu vulgando, quem soli patricij obtinebant. quibus de rebus non proprie inter ordines, sed inter gentes est concertatum, cum alteram partem consules, tribuni pl. alteram tuerentur, illius in senatu, huius in concione præsidium omne esset constitutum. Sed iam ad alia pergamus.



**D**EINCEPS sequitur, ut de iure sacrorum dicendum esse videatur, quod est cum libertatis, & gentilitatis iure coniunctum. Si quidem qui ciuitate R. donatur, is eodem tempore non omnia solum aut libertatis, aut gentilitatis iura adipiscitur, sed omnino sacrorum etiam, & cæremoniæ patriarum in partem vocatur. de quibus quoniã res est cognitu dignissima, quæ nos inuenerimus, breuiter, ut instituimus, exponemus.

Primum igitur intelligendum est, sacra omnia aut publica fuisse, aut priuata. *Publica* censet Sex. Pompeius ea, quæ publico sumptu pro populo fierent, quæq; pro montibus, pagis, curijs, & sacellis; priuata, quæ pro singulis hominibus, & familijs. Publicum focum totius vrbis Vestales virgines sanctissime obseruarunt, publicos curiarum focos triginta cum suis curialibus curiones, pagorum vero ipsi singulorum pagorum sacerdotes; priuatos autem familiarum singularum lares suos quisque domi paterfamilias coluit. Vestam alij à Romulo, alij (quæ, ut ait Dionysius, frequentior fama est) à Numa rege in foro consecratam putant. Penatibus, inter quos & Vestam quidam retulerunt, Lauinij quotannis à regibus, ac post reges exactos à consulibus rem diuinam factam satis constat. Curiarum sacra Romulus instituit; Compitalia in vrbe, & Paganalia in agris Ser. Tullius. Priuata vero sacra Romulus iam tum videtur constituisse, cum vxorem sociam mariti pecuniæ, sacrorumque, teste Dionysio, statuit. Deos autem neq; novos, neq; alienigenas nisi publice à Romanis ascitos Cicero in legibus scribit. Asciiuit autem publice eosdẽ fere, quos Græci, deos auctor ipse vrbis Romulus, fabulis tamen, & probris, quæ de diis narrabantur à Græcis, ut Dionysius ait, repudiatis, Saturnum; Iouem, Iunonem, Martem, Mineruam, Mercurium, Apollinem, & Herculem. Itaque prima templa Ioui Feretrio, & Statori ab eo in Capitolio sunt dicata. Nouos autem deos, & quasi Romanorum vernaculos Consum idem consecrauit; Cloacinam, ut apud Arnobium est, Tatius; Quirinum, Terminum, & Fidem Pompilius, Pauorem, & Pallorem Hostilius. quid de Pico, Tiberino, Pilumno, Picumno, Larentia, Flora, ceterisque eiusmodi Græciæ inauditis diis disseram, quos Romani alij alijs temporibus dedicauerunt? Aesculapium autem sero populus ex Epidauro ad pestilentiam auertendam aduexit, ac Cybelen ex Phrygia victoriæ causa multo serius. quin eandem, ut etiam Cererem, coli eorum ritu, à quibus acceperant, voluit. ut illud demum intelligatur, neque omnes Græcorum deos ab initio esse cultos, neque eos, nisi publica auctoritate, esse consecratos.

Sacra vero quemadmodum, ac quo ritu essent peragenda, difficile esset in tanta præsertim rerum, & temporum vetustate exponere: quibus rebus tum rituales, & pontificales commentarij erant referti. hoc tantum ostendam, novos deos nouosque colendorum deorum ritus à priuatis illatos sæpe esse publica auctoritate damnatos. ostendam autem verbis ipsis Liuij bello Veienti: *Nec corpora, inquit, modo affecta tabo, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa iniussit, novos ritus sacrificandi, vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstus sunt capti superstitione animi, donec publicus iam pudor ad primores ciuitatis peruenit, cernentes in omnibus vicis, sacellisque peregrina, atque insolita piacula pacis deum exponenda. dat: inde negotium ædilibus, ut animaduertent, ne qui nisi Romani dij, neque quo alio more, quam patrio colerentur, & postea bello Punico: Quo diutius trãbeatur bellum, & variabant secundæ, aduersæq; res non fortunam magis, quam animos hominum, tanta religio, & ea magna ex parte externa ciuitatem incescit, ut aut homines, aut dij repente alij viderentur facti. nec iam in secreto modo atque intra parietes, ac postes contemnebantur Romani ritus, sed in publico etiam, ac foro, Capitolioque mulierum turba erat nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. sacrificuli, ac vates*

cepe

ceperant hominum mentes. Incusati ab senatu grauius ædiles, triumuirique capitales, quod non prohiberent, cum emouere eam multitudinem è foro, ac disijcere apparatus sacrorum conati essent, haud procul absuit, quin violarentur. Vbi potentius iam esse id malum apparuit, quam ut per minores magistratus sedaretur, M. Atilio prætori vrbano negotium ab senatu datum est, ut & his religionibus populum liberaret. Is & in concione senatus consultum recitauit, & edixit, ut quicumque libros vaticinos, precationes de, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se deferret, ne quis in publico, sacro de loco, nouo, aut externo ritu sacrificaret. Atque hæc quidem ille. ex quibus illud intelligi volo, sacra publica Romanos ciues ab alijs omnibus separata habuisse, iusque sacrorum ad ciuis Romani definitionem pertinere. Quod conditor ipse & vrbis, & ciuitatis Romulus indicauit. quem Sabinos ita in ciuitatem asciiuisse Dionysius ait, ut eis tribus, & curias, & sacra ipsa Romana communicarit. ex quo facile intelligere possumus, domicilij communicatione sacra esse etiam impertita. Itaque municipes post aliquot tempora, quanquam Romana ciuitate donabantur, non tamen optimo iure ciues Rom. esse iudicabantur, quod sacra alia haberent, quam ciues ij, qui vrbem, agrumque obtinerent, nisi posteaquam Romam domicilium transtulissent. Nam colonos, quanquam è ciuitate Romana erant, tamen alios dies festos, id est alia sacra seruasse, ostendit Cicero, cum in Agraria I, adhortans plebem Rom. ne se deduci in colonias patiatur, ait: *Vos vero Quirites retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, vrbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum.* Hactenus de sacris publicis.

Priuata vero fuerunt singularum familiarum, vel gentium propria. Itaque de his Macrobius ita scripsit: *Sunt præterea ferie propriae familiarum, ut Claudia familia, vel Aemilia, seu Iulia, siue Cornelia, & si quas ferias proprias quæq; familia ex usu domesticae celebritatis obseruat. sunt singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones, item funerum, & expiationum.* Et hæc eadem gentilia sacra Cicero, & Liuius nominauit; Cicero, cum de aruspicum responsis diceret, his verbis: *Multi sunt etiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilia in illo ipso sacello, statuto loco, anniuersaria faciunt;* Liuius libro v, apud quem ita loquitur instaurator ille vrbis Camillus: *Quam par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio conspectum est, cum inter Gallica tela degressus ex arce solempne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit: an gentilia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra, & Romanos deos etiam in pace deserui placet?* Atqui paulo ante scripserat: *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ.* Quo eodem spectans, credo, Ti. Gracchus tr. pl. apud Plutarchum, in concione dixit, *imperatores Romanos frustra in castris ciues ad dimicationem pro sepulchris, & sacris suscipiendâ hortari, quippe quibus nec ara patris, nec auita sepulchra præ inopia rerum essent relicta.* Hæc autem sacra patresfamilias pro arbitrato suo, priuata religione, sibi constituebant. quare ut qui emancipabantur à patre, iidem à sacris etiam patris dimittebantur, sic qui adoptabantur, sacris iis, quæ pater adoptiuus colebat, obstringebantur. quemadmodum prisorum in iurisperitorum commentarijs scriptum est. vnde Valerius dixit: *M. Anei filius in Suffenatis familiam, & sacra transferat.* Cicero quidem in I de legibus priuata sacra ita pontificio iure constituta ait, ut ad quem pecunia; ad eundem etiam sacrorum obligatio perueniret. omnino enim diligentissime esse animaduersum, ne priuata sacra interirent, sed familijs deinceps proderentur. quod ipse etiam lege sanxit, cum dixit: *Sacra priuata perpetua manent.* quam legem eum è XII tabulis sumpsisse apparet. Itaque iurisperitos multa eorum genera excogitasse addit, qui sacris obligarentur, ut heredes, ut qui tantundem cepissent, atque heredes, ut qui usu plurimum cepissent de bonis eius, qui esset mortuus; ut eiusmodi alios, quos hoc loco non videtur necesse commemorare. Quin etiam idem pro domo, pontificum curam fuisse ait, ne quid per adoptiones de sacrorum

d 3 reli



religione minueretur, sed ut adoptionem sequerentur hereditates nominis, pecunia, sacrorum. erant enim sacra graue ipsius hereditatis onus. unde iure apud Plautum nescio quis latatur, *se hereditatem adeptum esse sine sacris opulentissimam.*

Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin sacra priuata quaedam fuerint, nunc vero an eadem patriciorum, plebeiorumque fuerint, merito ambigi poterit. Liuius quidem diuersa ea fuisse innuit, cum patricos de connubiorum communicatione secum indignantes hoc modo facit: *Quam aliam vim promiscua connubia habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, patrumque? ut qui natus sit, ignoret, cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis.* itemque libro decimo, cum Virginiam patriciam plebeio nuptam L. Volu- manio consuli, à matronis, quod è patribus enupsisset, à sacris, que in sacello Pudicitiae patritiae fiebant, prohibitam, ipsamque nouam aram alio loco Pudicitiae plebeiae dicasse tradit. Quis tamen sacrorum patriciorum, plebeiorumque ritus fuerit, haud procliuè dictu existimo.

Ad hunc autem etiam locum sepulchra pertinent, quae non aliter quam sacra, sanctè custodita à familiis sunt. ostendit Cicero in primo de officiis, cum ait: *Magnum est, eadem habere monumenta maiorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia.* Fuisse autem alia familiaria, alia hereditaria, atque illa quidem, quae sibi, & familiae, haec, quae sibi & heredibus constituerentur, & Caius tradit, & ex veteribus sepulchrorum titulis cognoscitur. Cautum porro legibus vendendorum praediorum veteres iurisconsulti docent, ut fundo vendito ius sepulchri exceptum, & retentum intelligeretur. alioqui sepulchrum habenti viam singulari iure dari. Itaque Cicero in Rosiana conqueritur. *publicatis Sex. Roscij bonis ne iter quidem ad sepulchrum patrum filio, esse relictum.* & in l. i. de legibus adiicit: *Tanta religio est sepulchrorum, ut extra sacra, & gentem inferri fas negens esse, idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popillia iudicauit.*

Quod autem supra scripsi, municipes, dum in municipio fuerant, alia ab ingenuis ciuibus Ro. sacra obseruasse, ne quis ita intelligat, ut eos, si Romam commigrassent, municipalia deserturos fuisse sacra arbitretur, siquidem ea ne Romae quidem reliquerunt. quod ostendit Festus, cum ait: *Municipalia sacra dicta sunt ea, quae ab initio habebant ante ciuitatem Rom. acceptam. quae obseruare eos. Voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adfuerant antiquitus.* Vnde de se, & Arpino municipio suo loquens Tullius in legibus merito ait: *Hic gens, hic sacra, hic maiorum multa vestigia.*

## De iure Connubiorum.

## CAP. IX.

**D**ixi, ut sui quisque dominus esset, nunc dicam, ut fuerit aliorum. primum autem de potestate agam in uxores, neque enim idem ciuium Ro. ius fuit, ac populorum aliorum: quod ego diuturna potius antiquitatis Ro. obseruatione, quam certa aliqua veterum scriptorum admonitione intellexi. Etenim neque cum omnibus mulieribus connubium habuisse, nec totius rei uxoriae celebrandae eadem cum ceteris vti esse ratione Romani videntur. Connubiorum vero ratio ea fuit, ut & nationis, & conditionis, & gentis, & sanguinis respectus haberetur. Nationis, ne Romanus nisi Romanam duceret, quemadmodum in Institutionibus Iustiniani est scriptum. Quamquam, quos ille Romanos hoc in loco vocet, haud satis intelligo. ego enim cum omnibus fere Italis fuisse Romanis connubia, nisi si qua forte de causa nonnullis id iuris esset ademptum, inuenio. num enim melior antiquitatis auctor Iustinianus, quam Strabo, accuratior, quam Dionysius? at ille Romanos, & Albanos summa inter se sacrorum, connubiorum, & sermonis necessitudine fuisse de iunctos narrat; hic bello Latino, quod ad Lacum Regillum non ita multo post reges exactos gestum est, multas Romanas mulieres apud Latinos, & Latinas apud Rom

Romanos fuisse ait, factaque potestate, ut omnes relictis maritis ad parentes rediret, nullam Latinam à Romanis, pierasque Romanas à Latinis discessisse. idque pro omnine futurae victoriae acceptum esse. Quid Festus, testis haud quaquam contemnendus, nonne Q. Fabium, eum, qui c. c. v. i. Fabiis ad Cremeram interfectis superfuit, Otacilium Numerij Otacilij Maleuentani filiam in matrimonium duxisse refert, cum eo, ut qui primus filius nasceretur, Numerij aui materni praenomen ferret, unde postea Numerius in Fabia gente fuit celeberrimus? nam quid de Liuiio dicam, qui Canuleium tribunum pl. dum legem de patriciorum plebeiorumque communicandis connubiis, quam ferebat, suaderet, ita loquentem facit: *Altera lege connubium petimus quod finitimus, externisque dari solet.* Adde, quod hoc iuris post permissum quoque esse Campanis videtur. siquidem bello Punico I, idem Pacuuium Calauium, nobilem Campanum liberos ex Ap. Claudij viri consularis filia habuisse, & filiam Romae nuptum M. Liuiio etiam triumphali viro dedisse, affirmat. Post autem cum aperta defectione Campani hoc iure spoliati essent eodem confecto bello, M. Messalla, & C. Salinatore cons. à senatu petiisse, ut sibi ciues Romanas ducere uxores liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, uti iusti sibi liberi, heredesque essent, idque impetrasse. Postremo fuisse etiam ciuibus Rom. cum municipibus Latinis ius connubij, nonne Cicero satis idoneus esse in Philippicis testis potest? qui in M. Antonium ita agit: *Quae amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cuius pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipse ex libertini filia suscepit liberos? sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinae filiam, quos certo scio dignitatis seminarum non poenitere.* Ex quibus rebus illud intelligi potest, cui Rom. nisi cum ciue non fuisse connubium, nisi si qua rogatione hoc beneficii aliis etiam populis fuisset impertitum. unde dixit Cicero in Topicis: *Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cui connubij ius non esset, nuncium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* Qui vero ex mulieribus suscepti essent, cum quibus connubium non esset, eos ne liberos quidem, nedum ciues fuisse, satis eorum, qui ex militibus Romanis, & Hispanis mulieribus nati erant, Liuiano exemplo, de quo supra diximus, liquet.

Conditionis autem ea ratio ducta est, ne ingenuus libertinam, aut libertinus ingenuam duceret. Quod declarat senatus consultum, de quo dixi: *quo Hispanae libertinae permissum est, ut enubere, id est ab ingenuo duci, posset, neque ei, qui eam duxisset, id si audi esset; itemque, lex Papia Poppaea fero admodum, nempe Augusto iam omnia tenente, lata; Ut omnibus ingenuis, praeter senatores, eorumque, liberos, uxores libertinas habere liceret.* id quod scriptum est in Taciti, & Dionis annalibus.

Quod autem ad gentes atinet, narrat Dionysius, decemuiros in duas postremas legum tabulas hoc etiam contulisse: *Ne patricijs cum plebeijs Romae connubium esset.* idque ab Ap. Claudio decemuiro esse adiectum, ut in perpetuum patres à plebe diuideret. quam legem quinto post anno contraria rogatione abrogatam fuisse, satis constat; quam tulit C. Canuleius tribunus pl. auctore Liuiio; apud quem idem Canuleius ita de hoc toto iure disserit: *Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemuiros tulerunt paucis his annis; pessimo exemplo publico, cum summa iniuria plebis? an esse ulla maior, aut insignior contumelia potest, quam partem ciuitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid est aliud, quam exilium intra eadem moenia, quam relegationem pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cauent; ne societur sanguis, cauent.* Gradus porro sanguinis quosdam in ducenda uxore seruatos, docent antiqui iurisconsulti, quorum in libris, quae duci, quae non duci possit, explicatur. mihi quidem quae sanguinis coniunctione, & necessitudine proxima duci per leges, aut mores posset, patris filia videtur fuisse. ut de Antonia C. Antonij filia, M. Antonij sorore, & uxore Cicero in Philippicis: *Frequentissima senatu Kal. Ian. sedete patrum, haec tibi esse, cum Dolabella odij causam*

ausus es dicere, quod ab eo sorori, & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. nam Aemilius Probus germanam sororem duci fas fuisse negat. Atque de iis quidem, quibus cum connubij ius esset, hæcenus.

Iam ritus, ac solemnia multa ducendarum vxorum silentio non videntur esse prætereunda. neque enim aliena sunt ab eo iure connubiorum, quod quaerimus, & cognitu sunt etiam iucundissima. Primum ergo auspices adhibebantur. sic enim Valerius, ubi antiqua instituta persequitur: *Nuptijs etiamnum auspices interponuntur, qui quamuis auspicia petere deserint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.* vnde notum illud Tullij pro Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspiciibus, nullis auctoribus, funestis omnibus omnium.* & auspicio nuptialium mentio est apud eundem in primo de diuinatione. Refert præterea Plutarchus in Quaestionibus, virginem, cum duceretur, aquam, & ignem attigisse; vt id quasi generationis omen haberetur, quæ calore, atque humore perficitur: atque hunc morem expressit, credo, etiam M. Varro lib. de vita populi Rom. secundo, cum dixit, teste Nonio: *Contra à nouo marito cum item è foco in titione ex felici arbore, & in aequali aqua allata esset.* Scitum est etiam illud Festi, nouam nuptam dicis caussa rapti solitam, aut è sinu matris, aut, si mater non esset, ex proxime necessariæ, boni item omnis caussa, quod ea res Romulo feliciter euenisset. Quò respectans dixit Catullus: *Qui rapis teneram ad virum virginem.* Quin etiam eadem flammeo caput obnubebat, perpetui connubij ominandi ergo. quod flammeum assidue gereret flaminica, cui à flamine discedere diuortij caussa non liceret. vnde Catullus: *Flammeum cape.* Deducebatur autem à prætextatis pueris tribus. quorum vnus facem spineam præferbat, pastores, qui Sabinas rapuerant, imitatus, vt lib. xvi testatur Plinius. ex quo illud Catullianum: *Manu spineam quate tædam.* faces autem adhibitas addit Plutarchus, quod non, nisi ubi contenebrasset, in mariti domum deduceretur. quas potissimum quinque vsurpatas, vt numerum indiuiduis nuptiis conuenientem scribit. reliqui vero duo nouæ nuptæ brachia sustinebāt. atque omnes, respondentibus vicissim pueris, puellisq;, clara voce concinebant: *Hymen o hymenæe.* quod ostendit Catullus, iis verbis: *Ite concinite in modum: Hymen o Hymenæe.* Vbi vero ad mariti limen peruenerat, tum postes oleo perungebat, eosdemq; laneis vitis exornabat. vnde antiqui vxorem appellatam putarunt. Limen autem attingere religiosum habebatur, ne, vt Varro censet, à sacrilegio initium ducerent, si deposituræ virginitatem pedibus premerent rem Vestæ numini castissimo sacram. vnde Catullus: *Transfer omine cum bono limen, Rasilem q; subi forem.* Ingreddente porro illa Talassio magna voce clamabatur, quod in raptu Sabinarum ea vox celebrata virginem forma excellentem ab impetu aliorum defenderit. quod extat apud Liuium. Ea vero in cubiculum deducta, vt ait Festus, prætextati eius, qui prælux dicebatur, fax rapti erat solita ab vtriusque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret. quo vtroque mors propinqua alterutrius captari putabatur. Ipsa vero ingressa dicebat marito: *Vbi tu Caius, ego Caia.* quasi vero, vt ait Plutarchus, cum viro fortunarum, bonorumq; communionem depacisceretur. Maritus autem sponsæ comam hastæ cuspide distinguebat. cuius rei causas Plutarchus ad matrimonij item felicitatem traducit. Interea prætextati duo brachia eius dimittebant, pronubæ vero eam in lecto collocabant. quod significat Catullus his versibus:

*Mitte brachiolum teres*

*Prætextate puella.*

*Iam cubile adeat viri.*

*Ves vnis senibus bonæ*

*Cognitæ bene feminæ*

*Collocatæ puellam.*

Lectum autem ipsum, quod nuptiis sterneretur in honorem genij, genialem vocarunt,

vocarunt, auctore Festo. vnde est illud in Cluentiana: *Lectum illum genialem, quem biennio ante filia suæ nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari, & sterni iubet.* Tum maritus pueris nuces spargebat, vt Iouis omine, quod scribit Varro, matrimonium celebraretur. quia nuces in Iouis tutela erant. Quocirca Virgilius: *Spargemarite nuces.* Inde cingulum virgineum sponsæ soluebat. de quo Festus: *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, vt sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusq; esset.* Hoc Herculano nodo vinctum vir soluit, ominis gratia, vt sic ille felix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui lxx liberos reliquit. & alio loco: *Cinxia Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.* Vnde Catullus: *Quod zonam soluit diu ligatam.* item: *Tibi virgines zonula soluunt sinus.*

Hos autem ritus facile possis etiam ex nuptiis Marcia, & Catonis colligere apud Lucanum libro secundo. Atque hoc quidem pacto, quæ sponsa fuerat, fiebat vxor.

Vxorum autem duo genera statuit Cicero in Topicis, vnum quod proprie vxor dicebatur, alterum, quod materfamilias. verba, quibus hoc docet, hæc sunt: *Si ita Fabia pecunia legata est à viro, si ea in manum viri non conuenerat, nihil debetur. genus est enim vxor. eius duæ formæ. vna matrumfamilias, hæ sunt, quæ in manum conuenerunt; altera earum quæ tantummodo vxores habebantur.* Quem locum his verbis exponit Boëtius: *Tribus modis vxor habebatur, vsu, farre, coëmptione. sed confarreatio solis pontificibus conueniebat. quæ autem in manum per coëmptionem venerant, hæ maresfamilias vocabantur; quæ vsu, vel farre minime. coëmptio vero certis solemnitatibus peragebatur. sese in coëmendo inuicem interrogabant; vir ita: an sibi mulier materfamilias esse vellet. illa respondebat, velle. itaque mulier viri conueniebat in manum. & vocabantur nuptiæ per coëmptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filia.* Hæc ille. Quæ tamen vera non esse ostendit Cicero in oratione pro Flacco: *In manum conuenerat. quæro, vtrum vsu, an coëmptione. vsu non potuit. nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui. coëmptione? omnibus ergo auctoribus.* nam vsu etiam, nedum coëmptione, vxores in manum conuenisse significat.

Vsu autem fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conueniebat, & cum viro ita consuefcebat, vt cum iusto marito, adeo vt si vsus ille intra annum non interrumpetur, pro vsucapta iam haberetur. qua de re non nihil scriptum fuisse in xii tabulis, satis locus hic Gellij indicat: *Quæ Mucium iurisconsultum dicere solitum legi, non esse vsurpatam mulierem, quæ, cum Kalen. Ianuarijs apud virum caussa matrimonij esse coëpisset, ante diem IIII Kal. Ianuarias sequentes vsurpatam esset. Non posse impleri trinocitium, quod abesse à viro vsurpandi caussa ex duodecim tabulis deberet. quoniam tertiæ noctis posterioris sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis.* Ex his enim verbis apparet, vt aliarum rerum, sic etiam vxorum vsucapionem fuisse, & si vxor per annum integrum nullo interrupto vsu apud virum fuisset, in manum mariti venisse, & ex tutorum potestate exisse. vsu vero, si per tres noctes ab eo abfuisset, interruptum fuisse. hoc enim veteres vsurpari dixerunt.

De confarreatione loquitur Dionysius in Romulo, sacras nuptias scribens Farracia esse dicta, quod eodem farre coniuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Itaque Vlpianus titulo Ix Institutionum, *Farre,* inquit, *conuenitur in manum certis verbis, & testibus decem presentibus, & solemnibus sacrificio factis, in quo panis quoque farreus adhibetur.* & Plinius lib. xviii. *In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, nouæq; nuptiæ farreum præferbant.* & Tacitus lib. Iii, *Confarreatio consuetudinem aut omittam, aut inter paucos retentam scribit.* Hinc diffarreatio apud Festum dissolutio matrimonij dicitur confarreatione contracti.

Coëmptionis porro hæc ratio fuit. *Veteri Romanorum lege, vt Varro tradit, nubentes;*

nubentes mulieres tres ad virum asses ferre solabant, atque vnum quidem quem in manu tenebant, tanquam emendi causa marito dare, alium, quem in pede habebant, in foro larium familiarium ponere, tertium in sacciperio cum condidissent, compito vicinali solebant resignare. huius autem rei meminit etiam Cicero pro Murena: Putarunt, inquit, iurisconsulti, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari. & in II de oratore; Mirandum non est, qui quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quæ coemptionem fecerit, causam posse defendere. ex hoc ergo fiebat, ut mulier in manu, mancipioq; mariti esset, aut eius, cuius in manu, mancipioq; maritus erat, suaq; illi heres fieret. vir autem non in manu, id est potestate, vxoris erat, sed quod coemptus erat, id ei sui heredis ius tribuebat.

Gellius præterea vxorum duo genera tradit, matronam & matremfamilias. Matronam dictam scribit proprie, quæ in matrimonium cum viro conuenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiam si sibi liberi nondum nati forent; dictamq; esse ita à matris nomine non adeptam, sed cum spe, & omine mox adipiscendi. vnde ipsum quoque matrimonium dicitur. matrem autem familias appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu, mancipioq;, aut in eius, in cuius maritus manu, mancipioque esset. quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset. Festus autem Matremfamilias inquit non ante dictam, quam vir eius paterfamilias dictus esset, nec posse hoc nomine plures in vna familia præter vnam appellari. sed nec viduam hoc nomine, nec quæ sine filiis est, appellari posse. Ceterum cum vxorem in manu mariti esse dicimus, eam in mariti potestate ita esse intelligimus, ut sine eo auctore nec testari, nec contrahere posset. Hæc autem iura constituisse Romulus rex videtur, si Dionysio credimus. sic enim de eo scriptum reliquit: Romulus mulierem nuptam, quæ ex sacratis legibus in manum mariti conuenisset, omnium rerum, ac sacrorum participem esse lege sanxit. nominabant autem prisca Romani sacras nuptias Farracia, quod coniuges eodem fære vescerentur, quo victimas etiam respergunt. Ita hæc lex vxores, quod non haberent, quo confugerent, cogebat se in vnius mariti mores fingere. vir autem sic habere vxores, ut rem necessariam, & nullo tempore diuellendam. vxor enim pudica, & marito semper obsequens, æque ac ille, domus erat domina, & in eius mariti bona succedebat heres, sicuti parentis filia, ex asse quidem, si is sine liberis, ac intestato decederet; si prolem relinqueret, ex æquo cum liberis. vnde manauit illud. vbi tu Caius, ego Caia.

Vxorum porro delicta duo, ut idem ait, grauissima esse Romulus statuit, si pudicitiam violassent, & vinum bibissent. vtrūque autem damnauit, ratus è stupro nasci insolentiam, struprum è vinolentia. earum vero, quæ conuictæ essent, pœnam mariti arbitrio permisit, vbi causam cum propinquis cognouisset. Itaque Gellius eandem rem in hæc verba est persecutus. Qui de victu, atque cultu populi Rom. scripserunt, mulieres Romæ, atque in Latio abstemias egisse, hoc est vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt. institutumq;, ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi causa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passam, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia. Atque hæc quidem in ijs, quos dixi, libris peruulgata sunt. Sed M. Cato non solum existimatas, sed multatas quoque à iudice mulieres refert, non minus si vinum bibissent, quam si probrum, & adulterium admisissent. verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur de dote, in qua id quoque inscriptum est: in adulterio vxores deprehensas ius fuisse maritis necare. Vir, inquit, cum diuortium fecit, mulieri iudex pro censore est. imperium, quod videtur, habet. Siquid peruerse tetreq; factum est à muliere, multatur. si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, condemnatur. De iure autem occidendi ita scriptum est: In adulterio vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio, impune necares, illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque ius est. Eadem vero etiam recitat Athenæus ex Polybio. Quo factum est, ut Suetonius scripserit, Tiberium matronas prostratæ pudicitia, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui

maiorum

maiorum more de communi sententia coërcerent, auctorem fuisse. Valerius, quoties inter virum, & vxorem aliquid iurgij intercesserat, in sacellum deæ Virioplacæ, quod erat in Palatio, venisse, & ibi inuicem locutos quæ voluerunt, contentione animorum deposita concordēs reuerfos scribit. inde nomen deam à placandis viris assecutam.

Illud memorabile, cum Dionysius, qui res Romuli diligentissime litteris est persecutus, nihil de diuortio à Romulo instituto dicat, Plutarchum tamen legem ab eo de diuortio latam prodidisse. Siquidem narrat inter alias leges Romuli illam fuisse acerbissimam, quæ vxori potestatem à viro discedendi ademit, viro vxorem exigendi dedit, si eam aut stuprum fecisset, aut venenum parasset, aut filios, aut clauas subiecisset comperisset. Itaque postea quoque in XII tabulis diuortium esse permittum, ex eo licet suspicari, quod inquit Cicero in Philippicis de Antonio: Frugi factus est mimam illam suam suas sibi res habere dixit, ex XII tabulis, clauas ademit, exegit. & Caius ad legem Iuliam de adulteriis: Si ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam vxorem duxerit, adulter non erit. Quod autem inquit de repudio ex lege missum, significat cum alia multa, tum maxime diuersas repudij, ac diuortij formulas, atque solemnem ipsam matrimonij renunciationem. Inter repudium autem, & diuortium illud interfuisse, Paullo, & Modestino placuit, quod repudium sponsæ remitteretur, diuortium cum vxore fieret. Itaque repudij formula fuit, *CONDITIO NE TUA NON VTOR*, diuortij, *RES TUAS TIBI HABETO*, vel, *RES TUAS TIBI AGITO*. quod & Cicero loco citato significauit, & Caius cap. II de diuortijs tradidit. Renunciatio autem matrimonij eiusmodi fuit, ut aut vir vxori, aut vxor marito, vel præsentem, vel absentem nuncium remitteret. vnde illa sunt apud Ciceronem de Oratore: Cum paterfamilias vxorem prægnantem in prouincia reliquisset, Romæq; alteram duxisset, neq; nuncium priori remisisset, & in Topicis: Si viri culpa factum est diuortium, & si mulier nuncium remisit, pro liberis manere nihil oportet. Quamquam autem diuortium lege concessum erat, nemo tamen ante annum DXX diuortium cum vxore fecisse perhibetur. qui autem primus fecit, is Sp. Caruilius Ruga fuit, qui M. Pomponio, C. Papirio, vel, ut alijs placet, M. Atilio, P. Valerio consulibus vxori nuncium noua de causa remisit, nempe quod eam sterilem esse diceret, seq; quærendorum liberorum causa vxorem habere iurasset, ut in Dionysij, Gellij, & Valerij commentariis perscriptum videmus. A quo tempore, ut inquit Gellius, rei vxori & cautiones Romæ necessariae sunt visæ, cum antea nullæ fuissent. Inde autem illa certe fluxerunt, quod soluto hoc modo matrimonio dotem reddi voluerunt, nisi quid causæ incideret, cur retinenda esset. siquidem scriptum est apud Paullum de dotibus, si diuortium sine culpa mulieris fiat, dotem integram repeti; si contra, in singulos liberos sextam partem dotis à marito vsque ad mediam eius partem duntaxat retineri. Quod vetus institutum fuisse apparet ex verbis Ciceronis, quæ sunt in Topicis: Si viri culpa factum est diuortium, pro liberis manere nihil oportet. Post Caruilianum autem diuortium vulgo ita dimitti vxores ceperunt, ut etiam sine magna admodum causa ab iis discesserint. Paullus quidem Aemilius cum Papiriam dimitteret, mirantibus amicis, & causam quærentibus (erat enim non tam pulchra, quam fecunda) nullam certam attulit, sed se tamen ab ea læsum significauit. Pudicitia vero vitium magnam repudiandæ vxori attulisset causam, C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, exemplo confirmari potest, qui Pompeiæ nuncium remisit, quam Clodius adamabat, cum diceret, Cæsaris vxorem non modo peccato, sed peccati etiam suspicione vacare oportere. erat autem suspicio, ne ei P. Clodius stuprum intulisset, qui muliebri veste, domi Cæsaris, tum Pontificis Maximi, cum sacra Bonæ deæ pro populo fierent, fuerat deprehensus, atque ancillarum manu eductus. Quarum rerum si quis testimonia postulabit, ea fere in Dionysij, Valerij, & Plutarchi libris reperiet.

De iure



**D**IXIMVS de iure, quod ciues Rom. in vxores habuerunt, nunc dicamus de eo, quod in liberos. Idem in prope infinitum, & Quiritium proprium fuit. Neque enim bona solum eorum, quod tradit Dionysius libro VI, sed vita etiam & libertas in potestate parentum fuit. Scriptum autem hoc inuenio cum in aliis veteribus libris Iurisperitorum, tum maxime lib. primo Institutionum Iustiniani hoc modo: *Ius potestatis, quod habemus in liberos, proprium est ciuium Rom. nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Hanc autem potestatem non recentem fuisse, sed iam inde à Romulo permissam, tradidit Dionysius: *Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum etiam occidendi. quamuis ipsi vel remp. administrarent, vel summos honores gessissent, atque ex ijs maximam laudem consequuti essent. quo factum est, ut illustres saepe viri ex rostris, cum conciones haberent senatui quidem aduersas, plebi vero secundas, à patribus per vim abducti, atque ab iisdem eo, quo libuit, supplicio affecti sint. quibus ne ullus quidem magistratus auxilio fuit. mitto quam multi filios, quia imperata sua neglexerant, necauerint: quod de Torquato, alijsq; multis accepimus. Neque vero hac licentia contentus Romulus potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctorem concessit: quæ potestas multo maior est, quam domini in seruum. nam seruus à domino venditus recepta libertate liber est, filius iterum atque iterum in potestatem patris reuertitur post tertiam vero venditionem. si se in libertatem vindicauit, è potestate patris egreditur. Addit deinceps, Numam Pompilium hanc ad legem Romuli exceptionem adiecisse, ne pater filium, qui suo consensu vxorem duxisset, vendendi ius haberet: hasq; leges post à decemuiris probatas, & in quartam tabulam ex XII relatas. Id quod apud Vlpianum etiam scriptum esse inuenio in titulis, *Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est, si posteaquam emancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus sui iuris fit. Id enim lex XII tabularum iubet his verbis: SI PATER FILIUM TER VENVDAVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. ceteri autem liberi, præter filium tam masculi, quam femine, vna emancipatione manumissioneq; sui iuris fiunt.* Quin etiam Iustinianus, tit. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur, cum emancipationem per antiquam legis obseruationem processisse ait, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebraretur, obseruationem legis XII tabularum intelligit. Priorem porrò patriæ potestatis partem, qua ius in filium pater habet vitæ, necisq; Cicero expressit, cum in Clodium pro domo sua ita egit: *Credo te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ, necisq; potestatem haberet.* posteriorem de tribus auctiõibus, & de fiduciaria emancipatione declarat Caius libro primo Institutionum, his verbis: *Emancipatio, hoc est manu traditio quædam similitudo venditionis est, quia & in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius vocatur. ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est manu tradit, à quo fiduciario patre naturalis pater vnum, aut duos nummos quasi in similitudinem pretij accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. hoc secundo, & tertio fit, cum fiduciario patri mancipat, ac tradit, & sic de patris potestate exit. tamen cum tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut à fiduciario patre mancipetur, & à naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat.**

Ad hunc autem locum pertinet etiam Adoptio, & Arrogatio filiorum. quæ quid essent, aut quemadmodum fierent, elegantissime docet Gellius: *Cum in alienam familiam, inq; liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum.*

*lum. quod per prætorem fit, adoptio dicitur, quod per populum, arrogatio. adoptatur autem, cum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione in iure ceduntur. atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur. arrogantur ij, qui cum sui iuris sint, in alienam sese potestatem tradunt. eiuq; rei ipsi auctores fiunt. sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur. nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ Curiata appellantur. ætas quoque eius, qui arrogare vult, an liberis potius gignendis idonea sit, bonaq; eius, qui arrogatur, ne insidiosè appetita sint, consideratur. iusq; iurandum à Q. Mucio pont. max. conceptum dicitur, quod in arrogando iuraretur. sed arrogari non potest, nisi iam vesticeps. arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. eius rogationis verba hæc sunt; VELITIS, iubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam iure, legèq; filius sibi fiet, quam si ex eo patre, matreq; familias eius natus esset. utiq; ei vitæ, necisq; in eum potestas fiet, uti patri endo filio est. hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo. Neque pupillus autem, neque mulier, quæ in parentis potestate est, arrogari possunt. quoniam & cum feminis nulla comitorum communio est, & tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem, potestatemq; fas non est, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subijciant. libertinos vero ab ingenuis adoptari quidem iure posse, Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse inquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptionem in iura ingenuorum inuadant. alioqui si iuris ista antiquitas seruetur, etiam seruus à domino per prætorem dari in adoptionem potest. idq; ait plerisque iuris veteris auctores posse fieri scripsisse. animaduertimus in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat, quod contra maiorum instituta fierent, id etiam eum culpauisse, quod filius adoptiuus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. verba ex ea oratione hæc sunt: *In alia tribu patrem, in alia filium suffragium ferre filium adoptiuum tam procedere, quam si se natum habeat.* Hactenus Gellius. ex quibus facile quæ iura adoptionis, quæq; arrogationis essent, liquere opinor. Eadem adoptio significatur à Suetonio, cum inquit; *Augustus Caium & Lucium adoptauit domi emptos per as & libram.* siquidem imaginariam mancipationem non aliter adhibitam inuuit, quam in emancipatione. qualis autem mancipatio fuerit mox dicemus. Quamquã autem ille adoptionem apud prætorè, arrogationem apud populū factā asserit, tamè hanc nominū obseruationem saepe esse neglectā, facile quisq; intelliget, quicum antiquorum iurisperitorū libros, tū etiā scriptorū veterū monumenta paulo attentius legerit. Ac primū quidè apud Cornelium Tacitum Galba Imp. ad Pisonem, quem arrogaturus erat, ita loquitur, ut adoptionem lege etiā curiata factā significet, cū inquit: *Si te priuatus, lege curiata apud pontifices (ut moris est) adoptarè.* & Suetonius Augustū Agrippā, & Tiberiū adoptasse in foro lege curiata scribit; & Cicero P. Clodiū à P. Fonteio adoptatū ait, cū tamè vere fuerit arrogatus, siquidè & iuris sui fuit, & legè curiatā adhibuit. Dū autè hæc Clodianā ille adoptionem insectatur, multa nobis veteris adoptionis iura patefecit, quæ in adoptado Clodio prætermissa esse, cõten dit. quæ ut omnibus nota sint, proferā verba eius. *Quod est, inquit, pontifices ius adoptionis? nepe, ut is adoptet, qui neq; procreare iā liberos possit, & cū potuerit, sit expertus. quæ deinde causa cuiq; sit adoptionis, quæ ratio generū, ac dignitatis, quæ sacrorū, quæ à pontificū collegio solet. tū ne qua calūnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur, ut hæc simulata adoptio filij quam maxime veritatē illā suscipiendorū liberorū imitata esse videatur.* Ex his autè apparet, causas ante legitimas adoptionis quæri, de iisq; pontificū collegiū cognoscere oportuisse. quas si illi probassent, tū auctoribus pontificibus lex curiata ad populū à magistratu aliquo, ut à consule ferebatur. in qua ferenda omnia seruari oportebat, quæ ceteris in legibus ferendis seruari mos erat. id quod ex eodem Ciceronis loco post intelligitur. Adicit etiā de ætate aliquid Modestinus, qui non tantum eum, qui adoptat, sed & eum, qui arrogat, maiorem esse debere ait eo, quem sibi per adoptionem, vel per arrogationem filium facit, sed utique plena pubertate, id est decem & octo annis cum præcede-*

re debere. Nam ut qui adoptaretur, prænomen, nomen, & cognomen adoptatoris assumeret, satis multis exemplis in libro de nominibus demonstrauius. C. Octavius etiam à Paterculo, Eutropio, & Suetonio, Cæsaris auunculi maioris testamento adoptatus dicitur, idem Romam ex Macedonia occiso Cæsare reuersus primum apud C. Antonium prætorem hereditatem se accepisse professus est, deinde consulatum adeptus legem curiatam de sua adoptione tulit, Appiano, & Dione testibus. Quo in loco Appianus notat, moris fuisse, ut testibus prætoribus adoptiones fierent, & legem curiatam ferre moris fuisse iis, qui patre carerent. & quoniam adoptiui idem ius habebant, ac naturales filij, ut & propinquos, & libertos adoptantium assequerentur, & Cæsari cum aliæ res præclaræ, tum multi, iiq; locupletes liberti erant, propterea Octavius priorem adoptionem testamento factam posteriore hac confirmasse,

## De iure legitimi dominij.

## CAP XI.



**D**IXI de potestate in uxores, & liberos, deinceps sequitur, ut quo iure bonorum fortunarumque suarum quisque dominus fuerit, videamus. quod ius tum multiplex, ac varium, tum ciuium Rom. maxime proprium fuisse inuenio. Hoc autem sex in rebus positum fuisse, hereditate, mancipatione, in iure cessione, vsucapione, sub corona emptione, & auctione, docet Varro in secundo de re rustica. In emptionibus, inquit, sex fere res dominum legitimum perficiunt; si hereditatem iustam adiit; si, ut debuit, ab eo accepit, à quo iure ciuili potuit, aut si in iure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si vsu cepit, aut si è prada sub corona emit; tunc cum in bonis, sectione de cuius publice venit. Quibus verbis, Emptionum voce omnem dominij acquirendi modum videtur intelligere; quod si quo horum modorum esset partum, nihil à litibus fore periculi intellexit, quod à iure ciuili præstaretur. quod eò magis credo, quia docet etiam Pomponius lege de Statuliberis, emptionis verbo legem XII tabularum alienationem omnem esse complexam. dicamus autem figillatim de omnibus.

Hereditatem in Topicis Cicero definiuit pecuniam, quæ morte alicuius ad quem peruenit iure, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. quibus verbis res eum potius quam ius ipsum hereditarium esse complexum constat. Itaque assentior potius Iuliano iuriconsulto, qui hereditatem inquit, successionem esse in uniuersum ius, quod defunctus habuerit. Ius autem hereditarium est, quo quis quid, quia heres relictus est, possidet. Iusta autem hereditas, est legitima hereditas, quæ ad solos ciues Rom. iure ciuili peruenire potest. Etenim qui ciues Ro. non erant, nec testamentum facere, nec testamento testes interesse, neque ex testamento quicquam capere poterant, id quod in libris iuriconsultorum positum, grauissima etiam Ciceronis auctoritate video comprobatum. Is enim Archiam poetam ciuem Ro. fuisse eo argumento ostendit, quod hereditates adisset ciuium Ro. & Aebutius negabat Cæcinam Volaterranum, ut idem in defensione Cæcinæ ait, heredem Cæcinæ esse posse, quod Volaterranis ciuitas à L. Sylla dictatore esset adempta. cui ille respondit, Syllam ita tulisse de ciuitate Volaterranorum, ut non tolleret hereditates. iussisse autem, ut essent eodem iure, quo Ariminenses, quos constaret à ciuibus Rom. hereditates capere potuisse. atque hoc est quod in oratione pro domo Quiritium legitimum ius hereditatem vocauit.

De mancipatione vero hæc inuenimus. Sane quidquid per æs, & libram fiebat, nexus dicebatur. at præter cetera abalienatio, & obligatio fiebat, quarum illa mancipatione, hæc nexi datio dicebatur. ergo nomen nexus utriusque commune fuit. atque hoc ex Varronis libris de lingua latina cognoscitur, in quibus hæc verba sunt: *Nexum Manilius scribit esse, quod per æs, & libram geratur. in quo sunt*

*sunt mancipia. Scauola, quæ per æs, & libram fiant, ut obligentur, præterq; quæ mancipio dentur. hoc verius esse ipsum verbum ostendit. nam idem, quod obligatur, nec suum fit, inde nexum dictum.* Ex quibus apparet, duo esse iura inter se diuersa, ius mancipij, & ius nexi. Quod significauit Cicero, cum utrunque coniunxit ad Curium: *Attici te proprium esse scribis mancipio, & nexu, meum autem vsu, & fructu.* & de responsis: *Multa sunt in hac vrbe, atque haud scio, an fere cunctæ iure optimo, sed tamen iure priuato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipij, iure nexi.* Ius autem mancipij est ius dominij emptione acquisiti, ius nexi ius dominij oppigneratione, aut aliâ obligatione adepti. Quid autem mancipatione fuerit, docet Cicero in Topicis. *Abalienatio, inquit, est eius rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in iure cessione, inter quos ea iure ciuili fieri possunt.* Abalienatio enim genus est. cuius species est traditio nexu, id est mancipatione, & in iure cessione. cum autem nexus sit, quod fit per æs, & libram, ergo mancipatione est traditio alteri per æs, & libram, nexum obligatio per æs, & libram. Hoc autem quo modo fieret in mancipatione, exponit ibi interpres Boëtius: *Iure ciuili aliquid fieri non inter alios, nisi ciues Rom. potest, quorum est ius ciuile, quod XII tabulis continetur. omnes res, quæ abalienari possunt, id est à nostro ad alterius dominij transire, mancipi dictæ sunt. Mancipi vero res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus solemnitate fieret. Nexus vero est quedam iuris solemnitas, quæ fiebat eo modo, quo in Institutionibus Caius exponit. cuius hæc verba sunt; Mancipatio est imaginaria quedam venditio, quod ipsum ius Romanorum est ciuium, eaq; res ita agitur. adhibitis non minus quinq; testibus ciuibus Ro. puberibus, & præterea alio eisdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio; isq; mihi emptus est hoc ære, æneaq; libra. deinde ære percutit libram; idq; æs dat ei, à quo mancipium accipit, quasi pretij loco. quæcunque igitur res lege XII tabularum aliter nisi per hanc solemnitatem abalienari non poterat. Idem vero ostendunt etiam Varro & Festus. Varronis quidem hæc verba sunt in libris de lingua Latina: *Æs raudus dictum. ex eo in veteribus mancipijs scriptum, Raudusculo libram ferito.* Festi vero hæc: *Raudus vulgus in vsu habuit non modo pro ære imperfecto, sed etiam pro signato, cum dicitur in mancipando: Raudusculo libram ferito, id est asse tangito libram.* Idem inuinit Plinius lib. XXXIII, inquit: *Quin & militum stipendiorum, hoc est stipis ponderandæ pensatores, libripentes dicuntur. qua consuetudine in ijs emptionibus, quæ mancipij sunt, etiam nunc libra interponitur.* His adde, more fuisse receptum, ut auctor, id est, venditor nexu se dicis causa obligaret ad rem perpetuo mancipi, hoc est emptori præstandam. vnde Cicero in Murenæ defensione dixit: *Quod si in ijs rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum iudicij præstare debet, qui se nexu obligauit.* Qui autem mancipio vendebat, eum euictionis periculum in se recepisse, Plautus in Perfa ostendit, apud quem scriptum est:*

*Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur*

*Mancipio, neque promittet, neque quisquam dabit. & post:*

*Nihil mihi opus est litibus,*

*Nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus*

*Mercimonio? T O X. nihil periculi videtur, ne metuas,*

*Ne quis vero ex Arabia penitissima persequatur eam.*

De nexu autem sic scribit Festus: *Nexum est, ut ait Gallus, quodcunque per æs, & libram geritur, idq; nexi dicitur. quo in genere sunt hæc, testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum æs dicebatur pecunia, quæ per nexum obligatur. Obligatio vero nexi de qua scribit, in hunc modum fiebat: maniceps id est is, cui res abalienabatur, stipulabatur ab altero: DARE spondes? & alter respondebat; spondeo, simulq; dicis causa spondentem alligabat, ac necabat. Nexi liberationis hoc aptissimum credo, erit exemplum. Liuius de M. Manlio: Centurionem nobilem iudicatum pecuniæ cum duci*

vidisset, manum iniecit. inde rem creditori palam populo soluit, librâque, & are liberatum emittit. Ius autem nexorum proprium ciuis Rom. fuisse, Cicero ostendit, cum ait pro Cæcina, L. Sullam ita ademisse ciuitatem Volaterranis, vt nexa reliquerit.

In iure cessio: auctore Vlpiano, communis alienatio est, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fit per tres personas, in iure cedentis, vindicantis, addicentis. De ea vero ita scribit, credo, ex Caio Boëtius: *Cetera res quæ sui iuris erant, nec mancipi vocabantur. eadem vero in iure etiam cedebantur.* Cessio vero tali fiebat modo: apud prætorem populi Rom. is, cui res in iure ceditur, rem tenens, ita vindicat: *HVN C ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. deinde postquam hic vindicauerit, prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet. quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicauerit, eam rem addicit. idq; legis actio dicitur.* Varro autem loco citato videndum ait, an cesserit in iure, qui potuerit cedere, & ubi oportuerit, id est apud eum, apud quem legis actio sit.

Vfucapio est acquisitio per vsum legitimi temporis iure ciuili constituta. vnde Vlpianus: *Vfucapio est adeptio dominij per continuationem possessionis anni, vel biennij, rerum mobilium anni, immobilium biennij.* Hanc autem legem X II tabulis sumptam esse, multis argumentis demonstrari potest. vno, quod Cicero in or. pro Cæcina ait: *Lex vsum auctoritatem fundi iubet esse biennium.* & vtimur eodem iure in edibus, quæ in lege non appellantur. legem enim X II tabularum intelligit; altero, quod idem in primo de officiis ait: *Hostis apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII tabula: A D V E R S V M hostem æterna auctoritas esto.* Vnde etiam intelligitur, ius vfucapionis ciuis tantum Romani esse, peregrinum rem alienam possidendo vfucapere, id est vfu ius auctoritatis acquirere non potuisse. tertio, quod in X II tabulis rerum furtiuarum vfucapio inhibita est. quod idem etiam lege Atinia cautum est. in qua ita scriptum fuit: *Q V O D surreptum erit, eius rei æterna auctoritas esto.* de qua Gellius libro XVII; *Paulus legem Atiniam necessariam fuisse ait, vt caput, quod erat in XII prætermisum, adiungeretur. id autem fuit eiusmodi: F V R T I V A res non vfucapiatur, nisi in potestatem eius, cui subrepta est, reuertatur.* quarto, quod Cicero in secundo de legibus ait, lege X I I tabularum forum, id est vestibulum sepulchri, vfucapi non licuisse. Adde quod idem in primo scribit, in controuersia de finibus, X II tabulas vfucapionem intra quinque pedes esse noluisse, de quibus post lex Mamilia lata est, quam à tribuno pl. C. Mamilio, qui propterea Limitanus est appellatus, bello Iugurthino latam opinor. Duas autem res hæc lex complectitur ad vfucapionem necessarias, possessionem, & tempus. nam vsum vocat possessionem. vt tamen vfucapio sit, oportet nullam esse vfurpationem, id est nullam possessionis interruptionem, sed continuam possessionem, & vsum non interruptum fuisse.

Emptio sub corona quæ vim habuerit, docet Gellius lib. VI I, cuius verba recitabo: *Pileatos seruos veni ire solitos, quorum nomine venditor nihil præstaret. Cælius Sabinus iuris peritus scriptum reliquit. cuius rei causam esse ait, quod eiusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendendo debent, vt emptores errare, & capi non possent. neq; lex vendendi opperienda esset, sed oculis iam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus. sicuti, inquit, antiquitus mancipia iure belli capta coronis induta veniebant, & ideo dicebantur sub coronis venire. Namq; vt ea corona signum erat captiuorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat eiusmodi seruos venditari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret. Est autem alia rationis huius opinio, cur dici solitum sit, captiuos sub corona venditari, quod milites custodiæ causâ, captiuorum venalium greges circumstantent, eaque circumstantio militum corona appellata sit sed id magis verum esse, quod supra dixi, Cato quoque in libro, quem composuit de re militari, docet. verba sunt hæc Catonis: *Vt populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.* Hæc ex Gellio. Hinc sæpe etiam*

pe etiam Liuius: *Oppidum captum. ciues sub corona venierunt. & Cæsar: Omni senatu necato, reliquos sub corona vendidit.*

Ius auctoris earum rerum fuit, quæ publice per præconem sub hasta præfente, & addicente magistratu venderentur. in auctioibus enim ei, qui plurimum auget, res addicitur. & quoniã ex auctione illa dominium sibi iustum in eam rem comparant, hinc etiam auctoritas ius auctione quæsitum dicitur, & auctor is appellatur, à quo quis auctoritatem, id est ius dominij in quampiam rem accepit. Cicero VI I in Verrem: *Tum illi intellexerunt, se id, quod à malo auctore emissent, diutius obtinere non posse.* id est ab eo, qui vendendi nullam potestatem habebat. Inde enim auctoritas pro iusto dominij iure postea vfurpata est. quod ex iis, quæ ante recitauimus, exemplis cognosci potest. Ceterum, vt inquit Festus in epitomis: *Hasta subijcebantur ea, quæ publice vendebantur.* Vnde Cicero dixit in I I Philippica: *Hasta posita pro æde Iouis Statoris bona Cn. Pöpeij Magni, voci acerbissimæ subiecta præconis.*

Hæc igitur omnia fiebant iure ciuili. quoniam autem ius ciuile non nisi inter ciues Rom. esse potest, quorum est ius ciuile, propterea hæc eadem inter solos ciues Rom. fiebant. Dicit aliquis; an igitur inter peregrinos nulla erat ratio possessionis, & dominij? erat illa quidem, sed non iure ciuili, vt iam ostendimus. quid autem ex iure ciuili, commodi accedebat? nimirum, vt optimo iure possiderent, ac litium periculis vacui essent. neque enim patris institutio liberabat litibus, sed iusta, & legitima hereditas, id est quæ iure ciuili relicta esset. itemque in ceteris, quem locum diligentissime in oratione pro Cæcina à Cicerone esse video perpolitum, cuius hæc verba sunt: *Nihil est in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile, retinendum. etenim hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum aut quid alienum sit, nihil est quod æquabile, atque vnum omnibus esse possit.* Itaque in ceteris controuersijs, atque iudicijs, cum quæritur aliquid factum ne sit, verum, an falsum proferatur, & fictus testis subornari solet, & imponi falsæ tabulæ, nonnumquam honesto, ac probabili nomine bono viro iudici error obijci, improbo facultas dari, vt cum sciens perperam iudicari, testamentum, aut tabulas sequutus esse videatur. in iure nihil est eiusmodi, non tabulæ falsæ, non testis improbus, denique nimia ista, quæ dominatur in ciuitate, potentia in hoc solo genere quiescit. illud enim potest dici iudici ab aliquo non tam verecundo homine, quam gratioso. indica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, vel cogitatum. crede huic testi. has comproba tabulas. hoc non potest, cui filius agnatus sit, eius testamentum non esse ruptum. indica, quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi, non est aditus ad huiuscemodi res, neque potentia cuiusquam, neque gratia. denique quo maior hoc, sanctiusque videatur, ne pretio quidem corrumpi iudex in eiusmodi causâ potest. O rem præclaram, vobisq; ob hoc retinendam Recuperatores. quod enim est ius ciuile? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia posset? quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adseruatum erit, nihil est, quod quisquam se habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. quid enim refert, ædes, aut fundum relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene parum, si incertum sit, cum tua iure mancipij sint, ea possis ne retinere? si parum sit communitum ius? si ciuili, ac publica lege contra alicuius gratiam teneri non potest? quid, inquam, prodest, fundum habere, si quæ decentissime descripta à maioribus iura finium, possessionum, aquarum, itinerumque sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutarique possunt? mihi credite, maior hereditas venit vnicuique vestrum in iisdem bonis à iure, & à legibus, quam ab ijs, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam vt perueniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest, at vfucapio fundi, hoc est finis sollicitudinis, ac periculi litium non à patre relinquitur, sed à legibus. aqueductus, haustus, iter, actus à patre, sed rata auctoritas harum rerum omnium à iure ciuili sumitur. Hæc pro Cæcina. Huc autem eodem spectans dixit etiam pro Flacco: *Illud quæro sint ne ista prædia censui censendo? habeant ius ciuile? sint nec ne sint mancipi?*

*subsignari apud aerarium, apud cēsores possint? Ius autem ciuile alio modo ius Quiritium dictum est, quod satis aperte, cum hunc locum tractaret, ostendit Vlpianus tit. primo, his verbis: In bonis tantum alicuius seruus est, velut hoc modo si ciuis Romanus a ciue Romano seruum emerit, isque traditus ei sit, nec tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. nam quandiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est, ex iure Quiritium autem venditoris est.*

## De iure testamentorum.

## CAP. XII.



**Q**uo iure ciues Rom. viuentes bona sua possiderent, exposui. nunc quo in morte de iis statuerent, perquiramus. neque enim ius proprium in auctoritate solum acquirenda, sed etiam in relinquenda vsurparunt. Hoc autem vniuersum ius testamentorum continet. quæ & ipsa ad ciuis Ro. iura pertinuisse, inde intelligi potest, quod neque testamentum facere legibus Rom. neque aliquid testamento à ciue accipere, nisi ciuis Rom. potuit. Itaque Cicero cum Archiam in iure ciuium versatum esse cōtenderet, ea maxime ratione nisus est quod eum testamentum legibus Romanis, iis præsertim temporibus, quæ accusator criminabatur, fecisse affirmaret. & in oratione pro domo, cum sui etiam in exilio, vt ciuis, habitam esse rationem, rogatione Clodia neglecta, ostendere vellet, dixit: *Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & si ad-sserem?* Huius autem totius testamentarij iuris rationem è XII tabularum fonte manasse, satis constat. fuit enim lex in iis eiusmodi, quod in Rhetoricis ad Herennium, & de Inuentione, itemque apud Pomponium, Vlpianum, & Iustinianum inuenitur, quanquam apud alios plenius, alios vero exilius, sed omnes fere in hunc modum: **PATER FAMILIAS VTI LEGASSIT SVPER FAMILIA, TVTE LA VE SVAE REI, ITA IVS ESTO.** Quibus in verbis illud primum attendendum est, non cuii bet legandi potestatem lege permitti, sed patrifamilias tantum, id est ciui Rom. qui è patris potestate exierit. hunc enim illi patrem familias appellarunt. itaque filios familias esse exclusos, vsque adeo vt Cicero etiam in Topicis, *mulierem, quæ se capite non diminuisset*, id est, quæ emancipata non esset, *si testamentum se-isset, secundum eas tabulas possessionem ex edicto prætoris dari nõ posse* concluderit. Quod autè **VTI LEGASSIT** scriptum est, legare sumptum videtur pro eo, quod iurisconsulti dicunt *Testari*, cū de vltimis loquuntur voluntatibus. Quo fit, vt hac lege patrifamilias & heredem instituere, & legatum relinquere, & libertatem dare, & tutorem instituere possit. immo vero hac lege latissimam potestatem dandi legata, & libertates tributam, Pomponius aperte interpretatur, sed fuisse alibi postea legibus angustatam, & contrictam. Leges autem intelligit, Furiam de testamentis, cuius meminit Cicero in oratione pro Baibo, & in Prætura vrbana, quam latam esse legis XII tabularum coercendæ causâ, *qua vti quisque legasset suæ rei, ita ius erat*, idem Iustinianus refert. ea vero fuit: *Ne cui nisi manumissoris cognato, certisq; alijs personis supra mille asses legare, mortisq; causâ donare liceret. quod si quis maiorem summam sibi legatam accepisset, quadruplum eius, quod plus, quam licebat, accepisset, redderet.* intelligit etiam Voconiam, quam **Q. Voconius** tribunus pleb. anno **D L X X X I I I** tulit, **Cæpione**, & **Philippo** cos: *Ne quis census virginitatem, ne de mulierem supra quadrantem suorum bonorum heredem institueret, pliusque cuiquam legaret, quam ad heredem, heredesve perueniret.* cuius legis Dio lib. **LVI**, Gellius lib. **XVII**, Liuius lib. **XLI**, Cicero sæpe meminerunt. intelligit etiam Falcidiam à **P. Falcidio** tribuno pl. anno **D C X I I I**, **Domitio**, & **Asinio** cos. latam, cuius hæc capita memorantur: **QVI CIUES ROM. SUNT, QUI EORUM POST HANC LEGEM ROGATAM TESTAMENTUM FACERE VOLET, IUS POTESTASQUE ESTO, VT HAC LEGE LICEBIT. Quicumque ciuis Rom. post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique ciui Rom. pecuniam**

iure

*iure publico dare, legare volet. ius potestasq; esto, dum ita detur, legetur, vt ne minus, quam quartam partem hereditatis ex eo testamento heredes capiant. eis, quibus ita datum, legatum erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto. isq; heres, qui eam pecuniam dare iussus damnatusve erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est. si quis aliter, quam hac lege liceat, pecuniam dederit, legauerit, heredi quartam partem eius pecunie, quæ data, legata erit, ex eo testamento retinere liceto.* Hæc Paullus D. ad legem Falcidiam. Dio vero lib. **XLVIII** cautum ait; *Vt heres quartam partem bonorum sibi relictorum, si grauius oneratus sit legatis, accipiat, cetera legatarijs relinquat.* Postremo intelligit etiam **Furiam Caniniam** de manumittendis seruis Augusto item rerum potente latam; *Vt in testamento ex tribus seruis non plures quam duos manumitti liceat, si plures essent, certus alius modus seruetur.* quam loco magis idoneo referemus. Quod autem ait, **ITA IVS ESTO**, eam vim habet, vt cum testamentum sit iusta sententia, siue constitutio de eo, quod post mortem nostram fieri velimus, ne hæc voluntas, tum cum possessione exierimus, infirmetur. quasi enim hoc reip. interesset, supremas voluntates ratas esse lex voluit. vnde **Papinianus** lib. **II** de testamentis, iuris publici esse testamenti factionem dixit. & **Vlpianus** de verborum significatione admonuit, non improprie nos dicere posse, *lege obuenire hereditatē, quæ ex testamento deferretur, quia lege XII testamentariæ hereditates confirmantur.*

Iustam autem sententiam testamentum definiunt, quod certis iuris solemnibus constet. cuius rei ratio triplex ab antiquis vsurpata fertur. **Gellius** enim ex **Lælio Felice**, tria genera testamentorum fuisse tradit, *vnnum, quod calatis comitijs in concione populi ferretur, alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur, tertium per familiæ emancipationem, cui æs, & libra adhiberetur.* De duobus prioribus sic **Theophilus** libro **I** Institutionum: *Duo erant apud veteres testamentorum genera, vnnum, quod calatis comitijs fiebat, & dicebatur, alterum quod in procinctu. testamentum calatis comitijs tempore pacis fiebat, bis in anno, hoc modo: præco vniuersam circumibat ciuitatem, populum conuocans. tumq; qui testamentum condere volebat in concione populi ipso teste populo testamentum scribebat. ex quo etiam dictum est, calatis comitijs. nam calare est vocare. comitia vero populi congregatio. quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est testamentum calatis comitijs.* Secundi meminit **Plutarchus** in **Coriolano**, ex quo ipsum **XII** tabulis antiquius fuisse apparet. *Fuit autem, inquit, illis temporibus mos apud Romanos, vt in aciem procedentes, antequam scuta caperent, & togis se præcingerent, tribus, aut quattuor audientibus, simul sine scriptis testamenta facerent, atque heredes nominarent.* vnde **Velleius** libro **II**: *Faciuntibusq; omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundem foret, Merellus non deterritus proposito, quem moriturum miserat, victorem recepit.* & **Cicero** libro primo de oratore: *Ac se tanquam in procinctu testamentum faceret, sine libra, atque tabulis populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati.* Eiusmodi vero testamenta suo tempore periisse, significauit idem libro secundo de natura deorum, cum scripsit: *Sed negligentia nobilitatis auguriorum disciplina omissa, veritas auspicioꝝ spreta est. species tantum retenta. itaque maximæ reip. partes, in his bella, quibus reip. salus continetur, nullis auspicijs administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur. ex quo in procinctu testamenta perierunt.* In procinctu vero significat, auctore **Festo**, *cum ex castris in prælium exitum est, procinctos, quasi præcinctos, atque expeditos. nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur.* De tertio loquitur **Festus**, cum inquit scriptum fuisse in **XII** tabulis: **QVI NEXVM FACIET, MANCIPIVM Q. VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO.** Item: *Nexum fuit quodcumque per æs, & libram gereretur, vt testamenti factio.* Fuit autè testamentum per nexum, quod fiebat adhibito libripende, & eo, qui familiæ emptor dicebatur, cum quinque testibus, familiæ autem emptor imaginarius, siue fiduciarius, adhibebatur, qui deinde heredi vero, tanquam legatario, hereditatem restituebat. Atque hoc ipsum etiam

e 4

voluit

voluit Plutarchus, cum in libro de sera dei vindicta dixit, *Romanos, cum testamentum conscribunt, alios heredes relinquere, alijs vero patrimonium ipsum vendere. id quod parere ratione videatur.* Quo modo autem testamentum fiebat per æs, & libram, sic etiam soluebatur, quod his verbis ostendit Cicero, quæ sunt in II de legibus. *Hoc vero est è medio iure civili, ut per æs, & libram heredem testamenti soluant, & eodẽ loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset.* Formula vero testamenti nuncupandi hæc ab Vlpiano traditur institutionum cap. XX. *Tabulas testamenti testator tenens ita dicit: Hæc uti in his tabulis ceris de scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbitote.*

De iure Tutelarum. CAP. XIII.



**Q**UONIAM autem, dum testamentorum iura persequeremur, tutelarum etiam iuris fecimus mentionem, non videtur ab instituto nostro alienum, ut separatim aliquid hoc loco de tutelis etiam, & earum generibus exponamus. Tutelam ergo definiunt veteres iuriscōsulti, à quibus magna huiusce disputationis nostræ pars emanauit, *Vim, ac potestatem in caput liberi ad tuendum, qui propter ætatem sua sponte se defendere nequit, iure civili datam, ac permissam.* Tutores autem, qui liberis impuberibus dantur, ut illorum res administrant, quoad pubertatem inierint. Hi vero nihil aliud sunt, quàm qui vocantur pupilli. nimirum, qui cum impuberes sint, defierunt in patris potestate esse aut morte, aut emancipatione. Tutelam autem, *tutoris in rem pupilli potestatem* ita esse asserunt, *ut eius rationibus seruiat.* unde Cicero dixit in primo de officiis, *Ut tutelam, sic procuracionem reip. ad utilitatem eorum, qui commisi sunt, non ad eorum quibus commissa est, esse gerendam.*

Esse porro tutoris dandi ius, ut cetera, quæ supra collegimus, ciuis Rom. proprium, illud argumento est, quod à lege XII tabularum est profectum. & quod si tutores, aut pupilli ciues Rom. esse desiissent, tutela tolleretur. Neque tamen ita de tutelis XII tabulis cautum est, ut non multo etiam ante Romæ hoc ius obseruatum vel lege, vel more sit. siquidem Ancum Marcium regem L. Tarquinium liberis suis tutorem reliquisse in Liuij, & Dionysij annalibus legimus. In XII autem de tutelis scriptum extat ita, ut supra rettulimus; **PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT SUPER PECVNIA, TUTELE REI SVÆ, ITA IUS ESTO.** Quem locum, credo, interpretans Caius, cap. primo de testament. tutelis, *Legge, inquit, XII tabularum permissum est parentibus liberis suis, siue feminis siue maribus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare.* Hoc autem idem tradit etiam Paulus cap. XX. *Testamento, inquit, quemlibet possumus tutorem dare, siue is prætor, siue consul sit, quia lex XII tabularum id confirmat.* quin etiam sequenti capite addit, *eum demum tutorem dari posse, cum quo testamenti factio est.*

Quibus ex rebus perspicue intelligitur, tutoris dandi ius partim ex testamenti iure, partim ex patriæ potestatis iure pendere, ut quamuis pater priuatus sit, tamen tutorem per legem ex testamento relinquere liberis suis possit. Quod si testamento pater nullum forte tutorem dederit, tum lex dat eum, qui legitimus tutor vocatur. Etenim agnatum proximum, ut heredem, sic etiam tutorem esse iubet. Vnde Vlpianus de legitima tutela, *legitime tutela, inquit, lege XII tabularum agnatis delata sunt, & consanguineis.* Item: *Legitimos tutores nemo dat, sed lex XII tabularum fecit tutores.* Quod si neque testamentarius, neque legitimus adfit tutor, tum datur ab eo magistratu, cui tutoris dandi ius lege mandatum est, ut à prætore urbano, & consulibus. Vnde nota vox illa est prætoris Verris apud Ciceronem: *Pupillos, & pupillas certissimam esse prædam prætoribus.* & illud Capitolini: *M. Antoninum Imp. primum fecisse prætorem tutelarem, ut diligentius de tutoribus tractaretur, quam antea tutores à consulibus poscerentur.*

Addo

Addo etiam, quod ad iura tutelarum maxime videtur pertinere, mulieres apud Romanos in perpetua tutela fuisse. Quod sensit Cicero, cum pro Murena dixit: *Mulieres propter infirmitatem consilij maiores in tutorum potestate esse voluerunt.* & M. Cato apud Liuium in concione de lege Oppia: *Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt.* Narrat autem Vlpianus titulo XI, lege Atilia sancitum, ut mulieribus, & pupillis tutores non habentibus à prætore, & maiore parte tribunorum darentur. Quam legem latam ante Philippum, & Albinum coss. anno DLXVII, inde conicio, quod in eius anni historia referenda Liuius de Hispala libertina ita scribit: *Quin eò processerat consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore à tribunis, & prætore petito, cum testamẽtum faceret, vnum Acbutium institueret heredem.* Huic autem post, pro bacchanalium indicatorum præmio, S. C. cõcessum scribit Liuius, ut tutoris optio nem ita haberet, quasi ei vir testamento dedisset. sed de hac re, vbi de iure libertinorum agemus, pluribus differemus.

Hæc autem, quæ hæcenus diximus, ad ius ipsum Quiritium, quo maxime priuata ciuium Rom. iura comprehensa sunt, breuiter demonstrandum, satis, ut opinor, valebunt. quod à Plinio significatum puto, cum dixit: *Cassius Hemina ex antiquis auctor est, primum è medicis venisse Romam è Peloponneso Archagatum Lysania filium, L. Aemilio, M. Liuiio coss. anno Urbis DXXXV, eiq; ius Quiritium dedit.*

De iure census. CAP. XIII.



**N**ON reliquum est, ut quemadmodum polliciti sumus, iura ea, quæ publicam potius rationem, quàm priuatam attingunt, exequamur: quæ quanquam multa sunt, tamen quia omnia ferè à censu ducuntur, videtur faciendum, ut ante de censu, post de ceteris, disputemus. Censum autem Ser. Tullius rex in remp. intulit, atque ut hoc modo ageretur, instituit. Populum vniuersum iureiurando adactum fortunarum suarum æstimationem apud se profiteri iussit. qua cognita eundem in sex classes, & centum tres ac nonaginta centurias ita distribuit, ut in primas centurias, qui maximo essent censu coniecerit, in reliquas vero deinceps qui minore, seruato eo censu, & centuriarum gradu; quem supra in classibus, & centuriis exponendis, ostendi. Inde vero censendi mansit institutum, ut ciues omnes in sua quisque tribu, classe, centuria, iureiurando dato, apud eum, penes quem ius censendi populi esset, nomina sua, vxorum, liberorum, libertorum, seruatorumq; suorum profiterentur. præterea ætatem omnium, regionem, quam habitarent, & fortunarium suarum æstimationem deferrent. Hoc autem ius primum regum, deinde consulum, & dictatorum, postremo proprio ad id magistratu creato, censorum fuit. Itaque Seruius quater censum egit, quintum P. Valerius, & T. Lucretius consules anno post reges exactos secundo, sextum decennio post T. Lartius dictator. Cum autem consules post quater, interiectis temporibus, populum censuissent, neque continentibus bellis gerendis occupati per annos vndecim ei muneri vacare potuissent, tum anno demum CCCX ab vrbe condita censes à populo creati L. Papirius, & L. Sempronius id negotij susceperunt, atque censum, iustrumq; XI condiderunt. Itaque post semper censoria cura fuit, ut, cum tribus recognoscerent, singulorum in singulis tribubus censum perspiceret. quod cum ex multis alijs locis, tum maxime ex censura Neronis, & Salinatoris cognosci facile potest.

Hic autem census duas opportunitates reip. attulit omnium, meo iudicio, maximas. nam & numerum eorum, qui arma ferre possent, ostendit, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum sumptus sustinebantur, indicauit. Etenim quod ad capita censenda pertinet, non solum ciues omnes censeri consueuisse, sed etiã, si quis, qui non esset ciuis, nomen suum clam in censorias tabulas referendum curasset,



passet, ea re ciuitatem adeptū esse comperio. Quocirca in Sextiana Cicero de Sex. Atilio Gauiano, qui in tabulas censorias nomen suum furtim intulerat, ita inquit; *Alter vero non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gauij Oleli horreo, calatis granis, in Calatinos Atilios insatus, subito nominibus in tabulas relatis nomen suum de tabula sustulit.* Et idem, cum Gracchus propterea ciuem Romanum esse Archiam negaret, quod eum Romæ censum non inueniret, ad causam, quàm ad veritatem aptius respondit, censum non ius ciuitatis confirmare, sed qui sit census, ita se iam tum gessisse pro ciue, ostendere. quinetiam Liuius per bellum Persicū, multos Latinos in ciuitatem Rom. per migrationem, & censum transisse ait. atque etiam seruos, cum consensu domini deferebant nomen in censum, vnà cum libertate ciuitatem consequutos esse, supra ostendimus. Profitebantur autem nomen suum in censu omnes, atque omnium, quos in potestate haberent. verum censores in summa ciuium subducenda eos tantum numerasse, qui ferre arma possent, Fabius Pictor prodidit. de quo ita Liuius scribit in primo censu referendo, quem Ser. Tullius fecit: *Censa LXXX milia ciuium dicuntur. adijcit scriptorum antiquissimus Fabius, eorum qui ferre arma possent, eum numerum fuisse.* Quem numerum si quisquam, vt illis præsertim temporibus, immodicum iudicaret, is tum denique, opinor, acquiescet, cum Romulum morientem XLVI milia peditum, & paulo minus, quàm mille equites reliquisse, à Dionysio, & Plutarcho acceperit. & cum post aliquot annos, regnante Hostilio, Albæ vr̄bis excidio Albanis omnibus in ciuitatem acceptis, duplicatas esse Romanorum vires intellexerit. Hos autem esse, qui puberes essent, Dionysius indicat, cum singulis in censibus primorum temporum referendis, puberum capita censa scribit. Nam censu quinto, qui factus est anno secundo ab exactis regibus, censa ait puberum ( sic enim vertimus, quos ille vocat ἐν ἄβῃ ), ad centum triginta millia; & censu sexto centum quinquaginta millia, ac septingentos; & censu septimo, supra centum decem millia; & octauo, paulo plures, quam centum tria millia. Quin etiam quodam in loco ex hoc numero pueros aperte, & feminas omnes, & seruos, & mercatores, & opifices excludit. si quidem de censu septimo ita scribit: *Ciuium tum, qui puberes essent, supra centum decem millia erant, vt proximo censu compertum fuerat; mulierum autem, & puerorum, seruorumq; , & mercatorū, & sordidas artes exercentium ( si quidem Romanorum nemini cauponariam, aut operosam artem tractare licuit ) triplo plus, quàm turbæ ciuiliis.* & de octauo censu ita: *Ciuium, qui se, & bona, & puberes filios in censum detulerunt, paulo plus, quam centum, & tria millia fuerunt.* Nomine autem puberum tam seniores, quàm iuniores esse comprehensos, idem ille ostendit, cum de quinto censu ita loquitur: *T. Lartius dictator censum egit. quo inuenta sunt Romanorum, qui in pubertate essent constituti, amplius CL millia, & septingenti.* Itaque cum eos qui militari ætate essent, à senioribus secreuisset, atque centuriasset, peditum, & equitum quattuor partes fecit. Aetatem autem militarem à XLVI anno vsque ad XLVI, ex Seruii instituto, eisdemq; etiam iuniores, vt post eam ætatem seniores, appellarunt. Hi vero non tam urbani erant, quàm rustici, & ex rusticis non solum, qui agrum Romanum incolabant, sed etiam, qui extra agrum Romanum, vel publicum vel priuatum agrum ciues Romani in Latio, atque adeo in Italia possidebant, vel negotij gerendi causa extra Italiã habitabant. vnde dixit Liuius bello Persico, *multitudinem iuniorum ingentem ex foris, & conciliabulis esse conscriptam.* Aliquando etiã Latini clam Romæ censi sunt, sed re patefacta, in suas ciuitates statim edicto redire iussi sunt. quod demonstrat Liuius eodem in bello his verbis: *Lustrum conditum. censa sunt ciuium capita CCLXIX millia. minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudij cos. redire in ciuitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur.* Præsertim præterea censeris opus erat, nisi si censores etiam absentibus censendi facultatem permisissent, vt Nero, & Salinator, de quibus Liuius: *Lustrum serius conditum est, quia per pro-*

uincias

*uincias dimiserunt censores, vt ciuium Romanorum in exercitiis, quantus vbique esset, referretur numerus.* P. etiam Scipionem Aemilianum censorem in oratione ad populum de moribus hæc posuisse, auctor est Gellius: *Absentibus censeris iubere, vt ad censum nemini necesse sit venire.*

Census autem fortunarum eam habuit vim, vt singuli patresfamilias singula prædia, & urbana, & rustica in censu deferrent, pecuniæ summam, seruorum, pecudumq; numerum, fundorum instrumenta sigillatim profiterentur. Hoc enim veterum historiarum exempla declarant. Liuius lib. septimo: *Quia solutio aris alieni multarum rerum mutauerat dominos, censum agi placuit.* & de Catone censore: *In censibus accipiendis aspera in omnes censura fuit. ornamenta, & vestem muliebrem, & vehicula, quæ pluris, quàm quindecim millium aris essent, in censum referre viatores iussit. item mancipia minora annis xx, quæ post proximum lustrum x millibus aris, aut eo pluris venissent, vt ea quoque decies pluris, quàm quanti essent, æstimarentur. & his omnibus terni in millia aris attribuerunt.* & Cicero in Planciana: *Illud quaero, sint ne ista prædia censui censendo, subsignari apud ærarium, apud censorem possint? in qua denique tribu ista prædia censuisti? census es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta millia. census es mancipia Amyntæ.* & P. Scipio Aemilianus in oratione de multa cõtra Ti. Afellum, ex Gellio: *Tu in vno scorto maiore pecuniam absumpsisti, quàm quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicauiisti.* Quin etiã Vlpianus Pandectarum titulo de censibus, non aliam fuisse censendi rationem demonstrat. *Forma censuali, inquit, cauetur, vt agri sic in censum referantur. nomen fundi cuiusque, & in qua ciuitate, & in quo pago sit. & quos duos vicinos proximos habeat. & aruum, quod in x annos proximos satum erit, quot iugerum esse videatur. vinea quot vites habeat. oliuetum quot iugerum, & quot arbores habeat. pratium quoque, quod intra x annos proximos sectum erit, quot iugerum pascua esse videantur. item sylua cædua. Omnia ipse, qui defert, æstimet. Illam enim æquitatem debet admittere censor, vt officio eius congruat, releuare eum, qui & in publicis tabulis, delato modo frui ex certis causis non possit. quare etsi agri portio casmate perierit, debet per censorem releuari.* Postremo Liuius quoque vbi de censoribus Nerone, & Salinatore scribit, ita scribit: *Duodecim coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus coloniarum censoribus censum receperunt, vt quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent.* Quo factum est, vt Varro recte dixerit, censorem esse, ad cuius censionem, id est arbitrium censeretur populus; & Festus, censores dictos, quod rem suam tanti quisque æstimare solitus sit, quantum illi censuerint. Etenim censores sæpe censem multiplicabant, vt ante de Catone Liuius, & alio loco de iis, qui octuplicato censu M. Aemilium dictatorem ærarium reliquerunt.

Moris autem fuit, primū, vt in foro, deinde in villa publica, quæ erat in capō Martio census ageretur. quæ morè à Cæsare labefactatū ostēdit Suetonius, cum ait: *Recensum nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit; ac ne qui noui cœtus recensiois causa moueri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorū locum ex ijs, qui recensiti non essent, sub sortitio à prætore fieret.* Pœna incensi maxima fuit. is enim publicatis bonis, lege Ser. Tullij, verberatus venibat, vt inquit Dionysius. Quocirca Zonaras, qui se, aut bona sua in censum non detulissent, ipsos à consulibus, bona à censoribus venūdata scribit. & Vlpianus *maximam capitis minutio- nem esse, per quã ciuitas, & libertas, amittitur,* ait, *vt cum incensus aliquis venierit.*

De iure militia. CAP. XV.



**R**GO cum ex censu commoditates duæ præcipue parentur, quibus bellorum propè quotidianorum rationes, & copiæ sustinerentur, vnum delectus, alterum tributorum, danda nobis opera est, vt primum de delectu, id est de ipso iure militiae disputemus, deinde quid de tributis in bellum conferendis inuenerimus, exponamus.

Quoniam

Quoniam autem ius militiæ nihil est aliud, quàm ius legionis, (in hac enim soli ciues Romani, in auxiliis Latini socij meruerunt) primum quid, & quanta legio fuerit, ac quibus è ciuium generibus scripta sit, ostendamus, deinde eius scribendæ rationem, ac summa conscriptorum ciuium iura patefaciamus. Vniuersus Romanus exercitus in duas partes fuit diuisus, legiones, & auxilia. Legio certa peditum, equitumq; manus fuit, Varrone, & Plutarcho auctoribus, à delectu fortissimorum militum appellata. Ea vero iam inde à Romulo rege instituta est trium millium peditum, & trecentorum equitum. ex singulis enim tribubus mille conscripti sunt pedites, & centeni equites. Vt autem pedites in cohortes, equites in turmas distributi, sic cohortes in manipulos, turmæ in decurias, manipuli in centurias. Quoniam autem legionem à Romulo acceptis in ciuitatem Sabinis auctam scribit cum Dionysio Plutarchus, propterea eandem etiam à Romulo ad quattuor peditum millia redactam existimauerim. quæ inde Quadrata legio dicta est, auctore Festo. Subsequentibus vero temporibus pro vsu reip. & senatus arbitrio variatum, vt legio modo quattuor, modo quinque, modo sex millium peditum, itemque modo ducentorum, modo trecentorum equitum scriberetur, L. Liuius potissimum testi credo. is enim Volscis bello, quattuor legiones quaternum millium scriptas prodit, bello Gallico, non vrba tantum, sed etiam agresti iuuentute decem legiones scriptas, quaternum millium & ducentorum peditum, equitumq; trecentorum ait. bello Latino, per ea tempora scriptas quattuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecentis, alterum tantum ex Latino delectu adici solitum. bello Punico, Sempronio duas legiones datas, ea quaterna millia fuisse peditum, & trecentos equites. item exercitum ciuium, sociorumq; minui iussum, vt ex duabus legionibus vna legio quinque millia peditum, & trecenti equites essent, dimissis, qui plurima stipendia haberent, & sociorum septem millia peditum, & trecenti equites relinquerentur. bello Persico: *Legiones quattuor nouas scribi placuisse, binas singulis consulibus. Id præcipue prouinciæ Macedonia datum, quod cum alterius consulis legionibus quina millia, & ducenti equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedonia sena millia peditum scribi iussa, equites trecenti equaliter in singulas legiones. item: In Macedonia peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia, equites Rom. CCL, socios CCC, veteres milites dimissos, ita vt in singulas Romanas legiones ne plus sena millia peditum, CCC equites essent. Alteri consuli nullum certum finitum numerum ciuium Romanorum, quem in supplementum legeret. id modo finitum, vt duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducentos haberent, equites trecentos. Peditum Latiorum maiorem, quàm collegæ decretum numerum, peditum X millia, & DC equites. quattuor præterea legiones scribi iussas, quæ, si quò opus esset, educerentur. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, CCC equites decretos. Finitum ibi quoque in legiones militum numerum, peditum quina millia, trecentos, & XXX equites, & post, exercitum ad colligam primo quoque tempore mittere in Macedoniam consulem iussum, neque in ea prouincia plus quàm duas legiones esse, eas repleri, vt sena millia peditum, trecentos haberent etiam equites.* Ex quibus locis satis intellectum puto, senum millium numerum adhuc nisi extra ordinem non esse decretum. Nam Polybius etiam, qui post bellum Persicum cum P. Aemiliano vixit, legiones conscribi memoria sua ex quinis millibus peditum, & trecentis equitibus rettulit. & Festus C. Marium primum legionem sex millium conscripsisse testatur. quod non senatus decreto, sed imperatoris consilio factum ostendit Sallustius, cum ait: *Ititur Marius cum aliquanto maiore numero, quàm decretum erat, in Africam profectus.* Vnde legio sex millium fuisse à multis traditur, quod hic maximus eius numerus stante rep. fuerit. Atque de magnitudine quidem legionis hæc hætenus.

Observatum est præterea, in legione nisi ingenuos, & ex ingenuis nisi iuniores,

& ex

& ex iunioribus nisi qui in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, ordine non esse centuriatos. ex quo sequitur seruos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus reip. esse vocatos. Id quod ex annalibus Liuij facile intelligitur. vt bello Punico: *Q. Fuluius, Ap. Claudius consules, cum egre delectum confecerent, quòd inopia iuniorum non facile in vtrumq; vt & nouæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus abstinere eos incepto vetuit, & triumuiros binos creari iussit, alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis, forisq; & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent. & si quis roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiam si nondum ætate militari essent, facerent. Tribuni pl. si ijs videretur, ad populum ferrent, vt qui minores septem, & decem annis sacramento dixissent, ijs perinde stipendia procederent, ac si septem, & decem annorum, aut maiores milites facti essent. ex hoc S. C. triumuiri bini acquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.* & L. Valerio quartum, M. Camillo, M. Aemilio tribunis militum consulari potestate: *Omnium primum tribunis militum fuit delectum haberi. nec iuniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, vt vrbs custodiam agerent.* & bello Samnitico, Etrusco: *Senatus institutum in dici, delectum omnis generis hominum haberi iussit. nec ingenui modo, aut iuniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertiniq; centuriati.* & Punico bello: *Et aliam formam noui delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit. octo millia iuuenum validiorum ex seruitijs, prius siscitantes singulos, vellent militare, emptæ publice armauerunt.*

Quoniam autem mos, vt opinor, increbuerat, vt minores annis septemdecim aliquando scriberentur, propterea C. Gracchus in tribunatu legem, teste Plutarcho, tulit, ne quis ante annum decimum septimum ad militiam cogeretur. quæ ætate qui conscribebantur, tirones, vt contra, qui legitima omnia vel certe plurima stipendia confecerant, veterani dicebantur. Vt autem ceteros extra ordinem militare coactos, sic etiam tenuissimum hominum genus, capite censos aliquando esse conscriptos animaduertimus. id autem à C. Mario factum est, de quo ita Sallustius: *Marius milites scribere non more maiorum, neque ex classibus, sed vti cuiusque libido erat, capite censos plerosque. Id factum alij inopia bonorum, alij per ambitionem consulis memorabant, quòd ab eo genere celebratus, auctusq; erat. & homini potentiam quærenti egentissimus quisque opportunissimus.* Quibus ex locis apparet, ingenuos tantum, eosque iuniores ordine, reliquos vero extra ordinem militasse.

Nunc illud addo, neq; ingenuos omnes fuisse conscriptos. siquidem histriones omnes præter Attellanos à stipendiis militaribus repulsos libro septimo tradidit Liuius. Neq; vero hi solum extra ordinem, sed qui emeritis etiam erant stipendiis, sæpe ad arma vocati sunt. hos enim scribit Sallustius Marium ambiendo secum proficisci coegisse. Emeritis autem stipendiis dicebantur, qui legitima stipendia confecerant omnia. legitima vero stipendia equiti decem annorum fuerunt, pediti sex, aut, si honores petere vellet, decem, intra annum decimum sextum, & quadragesimum septimum ætatis ex lege necessario conficienda. quod Polybius aperte scribit, & lex Tullia indicat, quæ iuniorum ætate annis triginta definiuit, quos militare coegit. Quod spectans Sallustius, Cæsarem dictatorem admonet, vt videat, ne, vti adhuc militia iniusta, aut inæqualis sit, cum alij triginta, pars nullum stipendium faciat. Qui vero emeritis stipendiis rursus militare cogebantur, ij, auctore Dione, Euocati dicebantur. Atque de eorum quidem, qui in legione militarent, generibus hætenus disputatum sit. nunc de ipsa conscribenda legione dicamus.

Designatis consulibus, vt scribit Polybius, tribunos militum quattuor, & viginti legebat, quattuor quidem, ac decem ex iis, qui stipendia quinque haberent; decem vero ad hos, qui decem. Creatis tribunis cum delectum habituri consules erant, diem

f edi

edicebant, qua omneis militari ætate præditos conuenire oporteret. quæ ubi aduenit, omnes in Capitolium coibant. Tum iuniores tribuni iussu populi, imperatorumve quattuor in partes distribuebantur. ac qui primi lecti erant, primæ legionis præficiantur; tres qui deinceps, secundæ; quattuor subsequentes tertiæ; tres ultimi quartæ. ex iis autem, qui natu grandiores erant, duos primos præponebant, tres secundos secundæ, duos subsequentes tertiæ, tres vitimos quartæ. Hac diuisione facta, singuli tribuni seorsum sedentes tribus sigillatim fortiebantur, eamque quæ sorte exierat, citabant. unde iuniores quattuor ætate, & corporis habitu similes excernerent. quibus prodeuntibus, primum primæ legionis tribuni, deinde secundæ, inde tertiæ, postremo quartæ, atque ita deinceps cooptabant. Vbi vero certum numerum fecerant, (erat autem, vt dixi, modo quattuor millium ac ducentorum, modo quinque millium, si durior esset fortuna reipub.) tum equites designabāt. quos olim post pedites, inde vero ante pedites legere cœperunt, quod ex censu à censoribus legerentur, ac trecenos singulis legionibus adiiciebant. Hac descriptione perfecta, tribuni suos quisque in suas legiones vocantes, vnum ex omnibus maxime idoneū lectum, iureiurando obstringebāt, se, quoad posset, mandata ducum executurum. inde reliqui omnes procedentes, singuli se omnia facturos in verba primi iurabant. Quo facto, indicto militibus ad conueniendum loco, eos dimittabant.

Hæc ferè Polybius sua ætate obseruata refert, quæ cum ipsius auctoritate, quæ summa est, tum vero aliorum etiam scriptorum, quorum monumenta contemneri nec possumus, nec debemus, satis certo testimonio video supra illius ætatem etiam obseruata: Liuius libro secundo: *Dimisso senatu consules in tribunal ascendunt. citant nominatim iuniores. cum ad nomen nemo responderet.* libro quarto: *Delectum haberi non ex toto passim populo placuit, decem tribus sorte ductæ. ex his scriptos iuniores duo tribuni ad bellum duxere.* libro septimo: *Acerbitas in delectu non damno modo ciuium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis inuisa erat.* libro quadragesimo secundo: *Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque, & multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut aduersus Antiochum in Asia stipendia fecerant. cum tribuni militum centuriones, sed primum quinquaginta citarent, tres, & viginti centuriones, qui primos pilos dederat, citati tribunos plebis appellarunt.* Minoris multæ ratio in hoc genere fuit, vt inquit Varro apud Gellium: *M. Terentio quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei ouem vnum multam dico.* Item, vt inquit Cato: *Imperator, si quis extra ordinem deignatum iuit, ei multam facit; maioris hæc, de qua Valerius; M. Curius consul cum subitum delectum edicere coactus esset, & iuniorum nemo respondisset, coniectis in sortem omnibus, Pollia, quæ proxima exierat, primum nomen vna extractum citari iussit, neque eo respondente bona adolescentis hæc subiecit.* Festus: *In delectu primi vocabantur boni nominis, vt Saluus, Valerius, Scatorius.* Cicero de diuinatione: *In delectu consules obseruant, vt primus miles fiat bono nomine.*

Atque hæc quidem de citandis, conscribendisque militibus exempla satis sunt. de militum vero sacramento hæc, vt opinor, erunt, quæ dicuntur. cuius formulam animaduertimus apud Gellium hanc fuisse, ab eo ex libro Cincij de re militari quinto relatam: *Cum delectus antiquus feret, & milites scriberentur, in iurandum eos tribunus militaris adigebat, hoc modo: In magistratu C. Lælij C. F. consulis, L. Cornelij P. F. consulis, in exercitu, decemque millia passuum propè furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos extra hastam, hastile, ligna, pabulum, vitem, follem, faculam, si quid ibi inueneris, sustuleris, ue, quod tuum non erit, quod plus nummi argentei erit, vti tu ad C. Lælium, C. F. Consulem, Lucium de Cornelium P. F. consulem, siue ad quem coram alter iusserit, perferas, aut profitebere in*

triduo

*triduo proximo, quicquid inueneris, sustuleris, ue dolo malo, aut domino suo, cuium id censebis esse, reddes vti, quod recte factum esse voles. deinde ita concipiebatur iurandum, vt adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce aliqua caussa erit, funus familiare, feruæ denicales, Kalendæque, quæ non eius rei caussa in eum diem collata sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus fonticus, auspiciūque, quod sine piaculo præterire non licet, sacrificiūque anniuersarium, quod recte fieri non posset, nisi ipse eo die ibi sit, ius, hostis, status, cōdictus, ue dies cum hoste. sicui eorum harumce quæ caussa erit, vti se postridie, quam per eas caussas licebit, eo die venturum aditurumque; eum qui eum pagum vicum, oppidum delegerit.* Hæc apud Gellium. unde Liuius libro v 11: *Dictator omnes iuniores nullo detractante militiam sacramento adigit.* & lib. i x: *Is, prout rei magnitudo postulabat, omnes iuniores sacramento adigit.* & Romamque is metus manauit, adeo vt omnes iuniores sacramento adigerent. Quantum autem vis habuerit militare sacramento, & vt sine sacramento pugnari cum hoste more maiorum haud licuerit, ostendit multis verbis Cicero in primo de officiis. cuius memorabile illud hoc loco non præteribo: *P. Aemilius imperator tenebat provinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem P. Aemilio videretur vnam dimittere legionem, Cato quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit, sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad P. Aemilium scripsit, vt si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento.* Quid quod sæpe nouo etiam iureiurando milites esse adactos, docet Liuius? vt bello Punico Paulo & Varrone cos. *Milites, inquit, tunc quod nunquam antea factum erat, iureiurando à tribunis militum, iussu consulum conuenturus, neque iniussu abituros. nam ad eam diem nihil præter sacramento fuerat.* & ubi ad decuriatum, aut centuriatum conuenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati centuriati pedites coniurabant. sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis ferendi, aut ciuis seruandi caussa. id ex voluntario inter ipsos fœdere à tribunis ad legitimam iuramentum adactionem translatum. Huc etiam sine dubio referendum est, quod extat in commentatio Seruiano ad v 111 Aeneidos, tria fuisse militiæ genera, sacramento, coniurationem, & euocationem. Sacramentum eorum, qui singuli iurabant, pro republica se esse facturos, nec discedebant, nisi confectis stipendiis; coniurationem, si esset tumultus, id est bellum Italicum, vel Gallicum. quo tempore quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, vnum roseum, quo pedites euocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat: qui vult saluam remp. me sequatur. & qui conuenissent, simul iurabant, unde dicebatur ista militia coniuratio; unde libro x l v scripsit Liuius: *senatus consultum factum, vt consul, quos præter milites, sociosque nauales coniuratos haberet, dimitteret.* Euocationem, cum ad diuersa loca diuersi propter cogendos mittebantur exercitus. Neque vero ab hoc loco aliena est lex sacra militaris C. Marcio, Q. Seruilio cos. lata, cuius meminit Liuius li. v 11; *Ne cuius militis scripti nomen nisi ipso volente deleteretur.*

De indicendo autem ad conueniendum die Liuius: *Inde de exercitibus ita decretum est, vt duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius consul Cales ad conueniendum ediceret.* Item: *Elis per magistrum equitum scriptis diem Tibur ad conueniendum edixit.*

Vt autem conscribendorum militum, sic etiam dimittendorum diligens obseruata ratio est. missionum vero genera fuerunt duo, honesta & caussaria. Honestam fuit eorum, quibus iusta militiæ vacatio esset: caussaria, quibus necessaria. Iusta est, cum quis aut legitima confecit stipendia, aut maior est annis quinquaginta. Necessaria cum aut morbo, aut imbecilla valetudine impeditus in castris esse non potest. Vtriusque aptissima proferam exempla. Liuius lib. v 11: *Consul ducto in æstiuam militie exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit, alijs emerita dicendo stipendia esse, alijs graues iam ætate, aut viribus parit validos.* & lib. quadragesimo secundo, apud eundem ita veteranus miles loquitur, Sp. Ligustinus: *Vigintiduo stipendia*

annua in exercitu emerita habeo, & maior annis sum quinquaginta. quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, nec dum ætas vacationem daret, tamen cum quattuor milites pro me uno dare possem, æquum erat, me dimitti. & post: Senatum veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribere censuisse, nec ulli, qui non maior annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse. & libro vigesimo quarto: Nomina omnium ex juniorum tabulis excerpta, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio iusta militiæ, neque morbus causa fuisset. Præter has fuerunt aliæ quoque vacationes extrordinem gratiæ causa, vel à senatu, vel ab imperatoribus datæ. à senatu, ut idem libro xxxix: *Senatusconsultum factum est, ut consul cum tribunis plebis ageret, ut P. Aebutio emerita stipendia essent; ne inuitus militaret, ne de censor ei equum publicum assignaret.* & libro vicefimo tertio: *Prænestinis militibus senatus duplex stipendium, & quinquennij vacationem decreuit.* & Cicero de natura deorum: *P. Vatrenus agro à senatu, & vacatione donatus.* ab imperatore, ut illud in epitoma Liuiana l. v: *Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem ducere iusserunt.* Mitto comæatus, quos in castris pro arbitrato imperatores, vel domus reuifendæ, vel negotij priuati gerendi causa petentibus militibus concesserunt. quibus quoniam nihil in hoc genere potest esse vulgatius, de iis neminem puto expectare, dum scribam. Quin etiam senes, & sacerdotes perpetuam militiæ vacationem habuisse, excepto Gallico tumultu, memoriæ prodidit Appianus in secundo, & Plutarchus in Camillo. Qua ratione ductus Cicero in octaua in Antonium, grauius esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi posse conclusit, quod bello Gallico vacationes valerent, tumultu non valerent. Vt autem sacerdotum, & senum vacatio tumultu Gallico infirmata est, sic aliis etiam tumultibus aliæ. vnde scripsit lib. vii Liuius: *Quod per magnos tumultus fieri solitum erat, iustitio indicto delectus sine vacationibus habitus est.* & libro octauo: *M. Mercinus consul, cui Gallicum bellum euenerat, scribere exercitum sine ulla vacationis venia iussus.* & libro quarto: *Cognitio vacantium militiæ munere post bellum differatur.* & libro sexto: *Tertius exercitus ex caussarijs, senioribusq; scribatur.* Est autem memorabile illud, vacationes has à censoribus fuisse cognitatas. quod ostendit idem libro quadragesimo tertio, cum de censoribus verba faciens, ait: *In censu accipiendos populi milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in prouinciam cogebant. caussas stipendijs missorum cognoscebant, & cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandum adigebant.* Ex tvi animi sententia ex edicto C. Claudij, Ti. Sempronij censorum in prouinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?

Diximus de vacationibus militum, nunc de præmijs eorundem dicamus. præmia autem voco munera militaria, cohortis prætoris cõmunione, stipendium, prædam, & dona imperatoria. Munera militaria appello, ut centuriatus, & præfaturas. de quibus post commodius in libro de iure prouinciarum. Quod autem ad cohortem attinet, intelligendum est, si legio nemini, nisi ciui Romano, patuit, multo minus cohortem prætoriam nisi ciui Romano fuisse permissam. ex qua qui fuisset, in beneficijs ab imperatore ad ærarium deferretur. quod pro certo ciuitatis argumento attulit Cicero pro Archia. *Iis temporibus, inquit, quæ tu criminaris, ne ipse quidem iudicio in ciuium Romanorum iure esse versatum, in beneficijs ad ærarium delatus est à L. Lucullo prætoris, & consule.* Quocirca ad Verris contumeliam dixit idem in frumentaria, Verrem ipsum prætorem è cohorte sua Artemidorum medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum, & eiusmodi recuperatores dedisse, quorum nemo ciuis Romanus erat. Stipendium neque ab initio vrbs milites Romani meruerunt, neque eodem anno equites, quo pedites, acceperunt. peditibus enim datum est anno vrbs trecentesimo quadragesimo septimo, Anxure Volscorum oppido capto, ac direpto, equitibus anno trecentesimo quinquagesimo, bello Veienti. De vtroque instituto verba ipsa Liuij

recitabo. de peditibus: *Additum omnium maxime tempestiuo principum in multitudinem munere, ut ante mentionem vllam plebis, tribunorum de decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* de equitibus vero: *Clade ad Veios accepta, mœstis patribus, repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, equis suis stipendia facturos promittunt. Inde ad curiam concursus fit plebis. pedestris ordinis se aiunt nunc esse, operamq; reip. se extra ordinem polliceri. Gratijs à senatu actis placuit, omnibus voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere. & equiti certus numerus æris est assignatus. tum primum equis merere equites coeperunt.* Itaque libro vicefimo tertio, Punico bello, ait, senatum decreuisse, ut eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. & libro vicefimo septimo, eodem bello illis omnibus equos ademptos, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant; addidisse acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent. Stipendium porro militare quantum fuerit, haud procliuè dictu existimo. Polybius enim diurnum peditis quæstum obolos duos statuit, centurionis duplex, equitis drachmam, quæ eadem est fere apud Græcos, ac denarius apud Romanos. an vero ille δὲ δάμιον (hac enim voce vitur) pro integro stipendio accipiat, parum liquet. Quod si postremorum temporum consuetudine, quæ sunt antiquissima, metiamur, diurnum peditis Romani stipendium fuisse denarium statuemus. Nam apud Tacitum libro primo post obitum Augusti ita miles quidam gregarius Percennius loquitur: *Enimvero militiam ipsam grauem, infructuosam, denis in diem assibus animam, & corpus æstimari. hinc vestem, arma, tentoria, hinc seuitiam centurionum, & vacationes munerum redimi.* Denarius autem decem assibus æstimatus est. atque semper in militari stipendio pro decem assibus datus est, quamuis bello Punico secundo placuisset, ut sexdecim assibus permutaretur. quod scriptum est apud Plinium libro tricesimo tertio. Illud autem non habet dubitationem, quin centurionis stipendium fuerit duplex, equitis triplex. cuius rei cum Polybius testis est, eo, quem protuli, loco, tum etiam Liuius. primum, qui anno vrbs trecentesimo quinquagesimo quarto triplex stipendium equitibus à Cn. Cornelio tribuno militum consulari primum datum scribit, deinde qui postea id, ut iam vulgo factitatum, commemorat. *Æque impotens, inquit, postulatum fuit, ut de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur, quod aduersati coniurationi fuissent.* Adicit Polybius, frumentum, vestes, arma sæpe militibus data, detracta tamen à quæstore ex diurna mercede rata pecuniæ summa. Quare adductus C. Gracchus tribunus pl. homo inter ceteros plebis Romanæ studiosissimus, legem tulit, teste Plutarcho, ut vestes militibus darentur, nec quicquam propterea de stipendio minueretur. Animaduertimus etiam, prædam ex hostibus captam, partim ab imperatore in publicum relatam, partim militibus donatam. quin etiam sæpenumero euenisse, ut imperatoribus ipsis ob eam aut maligne diuisam, aut alio modo interceptam dies ad populum dicta sit. Dona vero militaria erant, quæ militibus singulis virtutis ergo ab imperatore triumphaturo dabantur, ut coronæ, quarum multa erant genera, ciuicæ, murales, obsidionales, castrenses, aureæ, rostratæ, ut torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, cornicula, & cetera generis eiusmodi. erant etiam, quæ vniuersis, ut pecunia. de coronis notum est illud Gellij de Sicinio Dentato, qui vixit ante decemuiros: *Is pugnasse in hostem dicitur centum, & viginti prælijs. cicatricem auersam nullam, aduersas quinque & quadraginta tulisse. coronis esse donatum aureis octo, obsidionali vna, muralibus tribus, ciuicis quattuordecim, torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeuiginti. phaleris item donatus est quinquies, viciesque.* quin etiam apud Liuium scriptum est, L. Papium consulem equites omnes ob egregiam in bello

operam donasse corniculis, armillisq; argenteis. & bello Persico, Sp. Ligustinus apud populū gloriatur, se quater & vicies virtutis causa ab imperatoribus esse donatum, sex ciuicas coronas accepisse, viginti duo stipēdia in exercitu emerita habere. Adde quæ de Augusto rettulit Suetonius: *Dona militaria aliquāto facilius phaleras, & torques, quicquid auro, argentōq; constaret, quā vallares, & murales coronas, quæ honore præcellerent, dedisse; has quā parcissime, & sine ambitione, & sæpe etiam caligatis tribuisse.* M. Agrippam in Sicilia post naualem victoriam cæruleo vexillo donasse: Sed de coronis militaribus quæ fuerint, ac quā ob causam singulæ datae sint, cum satis Polybius libro sexto, Gellius libro quinto, Zonaras libro secundo tradiderint, vt in re satis eorum fermone nota, ac peruulgata non consumam tempus exemplis. Imperatores autem ante triumphum pecuniam militibus consueuissent diuidere, Liuianis verbis confirmabo, libro vicesimo octauo: *Pecuniam in ærarium tulerant sestertium tricies octoginta millia æris.* M. Liuius militibus quinquagenos senos asses diuisit. tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cum ad exercitum redisset. & sequenti libro: P. Scipio triumpho omnium clarissimo urbem est inuectus. argenti tulit in ærarium pondo centum millia, militibus ex præda quadragenos diuisit. & libro tricesimo quarto: *Milites sequenti currum frequentes. his ducenti quinquageni æris in pedites diuisi. duplex centurioni, triplex equiti.* & libro tricesimo septimo: *Militibus quini vici denarij dati, duplex centurioni, triplex equiti.* & stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum datum. & libro quadragesimo secundo: *Militibus proconsules denarios quinos vicienos, duplex centurioni, triplex equiti diuiserunt.*

Vt autem præmia, sic animaduersiones etiam multæ in militem Romanum fuerunt. atque earum quidem aliæ leniores, aliæ acerbiores. Non enim vt in vrbe lex Porcia ciues Romanos à magistratum virgis, & securibus, sic etiam in castris vindicauit. aliam enim disciplinam militarem esse voluerunt, aliam urbanam, itēque alium ad parendum terrorem exercitui, alium populo esse propositum. si quidem ab imperatoris imperio nulla erat prouocatio. Lenis autem animaduersionis fuit, quæ ignominiam tantum inuicit, vt ignominiose dimitti, stipendio legitimo spoliari, hastam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hibernare, cibum stantem capere, fossam fodere, discinctum destitui, hordeo pasci, sanguinem mitti. Grauior, quæ detrimentum intulit, vt virgis cædi, venire, fuste & securi percuti, decimari, in crucem tolli. quarum omnium exempla, quā maxime idonea poterimus, referemus. De ignominiosa dimissione exemplum est apud Hirtium, bello Africo: *Cæsar de suggestu conuocatis omnium legionum tribuns centurionibusq; , C. Auiene, inquit, quod in Italia milites populi Rom. contra remp. instigasti, rapinæque per municipia fecisti, ignominia causa ab exercitu meo te remoueo.* De fraudatione stipendij satis notum est. hinc enim ære diruti appellabantur, teste Nonio, milites, quibus propter ignominiam stipendium, id est merces mensualis, aut annua, quæ esset in nummis æris, subtrahebatur. Vnde Varro de vita populi Ro. *Stipendium appellabatur, quod æs militi semestri, aut annuum dabatur; cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset.* & Liuius libro XL: *Causa ignominia, vt semestri stipendij in eum annum esset, ei legioni decretum.* Aere dirutum autem militem ab antiquis dictū tradit Festus, cui stipendium ignominia causa non erat datum, quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. & idem alio loco: *Resignatum æs dicitur militi, cum ob delictum aliquod iussu tribuni mil. ne stipendium ei detur, in tabulas refertur.* De hasta danda idem in hunc modum: *Censio hastaria dicebatur, cū militi multa nomine ob delictum militare indicebatur, quod hastas daret.* De mutando tentorij loco narrat Polybius, quos ignominia afficere voluerint, eos extra castra tendere iussos. vnde apud Liuium lib. vicesimo quinto Cannenses milites queruntur ita: *Nunc deteriore conditione sumus, quā apud patres nostros fuerunt captiui, quippe illis arma tantum, atq; ordo militandi, lo-*

cusq;

cusq; in quo tenderent in castris, est mutatus, quæ tamen semel nauata reipub. opera, & vno felici proelio recuperarunt. De hibernis Liuius libro XXVI: *Additum vtrorumq; ignominia, ne in oppidis hibernarent, neue hiberna propius vllam urbem decem millibus passuum edificarent.* De cibo libro vicesimo quarto: *Nomina eorum, qui detrectatæ pugnae memores secessionem paulo ante fecerunt, referri ad me iubebo. citatosq; singulos iureiurando adigam, nisi quibus morbus causa erit, non aliter, quā stantes cibum, potumq; , quoad stipendia facient, capturos esse.* De fodiendo auctor est Plutarchus in Lucullo, antiquum militaris ignominia genus fuisse, vt tunicis interioribus solutis, fossam fodere inspectante reliquo exercitu cogerentur. De reliquis Liuius lib. vicesimo septimo: *Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari iussit, centurionesq; manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladijs discinctos destituit.* Hordeum item pro tritico ignominia causa datum narrat Polybius. De mittendo autem sanguine sic Gellius: *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animaduersionis, iubere ignominia causa militi venam solui, & sanguinem dimitti. cuius rei ratio in litteris veteribus, quas equidem inuenire potui, non extat. sed opinor hoc factum primitus in militibus stupentis animi, atque à naturali habitu declinantis, vt non tam pœna, quā medicina videretur. postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem, quæ minus sani viderentur omnes, qui delinquerent.* Quocirca scriptum est etiam apud Frontinum, M. Catonem memoriae prodidisse, in furto deprehensis inter commilitones dextras esse præcisas, aut si lentius animaduertere voluissent, principi sanguinem missum. De grauioribus autem ceteris hæc erunt documento. Liuius de Scipione disciplinam militarem ad Numantiam corrigente: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus cædit. & alibi: P. Nasica, & D. Bruto eos delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est. Nam C. Marienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusq; sub furca dimissus, & sestertio nummo venit.* & Cicero tertio in Antonium: *Si consul ille, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt.* Fuste autem cædebantur, auctore Polybio, hoc pacto: *Accepto fuste tribunus vix tantum attingebat damnatū. quod vbi factum erat, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus, lapidibusq; , plerosque in ipsis castris conficiebant. at si qui euassissent, ne sic quidem feruari poterant. quippe quibus neque in patriam redire liceret, neque à propinquis domum recipi possent.* Antiquissimum porro decimationis exemplum inuenio apud Liuium, ab Ap. Claudio consule, ferocissimi ingenij viro, nescio an primum editum, non multis post reges exactos annis. cuius etiam libet verba apponere: *Ap. Claudius consul aduocata concione inuectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinae, desertorem signorum, vbi signa, vbi arma essent, singulos rogans, inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones, duplicariosq; , qui reliquerat ordines, virgis cæsos securi percussit, cetera multitudo, decimus quisque ad supplicium lecti.* Rationem autem huius exequendi imperij cum Polybius libro sexto, tum Liuius exponit, vbi de Scipione pœnas de seditione exercitu apud Sucronem repetente scribit, & quidem ita: *Præconis audita vox citantis nomina damnatorum in consilio, nudi in medium protraherentur. & simul omnis apparatus supplicij exprobebatur. deligati ad palum, virgisq; cæsi, & securi percussi.* Cur autem decimatio instituta sit, rationem reddit noster ille elegantissime in Cluentiana. *Statuerunt, inquit, ita maiores nostri, vt si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animaduertetur, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum, vimq; pertimuit, potest idem postea & ciuis esse melior, & vir bonus, & ciuis utilis. quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis, & supplicij metus est à maioribus constitutus. ne autem nimium multi pœnam capitis subiret, idcirco illa sortitio comparata est.* De cruce Liuius libro tricesimo: *De perfugis grauius, quā de fugitiuis consultum.*

*Nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublatis sunt.* Atque hæc quidem militarium animaduersionum genera sunt, quæ usque ad extrema etiam penetrasse reip. tempora, satis idoneus testis est Suetonius, cum inquit de Augusto: *Cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pauit. centuriones statione deserti itidem, ut manipulares capitali animaduersione puniuit. pro cetero delictorum genere varijs ignominijs affecit, ut stare per totum diem iuberet ante prætorium, interdum tunicas, discinctosq; nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* Sed de iure veteris Romanæ militiæ hætenus.

*De iure tributorum, & vectigalium.* CAP. XVI.



**A**LTERA census commoditas est tributum, quod ex censu à ciue Rom. conferebatur. de quo mihi hoc loco, ut etiam de vectigalibus, intelligo non nihil esse dicendum. Omnis pecunia, quæ à ciue Romano publice pendebatur, fere aut tributi nomine pendebatur, aut vectigalis. Tributum, inquit Varro, erat pecunia populo imperata, quæ tributim à singulis pro portione cæsus exigebatur. Vectigal ea pecunia, quæ alio quocunque nomine exigebatur.

Ceterum tributorum, ut ait Festus, tria genera fuerunt. vnum quod in capita, alterum, quod ex cæsu collatum est, tertium, quod extra ordinem imperatum, idq; temerarium dictum. Ac ante Seruium quidem regem tributum conferri in capita consuevit, adeo ut cum regi pecunia opus esset, æquo pauperes, ac diuites onere tributi premeret, ut auctor est in Seruio Dionysius. sed eam cõsuetudinem omnino immutauit Seruius. Etenim qui censum instituit, idem etiam tributi æqualiter ex censu conferendi rationem iniuit. id quod scriptum extat apud Liuium: *Quadrifariam, inquit, vrbe diuisa, regionibus, collibusq; quæ habitabantur partes, tribus appellauit, ut ego arbitror, ab tributo. nam eius quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* Superbus autem rex antiquum institutum, Seruiano neglecto, rettulit, atque pro capite cuiusque denarios decem, Dionysio teste, exegit. Superbo vero vrbe excluso, tributorum collationem, quam Seruius intulerat, vnà cum ceteris eius institutis relatam esse crediderim. me vero in hanc opinionem adducit Plutarchus, qui de Poplicola consule, anno post reges exactos, ita scribit: *Quoniam ciues ex bonis suis pecunias in bellum conferre oportebat, Poplicola consul, quod eam curationem nec ipse attingere, nec amicis committere vellet, nec omnino in domum priuati cuiusquam pecunias publicas peruenire, in æde Saturni ærarium cõstituit, quæstoresq; duos populo creandos concessit. creati M. Minucius, P. Veturius. & pecuniarum magna vis exacta est. centum enim & triginta millia redegerunt, viduis, & pupillis collatione tributorum remissa.* Adde, quod Liuius secundo anno ab exactis regibus plebem tributo exolutam ait, ut diuites conferrent, qui oneri ferendo essent. & Dionysius tertio anno decretum scribit, ut pauperes omnium vectigalium vacationem haberent, quæ regibus pependissent, neque in bellum quicquam conferrent. satis enim esse, si ipsi pro rep. militarent. Vnde apud eum Appius consul, anno vrbs ducentesimo quinquagesimo nono, in sententia dixit, plebem nimis multa postulare, postquam regis tributis esset relaxata. Plebem autem hoc loco intelligamus oportet homines rei familiaris angustiis impeditos, quorum maior pars è plebe erat. siquidem eodem anno de quodam plebeio tributum conferente ita loquitur Liuius: *Magno natu quidam cum omnium maiorum suorum insignibus se in forum proiecit. obsita erat squallore vestis, fædior corporis habitus pallore, ac macie perempti. ad hoc proluxa barba & capilli efferauerant speciem oris. noscitur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse auebant, aliq; militiæ decora vulgo miserantes cum iactabant. ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices aduerso pectore ostentabat. Sciscitantibus vnde ille habitus, vnde deformitas, cum circumfusa turba esset* prope

prope in cõcionis modum, Sabino bello, ait, se militante, quia propter populationes agrorum non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. Hunc ergo hominem quam è plebe tamen inter diuites referre debemus, quod agrum habuerit, quodq; tributum contulerit, ut eos etiam, de quibus loquitur Dionysius, K. Fabio, T. Virginio cos. anno CCLXXIII, cum ait, ærarium continuis bellis exinanitum, priuatos tributo conferendo exhaustos fuisse. Hic autem rerum status, nimirum, ut vrgente necessitate tributum imperaretur, ciuitatem obtinuisse usque ad annum CCCXLIX videtur. quo anno senatus cõsulto prouisum est, ut plebi, quæ eo usque suis sumptibus meruerat, stipendium quotannis de publico numeraretur. quo facto coacti omnes sunt tributum ex censu quotannis in stipendium militare conferre. Qua de re sic Liuius libro quarto extremo: *Additum omnium maxime tempestiue principum in multitudinem manere, ut ante mentionem vllam plebis, tribunorum de decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet. cum ante id tempus de suo quisque sumptus eo munere esset. & infra: Igitur indicto tributo edixerunt tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset. patres bene ceptam rem perseueranter tueri, conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, æs graue plaustis quidam ad ærarium conuehentes speciosam etiam collationem faciebant. cum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici ex composito conferre incipiunt. quos cum & à patribus collaudari, & à militari etate, tanquam bonos ciues conspici, vulgus hominum vidit, repente spreto tribunicio auxilio, certamen conferendi est ortum.* Hinc ergo institutum opinor, ut ab omnibus tributum ex censu in bellum quotannis ex ordine exigetur. Quod tamè primis illis temporibus per tribunos plebis sæpe impeditum, ut etiam delectum, & comitia, liquet. quemadmodum triennio post apud eundem: *Roma simul de delectu, simul de tributo conferendo laboratum est.* & infra: *Quantum augebatur ciuium numerus, tanto maiore pecunia in stipendium opus erat. eaq; tributo conferebatur, inuitis conferentibus, qui domi remanebant. & post: Et cum tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æraq; militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque vrbanæ seditionis contagione turbarentur. nec multo post: Tribuni plebis agrariam legem promulgant, tributumq; conferri prohibent. cumq; ut vnus è plebe tribunus militum cõsulari potestate P. Licinius crearetur, obtinissent, quod maxime rempub. impediabat, de tributo remiserunt. collatum obedièter, missumq; ad exercitum est. & anno CCCXXVII. Conditiones, inquit, imposite patribus, ne quis quoad debellatum esset, tributum daret. & post: Tantum abesse spes leuandi fœnoris, ut tributo nouum fœnus cõtraheretur in murum à censoribus locatum saxo quadrato faciendum.* Ut autem tributum sæpe à tribunis plebis impeditum, sic contra à senatu aliquando etiam est remissum. ut anno CCLXI, quo Faliscis in stipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecuniam narrat Liuius esse imperatam. Et ut idem sæpe remissum, sic propter bellorum magnitudinem iusto grauius aliquando imperatum, ut anno DXXV, bello Punico, quo senatus decreuit, ut duplex stipendium præsens omnibus militibus daretur. & sequenti anno, quo consules edixerunt ex S. C. ut qui L. Aemilio, C. Flamini censoribus milibus æris quinquaginta ipse, aut pater eius census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanti esset facta, nautam vnum daret cum sex mensem stipendio. qui supra centum millia usque ad trecenta millia tres nautas cum stipendio annuo. qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas. qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. Vnde illa apud eundem eodem in loco: *Tributo sumptus suppeditari. verum cum ipsum tributum conferentium numerum tantis exercitiuum stragibus imminutum, tum, qui superessent, pauci, si multiplici grauarentur stipendio, alia perituros peste.* Atque hoc quidem tributum ex censu dictum est, cum æqualiter pro ratione cæsus omnes cõtulerunt. Fuisse

Fuisse autem & tertium temerarium, Festus auctor est. nimirum cum recogēto omnes quicquid auri atque argenti habuerunt sine discrimine in ærarium contulerunt. sic enim scribit ille: *Est autem quoddam tributum temerarium, ut post urbem à Gallis captam collatum est quia proximis quindecim annis alius census non erat. item bello Punico secundo, Valerio Lauro, M. Claudio Marcello cos. cum & senatus, & populus in ærarium quod habuit d-tulit.* Quibus verbis temerarium tributum definit, cum temere, atque extra ordinem propter periculi magnitudinem qui habent, quæcunque habent in commune sine discrimine cōferunt. Ego vero de tributo post captam urbem collato nihili inuenio. de eo vero, quod Lauro, & Marcello cos. anno DCLII collatum est, in hunc modum scripsisse Liuium video: *Tum Laenus consul, ut classis, inquit, habeat, quam ornare volumus populus Rom. priuatos sine recusatōne remiges dare nobismet ipsis primum imperemus, aurum, argentum, æs signatum omnes senatores cæstina die in publicum conferamus. ita ut annuos sibi quisque & coniugi, & liberis, filio bullam, & quibus uxor filia de sunt, singulas uncias auri pondo relinquunt argenti, qui curuli sella sederunt, equi ornamenta, & libras pondo, ut salinum, patellamq; deorum causa habere possint. ceteri senatores libram argenti tantum, æris signati quina millia in singulos patresfamilie relinquamus. Ceterum omne aurum, argentum, æs signatum ad triumphum nos mensarios exempro deferamus, nullo ante senatus consulto facto: ut voluntaria collatio, & certamen ad uuanda reip excitet ad emulandum animos primum equestris ordinis, dein reliqua plebis. In hac tanto animo consensus est, ut gratia utro consulibus ageretur. Senatu inde missa, pro se quisque aurum, argentum, & æs in publicum conferunt. tanto certamine iniecto, ut prima inter primos nomina sua uellent in publicis tabulis esse.* Hæc Liuius. Quæ cum ita sint, profecto temerarium etiam tributum uocatum est, cum matronæ aurum, & ornamenta sua contulerunt, ut eæ, quæ Veijs captis, cum decimarum nomine, quas Camillus uouerat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi facultas esset, contulerunt, & quæ post in capta urbe, ut mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolij dissoluenda debebantur, explet, in ærarium contulerunt: quorum Liuius, & Valerius testes sunt. Quin etiam temerarium illud fuisse crediderim, cum pupillarum, & uiduarum pecuniæ sunt collatæ. quod Punico item bello, Fabio & Marcello cos. factum memoriæ prodidit Liuius. *Cam hæc, inquit, inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam ærarij fieret, pecuniæ quoque pupillares primo, deinde uiduarum ceptæ conferri nusquam eas tutius sanctiusq; deponere credentibus, qui deferebant, quam in fide publica.* Huius autem temerarij tributi vis ea fere fuit, ut post rep. durissimo bello perfuneta, & locupletato ærario, pecuniæ suæ cuique redderentur, quod bello Punico confecto tribus pensionibus factum esse animaduertimus. sed de temerario tributo satis.

Redeo ad annum, quod tandem aliquando imperari, aut exigi desitum esse comperio. Hoc autem victoria L. Pauli Macedonica factum est, post annum urbis DCLXXXVI. Etenim cum ærarium annuis Italiae, & provinciarum Siciliae, Sardiniae, Hispaniarum uectigalibus, ac quotidianis uictoriis, & imperatorum manubiis uerius esset factum, diuitias autem L. etiam Pauli de rege Perse uictoria cumulasset, finis tandem tributorum conferendorum est factus. Hoc uero docet optimus antiquitatis omnis auctor Cicero in libris de officiis ita: *Omni Macedonum gazæ, quæ fuit maxima, potius est Paulus tantum in ærarium pecuniæ inuexit, ut unius imperatoris prædæ finem attulerit tributorum.* quem sequutus credo Plinius libro xxx. scripsit: *Inruit & Aemilius Paullus. Perseo rege Macedonico deuicto, prædæ pondo trium millium à quo tempore populus Romanus tributum pendere desijt.* Antias certe, teste Liuius, & eum sequutus Velleius ducenties millies ab eo in ærarium tradidit esse inuectum. Nam quod narrat Plutarchus, tantam pecuniam à Paulo esse illatam, ut populus Rom. usque ad consulatum Hirtij, & Pansa tributo conferendo vacaret, ut uerum esse possit, nō video. primum enim inuenio apud Orosium, bello

Marfico

Marfico adeo exinanitum continentibus sumptibus ærarium fuisse, ut loca, quæ circum Capitolium pontificibus, auguribus, Xuiris, & flaminibus fruenda erant data, publicæ pecuniæ inopia uenerint, & modicam pecuniæ summam, qua ad tempus respub. subleuaretur, esse redactam. deinde uix uerisimile puto ærarium uilum tam refertum, atque opulentum esse potuisse, ut immoderatæ Cinnæ, aut Marij, aut Sullæ dominantium, atque assiduis bellis ciuilibus rempublicam perturbantium libidini, auaritiæq; suffecerit. Sylla certe mortuo exhaustum fuisse ærarium, indicat Asconius, cum in commentario Cornelianæ ita scribit: *Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & sæpe eius rei remedia erant quaesita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residua apud quosque essent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum Dictatoris filium. quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & remp. tenuerat, sumpserat pecunias ex uectigalibus, & ex ærario populi Rom. eaq; res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum uidebatur, post tot annos, quam quisque pecuniam acceperat, eius reddere rationem.* Ex quibus apparet Pauli pecuniam in ærarium illatam multo ante cōsulatum Hirtij, & Pansa esse consumptam. Quin etiam ærarium post à Pompeio bello ciuili apertum, à Cæsare refractum, pecuniamq; depromptam, idq; adeo ante Hirtium, & Pansam consules, constans omnium opinio est. Post eorum certe consulatum tributi collati magna mentio fit. siquidem eodem anno ad Cornificium ita scripsit Cicero: *De sumptu, quem in rem militarem facere, & fecisse scribis, nihil sane tibi possum opulari, propterea quod & orbus senatus Hirtio, & Pansa consulibus, & incredibiles angustiae pecuniæ publicæ, quæ conquiruntur undique, ut optime meriti militibus promissa soluatur, quod quidem fieri posse sine tributo non arbitror.* & eodem anno in Antonium: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat? sine illius quidem pecuniæ. sed tamē si ijs, quorum erat, non redderetur, quæ nos à tributo posset vindicare.* & item ad M. Brutum: *Maximus nodus est in rep. rei pecuniariæ. absurdescent enim magis quotidie boni uiri ad uocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmijs omne cōsumitur.* Itaque idem ille cum eodem tempore præcepta filio de officiis daret, de tributo ita scripsit: *Danda opera est, ne, (quod apud maiores nostros sæpe fiebat) propter ærarij tenuitatem, assiduitatemq; bellorum tributum sit conferendum. idq; ne eueniat multo ante erit prouidendum. si qua necessitas huius muneris reip. euenierit, danda erit opera, ut omnes intelligant, si salui esse uelint, necessitati esse parendum.* Atque de tributo quidem satis hucusque sit disputatum.

Nunc, quod reliquum est, uectigalia persequamur. Quæ uero pecuniæ à ciuibus Romanis uectigalium nomine exigebantur, eæ uel portorij nomine, uel decumarum, & scripturæ, uel salis, uel uicesimæ sunt exactæ.

Portoria pecuniæ erant, quæ portitoribus pendebantur, id est iis qui mercedes ex mercibus in portum deuchendis exigebant. unde circumuectionis quoque portorium celebratum est. Hæc autem portoria etiam à regibus fuisse exacta indicat Plutarchus, qui pauperes narrat à Poplicola in primo consulatu ciuilibus uectigalibus, & Dionysius, qui scribit, tertio anno post reges exactos pauperes uectigalium omnium soluendorum, quæ regibus pependissent, & tributi in bellum conferendi esse onere liberatos. quod exponit Liuius, inquiens, plebi portoria, & tributa esse remissa. Idem autem lib. xxxii auctor est, Africanum, & Pætum censes portoria uenaliū Capuæ, Puteolisq; item Castrorum portorium fruendum locasse. & Lepidum, ac Nobiliorem censes portoria, & uectigalia multa instituisse. Hæc tamen omnia Afranio demum, & Metello cos. id est anno postquam Pompeius ingenti uic pecuniæ in ærarium illata tertium ex Asia, & Ponto triumphauit, lege Q. Metelli Nepotis prætoris sublata esse opinor. siquidem Dionis hæc uerba sunt: *Quoniam ciuitatem, & Italiam reliquam portoria offendebant, Q. Metellus Nepos prætor*

prætor legem omnibus gratam tulit, ut ea tollerentur. Senatus autem Nepoti latiori iratus nomen eius lege eximere voluit, & alterum subscribere, nec tamen fecit. cum satis indicaret, se ne beneficio quidem à malis ciuibus affici velle. Cui viro vix temere assentirem, nisi me excellens Ciceronis auctoritas cogeret, qui ad Atticum scribit; *Iam illa causa publicanorum quãtã acerbitatem afferat socijs, intelleximus ex ciuibus, qui nuper in portorijs Italiæ tollendis non tam de portorio, quã de nonnullis iniurijs portitorum querebantur.* Itaque in eandem sententiam, alio loco: *Portorijs Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, nullum vectigal superesse domesticũ ait præter vicefimã.* Cæsarem postea peregrinarum mercium portoria instituisse Suetonius refert.

Decumæ autem exigebantur ab ciuibus Rom. vel Latini nominis socijs, qui in Italia aut extra Italiam publicum agrum arabant, cum eo ut frumenti decumas soluerent. Scriptura vero erat vectigal, quod pendebatur ab iis, qui syluis, & pascuis publicis fruebantur, ut in Italia sylua Scantia, & salictis ad Minturnas. Hæc vero vectigalia multis post modis aut omnino sublata sunt, aut aliqua certe ex parte immutata. quod quemadmodum factum sit, narrat pluribus in primo Ciuiliũ Appianus: nempe populum Romanum, quos agros bello, atque armis hostibus ademisset, eos fere, si culti essent, ciuibus diuisisse, si inculti, Italicis hominibus, atque adeo etiam plebi Romanæ per censores fruendos locasse, ea tamen conditione, ut qui ararent, decimam frumenti, quintam ceterarum frugum persolueret. qui vero maiora, aut minora pecora alerent, certum stipendium penderent. Cum autem euenisset, ut incredibili locupletum impudẽtia, atque libidine aratores antiquis pulsi possessionibus, quas diuites aliis temporibus alias euentes continuarunt, & populus Romanus vectigalibus annuis, & pauperes propriis alimẽtis essent spoliati, lex fuit necessaria, quam tulit C. Licinius Stolo tribunus pl. anno vr̄bis c c c l x x v i i: *Ne quis plus quingenta iugera agri, centum pecoris maioris capita, quingenta minoris possideret.* cuius legis Varro, Liuius, atque omnes denique meminerunt. Quam legem cum negligi vulgo cum magno plebis Rom. detrimento postea Ti. Sempronius Gracchus tribunus pl. animaduertent, noua sibi muniendam lege duxit, P. Scæuola, L. Pisonæ cos. anno d c x x. tulit enim primum, *Ne quis ex publico agro plus quingenta iugera possideret,* quod lege Licinia sanctum fuerat. deinde addidit illud, *ut dimidium filijs attribueretur. quod reliquum esset, id pauperibus, qui nihil haberent, diuideretur. Quod si quis agrum latius patefaceret, ut triumuri quotannis ad id creati iudicaret, qua publicus ager, qua priuatus esset.* atque hæc eadem lex credo, quod Tiberio occiso cõtemneretur, à fratre eius C. Graccho post etiam in triumuiratu defensa est. Quem cum pariter optimates commodis suis aduertantem interfecissent, haud ita multo post legem parum plebis rationibus aptam intulerunt, qua permissum est, ut ager à possessoribus, id quod Tiberij lex prohibuerat, venderetur. quo pacto rursus agri in diuitum à pauperibus euentium potestatem redacti sunt. cui incommodo subuenire cupiens Sp. Thorius tribunus plebis tulit, *Ne agri amplius diuiderentur, sed possessores in ijs relictis vectigalia pro ijs penderent, eaq; pecunia plebi diuideretur.* Neque tamen hoc loco res stetit, sed longius lapsa libido est. Nam quod scribit Appianus, tribunus pl. alius vectigal illud totum lege alia sustulit. quam legem Thoriam Cicero vocare videtur in Bruto, cum ita scribit: *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa, & iniurili lege, vectigali leuauit.* Relinquebatur adhuc in possessione populi Rom. ager Campanus quem neque colonis distribui, neque à priuatis locupletibus emi Gracchus fuerat passus. & hoc igitur etiam fructu, cum à Cæsare consule esset diuisus, Respublica spoliata, atque nudata est. vnde merito dixit Cicero, *portorijs Italiæ sublatis, agro Campano diuiso, vectigal nullum superesse domesticum præter vicefimam.*

Dicit aliquis: quid de salis vectigali? sublato iisdem Ciceronis verbis mihi iam pridem est persuasum. Salis autem meminit Liuius libro secundo, cum ait, altero post

post reges exactos anno *salis vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu ademptum priuatis,* id est, instituisse ut sal non à priuatis venderetur, cum impenso pretio veniret, sed minoris è publico acciperetur. bello autem Punico secundo vectigal nouum à censoribus Nerone, & Salinatore institutum ex salaria annona scribit. Etenim cum sextante sal & Romæ, & per totam Italiam esset, Romæ eos pretio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi pretio præbendum locasse, æ pretio salis tribus onerasse.

Neque vero ciues Romanos porteriorum solum, quæ in Italia caperentur, immunes fuisse existimauerim, sed etiam eorum, quæ extra Italiam à socijs exigebantur. est enim formula fœderis cum Ambracensibus ista, cuius meminit Liuius: *Ut Ambracenses portoria, quæ vellent, terra, mariq; caperent, dum eorum immunes Romani, ac socij nominis Latini essent.* ex quo idem in ceteris euenisse, consentaneum est.

Restat ergo vicefima, quam vnam retentam esse, significat Cicero, credo, quod ea libertini tantum astringerentur. Est autem instituta anno vr̄bis trecentesimo nonagesimo octauo teste Liuius, cuius hæc verba sunt: *Cn. Manlius consul legem nouo exemplo ad Sutrium in castris tributum de vicefima eorum, qui manumittuntur, tulit. Patres, quia ea lege haud paruum vectigal inopi ærario additum esset, auctores fuerunt.*

Hæc autem vectigalia locabantur publicanis à censoribus exigenda. Vnde Varro: *Lustrum nominatum tempus quinquennale à luendo, hoc est soluendo. quod quinta quoque anno vectigalia per censores persoluebantur.* Quanta vero publicani pecuniæ summa vectigalia redemerant, tantam reip. repræsentare debebant. repræsentabant autem quæstoribus ærarij, penes quos tabulæ ærarij, atque adeo ærarium ipsum erat.

Cum ergo tributum ex ordine conferebatur à ciuibus, id in tribu cõferebatur, & quoniam tribuum quodam modo partes classes diximus, classium vero centurias, in classe etiam, & centuria. Vnde Asconius de iis loquens, quos censores in ærarios notæ causa referebant, ait: *Censores ciues sic notabant, ut qui plebeius esset, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset ciuis, tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Nam ærarij etiam relictis sunt à censoribus multi, tum cum populus conferendo tributo erat liberatus. si quidem P. Africanus censor Asellum ærarium reliquit, quem L. Mummius ex ærariis exemit. cum tamen tum propter ingentes ærarij copias nullum à ciuibus tributum penderetur.

#### De iure suffragiorum.

CAP. XVII.



**S**EQVITVR ius suffragij, in quo magnum momentum non Romanæ solum, sed omni etiam semper ciuitati positum fuit. quoniam autem suffragia nusquam, nisi in comitiis populus tulit, comitia vero à Romulo sunt instituta, propterea eundem Romulum suffragiorum auctorem iure optimo possumus nominare.

Comitia vero cõtus populi fuerunt, quem magistratus legitime conuocasset, ut aliquid suffragio suo vel iuberet, vel prohiberet. Eorum vero tria genera extiterunt, curiata, centuriata, & tributa. Curiata Romulus, centuriata Ser. Tullius, tributa tribuni pl. in remp. intulerunt. & curiata quidem dicta sunt, cum populus in curias, centuriata, cum in centurias, tributa, cum in tribus descriptus suffragium iniit. quæ autem curiæ, quæ centuriæ, quæ tribus fuerint, satis supra esse demonstratum existimo. Nunc autem illud tantum intelligi volo, quia ciuis nemo erat, qui non tribum, non curiam, non centuriam obtineret, neque ciuem fuisse quenquam, qui suffragij iure exclusus esset. quanquam alia in aliis comitiis ciuium ipsorum inter se potestas atque auctoritas esset. In curiatis enim et si omnes pariter aduocati sunt, tamen prævalente pauperum multitudine, pauperum etiam opes excellere. at vero in centuriatis contra. Quoniam enim



vt maximo quisque censu fuit, ita primus in suffragia missus est, eorumque plurimæ centuriæ fuere, propterea omnis centuriarum auctoritas penes diuites fuit. quorum octo, & nonaginta primæ classis centuriæ ita vocatæ sunt, vt, siquid variassent, reliquæ deinceps ex sequentibus classibus citarentur; si consensissent, non esset, cur aliæ introuocarentur, cum longe numero illis antecellerent. Tributa vero non vere comitia, sed plebis concilium dictum est. quod ad ea non vniuersus populus vocaretur, sed plebs tantum, patriciis exemptis, vnde illud est Liuianum libro I I: *Insignem annum maxime tributa comitia efficiunt, res maior victoria suscepti certaminis, quam vsu. plus enim dignitatis comitijs ipsis detractum est, patribus ex concilio summouendis, quam virium, aut plebi: additum, aut demptum patribus.* Ea præterea communis comitiorum omnium fuit ratio, vt qui plura puncta in singulis curiis, vel centuriis, vel tribubus tulisset, is eam curiam, vel centuriam, vel tribum tulisse iudicaretur, quod autem à pluribus curiis, vel centuriis, vel tribubus esset scitum, id ab omnibus scitum existimaretur.

Curiatis porro comitiis reges omnes, & ceteri magistratus, vt quæstores, tribuni plebis, ædilesque eiusdem generis primi creati, pariterque iudicia de capite facta, & leges omnes vsq; ad Ser. Tullium regem sunt iussæ, postremis autem temporibus duæ tantum rogationes curiatim perlatae, vna de imperio, altera de adoptione. Vt enim curiæ, de quibus diximus, sic etiam comitia curiata diuturnitate temporis exoleuerunt. Centuriatis vero consules, decemviri, tribunq; militum consulares, censes, & prætores designati. lexq; de bello lata, & iudicia perduellionis peracta sunt. Tributa primum vsurpari cœpta sunt A. Sæpronio, M. Minucio cos. post Romam conditã an. c. L X I I, instituto Sp. Sicinij tribuni pl. in iudicio Coriolani, viri patricij, tum cum tribus vna, & viginti erant. quibus comitiis damnatus ille exilij causa solum vertit. deinde Voleronis tribuni pl. rogatione & tribuni ædilesq; plebis his comitiis declarari cœpti, cū per aliquot ante annos curiati esset designati. atq; inde magistratus minores, vt ædiles curules, quæstores, I I viri capitales, nocturni, & monetales, & eius generis reliqui. ac præter regem sacrorum omnes sacerdotes. quin etiam leges fere de pace, & ciuitate danda, latae, iudiciaque de multa perfecta sunt. Vt autem centuriata comitia non nisi à maioribus, sic tributa & à maioribus, & à minoribus magistratibus haberi licuit.

Si ergo, ex tribus comitiorum generibus curiata nisi primis temporibus obseruata non sunt, extremis autem auspiciis causa, vt inquit Cicero, paucas quasdam ad res adhibita sunt; siq; tributa, & centuriata nisi citatis tribubus non sunt habita, profecto, qui tribum non habuit, is suffragio caruit. Ex hoc autem numero pueros, & senes sexagenarios, & ærarios excipio. pueros, quia cōsentaneum non videtur, qui ante X V I I annum in legione non meruerint, eos in tribu suffragium pertulisse. sexagenarios autem, quia de iis ita proditum est à Varone de vita populi Rom. teste Nonio: *Cum in quintum gradum peruenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant à publicis negotijs liberi, atque expediti, & ociosi. ideo in prouerbium quidam putant venisse: sexagenarios de ponte deijci oportere. id est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.* Idem autem ille quartum gradum ætatis fecit seniores vsque ad annos L X, inde quintum, auctore Censorino, vsque ad extremum ætatis senes. Festus autem hoc idem aliquanto apertius: *Exploratissimum illud causæ est, quo tempore primam per pontem cœperunt comitijs suffragium ferre; iuniores conclamauere, vt de ponte deijcerentur sexagenarij, quia nullo publico munere fungerentur, vt ipsi potius sibi quam illis deligerent imperium, cuius sententiæ est etiam Sinius Capito.* Quo eodem alludens Cicero dixit pro Roscio Amerino: *Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum minorum annis L X de ponte in Tiberim deiecerit.* Quanquam autem alia etiam causa affertur huius moris, tamen hæc celebratior, ac vulgatior videtur, quam attigit quoque

Ouidius

Ouidius in v. Fastorum, his verbis:

*Pars putat, vt ferrent iuuenes suffragia soli,  
Pontibus infirmos præcipitasse senes.*

Pontes autem in comitiis fuerunt ad tempus constructi, per quos populus suffragium laturus transfret. Accedit, quod Aristoteles pueros, & senes è numero remouet germanorum ciuim: pueros, quod ciues sint imperfecti; senes, quod effœti. Aerarios autem voco, qui à censoribus notæ causa in ærariorum numerum erant relati. quibus, vt ait Asconius interpres, *nullum munus erat relictum, nisi vt essent in albo centuriæ suæ tantummodo, vt tributum nomine æra penderent.* quasi vero omnia alia iura ciuim Ro. præterquam tributum conferendi amisissent.

Hoc autem suffragiorum ius imminuit aliquantum Cæsar dictaturâ perpetuam consequutus. *Ille enim* (vt inquit Suetonius) *comitia cum populo partitus est, vt exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur, pro altera parte, quos ipse dedisset. & edebat per libellos circum tribum missos scriptura breui: Cæsar dictator illi tribui: Cōmendo vobis illum, & illū, vt vestro suffragio suam dignitatem teneant.* D. autem Augustus comitiorum pristinum ius restituit, ac multiplici pœna coërcito ambitu Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid à quopiam candidato desiderarent, singula millia nummum diuidebat.

De iure Honorum.

CAP. XVII.



**T**ANDEM aliquando peruenimus ad id quo vno optimum ipsum ius ciuitatis expletur. Hoc est autem, vt ab initio diximus, ius honorum, quod qui in vrbe, agrove Rom. habuit, is quàm plenissimum ius ciuitatis obtinuit. Itaque scite, vt omnia, Aristoteles, qui verum, ac germanum ciuem honorum adipiscendorum, vt dixi, potestate circumscripsit. Honores autem voco curationes omnes publicas ciuim suffragio, aut studio alteri ciui delatas. quorum duo genera sunt; vnum, quod in rebus diuinis cernitur; alterum, quod in humanis. eo sacerdotia continentur; hoc magistratus, & imperia. Neque enim hæc decora, atque insignia a dignitatis quisquam, nisi ciuis Rom. assequi potuit, vsque adeo, vt qui furtim hoc essent adepti, ij re comperta honorum gradum cum toto ciuitatis honore Papia lege amiserint. id quod M. Perpernae contigisse notauit his verbis Valerius: *Non paruum consulatus rubor M. Perperna, vt pote, qui consul antequam ciuis, cum interim cuius vita triumphauit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem eius nihil ad se pertinentia ciuis Ro. iura complexum, Sabelli iudicio pettum, redire in pristinas sedes coegerunt. Ita M. Perpernae nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, aliena in vrbe improbe peregrinatus est.* Quibus ex verbis satis liquet, Romæ honores nisi ciuibus Ro. non patuisse, & qui ciuitate priuati erant, eosdem honorum etiam insignia perdidisse.

De Sacerdotijs.

CAP. XIX.



**Q**UONIAM autem multa honorum genera proposuimus, relinquatur, vt quid ipsa inter se differant, ac quid singula sint, differamus. primum autem de sacerdotijs agamus. Sacerdotia omnes curationes vocamus eorum, qui res sacras, & diuinas tractarent. Hos vero aut singulis diis operatos esse inuenimus, aut singulas eorum res curasse, aut promiscue omnium deorum, & omnium cæremoniarum colendarum ratione tenuisse. Singulorum deorum sacra curarunt Luper ci, qui Panis; Potitij, qui Herculis; Sodales Titij, qui Sabinorum deorum; Salij, qui Martis; Flamines, qui sigillatim Iouis, Martis, & Quirini; Vestales virgines, quæ Vestæ sacra peregerunt, & pro populo sacrificium fecerunt. Singulis de rebus, vt Fratres Aruales, qui pro aruorum frugibus, Curiones, qui pro curiis sacrificarunt,

g 2 Augu

Augures, qui auspiciorum; Aruspices, qui extorum; Fetiales, qui belli, & pacis disciplinam tenuerunt; Duumviri Sibyllini, qui sacralibrorum Sibyllinorum; Rex sacrificulus, qui sacra regia; Epulones, qui ludorum epulare sacrificium adornarunt. Quo factum est, ut Pontifices soli sacra omnia promiscue commendata habuerint. Quod indicat Cicero in legibus, cum ita fert: *Diuisque alijs alij sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunt.* & idem in exordio orationis pro domo sua ad pontifices, cum inquit: *Cum multa diuinitus Pontifices à maioribus nostris inuenta, atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ reip. præesse voluerunt, ut amplissimi & clarissimi ciues reip. bene gerendo, pontifices religiones sapienter interpretando remp. cõseruarēt. Quod si villo tempore magna causa in sacerdotum populi Rom. iudicio, ac potestate versata est, hæc profecto tanta est, ut omnis reip. dignitas, omnium ciuium salus, vita, libertas, ars, foci, dii penates, bona, fortuna, domicilia vestra sapientiæ, fidei, potestatisq; cõmissa & credita esse videantur.* & paullo post ita Lentulū pontificē alloquitur: *Te appello Lentule, tui sacerdotij sunt iherentia, curricula, præcentio, ludi, libationes, epuleq; deorum. Vosque pontifices, ad quos epulones Iouis optimi maximi, siquid est prætermisum, aut commissum, adferunt, quorum de sententia illa eadem reuocata, atque instaurata celebrantur, qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto, aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cuiusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum.* Dionysius quoque pontifices ait de omnibus causis ad sacra pertinentibus iudicasse, nouasque leges de sacris arbitrato suo condidisse, ac sacerdotes omnes, penes quos cæremoniæ fuerint, examinasse, & palam de religione, ac cultu deorum respondisse, adeo ut perinde ac sacri iuris interpretes, atque doctores extiterint. Itaque Liuius de pontificis maximi iure merito ita disseruit: *Pontifici Numa sacra omnia exscripta exsignataq; attribuit, quibus hostijs, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. cetera quoque omnia publica, priuatæque sacra pontificis scitis subiecit, ut esset. quo consultum plebs veniret. ne quid diuini iuris, negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. nec caelestes modo cæremonias, sed iusta quoque funebria, placandosque manes ut idem pontifex edoceret.* Ex his autem sacerdotibus antiquissimi fuerunt Luperci, itemque Potitij, iam inde ab Euandro ipso ante Aenæ in Italiam aduentum instituti. proximi ab his Fratres Aruales XII, & tres Augures, totidemque Aruspices, & Curiones triginta à Romulo omnes illati. Sodales enim Titios T. Tatius Sabinorum rex Romuli socius dedit. Flamines tres, Dialem, Martialem, & Quirinalem, & Vestales virgines quattuor cum Vestali maxima, Salios Palatinos XII, Fetiales XX cum patre patrato, Pontifices quattuor cum pontifice maximo Numa creauit. II viros Sibyllinos Superbus rex, Regem sacrorum anno post exactos reges L. Brutus consul. III viros epulones anno DLVIII, L. Purpureone, M. Marcello cos. T. Romilius tribunus pl. Ex his autem augurum, flaminum, pontificum, vestalium, III virum, & epulorum numerus procedente tempore auctus est. augures enim nouem lege Ogulnia, teste lib. x. Liuius, creati cepti sunt anno CCCCLIII; Q. Panfa, M. Coruo cos. Ad tres Flamines adiecti sunt XII, Volcanalis, Voltornalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Carmentalis, Portumnalis, Virbialis, Laurentialis, Lauinalis, Pomonalis. Vestalibus additæ duæ à Tarquinio Prisco, ut essent sex cum virgine Vestali maxima. Pontificum quattuor, ut essent octo cum pontifice maximo, eadem lege, qua augurum, numerus auctus est. post autem à Sulla dictatore, Liuius in epitomis auctore, quindecim effecti. Duumviri sacrorum, anno vrbis CCCLXXVIII, lege Sextia Licinia decem; postremo, ut puto, Sullana quindecim redditi, quomodo epulones etiam à tribus ad septem ascenderunt.

Illud porro sacerdotum omnium proprium fuit, ut nec imperium, nec potestatem

statem haberent, ut perpetui essent, ut tam ex plebeis, quam ex patriciis fierent, & ut à collegio cooptarentur. Potestate & imperio vacuos fuisse ostendit Liuius lib. quarto, apud quem patricij conqueruntur, *pontifices, auguresq; plebi communitari, & graue putant esse, si salij flaminisque nusquam alio quam ad sacrificandum pro populo sine imperijs, ac potestatibus relinquuntur.* Perpetuitatē eorum indicat, quod sacerdos nō nisi in demortui, aut abeuntis sacerdotis locū sufficiebatur. Quia etiā Fratrum Arualium sacerdotium exules, captiuosque esse comitarum lib. xvii prodit Plinius. Nam omnes quidem tam ex plebeis, quam patriciis creatos esse satis constat, præter regem sacrorum, & Flamines maiores tres, & Salios Palatinos, quos memoria etiam sua ex solis patriciis creatos esse perspicue significat. Cicero in oratione pro domo, cum ait: *Itaque populus Rom. breui tempore neque regem sacrorum, neque flamines, nec salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes.* mirum si pro libidine omnibus licebit patriciis ad plebem transire. Pontifex autē maximus, & rex sacrificulus, & flamines à populo etiam creati, pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis, tum cum reliqui sacerdotes à collegiis cooptarētur. quos omnes postea Cn. Domitius ad comitia populi tributa transtulit anno DC LI, Mario, & Oreste cos. quam legem post à Sylla sublatam & iterum à T. Labieno tribuno plebis, Cicerone consule, relata iterum M. Antonius consul post Cæsaris dictatoris necem abrogauit. qua insequentis anno vna cum ceteris Antonianis legibus S. C. sublata, res rursus ad populi comitia rediit.

## De magistratibus.

CAP. XX.



ACTENVS de sacerdotiis, nunc de magistratibus. Voco autem magistratus potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad rempublicam pertinerent, publica auctoritate curarunt. Horum autem quattuor, ut video, iura fuerunt, vnum positum in imperando, alterum in iure dicendo, tertium in referendo, quartum in auspicando. Imperium tribus in rebus positum fuit, in edicendo, in vocando, inprehendendo. Edictorum porrò duo genera fuerunt, vnum quo iurisdictionis suæ formulam initio magistratus proponebant, alterum quo pro magistratus auctoritate, ut res tulisset, quæ visa essent, imperabant. Qui uocationem porro habuerunt, ij etiam ius prehensionis cõsecuti sunt, atq; licitoribus, & viatoribus, & seruis publicis vsi sunt, qui prehensionē tantū, ij viatorē tantum cum seruo publico adhibuerunt, qui neutrum, ij seruis publicis duntaxat stipati sunt. Iurisdictionis vero duas habuit partes, vnam decretum, alteram iudicij dationem. Nam cum ius dicere nihil esset aliud, quam ius, quod in legibus, aut in edictis continetur, ei, qui poposcisset, reddere, profecto tū ius reddebant, cum aut ipsi re sine consilio cognita decernebant, aut iudices, qui rem cognoscerent, dabant, atque eis iudicandi formulam præscribebant. Ac quæ quidem de edictis, & iurisdictione dixi, facile Ciceronis auctoritate confirmantur. qui scribit in secundo de finibus: *Quid mereri velis iam, cum magistratum inieris, & in concionem ascenderis? (est enim tibi edicendum, quæ sis obseruaturus in iure dicendo.) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis cause facturum esse? & alibi de Antonio consule: Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens ante diem VIII Kal. Decembris, eo die ipse non affuit. at quo modo edixit? hæc sunt, opinor, verba in extremo: Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt. & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.* De decretis autem interpretandis, & iudicio dando docet idem, dum de Verre prætorē urbano loquitur: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit, & quam ab Sicilia ob decreta interponenda pecuniā acceperit, qui M. Octauium abibus dicendum poposcit.* Itē: *Domus*

erat plena, noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur. mihi det possessionem, mihi ne adimat, in me iudicium ne det, mihi bona addicat. Quæ vero de prehensione, & uocatione dixi, ea ex Varronis sententia dixi, qui apud Gellium ita scribit: *In magistratu habent alij uocationem, alij prehensionem, alij neutrum; uocationem ut consules, & ceteri, qui habent imperium; prehensionem, ut tribuni plebis & alij, qui habent uiam uorem; neque uocationem, neque prehensionem, ut quaestores, & ceteri, qui neque licetorem habent, neque uiatorem, qui uocationem habent, eisdem prehendere, tenere, abducere possunt, & hæc omnia si adsunt, quos uocant, siue acciri iusserunt. Tribuni plebis uocationem habent nullam, quod, ut ibi inquit Gellius, antiquitus creati uidentur non iuri diuino, nec causis querelisq; de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus praesentes fuissent, ut iniuria, quæ coram fieret, arceretur. ac propterea ius ad se uocandi ademptum, quoniam, ut vim fieri uetarent, assiduitate eorum, & praesentium uentis opus erat. item alio loco ex eodem Varrone. Qui potestatem neq; uocationis populi uirum habent, neque prehensionis, eos magistratus à priuato in ius quoque uocari est potestas. M. Leuinus aedilis curulis à priuato ad prætorem in ius est eductus. Nunc si patri seruus publicis non modo prebendi non possunt, sed etiã uero summouent populum. Ut autem duo publica consilia fuerunt, senatus, ac populus, sic ius referendi, quod tertium magistratibus addidi, duplex fuit, alterum ad senatum, ad populum alterum. Neque enim ad senatum cuiquam referre præter magistratum de republica licuit, neque ad populum, aut cum populo egit quisquam, nisi aut magistratus, aut à magistratu productus. egit autem ad populum qui uerba de rep. fecit ad populum, egit cum populo, qui populum in suffragium ire iussit. id quod aut multa pœnave irroganda, aut legibus, magistratibusue rogandis consecuti sunt. Quod uero extremo loco scripsi, magistratus ius in auspiciando quoq; uerfatum esse, id auctore Cicero scripsi, qui in legibus ita fert: *Magistratus omnes iudicium, & auspiciam habent.* Quod dictum neque de omnibus magistratibus, neque de omnibus auspiciis puto, uerum de magistratibus urbanis, & de obseruatione de cælo duntaxat. Duo enim præter cetera maxime uisurpata auspicia sunt, unum in urbe, & à magistratibus urbanis, alterum militiæ, & à magistratibus militaribus, ut à consulibus, aut prætoribus, aut prouincias, aut bella administrantibus. In urbe, & ab urbanis magistratibus omnibus de cælo seruatum est, foris tripudium pullorum adhibitum. Obseruatio uero de cælo ad comitia siue impedienda, siue uitianda pertinet, atque hanc Cicero intellexit, cum omnibus magistratibus auspiciam patere dixit. Siquidem legem suam interpretans addit: *Ut multos inuitiles comitiatus probabiles impediunt mora.* Sæpe enim populi impetum iniustum auspiciis diu immortales represserunt. Quod ipsum etiam declarauit Varro, ut est apud Nonium: *Eo die eis Tiberim redendum est, quod de cælo auspiciari ius sit nemini præter magistratum.* Obseruatione autem de cælo infirmata comitia esse, apparet ex edicto Iuliano, cuius meminit Gellius, quod in comitiis centuriatis habendis consules cauebant, *Ne magistratus ullus minor de cælo seruasse uellet,* quod etiam minores magistratus auspiciam haberent, id est inuitia comitia obnunciando impedire possent. Hanc autem auspiciorum potestatem tribunis plebem concessam, M. Horatio, P. Valerio consulibus, anno urbis recentissimo quarto, Zonaras scribit. *Quin etiam tribunis pl. inquit, in comitiis auspiciorum usum concesserunt. id quod eis uerbo quidem honorem, ac dignitatem attulit (id enim ius patricijs antiquitus fuit.) re autem uera impedimento fuit, ne facile tribuni plebis & plebs ipsa, quæcunq; uellet, ageret, sed per causam auspiciorum aliquando impedirentur.* Seruare autem de cælo erat non solum inspicere, si quid ligni de cælo appareret, quod actionem impediret, sed etiam nunciare, quod magistratibus, & auguribus licuit. Quamquã augures nunciationem tantum habuerunt, magistratus & speditionem, & nunciationem, quod Cicero docet cum in Antonium agit. Nam cum Antonius augur, & consul dixisset, eo se sacerdotio prædicum esse, ut comitia auspiciis uel impedire, uel uitiare posset, idque*

se facturum asseuerasset, respondit Cicero: *Incredibilem hominis stupiditatem cognoscite. quid enim? istuc, quod te sacerdotij iure facere posse dixisti, si augur non esset, & consul esses, minus facere potuisses? uide ne etiam facilius, nos enim augures nunciationem solum habemus, consules, & reliqui magistratus etiam speditionem.* Tripudium uero, id est ex pullorum pastu auspiciam, ad res gerendas accommodatum est. cique consules, prætores, dictatoresq; paruērūt, qui foris rem gesserunt. meminit autem huius Cicero in primo de diuinatione: *Nostrum magistratus auspicijs utuntur coactis. necesse est enim offa obiecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur.* Sed de hoc postea in libris de prouinciis pluribus.

Magistratus autem uarij in remp. hoc pacto illati sunt, primum cum resp. in potestate regum fuit, omnia regum arbitrio administrata sunt. penes enim eos summum ius uitæ, necisq; & omne gerendi belli imperium fuit. penes eosdem uersa iurisdictio fuit. siquidem, quod est in annalibus Dionysij, Romulus rex alia iudicauit, alia aliorum iudicio permisit. Neque uero alius regibus magistratus fuit, quam Tribunus Celerum, qui rem militarem cum eo curaret, &, quod multis placuit, etiam Quaestores, qui publicam pecuniam tractarent. ubi uero urbe abscuturus rex erat, Præfectus urbi cum potestate relinqui, & rege mortuo, interreges prodi soliti sunt, qui remp. interea dum rex alius crearetur, gubernaret. Exactis autem regibus Consules duo creati sunt in omnibus rebus pari cum regibus potestate, atque imperio, præterquam quod illi perpetui, hi annui, ille unus, hi duo erant. neque enim solum, quod in promptu est, bella gesserunt, sed etiam ius dixerunt. Itaque cum nimium eorum imperium uideretur, multis modis uindique diminutum est. primum enim lex de prouocatione lata, qua à consulibus ad populum prouocatio data est, captumq;, ne in caput ciuis Rom. consul animaduertere posset. deinde post annum xv Tribuni pl. creati multum de imperio consulum detraxerunt. siquidem ad plebem à consularibus iniuriis prohibendam, & ad intercessionem faciendam, & consulum dissoluendum imperium instituti sunt. Eodemq; anno creati Aediles plebis ad ades sacras, in quibus plebis scita seruarentur, teste Pomponio, tuendas, unde etiam aediles uocati sunt, aliquantum etiam de auctoritate consulum diminuerunt. cum senatus madauit, ut quod extat in tercio libro apud Liuium, *senatus consulta ad ades Cereris ad aediles plebis deferrentur, quæ ante pro arbitrio consulum supprimerentur.* Anno inde ab urbe condita cccx, cum consules perpetuis bellorum curis impediti censum in ciuitate peragere nequiret, Censores duo, qui quinto quoque anno censum, lustrumq; facerent, instituti eam quoque curationis publicæ partem consulibus ademerunt. Quod idem post annos etiam octoginta Prætor, & Aediles curules creati fecerunt. Prætor enim ad ius in urbe dicendum, cui rei uacare iam consules propter bellicas curas non poterant, est creatus. Aediles uero ludorum Rom. curationem, quam primum reges, post consules habuerant, aediles autem plebis recusabant, susceperunt, quo facto, inde urbis, annonæ, aliarumq; etiam sibi rerum curationem, & cognitionem uindictarunt. Et quoniam intellexerunt, tempora sæpe incidere, quibus opus esset reip. magistratu, qui summum imperij ius haberet, quale reges habuerant, instituerunt etiam, ut dubijs in rebus reip. Dictator diceretur, isque sibi Magistrum equitum diceret, qui dictatori esset idem, qui fuerat tribunus Celerum Regi. primus autem seditionis sedanda, & rei gerendæ causa creatus est anno post reges exactos siue sexto, siue, (non enim satis inter scriptores conuenit) nono. Reliquos autem, qui regum tempore erant, magistratus tenuerunt, ut Quaestores, & Præfectum urbi, quem maxime, dum consules in monte Albano feriis Latinis operam darent, creare, ut cum nulli essent consules, aut alij patricij magistratus. Interreges prodere soliti sunt. Succrescentibus autem negotijs post minores alij magistratus etiam multi creati, ut Triumuii Nocturni, Mone tales, Agrarij, Capitales, qui res diuersas pro usu reip. curarent, & de his ius diceret. Quia etiam prouinciis partis, atque earum imperio constituto prouinciales ma-

gistratus aliquot instituti sunt, prætores, & quæstores. quibus cum prouincialem iurisdictionem, tum rei bellicæ administrationem commiserunt. Hi vero omnes aut proditi sunt, ut interrex à patriciis, aut dicti, ut dictator ab interrege: aut ab alio consule; & magister equitum à dictatore: aut creati, ut reliqui omnes à populo. Atque hæc quidem de magistratibus, quod ad hunc locum pertinere mihi visum est, hætenus.

## De Imperijs. CAP. XXI.



**N**unc dicendum est de imperijs. est enim hoc ex propositis honorum generibus tertium. Imperium autem non iam maiorem quandamprehendendi, & coercendi potestatem, sed exercitum habendi, & belli gerendi facultatem appello, quo modo intellexit in Antonium Cicero, cum dixit: *Demus imperium Cesari sine quo res militaris administrari, exercitus teneri, bellum geri non potest.*

Quod ipsum quantum ab illo differat, inde intelligi potest, quod imperium illud in vrbe, hoc nisi extra urbem non habetur. & magistratus quidem, qui illud habet, nullo alio honoris titulo, nisi, qui magistratus nomine continetur, ornatus est; hoc qui adeptus est, idem præterea Imperatoris quoque nomen usurpat. & illud quidem cum magistratu ipso mandatur, (est enim ius ipsum magistratus.) hoc alia ratione, atque aliis comitiis, quam ipse magistratus, defertur. Quod autem dixi, imperium hoc bellicum non nisi extra urbem habitum esse, duo argumento sunt: primum quod neque consules hoc iuris habuerunt, nisi nobili illo senatusconsulto armati, quo decerni solebat: *viderent, ne quid detrimenti respublica caperet.* de quo sic scripsit Sallustius in Coniuratione: *Itaque quod plerumque in atroci negotio solet, senatus detruit, darent operam consules, nequid respublica detrimenti caperet. Et potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere modis omnibus socios, atque ciues; domi, militiaeq; summum imperium, ac iudicium summum habere. aliter sine populi iussu nullius earum rerum consilius est.* deinde, quod neque triumphaturi in urbem triumphantes cum exercitu inire, nisi lata de eorum imperio lege potuerunt, ut Liuius innuit, cum scripsit: *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ouans iniret, imperium esset.* Quæ vero sequuntur, illam habent sententiam: Cum imperium vnum ciuile esset, alterum militare, qui ciuile habebat, si consulare erat, consul, si prætorium, prætor, si dictatorium, dictator vocabatur. at si militare erat, præter illa etiam imperator, id est dux belli auspiciis suis administrandi. Quin etiam consulare, prætoriumq; imperium tum mandabatur, cum aliquis consul, prætorq; à populo comitiis centuriatis creabatur. eademque ratione dictatorium imperium tum transmittabatur, cum aliquis à consule, aut ab interrege dictator dicebatur. & imperium militare omnibus his tum demum tribuebatur, cum eis curiata lex de imperio ferebatur. Indicat veriusque Actionis formula. Etenim cum priuati consules, aut prætores fiebant, populus centuriatim vocatus ita rogabatur: *Quos vultis consules fieri?* centuriæ vero respondebant aut voce, aut tabella, hunc, aut illum ex illis, qui se petere professi erant. cum autem magistratus imperator legebatur, populus curiatim vocatus sic rogabatur: *Vultis, iubetis ne, ut hic consul, aut prætor, aut dictator imperium in hac, aut illa prouincia habeat?* Curia vero respondebant: *Volumus, uti rogas.* Itaque Papirius dictator, (ut inquit Liuius libro IX.) ad bellum profecturus legem curiatam sibi de imperio tulit. cum autem priuatus imperator declarabatur, populus tributim conuocatus ita rogabatur: *Vultis, iubetis ne, ut hic priuatus in hac, aut illa prouincia imperium habeat, aut ibi proconsule, aut proprætor rem gerat?* Tribus responderunt, *Volumus, uti rogas.* Itaque ille lege curiata, hic plebiscito imperium habuisse: magistratus autem non lege, sed comitiis centuriatis honorem

honorem adeptus esse dictus est. Lege enim delatum imperium tum dicebatur, cum nominatim alicui erat commissum. sic enim dixit Festus: *Cum imperio esse dicitur, cui nominatim est à populo mandatum imperium.* Iam vero consul, prætor, dictator cum magistratus quisque suos inierunt, ij certo, ac solempni die, in Capitolio, sacrificio facto, votisque publice nuncupatis, ac prætexta, & licitoribus sumptis id fecerunt. imperator vero cum imperium iniecit, alio, atque alio, ut res tulit, die, in Capitolio, alio sacrificio facto, aliisque votis nuncupatis, & paludamento accepto, & licitoribus paludatis ascitis id fecit: atque illi quidem in vrbe manserunt, hic statim ex vrbe egressus est. Accedit, quod magistratus iisdem comitiis, nempe centuriatis est continuatus, imperium vero tributis, ac plebiscito est prorogatum. Liuius libro VIII: *Actum cum tribunis plebis est, ad populum ferrent, ut cum Philo consulatu abisset, proconsule rem gereret.* Quoniam vero comitia curiata ad multas res adhiberi solita ad extremum in vno præcipue militari mandando imperio sunt retenta, factum est, ut Liuius *comitia curiata rem militarem continere* dixerit, & Dio *legem curiatam legem militarem* vocarit, & Cicero *consules sine lege curiata rem militarem attingere posse*, negarit. causa vero est, quod quæ fiebant curiatis comitiis, auspiciato fiebant, quæ tributis, inauspicato. Itaque proconsules, & proprætores, qui ex priuatis prouincias, & bella plebiscito obtinuerant, carere auspiciis Cicero intellexit, in secundo de Diuinatione, cum dixit: *Quam multi anni sunt, cum bella à proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec annes transcunt auspiciato, nec tripudio auspicantur.*

Ne vero nos fallant varia, quæ in hoc genere comitia usurpantur, intelligendum est, aliud esse, iubere bellum, aliud imperatorem ad bellum deligere, siue alicui imperium belli gerendi causa committere. Bellum enim iubebatur comitiis tantum centuriatis; imperator, vel lege curiata declarabatur, si magistratus erat, vel plebiscito plerumque, si priuatus. De bello iubendo Liuius libro quarto: *Controuersia fuit, utrum populi iussu indiceretur bellum, an satis esset, senatusconsulto.* Peruicere tribuni denunciando, se impedituros delectum, ut Quintius de bello ad populum ferret. omnes centuriæ iussere. & alibi: *Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est.* De imperatore deligendo, atque vna de tota hac militaris imperij ratione post pluribus in libro de magistratibus, & Imperatoribus differam. Cui scribendo occasionem attulit Nicolaus Gruchius, qui imperium militare cum imperio consulari, prætorio, dictatorioq; confusum esse, ac legis huius curiatæ longe aliam vim esse putauit, nosque ab illo dissentientes ferre non potuit, ac duobus scriptis super hac re commentariis honestum ad certamen laudis, atque ingenii prouocauit. Ac quis quidem ciuis Romanus fuerit, ac quibus in rebus ius eius constiterit, satis à nobis hætenus quæsitum, & disputatum sit.



CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
CIVIVM ROMANORVM  
LIBER SECVNDVS.



De ordinibus civium Romanorum. CAP. I.



UPERIORE libro civis Romani definitionem, quam initio proposueram, ita confirmaui, ut nihil fere, quod ad summum eorum ius illustrandum valeret, omiserim. hoc libro tres eorum diuisiones, vnde magna eorūdem inter se dissimilitudo perspicui possit, expediam. Earum vero vnam ciuitatis ordines intulerunt, alteram magistratuum imagines, tertiam reipub. factiones. ita enim diuisi sunt in ordines, ut omnes aliquem ex tribus obtinuerint, aut senatorium, aut equestrem, aut plebis; ita imagines habuerunt, ut aut nobiles fuerint, aut noui; ita factiones coluerunt, ut aut optimates habiti sint, aut populares. quæ diuisiones non solum vniuersam ciuitatem amplexæ sunt, sed etiam pro viribus neruisq; suis omnes prope seditiones, quibus respublica laborauit, excitarunt, omnesq; publici status, communisq; vitæ perturbationes secum traxerunt, ac demum rempublicam ipsam florentissimam in perpetuum perdiderunt. Quod ita plane, ac diserte ostendam, ut re perspecta plane sit futurus nemo, qui dubitet.

Dicamus autem primum de ordinibus, & vetera eorum, ut cœpimus, iura literis persequamur. Hos tres fuisse, senatores, equites Romanos, & plebem satis constat. Testes enim sunt omnes, sed maxime, ut ab antiquioribus ordinar, Cicero in oratione in toga candida in Catilinam, cum inquit: *A quibus consulatum petis? à senatoribus, qui te auctoritate sua spoliatum ornamenti omnibus vincitum penè Africanis oratoribus tradiderunt? ab equestri ordine, quem trucidasti? à plebe, cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset?* & in oratione pro domo: *Senatus decreuit, ut omnes, qui remp. saluam esse vellent, ad me vnum defendendum venirent. proximus est huic dignitate ordo equester, omnes omnium publicanorum societates de meo consulatu amplissima decreta fecerunt. nullum est in hac vrbe collegium, nulli pagani, aut montani, (quoniam plebi quoque vrbanae maiores nostri conuenticula, & quasi consilia quædam esse voluerūt,) qui non amplissime de mea salute decreuerint.* & Liuius bello Punico: *Consensum senatus equester ordo est sequutus, equestri ordinis plebs.* & Valerius de fiducia sui: *Scipio senatum totum, & vniuersum equestrem ordinem, & cunctam plebem comitem habuit.* & Paterculus libro primo: *Tum senatus, atque equestri ordinis pars melior, & intacta perniciosus consilijs plebs in Gracchum irruere.* Quid de Appiano dicam, qui libro

bro primo, equites inter senatum, & plebem interiectos prodidit? aut de Aufonio, qui cecinit: *Maria Roma triplex equitatu plebe, senatu.* aut de Plinio, qui scripsit, *annulos plane medium ordinem, tertiumq; plebi, & patribus inseruisse?*

Horum autem trium ordinum cum summus senatorius fuerit, infimus plebs, medius equester, factum est, ut quem ex amplissimo ordine esse significare vellent, eum senatorem, siue senatorij ordinis; quem è medio, equitem Romanum; siue equestri ordinis; quem ex infimo, è plebe hominem siue plebeium appellarent. sic enim Cicero, qui in Cluentiana dixit, *M. Bruium senatorem, & L. Platorium senatorem.* & Asconius, qui in Milonianam: *Sex. Tedium Senatorem, C. Vibienum senatorem.* & item in Bruto Cicero: *equitem Romanum C. Titium.* & in Verrem: *C. Mustium equitem Romanum.* & iterum in Bruto: *nostris ordinis Q. Sertorium, equestri C. Gorgonium.* eademque ratione pro Cluentio: *senatorij ordinis Fiducianium.* & pro Milone: *Eques Romanus vnus, duo de plebe noui homines.* & in Verrem: *P. Iunij erat hominis de plebe Romana filius.* & Suetonius in Claudio: *E plebe homo iuxta cubiculū eius cum pugione deprehensus est, reperti & equestri ordinis dua.* & in Nerone: *Adolescentes equestri ordinis, & quinque millia è plebe.* Postremo Asconius: *Senator à censore senatu mouetur, eques Rom. equo spoliatur, plebeius in ararios refertur.*

Præterea vero, quorum maiores senatores fuerunt, ij senatorio; quorum equites, equestri loco, atque familia orti dicebantur. Itaque & Cicero in defensione Murenæ, patrem Ser. Sulpicij, & in prima agraria, se consulem *equestri loco ortum* profiteretur. & Suetonius, *Augustum se nihil amplius, quam equestri familia, in qua & primus senator pater suus fuerit, tradidisse* ait. & Tacitus libro quinto, *Viniuum patre, atque auo consularibus, cetera equestri familia fuisse* prodit, & in Verrem quarto Cicero: *Lex ab homine non nostri generis, non ex equestri loco, sed nobilissimo promulgata.*

Quando igitur tantum hi ordines auctoritatis adepti sunt, ut diuersas inter se familias reddiderint, sane videndum est, à quo, & quemadmodum initia, & incrementa acceperint, quid ad remp. ponderis, quid ad ciuitatem Romanam momenti attulerint. quæramus autem primum de senatoribus.

De Senatoribus. CAP. II.



QDINVM varietatem intulisse Romulus videtur. idem enim senatum, idem equites instituit. ex quo intelligi potest, qui neque senatores, neque equites essent, eos ab eodem in tertio plebis ordine relictos fuisse. Senatores autem nominauit, quos ad consultationes de rep. aduocauit. quod senes fere, & maiores natu acciuerit, ad quos de summa rep. referret, atque ex eorum auctoritate omnia ageret, quæ publice sibi suscipienda existimaret. Eisdem autem etiam patres appellauit, nempe à curæ similitudine, ut scripsit in Catilinæ coniuratione Sallustius: *Delecti, inquit, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat. reipub. consultabant. hi vel atate, vel curæ similitudine patres appellabantur.* vnde procedentibus temporibus patres conscripti nuncupati, qui in nouum senatum erant lecti. quanuis postremo vsus obtinuerit, ut omnes senatores vno patrum conscriptorum nomine vocarentur.

Senatorum vero lectio fuit varia. nam penes & reges, & consules, & censores legendi senatus aliis, atque aliis temporibus, arbitrium fuit. Dionysius Romulum senatores centum ita legisse scribit, ut ipse vnum ex omnibus præstantissimum designarit, cui ipse ad bellum egrediens ciuitatis procuracionem committeret. reliquos autem singulis tribubus ternos prudentia, ac nobilitate claros, totidemq; singulis curiis ex patriciis maxime idoneos cooptandos permiserit. Quam autem in legendo

legendo reges alij sequuti sint rationem, parum ex annalibus liquet. Quod si Festo auctori non contemnendo credimus, non solum reges, sed etiam cōsules, quos voluerunt, pro arbitrio sibi sublegisse dicemus. Eius autem verba sunt hæc: *Præteriti senatores quondam in opprobrio fuerunt, quod ut reges sibi legant, sublegebantq; quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos, consules quoque & tribuni militum consulari potestate coniunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant. donec Ouinia tribunicia interuenit, qua sancitum est, ut censores curiatim in senatum legerent.*

Neque vero numerus senatorum idem omnibus temporibus factitatus est. Dionysius, qui bis à Romulo senatum lectum scribit, primum ex Albanis, quos socios urbis condendæ habuit, lectos centum ait; deinde ex Sabinis, quos fœdere cum Sabinis isto in ciuitatem assumpsit, alteros centum, ut omnino essent ducenti; Priscum inde regem alios centum allegisse, factosq; esse trecentos; postremo Brutum consulem primum, Valerij collegam, eum numerum à Tarquinio Superbo cædibus, & expulsionibus imminutum expleuisse. Quarum lectionum meminit etiam Liuius. in eo tantum discrepat, quod centum à Romulo, ducentos à Prisco, trecentos à Bruto adlectos tradit. cum quibus nec dissentit Festus, cum ait: *Qui patres, quiq; conscripti vocati sunt in curiam, quo tempore regibus vrbe expulsis, P. Valerius consul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit in numerum senatorum centum & sexaginta quattuor, ut expleret numerum trecentorum.* Quod autem scribit, ceptum tum dici, *Qui patres, quiq; conscripti,* idem confirmat etiam Liuius, patres conscriptos esse vocatos asserens, qui à Bruto in nouum senatum erant lecti, cum tamen alij, quos Romulus ex Sabinis, alij quos Priscus rex legit, cōscriptos prodant. Constans ergo opinio est, senatores omnino post reges exactos fuisse trecentos; quem numerum per multos post annos esse inuenio obseruatum. Sunt tamen qui à C. Graccho trib. pleb. allectis ex equestri ordine trecētis sexcentos lege primum factos scribant. quod & apud Plutarchum est, & in epitoma Liuiana. quam ego legem aut à populo antiquatam, aut haud ita multo post abrogatam esse, inde ducor ad suspicandum, quod eandem post à M. Liuiio Druso tribuno pl. relatam inuenio apud Appianum. is enim, quod Gracchus ante tentasse dicitur, ut iudicia inter senatores, equitesq; communicaret, legem tulisse fertur, ut ad trecētos, qui tum erāt, senatores trecēti ex equitibus ascriberentur, atque ex sexcentis, ex quibus vniuersus senatus esset, iudicium decuriæ legerentur. Verum & hanc etiam legem vnā cum ceteris Drusi legibus Philippo cos. referente, vno S. C. sublatam, satis certum est. Inde vero duas senatus lectiones inuenio, vnā Sulla, & Rufo cos. factam, alteram Sulla dictatore. Vtriusque meminit Appianus; prioris ita, ut in senatum tum maxime propter infrequentiam contemnendum trecentos ex optimatibus ipsos legisse consules dicat. quam tamen lectionem ego à censoribus, qui tum erant, Cæsare, & Crasso, non à consulibus factam esse existimo; posterioris ita, ut senatum exhaustum trecētis principibus equestri ordinis lectis dato tribubus de singulis suffragio ipsum dictatorem suppleuisse subiiciat. Ex quo intelligi potest, senatorum numerum omnino esse à Sulla amplificatum. Quanquam autem certum Sullani senatus numerum afferre nullum possum, tamen supra quadringentos ab eo lectos, mihi non imbecilla nixus coniectura affirmare videor posse. si quidem Cicero in epistola quadam, quam ad Atticum Messalla & Piione cos. scripsit, inquit: *Homines ad xv Curioni nullum S. C. facienti assenserunt. facile ex altera parte cccc affuerunt.* Auctum inde vsque ad nongentos à Cæsare dictatore senatum, & post necem Cæsaris à triumuiris reipub. constituendæ indignissima etiam turba repletum, & Dionis, & omnium propè loquuntur historia: ex quibus scitum, & elegans illud est Suetonij: *Augustum senatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba, (erant enim, inquit, super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam, & præmium allecti, quos orciuos vulgus vocabat)*

ad modum

*ad modum & splendorem pristinum redegit.* Quoniam autem alius aliis temporibus numerus senatorum est celebratus, hinc obseruatum lege est, ut nō omnibus tēporibus idem senatorū numerus ad senatusconsulta facienda requireretur. siquidē ante Syllæ tēpora centum, ante Cæsaris, ducentis, Augusti ætate quadringentis opus fuit. Ac de centum quidem video elici posse ex Liuiio, apud quē scriptū est: *senatusconsultum factū, ne quis sacrum Bacchanaliū faceret, nisi ei permissum esset, cum in senatu centum, nō minus, essent.* de ducentis argumento est lex Cornelia in consulu Cottæ, & Torquati, teste Asconio, lata: *Ne quis legibus solueretur nisi ducenti affuissent.* nam de quadringentis auctor est Dio, qui scribit, *Augustū legisse senatum, & cum videret non semper fræquentes senatores conuenire, senatusconsulta ut etiam à paucioribus, quàm quadringentis, fierent, cū hic ante numerus, ut rata essent, quæreretur, statuisse.* Ex quo moris illud manauit, de quo Festus: *Senatorem queng; consuli, ut numeraret senatum præcepisse, cum impedimento esse volebat, quominus faceret s. c. si tot non essent senatores, quo numero liceret per scribi senatusconsultum.*

In senatoribus porrò legendis, generis, ordinis, census, ætatis & magistratus habitā esse rationem, reperio. Generis, ut ex iis familiis legerentur, quibus senatus pateret. patuit autem primum patriciis, post etiam plebeiis. Romulus enim, & Priscus non nisi ex patriciis quenquam legisse à Dionysio traduntur, id est ex iis, quos ante in patriciorum numerum rettulissent. Quod si Zonaram historicum audias, Ser. Tullium primum plebeios in senatum vocasse statues. is enim plebeios ab eo rege in senatum lectos tradit, ut gratiam eis referret, quod rogationē de suo regno magno animorū consensu iussissent. si autem Festi verba attēdas, anno primo libertatis hoc fieri ceptum existimabis, qui P. Publicolam consulem, Bruti collegam, primum in senatum plebeios patriciorum inopia allegisse scribit. quod nescio, an ita intelligendum sit, plebeios tum quidem esse in senatum ascitos, sed qui antequam asciscerentur, patricij essent facti. nam id ita factum aperte prodit Dionysius. Quod si Dionysium ipsum sequamur, aliquanto serius plebi senatum communicatum esse dicemus. is enim in exponenda patrum aduersus plebem pro Coriolano contentione, quæ in secundo Minucij & Sempronij consulatu, anno ab vrbe condita ducentesimo sexagesimo suscepta est, ita loquitur, ut multo post eum annum id iuris plebi impertitum esse significet. nam vbi Coriolanum, virum patriciū, à plebe, tributis comitiis, nouo exemplo, vrbe pulsus narrauit, ita subdit: *Atque hinc quidem plebis opes creuerunt. optimates autē multas partes antiquæ dignitatis amiserunt; cum & senatus, & magistratū, & sacerdotiorum partem plebeijs fecissent, & alia etiam ornamenta communicassent, quæ propria patriciorum fuerant.* significat autem ut aliquot post annos honores, sic etiam senatum plebi esse permissum. Factum autem hoc esse ante annum trecentimum vigesimum inde apparet, quod Liuius de Sp. Mælio, plebeio homine loquens in seditione eius explicanda ait: *Quem senatorē dixit concoquere ciuitas posset, eum regem quo modo ferret?* Quod si coniecturæ locus dandus est, id ego decemuirum maxime consularium tempore institutum esse crediderim, ex quibus aliquot è plebe fuerunt; quos in senatum propter magistratus ipsius amplitudinem ascitos esse, atque eorum exemplo post alios etiam ascriptos facile existimauerim, præsertim vero postquam plebeij de tribunatu militari, quæ erat par consulatui potestas, capiendo peruicerunt.

Ordinis autem ea fuit ratio, ut cum in senatum legendi essent, maxime ex equestri ordine, qui proximus dignitate erat, legerentur. Hoc Liuius ostendit, qui libro secundo, senatum ex primoribus equestri ordinis à Bruto consule scribit esse suppletum. & libro XLIII, Perseum Macedoniæ regem ita facit loquentem: *Equites Romanos principes iuuentutis, equites seminarium senatus, inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant.* indicat lex Drusi, qua tulit, ut singuli senatores, qui tum vix erant trecēti, viritim sibi quisque senatorem equitem Rom. legerent. demonstrat lex Syllæ, quem senatum ex equestri ordinē

h supple

suppleuisse in epitomis, atque in Appiani historia extat.

Censum præterea in legendo senatu spectatum, non est dubium. Declarat hoc Seneca declamationum libro II. *Senatorum, inquit, gradum census ascendere facit. census Romanum equitem à plebe discernit. census in castris ordinem promouet. censu in foro iudex legitur.* An vero hoc antiquum fuerit institutum, in dubium reuocare videtur Plinius lib. XIIII, cum ait: *Posterius laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. postquam senator censu legi coeptus, pessimum iere vitæ pretia.* Laudatur autem census in senatore, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuratur. Ceterum ante Augustum censum senatorium sestertium octingenta millia fuisse, eumque ab Augusto ampliatum, tradit his verbis Suetonius: *Senatorium censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies taxauit, suppleuitq; non habentibus.* qua de re Dio ita: *Inde senatus lectus est. postquam enim ijs census primum centum millium præfinitus erat, quod multi patrimonia bellis amississent. procedente autem tempore diuitijs magnis partis usque ad CCL millia per ductus erat, nemo reperiebatur, qui legi vellet. immo vero & filij, & nepotes senatorum afflictæ re familiari non solum senatoriam dignitatem non appetebant, sed ea quoque se abdicabant.* scite. Non enim solum, si quis senatorium censum non haberet, senator legi non poterat, sed si posteaquam lectus esset, censum labefactasset, ordinem amittebat. vnde præclara illa sunt in epistola Ciceronis ad Q. Valerium: *C. Curcius habet in Volaterrano possessionem. hoc autem tempore Caesar eum in senatum legit, quem ordinem iste ista possessione amissa vix tueri potest.*

Quin etiam ætatem in legendo senatore certam esse obseruatam, inde suspicari possumus, quod scribit Gellius lib. XIII, præfectum vrbis ea ætate factum, quæ non esset senatoria. & ex eo, quod dixit Cicero de Pompeio in Maniliana: *Quidnam præter consuetudinem, quam homini peradolescens, cuius à senatorio gradu ætas longe abesset, imperium, atque exercitum dari?* At quæ tamen ætas hæc esset, nondum me pro certo inuenisse profiteor. Cum autem maxime, qui magistratus ceperint, legi in senatum consueuerint, quæstura autem primus vrbanus fuerit magistratus, sit, vt ego ætatem quæstoriam eandem propè ac senatoriam fuisse existimem. legitimum autem capiendæ quæsturæ annum fuisse vicessimum septimum ætatis, satis ab aliis demonstratum est. Tuetur autem coniecturam meam Valerius, cum scribit: *P. Crasso Q. Fabius narrauit, quod in curia erat actum, memor, eum triennio ante quæstorem factum, ignarusq; nondum à censoribus in ordinem senatorum electum.* sustinet etiam Cicero in Philippicis, qui de Octauiani præmijs disserens ita censet: *C. Casarem C. F. pontificem propr. senatorem esse, sententiamq; loco prætorio dicere, eiusq; rationem, quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret. si anno superiore quæstor fuisset.* itemque in oratione pro domo, in qua P. Clodij nondum tribunum pl. sed tantum, vt suspicari licet, quæstorium senatorem adoptatum ait.

Ex quibus verbis illud præterea intelligi potest, senatorem legi ex ordine, nisi qui magistratum gessisset, non fuisse solitum. cui mori congruenter Cicero sanxit in legibus suis, *è magistratibus senatum esse oportere.* vnde illud est in oratione de signis apud eundem, cum de senatorio loquitur ordine: *Populi Romæ beneficio nos in hunc ordinem venimus.* quod est aliud nihil, nisi per magistratum populi Romani. Itaque idem in senatu post reditum dixit, *se populi Romæ honoribus in amplissimo consilio, & in altissimo gradu dignitatis, atque in ipsa omnium terrarum arce collocatum.*

Est tamen illud animaduertendum, quanquam hæc omnia in aliquo constarent, non tamen iccirco necessario senatorem eum fuisse. opus enim fuit lectione censoris, usque adeo, vt ne qui magistratus quidem gessissent, nisi à censoribus lecti essent, senatores esse possent. quod loco supra citato aperte tradit Valerius, subiiciens: *Ignarusque nondum à censoribus in ordinem senatorum electus, quo modo etiam ijs, qui iam honores gesserant, aditus in curiâ dabatur.* Neq; vero solū

legen

legendi senatoris arbitrium fuit censorium, sed etiam prætereundi, & mouendi ita vt, quem in recitando senatu nominassent, is lectus in senatum; quem præteriissent, idem senatu motus putaretur. exemplorum autem plena est omnis historia.

Atque hæc quidem legendi senatus ordinaria ratio fuit, vt & à censoribus, & eo, quo demonstraui, modo legeretur. fuerunt autem extraordinariæ præterea multæ; vt Ap. Claudij Cæci censoris, qui libertinorum filios legit. quæ lectio à sequentibus censoribus non est obseruata. de qua Liuius libro IX. & altera Fabij Buteonis dictatoris senatus legendi causa dicti, bello Punico I. de qua idem ita: *Buteo dictator negauit, se quenquam è senatu moturum ex ijs, quos C. Flaminius, & L. Aemilius censes in senatum legissent, & ita in demortuorum locum sublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur.* Recitato veteri senatu inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Aemilium, C. Flamintum censes curulem magistratum cepissent, nec dum in senatum lecti erant, vt quisque eorum primus creatus erat. tum legit qui ædiles, tribuni pl. quæstores de fuerunt, tum ex ijs, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut ciuicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis extemplo magistratu se abdicauit. quibus ex verbis apparet, qui curulem magistratum gesserat, ijs prælatos, qui plebeium; hos vero ijs, qui egregie se in bello gessissent. tertia fuit siue Gracchi, siue Drusi. quarta Syllæ dictatoris, qui senatum ex equitibus eo, quod dixi, modo suppleuerunt. quinta Cæsar's dictatoris, qui, vt ait Suetonius, ciuitate donatos, & quosdam è semibarbaris Gallorum, vt Dio, milites, & libertinorum filios recepit in curiam. sexta triumuirum reip. constituendæ, qui L. Marcio, C. Sabinos, non socios solum, ac milites, & libertinorum filios, sed seruos etiam ipsos, teste Dione, in senatum suscepunt: septima Augusti Cæsar's, de qua alibi dicendum.

Insigne autem senatorum fuit tunica lati clauis, qua ab equitibus sunt separati. cuius rei exemplis vetera abundant monumenta. Plinius libro XXXIII. *Annuli distinxere alterum ordinem à plebe, vt semel coeperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantum.* Suetonius in Augusto: *sumenti virilem togam tunica lati clauis resuta ex utraque parte ad pedes decidit. fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subijceretur, id est ordo senatorius.* & in Tiberio: *Senatori latum clauum ademit, quum cognouisset sub R. Iulij demigrasse in hortos, quo vilis post diem ædes in vrbe conduceret.* Latus vero clauus dictus est teste Festo, à latitudine clauorum; vnde Varro de lingua lat. *Si quis tunicam in usu ita consuit, vt altera plagula sit angustis clauis, altera latis.*

Quæstum porrò omnem in senatore indecorum fuisse refert Liuius, vbi anno vrbis conditæ DXXXV, Ti. Sempronio, P. Cornelio cos. legem à Q. Claudio tribuno pl. latam scribit, *Ne quis senator, qui de senatoris pater fuisset, maritimam nauem, qua plus, quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis visum ad fructus ex agris vectandos. quæstum omnem patribus indecorum esse, visum.* Quo spectans Cicero in VII in Verrem dixit: *Noli metuere Hortensi, ne quæram, qui licuerit nauem ædificare senatori. antiquæ sunt istæ leges & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere, quæ vetant. fuit ista respublica quondam; fuit ista seueritas in iudicijs, vt istam rem accusator in magnis criminibus obijciendam putaret.*

Senatores autem in petendis honoribus fuisse occupatos, vnde multa ornamenta domi, forisq; pepererint, indicat in Cluentiana Cicero, dum ita agit: *Iniquum esse, eos, qui honorum ornamenta propter periculatorum multitudinem prætermisissent, populi beneficijs esse priuatos, iudiciorum nouorum periculis non carere. Senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea conditione proposita petere coepisset. quodq; per multa essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiâ posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exterarum nationum nomē, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ. & pro Postumo: Delectat amplissimus ciuitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, triumphus, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam*

h 2 pro

*prodita.* Quæ quidem senatorum esse ornamenta dicimus, non ut in senatum veniunt, sed ut honores receperunt, à quibus reliqui ordines abstinerunt.

Neque vero illud hoc loco prætereundum est, qui in senatum venirent, non omnes senatores fuisse, verum eos duntaxat senatores appellatos, qui à censoribus, aut ab iis, qui ius senatus legendi haberent, lecti essent; alios enim fuisse senatores, alios eo gradu, ut in senatu sententiæ dicendæ ius haberent. Hi vero erant, qui magistratibus functi in senatum venire, & sententiam dicere poterant, senatores tamen à censoribus lecti non erant. de quibus in hunc modum scribit ex Varronis sententia Gellius: *Varro in satyra Menippea equites quosdam dicit pedarios appellatos, videturque eos significare, qui nondum à censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant, & sententiæ ius habebant. Nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum à censoribus lecti erant, senatores non erant. & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quæ principes dixerant, in eas descendebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules, cum senatores in curiam vocant, servandæ consuetudinis causa, translatitio utuntur. Verba edicti hæc sunt: Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet. Huius vero edicti meminit etiam Livius libro XXI: Consules, inquit, edixerunt, quoties senatum vocassent, uti senatores, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam convenirent. & alibi: P. Cornelius consul edixit, qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ne quis eorum ab urbe abiret. Hunc autem, credo, etiam morè respexit, cū dixit de Salinatore: A censoribus coactum in senatum venire. sed tum aut verbo assentiebatur, aut pedibus in aliorum sententiam ibat. Quanquam Gellius eodem in loco pedarios senatores dictos ab aliis subiicit, qui non sententiam in senatu dicerent, sed ab alijs dictam mouentes se loco adprobarent; ab alijs, qui curules magistratus nondum gessissent, unde in curiam non curru, ut ceteri, veherentur, sed pedibus irent. Festus autem edici solere ait, ut senatores adsint, quibusque in senatu sententiam dicere licet. quia ij, qui post lustrum ex iunioribus magistratum ceperunt, & in senatu sententiam dicunt, & non vocantur senatores, antequam in senioribus sunt censi. quos credo etiam intellexit Cicero in Cluentiana, cum dixit: Cluentius eques Rom. causam dicit, qua lege senatores, & ij, qui magistratum habuerunt, soli tenentur.*

Fuisse etiam tribunos plebis sine lectione censoria senatores post Atinium plebiscitum existimo, cuius meminit Gellius lib. XIII, ita ex Capitone: *Tribunis plebis senatus habendi ius erat. quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Hunc vero C. Atinium Labeonem tribunum pl. opinor fuisse, qui cum timeret, ne à sequentibus censoribus in senatu legendi præteriretur, quod Q. Metellum Macedonicum censorem, à quo præteritus fuerat, de saxo Tarpeio deiici iusserat, eam rogationem tulerit in tribunatu, ut vi ipsa gesti tribunatus, non censoris beneficio senator esset. Vnde scribit Livius libro XLV, *Cn. Trebellium tribunum pl. petitioni censorum, quia lectus in senatum non fuerat, intercessisse.*

Hactenus de senatoribus. Senatus autem cognitionem, atque auctoritatem qui requirit, is quid libro VI Polybius scribat, attendat. neque enim nos senatus nunc, sed senatorum, iura quærimus.

#### De Equitibus Romanis.

#### CAP. III.



**V**T autem senatores à Romulo, sic equites etiam instituti sunt. Docet hoc Dionysius, cū scribit: *Romulus cū senatū ex viris natu grandioribus centum constituisset, intelligeretque se armata iuventute ad corporis custodiam, & ad ea, quæ instarent, opera indigere, trecentos viros, quos ex clarissimis familijs robore præstantissimos selegit, eosque à curijs eodem modo, quo senatores, declarandos curavit, ex singulis curijs denos circa se perpetuo habuit. Celeres autem dicti sunt, vel à celeritatis officio, vel*

*ut Antias prodidit, à duce Romuli Celere, qui his tribus centurijs præpositus est. In bellis autem sæpe strenue se gesserunt, cum primi proelium inirent, ultimi confecto proelio excederent, & modo equis, modo pedibus, prout loci natura dabat, pugnarent. docet etiam, sed aliquanto brevius Livius: Trecentos Romulus, inquit, armatos ad custodiam corporis, quos Celere nominavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit. Eisdem autem post à Numa, teste Plutarcho, sublatis alij restituisse reges videntur. siquidem L. Brutus L. Superbo regi præfectus Celere fuisse traditur. Hos autem Flexumines postea, inde Trossulos, tum Equites dictos inuenio apud Festum, & Plinium. Verba Festi hæc sunt: *Celere antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus, à Celere interfectore Remi, qui initio à Romulo ijs præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curijs deni, ideoque omnino trecenti fuere. & alio loco: Trossuli Equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperunt. Plinij vero lib. XXXII: Equitum nomen sæpe variatum est in ijs quoque, qui ad equitatum traherentur. Celere sub Romulo, regibusque appellati sunt, deinde Flexumines, postea Trossuli, cum oppidum in Tuscia citra Volturnum passuum novem millia sine ullo peditum adiumento cepissent eius vocabuli. idque duravit ultra C. Gracchum. Iunius certe, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: Quod ad equestrem ordinem attinet, antea Trossulos vocabant, nunc equites vocant, ideo quia non intelligunt Trossulos nomen, quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, & causam, quæ supra indicata est, exponit, in ijsque etiam nunc tamen Trossulos vocari. Hæc Plinius.**

Hæc ergo sunt ordinis equestris, qui senatorio oppositus est, primordia, hæc fundamenta, cuius ab initio exiguæ opes, ac copiæ adeo postremo creuerunt, ut cum senatoribus, & cum plebe non contenderint solum, sed acerbis etiam inimicitias exercuerint. Rara autem eorum mentio est sub regibus. Livius tantum Prisco regnante loca in circo patribus, equitibusque diuisa scribit. Zonaras Superbum plerosque patrum, atque equestris ordinis sustulisse prodit. Liberata autem regno rep. huius ordinis memoriam vsurpari à Livio video, cum primores equestris ordinis à Bruto cos. in senatum lectos scribit. itémque à Dionysio, cum in describenda coniuratione, quæ Ser. Sulpicio, M. Tullio cos. facta est, anno post reges exactos decimo, senatoribus, & equitibus à consule negotium custodiendarum urbis partium datum tradit. & iterum à Livio, M. Papirio, C. Nautio cos. an. CCCXII, cum scribit, *non plus singulis senatoribus in legationes inuentis coactos esse binos equites adijcere.* Inde equitum in bello crebra mentio, in ciuitate, nisi post Gracchorum tempora, rara.

De quibus antequam dicam, illud, quod huius quæstionis caput est, proponendum videtur, Equites, & equestrem ordinem Romæ duobus modis esse acceptum. vno, quo, ut diximus, equites senatoribus in ciuitate, altero, quo peditibus in acie opponuntur. Vtraque autem diuisio à Romulo in remp. illata est. Idem enim, cum legionem constituisset ex tribus peditum millibus, legioni equites trecentos adiecit, auctore Plutarcho. Hos autem equites nihil aliud fuisse apparet, quam tres illas equitum centurias ab eodem cōscriptas Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum, quas post auctas sub iisdem nominibus à Prisco rege, & sex factas Livius, Dionysius, & Festus prodidere. Itaque huc intuens Valerius dixit, *Priscum regem senatum auxisse, & ordinem equestrem vberiore reliquisse.* quasi vero Priscus equitum, qui senatui opponuntur, non qui peditatui, numerum auerit, cum inter vtrumque genus plurimum interfuerit. Nam senator merere equo potuit, senator autem eques esse Romanus, vbi in senatum erat ascitus, defuit. Neque tamen nego, quin & hoc & illud equitum genus bella frequentarit, sed hoc dico, longe alia decora illorum equitum, quam horum & militiæ, & domi fuisse. Vnde autem distinguerentur, nos in magna vetustatis obscuritate quæramus. Mihi quidem veterum, quos post nominabo, auctoritate ita persuasum est;



Equites alios equo publico meruisse, alios priuato. illos autem in ciuitate senatoribus, hos in exercitu peditibus respondisse, utroque autem, aut regum, aut consulum, aut censorum, aut denique eorum, qui censendi ius haberent, arbitrio fuisse subiectos, ut ex censu, & ætate, quemadmodum pedites, legerentur. Quod ipsum Ciceronem video docuisse, cum in III de legibus ita sciuit: *Censores pecunias, ciuitates, ordines partiunt. equitum, peditumque prolem describunt. ordines enim cum dixit, senatum, plebem, & equites equo publico intellexit; cum peditum, equitumque prolem, qui priuato equo, qui que peditibus stipendia facerent, significauit. De utroque autem genere præclare Liuius hoc modo: Clades ad Veios accepta Romam nunciata senatui curam, metumque; iniecit, ne tum vero sustineri, nec in urbe seditio, nec in castris posset. cum repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, & equis se suis stipendia facturos promittunt. quibus cum amplissimis verbis gratiæ essent actæ, subito ad curiam concursus fit plebis pedestris ordinis se aiunt nunc esse, operamque extra ordinem reip. polliceri. patres laudare equites, laudare plebem, victam esse fatentur comitatem senatus. Gratiæ peditibus, equitibusque actæ. Placuit omnibus bis voluntariam extra ordinem militiam professis æra procedere. & equiti certus numerus æris assignatus. tum primum equis merere equites coeperunt. Fuisse autem equites aliquot, qui equites equo publico dicerentur, testis est Cicero in VI Philip. Altera statua est, inquit, equitum Ro. equo publico, qui item ascribunt: PATRONO. quem unquam patronum iste ordo adoptauit? si quendam, me debuit. quibus verbis nos admonet, ordinem illum equestrem, quem ipse in consulatu suo in gratiam cum senatu reducerat, ex iis equitibus fuisse, qui equo publico & fuerunt, & dicti sunt. Quos equites Asconius in Diuinationem equites Romanos militares appellauit, cum dixit, populum Rom. Sulla victore iudicandi iure spoliatum, quod habuit per equites Rom. militares. unde Plinius equum publicum equum militarem vocauit, cum de hoc ordine verba faceret. Annuli, inquit, plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inseruere. & quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ iudices tribuunt. Item: Equitum nomen substitit in turmis equorum publicorum. intelligit enim equites primum ab equis publicis, post à censu iudices dictos. Non omnes autem, qui equo mererent, ex hoc ordine fuisse, ostendit in prima Philippica Cicero, qui in legem Antonij, qua centuriones in tertiam iudicum decuriam coniciebat, ita disputat: *At quæ est ista decuria iudicum? centurionum, inquit, quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? census præfinitur, inquit, non centurioni quidem solum, sed etiam equiti Ro. Itaque viri honestissimi, atque fortissimi, qui ordines duxerunt, res & iudicant, & iudicauerunt. non quero, inquit, istos. quicumque ordinem duxit, iudicet. Atqui si ferretis, quicumque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis. in iudice enim spectari & fortuna debet, & dignitas. Hæc ille. quibus satis perspicue demonstrat, non quicumque equo mereret, equestrem ordinem expleuisse. nam equester ordo alteram iudicum decuriam obtinebat. cui tertiã centurionum cum addere Antonius vellet, inquit Cicero: *Atqui si ferretis, ut quicumque equo meruisset, nemini probaretis. quod hercle non dixisset, si quicumque equo mereret, iudicia obtinuisset. ostendit idem Valerius, qui bello Punico secundo, quadringentos iuuenes equestris ordinis magnam partem equis publicis spoliatos scribit, cum tamen qui equo mererent, iis temporibus innumeri essent. Erant igitur Equites Ro. de quibus nunc disputamus, non quicumque equo mererent, sed qui publico & militari. quem equum eis à censore assignatum inuenio. sic enim Liuius lib. tricésimo nono: *S. C. factum, ut tribuni pl. ferrent, ut P. Acbutio, cuius pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne inustus militaret, ne de censor ei equum publicum assignaret. Quid autem fuerit equus publicus, parum compertum est. Varro in libris de lingua Latina equum publicum mille assarium vocat. quibus verbis stipendium fortasse aliquod vel alendi, vel emendi equi causa de publico constitutum significat. Fuisse autem & hos in****

centurias diuisos, ostendit Cicero in Philippica septima. qui cum in sexta dixisset, *Triginta quinque tribus, equites Romanos equo publico, & tribunos militares L. Antonium patronum ascripsisse*, repetit ita in septima: *Sed, ut video, dominabitur Lucius. est enim patronus xxxv tribuum, patronus centuriarum equitum, patronus eorū, qui tribuni militares fuerunt.* Atque ex his quidem puto satis intelligi posse, qui fuerint equites Romani illi, quos quærimus.

Ut autem senatores, sic etiam equites à censoribus lectos esse inuenio, eosque ex utroque genere familiarum, patricijs, & plebeijs. primum enim C. Claudium Nerone patricium, & M. Liuium Salinatorem plebeium equum publicum habuisse, testis est in eorum censura Liuius, deinde vero, quod multo certius est, Ser. Sulpicij Rufi patrem, virum patricium equestri loco natum scribit Cicero in defensione Murenæ.

Præterea ut senatores ex censu legebantur, sic etiam equites. fuit autem equestris census, quantum ex veteribus monumentis suspicari licet, senatorio minor, nimirum sestertium quadringentorum millium. Censum autem equestrem iam inde à primis etiam reipub. temporibus celebratum, nemo est, qui reuocare in dubium possit, qui Liuium bello Veienti, scribentem meminerit, *Repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adijisse, & equis se suis stipendia facturos dixisse.* quod idem memoria sua factum Cicero innuit libro nono epistolarum, cum ait: *Res familiaris alteri exigua est, alteri vix equestris.* Quadringenta porro millia equites esse censes ante initum ciuile bellum Suetonius testis est, apud quem ita legimus de Cæsare ad Rubiconem exercitum alloquente: *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis. quod accidit opinione falsa. Nam cum in alloquendo, exhortandoque, sapius digitum læuæ manus ostentans affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, anulum quoque æquo animo detracturum sibi, extrema concio, cui facilius erat videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur. promissumque; ius anulorum cum millibus quadringentis dixit.* Quod idem Augusto etiam imperate seruatum Horatius in prima epistola indicat, qui fuit eius æqualis, cum dixit:

*Si quadringentis sex, septem millia desunt,  
Plebs eris.*

Ad hæc vero ut per censum equestrem ordinem impetrabant equestrem, sic eosdem consumpto patrimonio equestris dignitatis insignia perdidisse, licet suspicari. Huc autem, credo, respexit Cicero in Sextiana, cum dixit de quodam luxurioso: *Equestris ordinis nomen retinet, ornamenta confecit.* & Suetonius, cum in hunc modum scripsit: *Cum plerique equitum attrito bellis ciuilibus patrimonio spectare ludos è XIII non auderent metu pœnæ theatralis, Augustus pronunciauit, non teneri ea, quibus ipsis, parentibus de equester census unquam fuisset.*

Iam vero ut senatores non nisi ex iis fere, qui magistratus gessissent, legebantur, sic contra equites magistratus non capiebant, ubi vero cepissent, equites esse, aut vocari definebant. Id quod, ut multa alia, egregie Cicero in Cluentiana ostendit his verbis: *Conuerte te nunc ad equestrem ordinem, atque in ceteros ordines. easdem vitæ conditiones, quas senatores, non perferent. putant enim minus multos sibi laqueos legum, & conditionum, ac iudiciorum propositos esse oportere, qui in summum locum ciuitatis aut non potuerunt ascendere, aut non petiuerunt.* & de equitibus quibusdam paullo post: *Cum palam dicerent, se potuisse iudicio populi Ro. in amplissimum locum peruenire, si sua studia ad honores petendos conferre voluissent, sese vidisse in vita senatoria, qualis splendor inesset, quanta ornamenta, quæ dignitas, quæ se non contempsisse, sed ordine suo, patrumque suorum contentos fuisse. & vitam illam tranquillam, & quietam, remotam à procellis inuidiarum, & huiusmodi iudiciorum anfractu, sequi maluisse. aut sibi ad honores petendos ætatem integram restitui oportere, aut, quoniam id non posset, eam conditionem vitæ, quam sequuti petitionem reliquissent, manere. iniquum esse,*

esse, eos, qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent, populi beneficijs esse priuatos, iudiciorum nouorum periculis non carere. senatorem hoc queri non posse. propterea quod ea conditione proposita petere cœpissent. quodq; permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exterarum nationum nomen, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fascies, exercitus, imperia, prouinciæ. Hæc Cicero. Quam sententiam sequutus item Cornelius Nepos dixit de Attico: *Is contemptis honoribus, quos facillime consequi potuisset, perpetuo acceptam à maioribus dignitatem equestrem obtinuit.* & Suetonius de Octauiano: *Duplex Octauiorum familia. alij functi sunt summis honoribus. alij in equestri ordine constitere vsque ad Augusti patrem. ipse Augustus se nihil amplius, quam equestri familia ortum scribit, in qua & primus senator pater suus fuerit.* & de Sulpicio Cicero in oratione pro Murena: *Tua nobilitas Sulpici hominibus literatis notior, populo obscurior est. pater enim fuit equestri loco, auus nulla illustri laude celebratus. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, quod virtute, industriaq; perfecisti, ut cum equitis Rom. esses filius, summa tamen amplitudine dignus viderere.* Hoc vero in genere fuit etiam Cicero, nam pater, & maiores eius equestri tantum dignitate contenti fuerunt, honores nullos ceperunt, ut ipse sæpe testatur. Quid plura? Hoc sensit Velleius, cum dixit, *Vincium Calibus ortum, patre, atque quo consularibus, cetera equestri familia fuisse.* nimirum equestrem appellans familiam, in qua nulli honores extiterat. Veterem autem equitem vocarunt, cuius maiores equites fuerant. ut in Planciana: *Cum sit Cn. Plancius eques Rom. ea primum vetustate equestri ordinis, ut pater, ut auus, ut maiores eius omnes equites Rom fuerint, deinde ut ipse in legionibus P. Crassi imperatoris inter ornatissimos homines equites Rom. summo splendore fuerit.*

Quod autem dixi, magistratu capto equites esse defuisse, id refelli exemplis multis videtur posse, sed maxime Neronis, & Salinatoris censorum, & Pompeij Magni consulis, quos in iis magistratibus equum publicum habuisse legimus. scribit enim ita Liuius: *Equitum deinde census actus est, & forte ambo censes equum publicum habebant. Itaque Nero Liuium, Liuius Neronem equum vendere iussit.* & Valerius de iisdem: *Cum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiam numerorum e numero essent, alter alterum equum vendere iussit.* Pompeium autem narrat Plutarchus, cum primum consul esset, ad censes Lentulum, & Gellium equum manu ducentem venisse, atque ab iis ex ordine interrogatum legitima à se omnia stipendia se imperatore confecta, respondisse. Quæ exempla ita interpretari videmur posse, ut dicamus, facile euenire potuisse, ut aut propter robur ætatis post captos magistratus equum publicum tenuerint, & tamē senatores fuerint. si quidem inuenio apud Suetonium, *Augustum reddendi equi gratiam fecisse eis, qui maiores annorum quinque, & quadraginta eum retinere nolent.* aut, quod malim, in senatum illi quidem, sed iure magistratus, non lectione censoria venerint. nam Salinatorem disertè scribit Liuius à censoribus L. Veturio, P. Licinio in senatum venire coactum, sed tum aut verbo assensum, aut pedibus in aliorum sententiam esse profectum. recte neque enim legisse eum potuerunt, cum nullo senatu lecto abdicarint. Pompeium autem perspicuum est consulem factum, cum adhuc eques Rom. esset, id est, ut inquit Dio, *cum nondum senator esset.* neque vero, quanquam quæsturam gesserat, legi in senatum ante consulatum potuit. cum per annos xv i i nulli censes fuissent, qui senatum legerent. neque ante dictatore Sylla legi propter ætatem potuisset. Fuisse autem hoc moris scribit Isidorus, *ut quanuis quis senatoria origine esset, tamen vsque ad legitimos annos eques Rom. esset, deinde ordinem senatorium iniret.* Itaque & Pompeius hic Magnus Pompeij Strabonis viri consularis, ac triūphalis filius eques tamen Rom. fuit. atque equestri ordinis homines sæpe senatorum filios apud Liuium fuisse animaduertimus. & in Verrem Cicero Cn. Calidij equitis Rom. filium senatorem, & iudicem nominat.

Postremo

Postremo vero ut insigne senatorum, quo ab equitibus Rom. distinguerentur, fuit latus clauus, sic equitum Rom. quo à senatu discernerentur, angustus clauus, à plebe, annulus aureus. De angusto clauo Velleius loquens de Mæcenate equite Romano: *Quippe dixit angusto clauo penè contentus, nec maiora consequi non potuit, sed non optauit.* De annulo Plinius testis est, qui scripsit: *annulos medium ordinem, tertiumq; plebi inseruisse, eosdemq; ubi celebres esse cœperunt, alterum ordinem à plebe distinxisse.* Idem primum vestigium annulorum in vrbe notauit P. Sempronio, P. Sulpicio cos. anno quadringentesimo quadragesimo quarto, cum Cn. Flauio libertini filio ædili curuli creato senatus, vel, ut alij prodiderunt, nobilitas annulos, & phaleras indignatione commota deposuit. quorum alterum senatorum, alterum equitum insigne fuerit. secundum notat bello Punico i i, cum Annibal tres modios annulorum, quos clade Cannensi collegerat, Carthaginem misit. ex quo Plinius tum promiscui vsus annulos fuisse conicit, quod aliter summa illa annulorum confici nequiverit. At Liuius Magonem Pœnum eos annulos in curia Carthaginensium effluentem dixisse refert, *neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores aurei annuli ferre insigne.* primores autem, credo, intellexit, qui equo publico militarent: hoc tamen gloriose ab eo dictum iudicat Plinius, qui annulos etiam senatoribus cum equitibus fuisse communes scribit, ita ut senatores ab equitibus tunica distinxerit, equites à plebe annulus aureus. quanquam neq; senatores omnes Drusi tempore, id est Marfico bello, annulos gestasse addit. Extat etiam in Dionis historia quadagesimo octaua, nemini quodam Romanorum non libertino solum, sed ne ingenuo quidem annulis uti aureis, præterquam senatoribus, & equitibus fuisse permittum. Annulos autem equitum fuisse ornamentum possum etiam Liuiano testimonio comprobare, qui libro nono ait: *Extemplo sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam, luctus est. Lati clauus, annuli aurei positi.* & libro quadagesimo tertio: *Equites in conspectu populi aureis annulis positos vestem mutarunt.*

Cum ergo equestri dignitatis insigne annulus aureus esset, hinc factum est, utis vulgo à magistratibus datus sit, non ut eos, quos donarent, equites Rom. facerent, quos à censoribus fieri equo publico attributo ostendimus, sed ut eos eo iure afficerent, quo quidem essent, si lecti equites à censoribus essent. quorū illud est præcipuum, ut lege Roscia in x i i i gradibus considerent. Hoc pacto L. Sullam dictatorem Q. Roscium comcedum, C. Verrem prætorem scribam suum, Cæsarem dictatorem D. Laberium annulo aureo donasse accepimus. De Laberio autem placet Suetonij verba subscribere: *Ludis D. Laberius mimum suum egit, donatusq; quingentis HS, & annulo aureo, sessum in quattuordecim è scena per orchestram transijt.* & Macrobij: *Cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus à Cæsare, è vestigio in quattuordecim gradus ad spectandum transisset violato ordine, & cum detractus esset eques Romanus, & mimum remissus, ait Cicero prætereunti Laberio sedile querenti: Reciperem te, nisi anguste sederem.* Neque vero solum ingenui, sed etiam libertini sæpe aureo annulo sunt donati, eo nimirum consilio, ut eis non equestria modo ornamenta, sed etiam ingenuorum iura ea largitione tribuerent. Vnde scriptum reliquit Vlpianus, capite de iure annulorum aureorum, *qui tali iure affectus esset, eum tanquam ingenuum viuere, tanquam libertum mori. nimirum, quod patronus præteritus aduersus eius tabulas possessionem obtineret.* Quare cum dicat Dio, Menam Sex. Pompeij libertum post proditam patroni sui classem annulo aureo ab Augusto esse donatum, & in equitum censum ascriptum, eo munere in ingenuitatem ascriptum interpretatur Suetonius, cum scribit, *Augustum neminem vnquam libertinorum cœnæ adhibuisse excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem.* Quo de iure hæc eodem in loco Dio adiicit; Nemini quondam Romanorum non libertino solum, sed ne ingenuo quidem, annulos ferre aureos, præterquam senatoribus, & equitibus licuisse. eaque de re libertinos, quos imperator voluerit, quanquam alia de causa aurum gerant, honoris tamen ergo, ut qui meliorem

meliolem conditionem, quam quæ libertinorum est, nanciscantur, & equites fieri possint, annulis aureis donari.

De Publicanis. CAP. IIII.



**N**EQVE vero alienum est, quoniam de equitibus Rom. dicere cœpimus, de publicanis etiam, qui equites Rom. fuerunt, pauca subiungere. Sic igitur sentio, publicanorū ordinem equitum Rom. ordine constituisse, id est publicanos nullos alios fere fuisse, quam equites Romanos. Hoc vero cum aliorum multorum testimoniis planum facere possum, tum maxime Plinij, qui scribit; *Iudicium appellatione separari equestrem ordinem primi omnium instituisse Gracchi discordi popularitate in cōtumeliam senatus. mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum euentu circa publicanos substitit, & aliquando tertie vires publicani fuerunt. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo ordine se profectum celebrans, & eius vires peculiari popularitate quærens.* & Cicero in Planciana, qui ait: *Adiungam etiam, si vis, id quod tu etiam huic obesse putas, patrem publicanum. qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? flos enim equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur.* & pro Postumo: *C. Curius princeps equestris ordinis, fortissimus, & maximus publicanus.* & pro domo: *Proximus est equester ordo. omnes omnium publicanorum societates amplissima de me decreta fecerunt.* & Liuij lib. XLIII, qui inquit: *Censores Gracchus, & Claudius, cum equis adeptis equestrem ordinem offendissent, flammam inuidia adecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut vltro tributa cōduxissent, ad hastam suam accederet. socius ve, aut affinis eius conductionis esset. saepe id querendo veteres publicani, cum impetrare nequissent ab senatu, vt modum potestati censoriæ facerent.* &c. Erant ergo publicani equites Romani fere, qui publica vectigalia populi Romani & vltro tributa, quæstus sui causa conducebant. ex quibus alij mancipes erant, alij prædes, alij socij, teste Polybio. Mancipē definit Festus, *quisquis à populo aliquid emit, conducit ve, quia sublata manu significat se auctorem emptionis esse.* & Pædianus mancipes principes publicanorum esse ait, *qui quæstus sui causa exigenda à socijs suo periculo exigant, & reip. repræsentent.* Præs, teste Festo, *est, qui populo se obligat, interrogatus à magistratu. & manceps etiam præes est, quia tam debet populo præstare, quod promissit, quam is, qui pro eo præ factus est. socij erant, qui in partem quæstus, & iactura à mancibus, & prædibus vocabantur.* Hi ergo omnes conducebant in foro à censoribus, quorum arbitrio hoc à senatu mandatum muneris erat, certa se obligantes pecunia, quam quæstoribus vrbans repræsentabant. vnde dixit cōtra Rullum Cicero: *Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi Rom. non licet, & vrbis vendere vel in vltimis terris licebit?*

De eiusmodi vero conductione ex censura Catonis, & Flacci cognoscitur apud Liuium: *Censores vectigalia summis pretijs, vltro tributa infimis locauerunt. quas locationes cum senatus precibus, & lacrymis publicanorum victus induci, & de integro locari iussisset, censores edicto summotis ab hastâ, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paululum imminutis pretijs locauerunt.* & ex censura Claudij, ac Sempronij: *Edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut vltro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet. contentione orta cum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repete sub vnius tribuni nomine promulgatur: Quæ publica vectigalia vltro tributa C. Claudius, & Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, & vt omnibus redimendi, & conducendi promiscue ius esset.* In primis autem publicani in conducendis prouinciarum vectigalibus erant occupati. quæ perinde ac Italica, ex agris, &

pascuis, & portubus publicis exigebantur. In agris enim publicis homines quidam colendi causa collocati erant, qui aratores, atque agricolæ dicti decumam frumeti populo Rom. dabant, in pascuis alij, qui pastores appellati certum stipendiū persoluebant, quod scripturam dicebant. publicani vero, qui decumas redimebant, decumani; qui pascua, pecuarij; qui portus, portitores; & vectigalia ipsa decumæ, scriptura, ac portorium vocabantur. Aratores autem, & pastores fere ciues Romani erant, qui & ipsi quæstum sequuti agros publicos colebant, aut pecora alebant. Vnde dixit Cicero in Verrem: *Siciliam ciues Rom. partim cum quæstu, compendioq; dimittere, partim retinere, vt arare, pascere, vt negotiari libeat. vt denique sedes, ac domicilium collocare:* & in Fonteiana: *Referta est Gallia negociatorum plena ciuum Rom. vnum ex toto negociatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant. item: Omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, ceteri negociatores Fonteium defendunt.* & in Verrem: *Pulsos aratores esse dico, agros vectigales vexatos, atque exinanitos à Verre. item: Magni, & nauis aratores agros latos & fertiles desererent, totasq; arationes dereliquerent.* De decumanis vero, & pecuariis, & portitoribus, qui ab aratoribus, & pastoribus, & mercatoribus decumas, & scripturas, & portoria, quæ redemerant, exigebant, Asconius in Diuinationem. *Mancipes, inquit, sunt publicanorum principes, qui quæstus sui causa si decumas redimunt, decumani appellantur, si portum, portitores, si pascua publica, pecuarij, quorum ratio scriptura dicitur.* & Cicero in Maniliana: *Asia tam fertilis est, vt vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.* & post: *Cum hostium copia non longe absint etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agri cultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. quare saepe totius anni fructus vno rumore periculi, atque vno belli terrore amittitur. quo tandem animo esse existimatis, aut eos, qui vect. galia vobis pensant, aut eos, qui exercent, & exigunt, cum duo reges cum maximis copijs propè adsint, cum vna excursio equitatus per breui tempore totius anni vectigal auferre possit, cum publicani familias maximas, quas in syluis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodijs, magno periculo se habere arbitrentur?* & in Flacci defensione: *Mirandum vero est homines eos, quibus odio sunt nostræ secures, nomen acerbitati, scriptura, decuma, portorium, morti, libenter arripere facultatem laudendi. Adde, quod Festus scripturarium agrum definit, in quo vt pecora pascantur, certum est æs. quod publicanus scribendo confecit rationem cum pastore. nam proprie scripturam pecuariorum rationem dici.* De pascuis notum illud est Plinij: *Etiam nunc in tabulis censorijs pascua dicuntur omnia, ex quibus populus redditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. vnde Cicero contra Rullum de sylua Scantia: Vtrum tandem hanc syluam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis, inuenisti?*

Neque vero solum publicani vectigalia hæc, quæ diximus, publica redimebant, sed alia quoque præterea multa, quæ vltro tributa dicta sunt. vt bello Punico II, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, auctore Liuij: *Prodeundum in concionem Fulvio prætori esse, indicandasq; populo publicas necessitates, exhortandosq; qui redempturis auxissent patrimonia, vt reip. ex qua creuissent, ad tempus commodarent, conducerentq; ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, vt cum pecunia in arario esset, ijs primum solueretur. hac prætor in concione edixit, qua die vestimenta, frumentum, Hispaniensi exercitui præbenda, quæq; alia opus essent naualibus socijs, esset locaturus. vbi ea dies venit, ad conducendum tres societates aderant hominum vndeuiginti, quorum duo postulata fuere, vnum, ne alij eo triennio publicani essent, alterum vt quæ in naues imposuissent, ab hostium, tempestatisq; vi tuta publico periculo essent. vtroque impetrato conduxerunt.* & alibi: *Cethegum, & Tuditanum censores reficienda locasse, quæ circum forum incendio consumpta erant, vii tabernarum, macellum, atrium regium.* & de Catone, & Flacco censoribus: *Opera facienda ex pecunia*

pecunia in eam rem decreta, lacus sternendis lapide, detergendasq; , qua opus esset, cloacas in Auentino, & alijs partibus qua nondum erant, faciendas locauerunt, & vectigalia summis pretijs, vltro tributa infimis locauerunt. Vocat autem vltro tributa sumptus operum publicorum, quorum locationem quinto quoque anno à censoribus factam Polybius, & Varro scripserunt. Quæ vero Liuius cum Varrone vltro tributa dixerunt, ea Plutarchus ἐργολαβίας, id est operum redempturas vocauit, vbi de censura Catonis, & Flacci scribit.

Quod autem mentio facta est societatum publicanorum, intelligendum est, publicanos in multas societates diuisos conduxisse. Etenim, vt libro vi narrat Polybius, alij conducebant, alij cum his societatem coibant, alii pro his bona fortunatq; suas reip. obligabant. Vnde Tulliana illa sunt, ad Crassipedem: *Volo te existimare, me cum vniuerso ordini publicanorum multum semper liberalissime tribuerim, tum in primis amicum esse huic Bithynicæ societati, quæ societas ordine ipso hominum genere pars est maxima ciuitatis. constat enim ex ceteris societatibus. & casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares, in primisq; P. Rupilius P. F. Men. qui est magister in ea societate.* & in Planciana, de Cn. Plancio: *Maximarum societatum auctor, plurimarum magister.* & in Sextiana: *Nulla erat Romæ societas vectigalium, quæ non honestissime decreuisset de mea salute.* & pro Murena: *Quid si omnes societates venerunt, quorum ex numero multi hic sedent iudices.* & in Bruto: *Familia, & liberi societatis eius, quæ picarias de censoribus redemisset.* & in epistolis ad fratrem: *Non desistunt nobis quotidie agere gratias honestissimæ, & maximæ societates.* Ex his autem focis vnus fuit, qui magister societatis dictus est, qui Romæ societati ita præerat, vt & focios, quasi senatum cogendi, & ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet, curamq; omnem gereret tabularum, & rationum, quæ vndique ab iis, qui publicanorum societati operas dabant, Romam mitterentur. Etenim, vt inquit Cicero in frumentaria, *ea est ratio decumarum, vt sine plurimis litteris confici non possit, singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones decumarum litteris persequi, & conficere necesse est.* Hic porro quendam habuit pro magistro in prouincia quasi sui muneris vicarium, & societatis præfectum. vnde Cicero Plancij patrem dixit *maximarum societatum auctorem, plurimarum magistrum.* & in epistolis *P. Rupilius magistrum in Bithynica societate, Cn. Pupium in operis societatis.* & alio loco: *P. Terentius Hispo operas in scriptura pro magistro dat.* & de eodem ad Atticum: *Terentius magnas operas in portu, & scriptura Asiæ pro magistro dedit.* & in Verrem: *In scriptura Siciliæ pro magistro est L. quidam Carpinatius.* item: *L. Vibius eques Rom. vir primarius, quem reperiẽbam magistrũ fuisse eo ipso anno.* & Valerius lib. v: *P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit, sed operas publicanis dedit. idẽ vltimam inopiam suam auctorato socijs officio sustentauit. ab hoc postmodum consule leges vniuersi Siculi acceperunt. & quem diurnas capturas exigentem animaduertunt, eundem iura dantem, classesq; , & exercitus regentem viderunt.* Cum ergo publicani, quemadmodũ ex his patet, equites fere fuerint, non tamen equites omnes publicani fuerunt, cuius rei argumento est id, quod extat apud Nepotem de Attico equite Romano: *Ad hastam publicam nunquam accessit, nullius rei neque præ, neque maniceps factus est.* & apud Varronem libro primo de re rustica: *Offendi ibi C. Agrium equitem Romanum, & P. Agrasium publicanum.*

Atque hæc quidem de publicanis, & eorum operis. Factum est autem, vt summa publicanorum auaritia, & prope impudentia singulari non solum prouinciæ, in quibus vectigalia exercebant, sed etiam vrbs ipsa, in qua ea conducebant, turbaretur. Vnde Paullus Aemilius in Macedonia ordinanda, metalli Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesq; prædiorum rusticorum tolli censuit, quod intelligeret, sine publicano ea exercebantur non posse; & vbi publicanus esset, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem focis nullam esse. Præterea P. etiam Rutilius, vitum innocentissimum ab equitibus, qui tum soli iudicabant, condemnatum accepimus,

pimus, quod legatus Q. Mucij pro cos. Asiam à publicanorum iniuriis defenderat, & Cicero ad fratrem scribens ait: *Huic tuæ voluntati, ac diligentia difficultatem magnam afferunt publicani; quibus si aduersamur, ordinem de nobis optime meritum, & per nos cum rep. coniunctum, & à nobis, & à repub. disungimus. sin autem omnibus in rebus obsequimur, funditus eos perire patiemur quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus.* & post: *Et ita te versari, vt & publicanis satisfacias, præsertim publicis male redemptis, & socios perire non sinas, diuinæ cuiusdam virtutis esse videtur.* & post: *Potes etiam tu id facere, vt commemoras, quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus, vt remoto imperio, ac vi potestatis, & fascium, publicanos cum Græcis gratia, atque auctoritate coniungas.* Atque hæc eadem auaritiæ vis caussam postremo attulit, vt ipsi à senatu equites Rom. alienarentur. Nam cum publicani, qui Asiana vectigalia Messalla, & Pisone col. à censoribus conduxerant, questi in senatu essent, auctore in epistolis ad Atticum missis Cicerone, se cupiditate prolapsos ea nimium magno conduxisse, atque, vt ea induceretur locatio, postulassent, neque id repugnante Catone assequi potuissent, à senatu disiuncti sunt, ægre ferente maxime, qui concordiam eorum ordinum consul reconciliarat, Cicerone. donec C. Cæsar consul eos remissionem petentes lege ad populum lata, tertia mercedum parte, testibus cum Suetonio, Dione & Appiano, releuauit. quam, credo, legem Cicero, cum pro Plancio diceret, intellexit, cum ita locutus est: *Nam quod primus sciuit legem de publicanis, tum cum vir amplissimus consul illi ordini per populum dedit, quod per senatum, si licuisset, dedisset. si in eo crimen est, quis suffragium non tulit, quis non tulit publicanus?* Atque de equitibus hætenus.

## De plebe Romana.

## CAP. V.



EST tertius ordo eorum, qui de plebe Romana dicti sunt. quos nescio an commodius describere possimus, quàm si, qui neque senatores, neque equites Romani essent, dicamus. Et sane ita est, vt si ciuium Rom. omnium multitudinem trium horum ordinum descriptio est complexa, quos priores duo non comprehenderunt, eos necessario constituisse in tertio concludamus. Tertius autem plebs est dictus, non quo modo plebem patricijs opponi supra docuimus, vt gentem genti, sed quo modo senatoribus, & equitibus aduersatur, vt ordo ordini. Itaque vt senatorium ordinem, & equestrem tam plebeij, quàm patricij expleuerunt, sic plebeium infimum non ex plebeijs solum, sed etiam patricijs aliquot constituisse, dicendum est, nempe eis, quos paupertatis causa neq; in senatũ censes legerat, neque equo publico donauerant. nisi forte aut L. Tarquitium L. Cincinnati dictatoris equitũ magistrum, quem pedibus stipendia propter paupertatem fecisse Liuius ait, aut M. Scauri patrem, quem propter tenuissimas opes carbonariam fecisse in lib. de viris illustribus scriptum est, ambos patricios viros, aut senatores, aut equites fuisse existimemus. quos gradus qui assequi potuerunt si censes in vtroque legendo ordine censum, vt dixi, respexerunt? Hunc autem ordinem in duas partes diuidimus, plebem rusticam, & plebem vrbanam. Rusticam vocamus, quæ agros, vrbanam, quæ vrbem inhabitet. de quibus rerum ordo postulat, vt sigillatim dicamus.

## De plebe rustica.

## CAP. VI.



GAMVS autem ante de plebe rustica. quæ vt simplicior, sic honestior, atq; integrior fuit. hinc enim scitũ est illud Catonis in principio librorũ de re rustica: *Ex agricolis, & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximeq; pius quæstus stabilissimũq; consequitur, minimẽq; inuidiosus. minimẽq; male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt.* Rusticam autem, vt dixi, voco plebem,

quæ rura teneat, idq; agri colendi causa. colat autem vel suum agrum, vel alienum, siue publicus is fuerit, siue priuatus. Neminem enim adeo rerum Romanarum rudem esse, & Imperitum opinor, qui ignoret, quanto studio ab iis, primis temporibus, res rustica culta sit. Docet quippe hoc disertè Dionysius, qui Romulum instituisse scribit, ut ciues Romani artem militarem, & rem rusticam tantum tractarent. demonstrat non obscure Plutarchus, qui Numam summa diuigentia populum Rom. ad agriculturam, id est ad pacis, & honestatis studium traduxisse ait, adeo ut solertes etiam in ea re homines præmiis excitaret, ignauos autem ignominie metu deterruerit. ostendit Liuius, qui caritatem annonæ ex incultis per secessionem plebis in montem Sacrum agris ciuitatem inuasisse tradit. probat iterum Dionysius, qui M. Fabium, L. Valerium consules non audientes dicto ciues, qui fundos habebant, pecunia multasse, & eorum agros vastasse, & domos disturbasse, qui alienum agrum colerent, eorum domesticam suppellestem, & rustica ad colendam terram instrumenta corrupisse ait. Quin etiam idem L. Cincinnati, & T. Quinctij Claudi, hominum patriciorum, quos agrum manibus suis coluisse, memorie proditum est, præclarissimis, atque notissimis exemplis possumus confirmare. Nam quid Curium, Fabricium, Regulum, Serranum, consulares, ac triumphales viros, Tarentini, & Punici belli æquales commemorem: de quibus sic locutus est Cicero in Rosciana: *Næ tu Erucii accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accerserentur, qui consules fierent: etenim qui præesse agro colendo flagitium putes. profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, conuenerunt, hominem turpissimum, atque inhonestissimum iudicares. at berules maiores nostri longe aliter & de illo, & de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima, tenuissimâq; rep. maximam, & florentissimam nobis reliquerunt. suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant.* Hanc autem plebem Liuius intellexit, cum Sp. Postumium consulem de bacchanalium sacerdotibus his verbis populû Ro. alloquentem fecit: *Iam vbi vos dilapsi domos, & in rura vestra eritis, illi coierint.* & Appianus, cum scripsit, Ti. Gracchum rusticos ad comitia aduocasse, sed eos colligendis ætate fructibus occupatos non affuisse. Ceterum hoc studiû ætate sua intermissum cõqueritur M. Varro in libris de re rustica. *Igitur, inquit, quod nunc intra murum fere patres familiae correperunt, relictis falce, & aratro, & manus mouere maluerunt in teatro, ac circo, quam in segetibus, ac vineis, frumentum locamus, qui nobis aduehat.* Hoc autem ait, quia quos agros senatores, equitesque Romani, & multi urbana è plebe locupletes possidebant, eos ipsi non per liberos homines, sed per seruos fere colebant. quorum familias magnas in eum usum alebant, eo consilio, ut inquit Appianus, ne aliquo ingrui bello, delectus causa, agri cultoribus defererentur, cum serui ad militiam non euocarentur. vnde illud præclare apud Liuium libro vi, vbi de fecundissimo militum Volco solo agit: *Simile veri est, innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quæ nunc vix seminario militum relicto seruitia Romana ab solitudine vindicant.* Neque tamen ita nouissimis temporibus agri cultura seruis erat commissa, ut non etiam liberi multi in agris vel priuatis, vel publicis colendi causa versarentur. Id enim cum aliorum multorum docemur exemplis, tum maxime P. Nasicæ eius, qui cum Iugurtha bellum gessit, qui, ut à Valerio traditum est, cum adilitatem curulem adolescens peteret, manumq; cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci causa interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare? quod dictum à circumstantibus exceptum ad populum manauit, & causam repulsæ Scipioni attulit. omnes namque rustice tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam iudicantes iram suam aduersus contumeliosam eius urbanitatem distinxerunt. Quo loco rusticas tribus vocat plebem rusticam, quæ manibus suis agros excoleret, ac maximas in tribubus rusticis opes haberet. quam eandem intellexit Liuius, cum apud eum milites Ro. ita loquuntur:

An

*An equum esse, Campanos dediticios illa fertilitate, atque humanitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido solo luctari?* & Cicero ad Brutum: *Dicitur; homines rusticos, sed fortissimos viros, ciuesq; optimos dementes fuisse. primum milites veteranos, deinde legionem Martiam, & Quartam.* & iterum Liuius: *Numerum auxilium rustica plebs ex incultis diutino bello, infestisq; agris egestate, & metu in urbem cõpulsata.* Quocirca Marcus Cicero oratoris nostri filius per epistolam iocans cum liberto Tironem, qui rusticum prædium emerat, ait: *Rusticus Romanus factus es.* quasi vero cum agrum more maiorum manibus suis esset Tiro culturus. Hi autem agri plebi Romanæ vel à triumuiris lege fuerant assignati, ut quondam Licinia lege de quingentis iugeribus, post Semproniam, aut à censoribus erant ciuibus Romanis pauperibus fruendi dati, ita ut decumas frumenti annuas soluerent, quos supra aratores, & agricolas vocitatos diximus. Atque hoc quidem id est, quod scripsit Plutarchus in Tiberio; populum Ro. finitimorum agros bello partos alios vendidisse, alios publicatos fruendos pauperibus ciuibus assignasse, non admodum magna mercede reip. perfoluta. Priores intellexit Liuius, cum Sp. Ligustinum ita loquentem fecit: *Sp. Ligustinus tribus Crustumina ex Sabinis sum oriundus. pater mihi agri iugerum reliquit, & paruum tugurium, in quo natus, educatusq; sum, hodieq; ibi habito.* & Pedianus, cum in Diuinationis commentario ita scriptum reliquit: *Plebs rustica partim agros, partim ius ciuitatis amisit, partim omnino proscripta est, victore Sylla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat.* & Sallustius in Catilina: *Præterea iuuentus, quæ in agris manuum mercede inopiam tolerauerat, priuatis, & publicis largitionibus excita urbanum ocium ingrato labori prætulit.* & Cicero in agraria secunda: *Quæ est ista contumelia, ut ager ante rusticis detur, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes, & iucunditas ostenditur?* Posteriores idem intellexit, cum hoc modo subiicit: *Deinde in hac assignatione agrorum ne illud quidem dici potest, quod in ceteris, agros desertos à plebe, atq; à cultura hominum liberorum esse non oportere. sic enim dico, si Campanus ager diuidatur, exturbari, & expelli plebem ex agris, non constitui. totus enim ager Campanus colitur, & possidetur à plebe, & plebe optima, & modestissima. quod genus hominum optime moratorum, optimorum aratorum, & militum ab hoc plebicola tribuno funditus eicitur.* & ad Atticum: *Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rustici. nihil prorsus aliud cura est, nisi agros, nisi villulas suas. item: Municipia, & rustici Romani Casarem metuunt.* Atque de rustica quidem plebe hæc satis.

## De plebe urbana.

## CAP. VII.



**P**LEBS autem urbana est, quæ intra urbem habitauit. Quam non eandem fuisse cum rustica, etsi satis ex iis, quæ dicta sunt, esse perspicuum potest, tamen exemplo etiam ex seditione Appuleiana petito planius faciam, de qua sic scriptum esse video apud Appianum: *Appuleius legi ferendæ diem edixit, atque eos, qui in agris versabantur, aduocauit. is enim maxime, quod Mario imperatore stipendia meruissent, confidebat. maiores autem esse Italicorum opes populus ægre ferebat. ac die legis ferendæ, quicumque tribunorum legi intercedebant, ab Appuleio contumelia affecti se ex tribunali proiecerunt. urbana vero turba clamorem sustulit, quasi conituum audisset. cum autem Appuleiani vim facerent, urbani abiectis vestibus, atque arreptis lapidibus in rusticos se intulerunt. illi vero iterum ab Appuleio coacti, & ipsi cum sustibus in urbanos impetum fecerunt, ac per vim legem iusserunt.* Huius autem plebis partes fuerunt, Tribuni ærarij, Scribæ, Mercatores & negotiatores, Argentarij & sceneratores, Artifices & opifices, Turba forensis, Libertini, & magistratuum apparitores. quas partes plebis urbanæ propterea voco, quoniam omnes fere, qui è plebe fuerint, in aliquo horum munerum occupatos fuisse comperio. Huius autem præceptionis quem locupletiores;

aut certiore possim producere testem, quam Ciceronem? Is autem in quarta in Catilinā, in senatu ita agit: *Omnes adsunt omnium ordinum homines, plentū est forum, pleni omnes aditus huius loci, atque templi. quid ego hic equites Ro. commemorem? pari studio defendendæ reip. conuenisse video tribunos ærarios, scribas item vniuersos. quos cum casu hic dies ad ærarium frequentasset, video ad expectationem sortis, ad communem salutem esse conuersos. omnis ingenuorum adest multitudo etiam tenuissimorum. operæ pretium est, libertinorum hominum studia cognoscere, qui sua virtute fortunam ciuitatis consequuti hanc vere suam patriam esse iudicant. Quod si auditū est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperantem solitari posse animos egentium, atque imperitorum, est id quidem cœptum, atque tentatum; sed nulli sunt inuenti tam aut fortuna miseri, aut voluntate perdit, qui non ipsum illum sellæ, atque operis, & quæstus quotidiani locum, qui nō cubile, lectulum suum, qui denique non cursum hunc ociosum vitæ saluū esse velint. multo vero maxima pars eorū, qui in tabernis sunt, immo vero genus hoc vniuersum amantiſſimum est otij. etenim omne eorum instrumentum, omnis opera, ac quæstus frequentia ciuium sustinetur. alitur ocio. quorum si quæstus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum fuit?* Loquitur ad senatum Cicero. omnium ordinum homines conuenisse ait, primum equites Romanos, deinde tribunos, ærarios, scribas, libertinōsque; opifices autem tentatos. Ergo tribuni ærarij, scribæ, libertini, & opifices plebis ordinem obtinuerunt. Confirmat hoc idem in Rabiriana, cum ait: *Quid dicam de equitibus Ro. qui vnā cum senatu salutem reip. defenderunt, quid de tribunis ærarijs, ceterorumq; ordinum hominibus?* confirmat etiam Q. Frater in libello de petitione: *Primum, inquit, id, quod ante oculos est, senatores, equitēſque Romanos, ceterorum ordinum homines nauos, & gratiosos complectere. multi homines urbani, & industrij, multi libertini gratiosi. in foro nanq; versantur. deinde aue oratores urbis totius, collegium omnium pagorum, vicinitum. ex ijs principes ad amicitiam tuam si adiunxeris, per eos reliquam multitudinem facile tenebis.* Pagorum autem collegium dixit, quoniam plebs urbana in pagos est à Ser. Tullio, teste Dionysio, distributa. vnde illud est pro domo sua: *Nullum est collegium in hac vrbe, nulli pagani, aut montani, ( quoniam plebi quoque urbanae maiores nostri conuenticula, & quasi consilia quædam esse voluerunt, ) qui non amplissime de mea salute decreuerint.* Sed de singulis ordine disputemus.

## De Tribunis ærarijs.

## CAP. VIII.



**L**IBVNO S ærarios ordinem quendam apparet fuisse eorum, quibus, ut ait Varro, *attributa erat pecunia, ut militi redderent.* Pecuniam autē attributam definit in tertiam Verrinam Pedianus, *quam in stipendium militū de ærario à tribunis ærarijs adnumerari quæstoris soleret.* Quæstos porro ærarij Varro dictos scribit, *qui pecunias cōquirerent publicas.* Et certe in tabulas pecuniā publicā referendi quæstoris munus fuisse, multorū testimoniis planū fieri posset. ex quo intelligi licet, quæstos curasse pecuniā, quam in ærariū inferrent, tribunos ærarios, quā ex ærario sumptam quæstori proconsulis, atq; exercitui maxime erogarent. vnde Cicero procol. illud scripsit ad Caniniū: *Pecunia, quæ mihi attributa est, à quæstore curatur.* Fuit autem horum ordo sane antiquus, quippe quorum meminerit etiā Cato, (auctore Gellio lib. v 11) in primo epistolicarum quæstionum, his verbis: *Pignoris scapio ob æs militare, quod æs à tribuno ærario miles accipere debebat.* Quamobrem satis constituere non possum, quod sit eorum consilium, qui ex sententia Ciceronis tribunos ærarios inter minores magistratus iccirco referunt, quod is in tertio de legibus ita scriptū reliquit: *Minores magistratus partiti iuris plures in plera sunt. militiæ quibus iussi erunt, imperanto, eorumq; tribuni sunt. domi pecuniā publicā cu*

stodi

*stodiunt.* quid ita? quia intelligo, hoc loco non tribunos ærarios, sed tribunos militum, & quæstos ærarij esse descriptos. Tribunos autē ærarios è plebe fuisse, non locus solum, quē ante protuli ex oratione Ciceronis in Catilinam ostendit, sed etiam lex Aurelia, qua communicata iudicia feruntur inter tres ordines, senatores, equites Rom. & tribunos ærarios. quos, cum hunc locum explicaret, perspicue è plebe fuisse Dio in historia scribit. Videntur autem à Cotta in iudices è plebe illi relati, qui honestiore in plebe ordine, ac loco essent commodiore, ut cum senatoribus, & equitibus apte conferrentur.

## De scribis.

## CAP. IX.



**L**IBVNO RVM porro ærarij ordini honore proximus scribarum ordo fuit. Hos Festus definit *librarios, qui rationes publicas scribunt in tabulis.* Apparuerunt autem singulis magistratibus eo nomine, ut rationes publicas in tabulas referrent, & leges, actaq; omnia perscriberent. vnde dixit in v in Verrem Cicero, scribarū ordinem esse honestum, *quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculæque magistratuum cōmittantur.* & pro domo: *Scribæ, qui nobiscum in rationibus, monumentisq; publicis versantur, non obscurum de meis in rempub. beneficijs suum iudicium, decretumq; esse voluerunt.* & in Pisonem, *Rationes ita sunt perscriptæ scite, & literate, ut scriba ad ærarium, qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput perfricans, commurmuratus sit. ratio quidem bercle apparet. argentum dixerat.* Leges autem quodammodo in manibus scribas habuisse, & magistratibus ius suggestisse, ostendit idem, cum in tertio de legibus extremo scribit: *Ani maduerto quosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum apparitores velint.* quod ipsum de scribis esse dictum, docet Plutarchus, vbi scribarum arrogantiam à M. Catone minore fractam, ac repressam esse narrat, in hæc verba: *Cato cum quæsturam inisset, ministros, & scribas cōercuit, qui publicas tabulas, legesque tractantes, cum adolescentes nacti essent, quibus magistratibus apparerent, quod ij propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant magistratus.* Eos vero Cato apparitorum loco, ut erant, tractauit. cum alios fraudis, alios inscitie insimularet cumque illi auxilio collegarum. Catonis vsi resisterent, Cato primum eorum damnatum de fraudata hereditate ab ærario expulit, alterum vero de inertia postulauit. qui cum gratia Catuli censoris fultus euasisset, eo nunquam vsus est Cato. Adde illud, scribas fere à quæstoribus mercedem apparitionis accipere solitos. id quod ex fragmento veteris huius tabulæ intelligitur:

Q. VRB. QVEI. AERARIVM. PROVINCIAM. OPTINENT. EAM MERCEDEM. DEFERTO. QVAESTORQVE. QVEI. AERARIVM. PROVINCIAM

OPTINEBIT. EAM. PEQVNIAM. EI. SCRIBAE. SCRIBEIS QVE HEREDIVE

EIVS. SOLVITO. IDQVE. EI. SINE. FRAUDE. SVA. FACERE. LICETO. QVOD

SINE. MALO. PEQVLATV. FIAT. OLLEISQVE. HOMINIBVS, EAM. PEQVNIAM. CAPERE. LICETO.

Omnium autem, ut scribit Festus, minimæ dignitatis fuit scriba naualis, quod periculis quoque eius ministerium esset, objectum.

Cum ergo multi essent scribæ in ciuitate, factum est, ut in decurias multas sint translati, quæstoriorum, adiliciorum, prætoriorum, prout à quæstoribus, adilibus, prætoribus essent lecti. nam hoc ius eorum magistratuum fuisse, non obscure innuit Cicero in Cluentiana: *Nuper hominem tenuem scribam adiliciū D. Matrini cū defendissem apud M. Iunium, Q. Publiciū prætores, & M. Plætorium, C. Flaminiū adiles curules, persuasi, ut scribæ curati legerent eum, quem ijsdem isti, censes ærarij*

reliquissent. & Liuius libro x l: *Q. Petilius prætor vrbanus eos libros à L. Petillio scriba sumpsit. & erat familiaris vsus, quod scribam eum, quæstor Q. Petillius in decuriam legerat.* Sed tamen aliquot etiam decurias pretio emptas fuisse, apparet ex oratione quinta in Verrem, in qua ille ita differit: *Ad eos me scribas reuoca, si placet; noli hos colligere, qui numulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corollarijs, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem ciuitatis se venisse dicunt. eos scribas tecum disceptatores huius criminis habebis, qui istos scribas esse molestæ ferunt. tamen si cum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriae propositus est, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo esse, quo cuius licet pretio peruenire?*

Non admodum autem grauem, atque honestum fuisse Romæ scribarum ordinem, duæ res indicio sunt: vna quod Probus in Eumene, scribarum munus multo apud Græcos honorificentius fuisse, quàm apud Romanos prodit. nam apud Romanos re vera, sicut essent, mercenarios habitos, apud Græcos neminem, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita admissum. altera, quod Piso apud Gellium de Cn. Flauio scriba ita scribit: *Cn. Flauius patre libertino natus scriptum faciebat: isq; in eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles subrogantur eumq; primæ tribus ædilem curulem renunciauerunt. atq; ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret eum ædilem fieri. Cn. Flauius dicitur tabulas possuisse, scriptu sese abdicaße. isq; ædilis curulis factus est.* Non tamen aditum omnino scribis ad maiores honores fuisse interclusum, Cicereij, qui Scipionis Africani maioris scriba fuerat, exemplum ostendit, qui auctore Valerio, cum in campum Africani filium candidatum prætorij comitijs deduxisset, seq; omnibus ceterijs Scipioni anferri vidisset, è templo descendit. quin etiam Cicero in libris de officijs, quendam emorat, qui cū in Sullæ dictatura scriba fuisset, post in Cæsaris prætor vrbanus fuit.

## De mercatoribus, &amp; negotiatoribus.

CAP. X.



**S**CRIBIS nescio an alios è plebe honestiores homines adiunxerim, quàm mercatores. Mercatores autem appello, qui iis rebus quibus abundamus, exportandis, & iis, quibus egemus, inuehendis quæstum faciunt. quem quæstum laudat Cicero in primo de officijs his verbis: *Mercatura si tenuis est, sordida putanda est; si magna, & copiosa, multa vndique apportans, multisque sine vanitate imparties, non est admodum vituperanda. atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius. ut sæpe ex alto in portum, ex portu ipso se in agros, possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari.* quid autem dixi Ciceronem: Cato ille senior tale de mercatoribus reliquit in principio librorum de re rustica testimoniū: *Est interdum, inquit, præstare populo, mercaturis rem quærere, ni tam periculosum fiet.* neque ita multo post: *Mercatorem strenuum, studiosumque rei quærendæ existimo; verum, ut supra dixi, periculosum, & calamitosum.* Quocirca Cicero etiam in Paradoxis, honestos quæstus eorum appellauit, qui mercaturam facerent, operas darent, publica sumerent. Horum vero duò genera fuisse inuenio, vnum eorum, qui proprio nomine mercatores appellati sunt, alterum, qui negotiatores & negotia gerentes. inter quos illud potissimum, ni me coniectura fallit, interfuit, quod mercatores Romæ domicilium, familiamque habuerunt, quanquam interdum quæstus causa in prouincijs per aliquot mensium spatium versarentur. negotiatores vero eundem sequuti quæstum in prouincijs sedem, ac domicilium fortunarum suarum collocarunt. neque fere Romam, nisi censendi causa decesserunt. Itaque ut Romæ fuit mercatorum collegium, sic in prouincijs conuentus negotiatorum. Mercatorum vero collegium institutum esse anno c c l i x post Romam conditam, Claudio, Seruilioque pos. Liuij testimonio cognitum est; qui inquit: *Certamen consulibus incidit, uter dedi*

dedicaret Mercurij ædem. senatus à se rem ad populum reiecit: vtri eorum dedicatio iussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituire, solemniam pro pontifice iussit suscipere. Itaque Festus mercatorum diem festum Idus Maias appellat, quod eo die Mercurij ædes esset dedicata. eisdem vero à Mercurio, quem coluerint, deo Mercuriales appellatos, iuuat suspicari, de quibus Ouidius in Fastis, vbi de Mercurij æde consecrata loquitur, ita scribit:

*Te quicumque suas profitentur vendere merces,  
Tibure dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.*

& Cicero in epistolis ad fratrem, ita: *M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Mercuriales, & Capitolini de collegio eiecerunt.* Nam Capitolinorum collegium à M. Camillo dictatore ludis Capitolinis, eodem teste Liuij, constitutum satis constat. Fuisse tamen aliquot etiam equites Rom. in Mercurialiū collegio, ex iisdem Ciceronis verbis apparet.

Negotiatorum porro crebra apud Ciceronem est mentio. in epistolis ad fratrem: *Constat Asia ex eo genere ciuium, qui aut quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio, se incolumes fortunas habere arbitrentur.* in Maniliana: *Ac ne illud quidem negligendum est, quod ad multorum bona ciuium Romanorum pertinet. nam publicani suas rationes, & copias in illam prouinciam contulerunt, deinde ceteris ex ordinibus homines nauis, & industrijs partim in Asia negotiantur, partim suas, suorumq; in ea prouincia pecunias magnas collocatas habent.* pro Fonteio: *A ciuibus Rom. qui negotiantur in Gallia, referta est Gallia negotiatorum, plena ciuium Rom. vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorū testem producant.* Item: *Nemo est ciuis Romanus, qui sibi vlla excusatione vtendum putet. omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ pecuarij, ceteri negotiatores Fonteium defendunt.* Vnde illa sunt etiam in Verrem de laudibus prouinciæ Siciliæ: *Quid, quod multis locupletioribus ciuibus vtimur. quod habent propinquam fidem, fructuosamq; prouinciã, quo facile excurrant, vbi libenter negotium gerant, quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu, compendioq; dimittit, partim retinet, ut arare, pascere, ut negotiari libeat. ut denique sedes ac domicilium collocare.* & alio loco: *Vexastu negotiatores, inuiti enim Romam, raroq; decedunt.* Fuisse autem aliquot etiam equites Romanos è negotiatoribus, non est cur sit dubitandum, præsertim cum dicat idem in Verre: *L. Pretius splendidissimus eques Romanus, qui Panormi negotiatur, & Q. Minucius eques Rom. qui Syracusis.* Nam quod de censendo dixi, id scriptum est in epistolis ad Atticum, vbi adhortans eum, ut aliquando se reuifiat, conclusit: *Sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est.*

Legi etiam consueuisse iudices à prætoribus in prouincijs ex conuentu ciuium Rom. qui in prouincia negotiarentur, significat sæpe idem in Verrinis.

Negotiatores autem in prouincijs multo, quàm mercatores, erant notiores. vnde maiora mercatoribus, quàm negotiatoribus ad ea adeuntibus loca pericula impendebant. Id quod Cicero his verbis contra Verrem conqueritur: *Hæcine plebi Romanæ te prætoris est constituta conditio? hæc negotij gerendi spes? hoc capitis vitæq; discrimen? parum ne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortune, nisi etiam hæc formidines ab nostris magistratibus, atque in nostris prouincijs impendebunt?* Item: *Homines tenues, obscuro loco nati nauigant, adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt. vbi neque noti esse ijs, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. hæc vna tamen fiducia ciuitatis non modo apud nostros magistratus, sed quocumque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant futuram.*

Neque vero solum mercatores ciues Romani fuerunt, sed etiam institores mercis: qualem fuisse C. Terentium Varronem, qui consul exercitum ad Cannas pulcherrimum amisit, prodit Liuius. Institorem vero quæstuarie negotiationis præfectum,

fectum, ut procuratorem non quaestuariæ appellarent. quos ambos eorum numero comprehensos patet, quos Cicero dixit, *operis dandis quaestum fecisse*.

*De Argentarijs, & Fœneratoribus.* CAP. XI.



AM vero argentarios etiam fuisse, ac nummularios constat. Sunt, qui patrum, atque adeo nostra memoria litteris prodiderint, argentarios florente rep. eosdem fuisse cum mensariis. ad quam opinionem unde illi, aut qua ratione venerint, satis constituere non possum. Ego enim inter illos, atque hos plurimum opinor interfuisse. id quod hoc loco non redarguendi alicuius studio ductus, sed rei illustrandæ cupiditate incensus, paucis ostendam. Res autem vno verbo patebit, si intellexerimus, mensarios publicam rationem confecisse, argentarios priuatam, illos rei nummariæ publicæ curatores fuisse, hos negotiationis priuatæ. Itaque eos Romæ, ut res tulit, modo quinqueuiros, modo triumuiros esse creatos, hos, ut etiam reliquos mercatores, nullius lectione, iudicio suo, quaestum tantum priuato inductos, rem nummariam iam inde ab initio vrbs exercuisse.

Mensariorum autem prima, ut opinor, mentio fit apud Liuium P. Valerio Poplicola, C. Marcio Rutilo cos. anno post urbem conditam quadringentesimo primo. eos vero ille creatos leuandi fœnoris causa tradit: idque his verbis: *Inclinatis semel in concordiam animis, noui consules fœnebre quoque rem, quæ distingere vnanimos videbatur, leuare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt, quinque viris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt: meriti æquitate, curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent. fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Ti. Aemilius, qui rem difficillimam tractatu, & plerunque parti vtrique, semper certe alteri rationem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam iactura sustinuerunt. tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aut æriarum mensis cum ære in foro positus dissoluit, ut populo prius caueretur; aut æstimatio æquis rerum precijs liberauit, ut non modo sine iniuria, sed etiam sine querimonijs partis vtriusque exhausta vis ingens æris alieni sit.* Alterum monumentum eorum extat L. Postumio, Ti. Sempronio cos. anno vrbs quingentesimo tricesimo octauo, bello Punico. quo anno idem ait, Romæ propter penuriam argenti triumuiros mensarios rogatione Minucij tribuni pl. factos. Quocirca quinquennio post, eodem bello, M. Valerius Læuinus cos. cum de conferendo in bellum promiscue omni auro, argento, atque ære in senatu ageret, dixit: *Ceterum omne aurum, argenti, æs signatum ad triumuiros mensarios extemplo deferamus.* & post: *Senatu misso pro se quisque aurum, argentum, æs in publicum conferunt, tanto certamine iniecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in tabulis publicis esse, ut nec triumuiro accipiendo, nec scribere scribendo sufficerent.* Quibus ex locis patet, mensarios nihil, nisi publicæ rationis attingisse. quod etiam in Græcia, atque Asia factitatum ostendit Cicero ab iis, quos illi *τραπεζίτας* vocarent, ipse, cum de Asia diceret, mensarios Latino vocabulo appellauit in oratione pro Flacco: *Cum ciuitate, inquit, mihi res est conficiētissima litterarum. in qua nummus moueri nullus potest sine quinque prætoribus, tribus quaestoribus, quattuor mensarijs, qui apud illos à populo creantur.* & post: *Si prætor dedit, ut scriptum est, à quaestore numerauit, quaestor à mensa publica, mensa aut ex vectigali, aut ex tributo.* Cum autem inquit, mensarios apud Asianos à populo esse creatos, tacite Romæ aliter obseruatum esse, nos admonet.

Argentarij vero fuerunt, qui argentariam fecerunt. sic enim pro Cæcina, de quodam dixit: *Romæ argentariam non ignobilem fecit.* erant autem dices & copiosi homines, qui quaestum faciebant aut permutandis pecunijs, aut fœnerandis. permutatio pecuniæ, unde lucrum petebant, à Græcis collybus dicta est. quam vocem probauit

probauit in epistolis ad Atticum: *De Cælio, inquit, vide quaeso, ne qua lacuna sit in auro, sed certe est in collybo detrimentum.* & in Verrem: *Ex omni pecunia, quam aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione, & collybo, deinde pro nescio quo cerario. hæc omnia Iudices non rerum certarum, sed furtorum improbißimorum sunt vocabula. nam collybus esse qui potest, cum videntur omnes eodem genere nummorum?*

Argentarios porro fœneratores intellexit Plautus in Curgulione cum scripsit: *Sub veteribus, ibi sunt, qui dant, quiq; accipiunt fœnore.* Veteres enim intellexit argentarias tabernas, quod erant etiam nouæ. Tabernas autem argentarias in foro construxit L. Tarquinius Priscus rex, teste Dionysio. ex quo intelligere possumus, iam tum negotiationem argentariorum nummariam Romæ esse factitatum. Earum vero tabernarum meminit post sæpe Liuius; ut bello Samnitico: *Eius triumpho longe maximam speciem captiua arma præbuere. tantum magnificentia visum in ijs, ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum diuiderentur.* & bello Punico: *Annibal vocato præcone tabernas argentarias, quæ circum forum tunc essent, iussit venire.* Et post: *Eodem tempore septem tabernæ, quæ postea, & quinque argentariæ, quæ nunc Nouæ appellantur, arserunt.* Vnde Varro de lingua Latina: *Sub Nouis dicta pars in foro edificiorum.* In hos ergo argentarios, eosdemq; fœneratores respiciens Plautus iterum scripsit in Asinaria:

*Quia triduum hoc vnum modo foro operam assiduam dederim,  
Dum reperiam, qui queritet argentum in fœnus.*

& Cicero æs circumforaneum æs in foro fœnore sumptum vocauit, cum ad Atticum scriberet: *Tusculanum, inquit, & Pompeianum valde me delectant, nisi quod me ipsum illum vindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt.* & in Maniliana: *Hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum pecunijs Asiaticis.*

Ad argentariorum autem tabernas auctiones fieri solitas Ciceronis, & Quintiliani testimonio patet. ille enim in oratione pro Cæcina ita ait: *Acbutio negotium datur. adest ad tabulam, licetur Acbutius. deterrentur emptores multi, partim gratia Cæcinæ, partim pretio. funaus addicitur Acbutio. pecuniam argentario promittit Acbutius.* hic vero Institutionum lib. xi, hoc modo: *Et forsitan in hoc sunt adiuti, qui auctione dimissa, quod nunquam vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddiderunt.* Ex qua etiam consuetudine coactores profecti sunt, quippe ministri argentariorum in auctioribus. qualem patrem suum Horatius fuisse memorat, in Sermonibus:

*Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim,  
Si præco paruas, aut, ut fuit ipse, coactor  
Mercedes sequerer.*

Quem locum interpretans Acro ait, præcones dictos, qui starent ad hastam, nunciarentq; pretia oblata. coactores autem mercenarios eorum fuisse, qui argentariam haberent; argentarios vero, qui haberent summam rerum venalium. dici enim, argentarium, qui habeat summam diuitiarum, à quo accipiunt forani. coactorem, qui exigit nummos à circumforaneis. aliter coactores dici argentarios in auctioribus, qui pecunias cogunt. Eorundem autem coactorum meminit Cicero in Cluentiana, cum dixit: *Quidam ex amicis Salsiæ recordatus est, se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam ex omni parte ferrulam, qua illud potuisse ita circumsecari videretur. ne multa. perquiritur à coactoribus. inuenitur ea ferrula ad Stratonem peruenisse.*

Argentariam autem artem parum honestam apud Romanos ciues habitam esse, inde existimari potest, quod, ut ait Suetonius, à M. Antonio Cæsari Octauiano auus argentarius in maledictis obiectus est, & quod eundem Cassius Parmensis nummularij nepotem ad contumeliam appellauit. Cuius rei causam ego



eam fuisse crediderim, quòd argentariam iidem, iidem fœnerationem exercerent, quorum quæstus in odia hominum incurrisse, Cicero in libris de officiis tradidit. scite tenebat enim memoria, maiores suos, Romanos, adeo fœnerationes pecuniarum improbasse, vt vsurarum licentiam multis legibus si non omnino frangerent, at certe valde reprimerent. quas leges nescio an breuius quisquam commemorare potuerit, quàm Tacitus annalium quinto, in hunc modum: *Sane vetus vrbi fœnebre malum, & seditionum, discordiarumq; creberrima causa. eoque cobibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis vnciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur, dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita vsura. multisq; plebis scitis obuiam itum fraudibus est.*

Quæ verba placet fœnoris antiqui ostendendi causa, pluribus explanare. Primum ergo inquit, ante XII tabulas fœnus pro libidine esse agitatum, idq; seditionibus causam præbuisse. egregie probant enim hoc querelæ pauperis eius, cuius oratione secessionem plebis in montem Sacrum factâ prodit Liuius. Sabino enim bello, questus est, *se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruisset, sed villa incensa fuisset, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. id cumulatam vsuris, primo se agro paterno, auitoq; exuisse, deinde fortunis alijs, postremo velut tabem peruenisse ad corpus. ductum se ab creditore non in seruitium, sed in ergastulum.* Deinde addit, XII tabulis cautum, *Ne quis vnciario fœnore amplius exerceret.* Vnciariam autem vsuram, si quis hoc fortallè requirat, dixerunt, respicientes centesimam, quam maximam vsuram æstimarunt. quæ est, cum pars sortis centesima singulis mensibus penditur. id est cum quotannis duodeni pro centenibus vsuræ nomine numerantur. Hanc vero quasi vsurarum assem quendam esse voluerunt. vnde aliæ minores vsuræ, quasi assis partes, aut particulæ fluxerunt; semis, cum dimidia pars centesimæ in menses singulos soluitur; quadrans, cum quarta; quincunx, cum quinta; triens, cum tertia; vnciaria, cum duodecima; semunciaria, cum vicesima quarta. Hac tamen lege non contenta plebs fuit. quin etiâ C. Licinius, L. Sextius tribuni pl. anno vrbs CCCCLXXXVI, legem promulgarunt, eamq; post decennium pertulerunt, auctore Liuius, *Vt deducto eo de capite, quod vsuris pernumeratum esset, id quod superesset, triennio aquis portionibus persolueretur.* Hanc tamen vnciariam legem nefaria libidine fœneratorum, atq; auaritia præualente, post omnino obsoleuisse, ex eo existimari licet, quòd eadem anno vrbs trecentesimo nonagesimo sexto relata est, C. Marcio, & Cn. Manlio, cos. M. Duilio, & L. Mænio tribunis pleb. eam ferentibus. Quod autem addit, *vsuram inde ab vnciario fœnore ad semunciariam redactam,* legem intelligit T. Manlio Torquato, & C. Plautio cos. post decennium latam, qua dicitur, eodem teste Liuius, semunciarium ex vnciario fœnus factum esse. Itaque cum Cato in principio librorum de re rustica scripsit, maiores in legibus posuisse, *fœneratorem quadrupli condemnari,* ego ea verba in hanc sententiam accipio, vt putè, non omnino aut decemuiros, aut tribunos pleb. legibus suis fœnerantes quadrupli condènalles, sed cum adiunctione, qui fœnus vnciario, aut semunciario maius exercerent. me vero in hanc sententiam prope manu ducit Asconius, cum inquit, *quadruplatores vocatos, qui grauioribus vsuris fœnerantes accusabant, & pœna lege constituta in quadruplum condemnari curabant.* Quod autem adiicit Tacitus, postremo vetitam esse vsuram, legem fortasse Genuciam notauit, quam se in quibusdam annalibus inuenisse narrat Liuius. tulisse enim Q. Seruilio, C. Marcio cos. anno vrbs quadringentesimo primo L. Genucium tribunum pleb. ad populum, *Ne fœnerare liceret.* Itaque idem anno quadringentesimo quinquagesimo octauo, Fabio, & Decio cos. aliquot fœneratoribus ab ædilibus curulibus diem dietam, eosq; multatos prodit; & anno DLXII iudicia in fœneratores multa seuerè accusantibus priuatos ædilibus curulibus facta. Vsuram autem hoc loco pro quocunq; fœnerationis genere videtur

videtur Tacitus accepisse. eadem enim est re fœneratio, ac vsura, ratione diuersa. fœneratur enim, qui dat, vsuram facit, qui accipit mutuo, teste Festo. Vnde Cicero pro Fonteio: *Aiunt hoc prætor oppressam esse ære alieno Galliam à quibus vsuras tantarum pecuniarum factas esse diunt?* Quod autem idem concludit, multis plebiscitis obuiam itum esse fraudibus, nimirum inter cetera Sempronium etiam plebiscitum significat, cuius est mentio apud Liuium eodem loco, priore anno, L. Cornelio, Q. Minucio cos. hoc modo: *Instabat tum quòd ciuitas fœnore laborabat. & cum multis fœnebris legibus constricta auaritia esset, via fraudis inita erat, vt in socios, qui non tenerentur ijs legibus, nomina transcriberent. ita libero fœnore obruebant debitores. cuius cernendi cum ratio quaereretur, diem finiri placuit fœneralia, quæ proxime fuissent: vt qui post eam diem socij ciuibus Romanis credidissent pecunias, profiterentur. & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, ius creditori diceretur. deinde postquam professionibus detecta est magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus pleb. ex auctoritate patrum, plebem rogauit, plebesq; sciuit, vt cum socijs, ac nomine Latino pecuniæ creditæ ius idem, quod cum ciuibus Romanis, esset.* Cum ergo multæ essent de fœnore leges, atque aliis aut mitiores, aut acerbiores, fiebat, vt prætores urbani modo hanc, modo illam in dicendo iure obseruarent, prout vel creditoribus vel debitoribus æqui essent. Itaque anno vrbs sexcentesimo sexagesimo quarto, Cn. Pompeio, L. Porcio cos. cum ære alieno oppressa esset ciuitas, prætor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occisus est. Quod breuiter scriptum in epitoma Liuianorum septuagesima quarta, aliquanto magis libro primo Ciuium Appianus dilatauit, in hanc sententiam: *Eodem tempore, creditores in vrbe seditionem fecerunt, cum creditas pecunias cum vsuris exigerent, antiqua lege vetante, ne vsuras creditarum pecuniarum acciperent, & illos qui ea conditione dedissent, multante. Cum autem vsuras longa consuetudo firmasset, creditores quidem eas ex consuetudine repetebant, debitores vero partim vsuras negabant, partim multas etiam se ab ijs, quòd fœnerati essent, petituos minabantur. Asellio vero prætor, cuius hæc erat iurisdictio, dedit illis inter se iudicia, legis, & consuetudinis difficultate ad iudices reiecta. fœneratores autem agre ferentes, legem ab eo veterem renouatam, ipsum in foro sacra facientem interfecerunt.* Postero vero anno P. Sulpicius in tribunatu legem tulit, teste Plutarcho in Sylla, Ne quis senator plus sestertium duobus millibus deberet. Consules autem ipsi L. Sylla, & Q. Pompeius; Vt debitores decimam partem soluerent. si modo rectè apud Festum legitur ita: *Vnciaria lex dici cœpta est, quam L. Sylla, & Q. Pompeius tulerunt. qua sanctum, vt debitores decimam partem. . . .* Biennio vero interiecto L. Valerius Flaccus consul alterâ, quam appellat Velleius turpissimam, qua creditoribus quadrantem solui iussit. post autem in consulatu Ciceronis ius aspere dictum in debitores coniurati ipsi indicant, qui apud Sallustiam conqueruntur, *sibi more maiorum vti lege non licuisse, neque amisso patrimonio corpus liberum habere, tantam seuitiam fœneratorum, & prætoris fuisse.* Vnde Dio tribunos pleb. eodem anno de nouis tabulis promulgasse scribit, eamq; rogationem à se antiquatam addit Cicero in Legibus: *Nunquam debementius actum est, quàm me consule ne solueretur armis, & castris tentata res est ab omni genere hominum, & ordine. quibus ita restiti, vt totum hoc malum de repub. tolleretur. nunquam nec maius æs alienum fuit, nec melius, aut facilius dissolutum est. fraudandi enim spe sublata soluendi necessitas consecuta est.* Quod idem postea dictator Cæsar videtur prouidisse, ne fieret, cum tulit, teste Suetonio, *Vt dissecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebatur, debitores creditoribus satisfacerent per estimationem possessionum, quæti quasque ante ciuile bellam comparassent, deducta summa æris alieni, si quid vsuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset, qua conditione quarta fere crediti deperibat.* quam eandem rem idem ipse his verbis memoriæ mandauit in principio tertij libri de bello ciuili: *Cum fides tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, vt arbitri da-*

rentur, per eos fierent estimationes possessionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque ea creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendumq; , qui ferè bella & ciuiles dissensiones sequi cõsuevit, & ad debitorum tuendam existimationem aptissimum existimauit. Leges autem fœnebres labefactatas esse Ciceronis ætate, inde facile intelligitur, quòd idem lib. VI epistolarum ad Atticum vsuræ trientis, & bessis meminit, *Fœnus ex triente Idibus factum erat bessibus.* & quòd ad Sextium scribens, semissis, inquit: *Omnino semissibus magna copia est.* & iterum ad Atticum libro primo, centesimæ, cum inquit, *à Cæcilio nummum moueri ne à propinquis quidem minore centesimis posse.* quanuis fœnus adeo maiores improbassent, vt senex Cato interrogatus quondam, quid de fœneratione sentiret, responderet, idem esse fœnerari, atque hominem interficere. adeo mores sensim praua consuetudo, atque peccandi licentia ipsa corruerat.

De opificibus, & artificibus. CAP. VII.



**M**ERCATORIBVS autem, & argentariis aliquanto indigniores in ciuitate fuerunt opifices, artificesq; , de quibus sequitur vt deinceps, quemadmodum proposuimus, disseramus. Vt autem sordida & illiberales eorum artes habitæ sint, docet in primo de officiis Cicero; quem puto vtile esse loquentem audire: *Illiberales, & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum opera, non quorum artes emuntur. est enim in illis ipsa merces auctoramentum seruitutis. sordidi etiam putantur, qui mercantur à mercatoribus, vt statim vendat. opifices quoque omnes in sordida arte versantur. nec vero quicquam ingenuû potest habere officina. minimeq; artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarij, lanij, coqui, factores, piscatores, vt ait Terentius. adde his, si placet, vnguentarios, saltatores, totumq; ludum talarium.* Quibus verbis summa opificum, artificumq; omnium genera perstrinxit, qui quin è plebe Romana, & maxime vrbana fuerint, non est, cur in dubium adducatur. Hi vero ex antiquissimo instituto erant in multa collegia distributi. cuius instituti auctorem inuenio, regem fuisse Numam, qui, quod est scriptum apud Plutarchum, *vt differentiam illam tolleret, qua ciuium Romanorum alij Quirites, alij Romani, alij à Tatio, alij à Romulo dicebantur, artium diuisionem excogitauit tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, cerdonum, fabrum ærarium, & figulorum. reliquas vero artes in vnum redigens, vnum ex his collegium constituit, quibus cum sodalitates, & conuentus, & sacra vnicuique generi apta tradidisset, nomen Romanorû, Sabinorumq; deleuit.* Hanc autem Plutarchi orationem confirmat quoque Valerius, qui capite de institutis, collegij tibicinum meminit; tuetur Plinius, qui libro XXXIII tertium fabrum ærarium collegium, & libro XXXV, septimum figulorum à Numa cõstitutum prodit. Quanquam Florus Ser. Tullium potius, quàm Numam Pompilium horum, vt videtur, collegiorum auctorem asserit, cum de eo ita scribit: *Ab hoc rege populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, decurijs, atque collegijs distributus. Summaq; regis solertia ita ordinata est resp. vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artiû, officiorumq; discrimina in tabulas referrentur, ac si maxima ciuitas minima domus diligentia contineretur.* Atque hæc quidem siue à Numa, siue à Seruio instituta artificum, opificumq; collegia fuerunt. de quibus intellexit sine dubio Caius, cum leges XII tabularum interpretans ita scripsit: *Sodales sunt, qui eiusdem collegij sunt, quam Græci τρωαίαν vocant. his autem potestatem facit lex, pactiõnem, quam velint, sibi ferre, dum nequid ex publica lege corrumpant.* Inde vero facta alia multa sunt, sed ea ferè, quia aduersus remp. esse videbantur, sublata. quod his verbis prodit in Cornelianam Aconius: *Frequenter cœtus factioforum hominum sine publica auctoritate, malo publico, fiebant. propter quod postea collegia senatusconsultis, & legibus pluribus sunt sublata præter pauca, atque certa, quæ vtilitas ciuitatis desiderasset, vt fabrum, figulorumq;.*

*Et orumque.* Hoc autem quando potissimum factum sit, inuenio scriptum apud eundem in commentario Pisonianæ. *L. Cæcilio, inquit, Q. Marcio consulib. senatusconsulto collegia sublata sunt, quæ aduersus remp. videbantur esse. solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalicios, prætextati, qui ludi sublatis collegijs discussi sunt. post nouem deinde annos, quàm sublata erant, P. Clodius tribunus pleb. non solum lege lata restituit collegia (quod idem à Dione scriptum video libro quadragesimo) sed etiam alia noua adiecit ex omni sece vrbis, ac seruitio, vt testis est Cicero in Pisoniana. Quæ porro restituta à Clodio fuerant, ea iterum à Cæsare dictatore sublata, facile intelligere ex Suetonio possumus, si eum loquentem attendamus. inquit enim, *Cæsarem cuncta collegia præter antiquitus constituta detraxisse.* cuius lex cum in maximis reip. motibus postea ad nihilum recidisset, eandem ab Augusto repositâ existimare debemus. siquidem idem Suetonius auctor est, *cũ plurimæ societates titulo tenus collegij noui ad nullius non facinoris societatem conuenire, Augustum collegia præter antiqua, & legitima dissoluisse.* Timebant scilicet sapientissimi homines factioforum hominum cœtus, ne iure collegij ad res nouandas, & remp. perturbandam abuterentur.*

Si ergo antiqua iam inde à Numa instituta artificum, opificumque collegia, in quæ ille populum plebem ve coniecit, vsque ad Augusti memoriam integra peruaserunt, quis est, qui negare, nisi plane rerum omnium rudis, possit, ciues Romanos, maxime qui de plebe erant, artes operosas, sordidas, humilesque tractasse? At duobus in locis repugnat Dionysius, atque artes eiusmodi longe à ciue Romano remouet. vnus est, vbi de Romuli institutis disputat: *Romulus, inquit, ciuibus Romanis agriculturam, & artem militarem commisit, seruis vero, & peregrinis artes sellularias, & sordidas, & turpium voluptatum ministras. quippe quæ non magis corpora, quàm animos eorum, à quibus colerentur, lederent. ac diu hæc artificia infamia flagrarunt apud Romanos, neque ab vllò indigena Romano sunt exculta.* alter est, vbi de septimo lustro dislerit, aliquot annis post reges exactos. *Ciuium, inquit, hoc lustro, qui tum puberes essent, supra centum milia censa, mulierum autem, seruorumq; , & mercatorum, & sordidas artes exercentium, (siquidem Romanorum nemini cauponariam, aut operosam artem tractare licuit) triplo plus, quàm turba ciuili.* Repugnat ille certe, & quæstionem ponit ad explicandum difficilem. est tamen opera danda, vt veritatem in re non minimi momenti quàm certissimis possumus vestigijs persequamur. Ego igitur, qui artifices, atque opifices ciuium Ro. è numero fuisse cõleo, Dionysio optimo in primis auctori ita occurrendum existimo. Primum Romuli, cuius ille meminit, institutum aut Numæ, aut Seruii instituto fuisse abrogatum. non enim seruos, aut peregrinos illi in collegia digessisse dicuntur, sed ciues Romanos. probro tamen primis temporibus eiusmodi artium vsum fuisse, atque inde factum, vt à veris ciuibus, & germani secernerentur, non negauerim. quoniam eiusmodi operibus occupati homines neq; ad militiam propter ignauiam vocabantur, nec fere tributum onere vllò propter tenues ipsorum opes premebantur, propterea ne in censorum quidem ciuium numerum à censoribus fuisse relatos, perinde atque ne puerorum quidem, mulierumque, crediderim. siquidem census ad iuniorum copiam, qui ad bellum conscriberentur, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum facultates sustentarentur, dispiciendam, est celebratus. at vero peregrinorum, atque seruorum prope alterum Romæ populum esse obuersatum, qui his quæstibus operam dederit, agriculturam vero & rem militarem ciuibus liberis solis reliquerit, vix mihi consentaneum videtur præsertim vero cum peregrini ciuitate, serui libertate, & ciuitate facile donari possent, quam quid erat, cur tantopere expeterent, si lucrum ex arte antiqua amissuri essent? opifices autem, & sellularios à militia esse repulso non lege, sed consuetudine, quòd parum bello idoneum genus illud hominum putaretur, ex verbis ipsius Liuianis colligi mihi videtur posse, quæ sunt libro

VIII: Quin opificum quoque vulgus, & sellularij minime idoneum militiae genus exciti dicuntur, Veiisque ingens exercitus contractus, ut inde obuiam Gallis iretur. & his Sallustianis, vbi de C. Mario consule bello Iugurthino loquitur: Plebs sic accensa est, ut opifices omnes, agrestesque quorum res, fidesque in manibus sitae sunt, relictis operibus frequentarent Marium. Etenim quaero, an consules opificum turbam centuriassent, si serui, ac peregrini fuissent, quorum illi nunquam, hi non in legione, sed in auxiliis meruerunt: at raro hoc vsurpatum est; fateor. neque enim eiusmodi hominum genus conscribi, qui non idonei militaribus operibus viderentur, solebat, nisi aut asperis in rebus, aut ab ambizioso consule, ut a Mario, qui etiam capite censorum infimam plebem centuriasse fertur. Eosdem vero tributo conferendo vacasse, non quod ciuitatis, sed quod facultatis essent expertes, satis aperte demonstrat Plutarchus, qui scribit, Poplicolam cos. pauperes ciues tributi conferendi onere exolutos alacrius opificia sua tractare iussisse. Cur igitur a censoribus, teste Dionysio, sint praeteriti, dubij iam nihil relinquitur. Quod si quis non optimo eos iure ciuitatis vsos esse in prima illa siue regum, siue patriciorum rep. affirmarit, non repugnabo. quid enim id mirum, in ea rep. quae non esset legibus temperata, sed humilibus neglectis, tota in principum, & diuitum esset potestate sita? At postquam plebi vniuersa est communicata resp. tum & hanc plebis partem meliora iura, quam ante, sibi parasse, quis negare possit, nisi qui plane in tota antiquitate Romana peregrinetur? quaero enim, quod ius praestantius est suffragio, quod melius honore? At si postremis temporibus partem hanc ciuitatis ad tribus, & ad suffragia, & ad honores admissam doceo, non ne ciues Romanos etiam sordidis in artibus occupatos fuisse, probaui? De tribubus autem quid est, quod dubitemus, cum auctorem optimum T. Liuium habeamus? is autem *censores Lepidum, & Nobiliorem mutasse suffragia scribit, regionatimque generibus hominum, causis, & quaestibus tribus descripsisse.* nimirum enim *quaestus* cum dixit, collegia plebis intellexit. Vnde Cicero merito se collegiorum suffragiis in patriam reuocatum gloriatur. *Nullum est, inquit, in hac vrbe collegium, quod non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreuerit.* At vero cum idem pro domo ait de eadem re, *homines in campum non tabernis, sed municipijs clausis venisse,* non ne satis ostendit, opifices clausis tabernis in campum suffragij causa ventitare solitos esse? & cum Quintus frater in libro de petitione ait: *Habes equestrem ordinem, multa municipia, multos abs te defensos cuiusque ordinis homines, aliquot collegia,* non ne significat, ut equites Roma. & municipes, sic opificum collegia suis eum suffragiis consulem facere posse? Iam vero cur haec pars populi a seditiosis hominibus tantopere coleretur, nisi ipsa ponderis aliquid ad comitia afferret? Audiamus, quid in oratione pro domo idem noster ille in Clodium loquatur: *An tu populum Roma. esse illum putas, qui constat ex ijs, qui mercede conducuntur, qui impelluntur, ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie caedem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteris.* Itaq, alio loco L. Sergium Clodij satellitem, *tabernariorum concitatorum* vocat. & Pedianus in argumento Milonianae scribit, Plancum tribunum pl. cohortatum esse populum, *ut clausis tabernis postero die ad iudicium adesset, nec pateretur elabi Milonem.* & in Lucullo inquit *nostrer, seditiosos tribunos claudi tabernas iubere solitos esse.* cur ita? nimirum, ut plebem infimam, quae in tabernis est, quaeque facile impelli ad quodcumque facinus potest, secum habeat. Vnde illud est in Catilinam: *Quod si auditum est, lenonem quendam Lentuli concurre facere circum tabernas, pretio sperantem solitari posse animos egentium, atque imperitorum, est id quidem ceptum, atque tentatum: sed nulli sunt inuenti tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditii, qui non ipsum illum sella, atque operis, & quaestus quotidiani locum, qui non cubile, ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitae saluum esse velint. multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, immo de quo genus hoc vniuersum amantiissimum est ocij. etenim omne eorum instrumentum,*

omnis

omnis opera; ac quaestus frequentia ciuium sustinetur, alitur ocio. quorum si quaestus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum sit? Atque haec quidem dicta sint de suffragio. Quid dicam de honoribus? non ne P. Rupilius ex operis publicanorum consulatum adeptus, imperium etiam in Sicilia gessit, idemque triumphauit? non ne Terentius Varro, qui cladem Cannensem cos. accepit, patrem lanium habuit, ipse vero institor mercis fuit? num vero hi minus ciues fuerunt, quia in sordido quaestu versati sunt, quam vnus quilibet e patricijs, cum etiam consulatum administrarint? quid M. Scaurus vir patricius, qui consul, & censor fuit, non ne patrem habuit, qui carbonariam propter paupertatem, & C. Octavius, qui postea Augustus appellatus est, auum, qui argentariam fecit? an igitur Scaurus patre, Octavius auo geniti sunt, non ciues, sed peregrino? quid? an vero Fabius ille, qui quod pingeret, Pictor est appellatus, ciuis non fuit, cum fuerit etiam patricius? de quo Cicero ita in prima Tusculana: *An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos?* At fuerunt haec artes probro. non nego. plebs etiam vniuersa reliquis ordinibus minus honesta fuit. & in plebe commodiore alij alijs in causa fuerunt. siquidem histriones omnes, praeter Attellanos, tribu motos, & a stipendijs militaribus repulso fuisse ante diximus. vnde Q. Roscium comcedum Cicero dignum esse dixit, *qui aut semper in scena esset, aut eo nunquam veniret.*

## De turba forensi.

## CAP. XIII.



VIC autem plebi pars illa plebis adiuncta est, quam forensam turbam, & factionem Liuius, Cicero peculiari nomine urbanam plebem solet vocare. in qua homines versati sunt non solum egentes, & rebus domesticis impediti, sed nocentes etiam, & furiosi. cuius de commodis lege sua agraria Ti. Gracchus tulit, cum diceret, *feras, quidem, ac bestias lustrum, ac tectum, quo se reciperent, in Italia habere, qui vero assidue pro libertate pugnarent, praeter aërem, lucemque nihil in Italia possidere, sed sine lae, sine sede, cum liberis, coniugibusque vagari. mentiri autem imperatores Rom. cum milites hortarentur, ut pro aris, focisque pugnarent. neque enim lares paternos, nec monumenta maiorum eos tenere, sed pro aliena luxuria dimicare, atque orbis terrarum dominos verbo appellari, reuera autem ne glebam quidem terrae possidere.* Quam eandem legem cum in tribunatu L. Philippus terret, dixit, teste in i. de officijs Cicerone, *non esse duo millia hominum in ciuitate, qui rem haberent.* Quin etiam haec illa plebs fuit, cuius studio P. Clodius tribunus plebis Ciceronem ex vrbe expulit, ac temp. diuexauit. de qua sic ille pro domo: *P. Clodius consulari homini adimere potuit ciuitatem concilio aduocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam seruorum, Cedulio principe, qui primus seruit. quod facile potuit propter inopiam tecti in foro peruoctans.* & pro Milone: *Plebem, & infimam multitudinem, quae P. Clodio duce fortunae vestris imminerebat, eam quo tutior esset vita vestra, se facisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimonijs deliniret.* Neque vero alia est ea, quam intellexit Sallustius, cum in Coniuratione ita scripsit: *Plebs coniuratione patefacta, Catilinae consilia execrari, Ciceronem ad caelum tollere. namque alia belli facinora praedia magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in vsu quotidiano, & cultu corporis erant.* Haec autem plebs urbana agrorum inops, atque inanis, cum agros ex lege aliqua accipiebat, tunc in agros deduci, siue in agris constitui ab ipso latore legis dicebatur. Neque vero solum, quos paupertatis humilitas deprefferat, sed quos etiam flagitiosa, ac turpis vita signauerat, plebs haec, ut dixi, urbana complexa est. Quod idem Sallustius eodem in libro demonstrat, cum inquit: *sed urbana plebs praecipua erat multis de causis; primum omnium, qui ubique probro ac petulantia maxime praestabant, item alij, qui per dedecora patrimonijs amissis, postremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat,*

k 2 bi

bi Romam sicuti in sentinam confluxerant. Quo factum est, ut Cicero epistolarum ad Atticum primo, bonis sordem, fecemque urbis opposuerit, cum dixit: *Apud bonos idem sumus, quos reliquisti, apud sordem, & fecem Urbis multo melius, quam reliquisti.* Ergo cum hanc plebem vel sentinam, vel sordem, vel fecem urbis vocarent, recte etiam cum de emittenda infima tenuissimorum hominum multitudine, atque in agros deducenda loquerentur, plebem exhaurire dicebant. unde notum illud Ciceronis est in Rullum: *Et nimirum illud est, quod ab hoc tribuno pl. dictum est in senatu, Urbanam plebem nimium in rep. posse, exhauriendam esse. hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur.* Hanc autem forensis turbam vocavit Liuius libro XI, credo, quod in foro ociosa, quasi agrariis & frumentariis largitionibus inhians versaretur, atque seditiosissimo cuique magistratui vel concionem habenti, vel cum populo agenti, facillime se dederet, eamque in quattuor urbanas tribus conclusam ait. *Q. Fabius censor, inquit, ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensis turbam excretam in quattuor tribus coniecit, urbanasque has appellavit.* Ego tamen ex urbanis tribubus quattuor eam exisse, atque in omnes diffusam esse, inde ducor ad opinandum, quod nec Gracchi, nec Clodius, nec ceteri furiosi, amentisque tribuni pl. quicquam in rep. moliri huius plebis suffragiis, & studio potuissent, si quattuor tantum tribus in potestate habuissent, praesertim cum vni tribui vnum suffragium concederetur, in quod maioris partis ex ipsa tribu sententiae inclinassent. Neque vero ex alio etiam, quam ex hoc quasi corpore proletarios, & capite cenfos fuisse existimarem, quos in sextam classem, ultimamque centuriam reiecit Ser. Tullius, de quibus supra satis disputauimus, cum de centuriis diximus. postremo vero & hunc esse populum illum, quem *tunicatum* in Satyris *popellum* appellavit Horatius, quod non toga, sed tunica fex ipsa ciuitatis vteretur, existimo, unde Tacitus in dialogo de oratoribus, vulgus imperitum *populum tunicatum* vocarit.

## De libertinis.

## CAP. XIII.



EQVITVR ordo libertinorum. quem in hunc locum iccirco reieci, quod quae hactenus dicta sunt, omnia ad ingenuos pertinuerunt. libertinorum autem, ut supra dixi, iura multo, quam ingenuorum, fuerunt deteriora. Quod hoc etiam loco multo planius exponemus. Etenim cum priore libro, qui libertini vocarentur, docuerimus, in hoc quam ciuitatis, aut quam reip. partem habuerint, ac quot turbas iuris sui amplificandi causa in rep. excitarint, demonstrabimus.

Satis igitur constat, qui cum libertate ciuitatem adepti essent, eos patroni quidem nomina, per quem erant liberati, esse affectos, at iura non omnino eadem esse adeptos. Non solum enim qui a patricio erat manumissus, non patriciorum ius acquirebat, sed ne qui a plebeio quidem, prorsus plebeij hominis conditionem assequeretur. Erant enim omnes libertini plebeij, & iure priuato, id est iure Quiritium eodem utebantur, ac illi, sed a tribubus rusticis, id est ab optimo iure suffragiorum, & a stipendiis, & ab honoribus erant repulsi. unde non admodum commoda eorum fuisse conditio intelligitur. quam ut meliorem redderent, saepe, sed frustra, magistratum Rom. ope tentarunt. In quattuor autem tribus urbanas primus is, qui libertinos etiam ciuitate donare instituit, Ser. Tullius coniecit. quae cum propterea parum honoratae haberi essent ceptae, inde ab ingenuis, ut dixi, in rusticas frequenter est migratum, & rusticis eo nomine plurimum decoris, & ornamenti adiectum. Itaque libertini, quorum iam nunc merus in rep. percrebuerat, cum se eo contemni nomine intelligerent, quod urbanas tribus ab ingenuis segregati tenerent, saepius ut in omnes diuiderentur, pugnant. primus autem Ap. Claudius in censura, quam gessit anno urbis conditae CCCCLXII, eos ex quattuor urbanis, in quas a Ser. Tullio translati fuerant, in

in omnes dispersisse, populari aura prouectus existimatur. usque adeo, ut Plutarchus propterea in Poplicola Ap. Claudium primum libertinorum ordini suffragium dedisse dicat. Cuius factum cum ingenui, & tota nobilitas iniquissimo animo ferret, visum est Q. Fabio Rulliano censori nouem post annis eos excernere, atque iterum in quattuor urbanas redigere: quam rem adeo gratis animis acceptam esse a tota ciuitate inquit Liuius, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, eo facto inuenerit. Eos tamen post censorum, qui sequuti sunt, vel temeritate vel negligentia ex iis exiisse, inde conici potest, quod L. Acnilius Papius, & C. Flaminius censores, anno urbis quingentesimo trigesimo secundo, libertinos, qui in omnes tribus dispersi essent, in quattuor urbanas, teste Liuius, reuocarint. Immutatam autem hanc etiam rationem esse postea inuenio, ita, ut quibus filius quinquenni maior esset, in rusticis censerentur, qui praedium, praediaue rustica pluris sestertium xxx millium haberent, in quattuor urbanis, reliqui tribubus omnibus excluderentur. Itaque Ti. Gracchus, censor, anno post Romam conditam quingentesimo octogesimo quinto, cum omnes libertinos omnibus pellere tribubus vellet, resistente C. Claudio collega, tandem eò descendit, ut in Esquilinam omnes referret. Haec autem ex his Liuij verbis elici mihi videntur posse: *In quattuor urbanas tribus descripti erant libertini praeter eos, quibus filius quinquenni maior esset. ex S. C. eos, ubi proximo lustro censi essent, censi iusserunt. & eos, qui praedium praediaue rustica pluris triginta millium haberent, censi ius factum est. Hoc cum ita seruatum esset, negabat Claudius suffragij lationem iniussu populi censorem adimere cuiquam homini, nedum vniuerso ordini posse. neque enim si tribu mouere posset, quod sit nihil aliud, quam iubere mutare tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emouere posse, id est ciuitatem, libertatemque eripere, non ubi censeantur finire, sed censu excludere. Haec inter ipsos disceptata. postremo eo descensum est, ut ex quattuor urbanis tribubus vnam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui seruitutem seruissent, conijcerent. Esquilinae fors exijt. in ea Ti. Gracchus pronunciauit, libertinos omnes censi placere.* Itaque huc intuens Cicero in primo de oratore dixit: *Ti. Gracchus censor, Gracchorum pater, non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit. quod nisi fecisset, rem quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus.* significat autem eos, qui in rusticis essent, in urbanas esse redactos. quam vnam ex quattuor Esquilinam fuisse scribit Liuius. Hoc autem decreto parum diu stetisse eos, inde intelligo, quod M. Scaurum consulem anno DCXLV legem de libertinorum suffragiis tulisse, id est, ut ego opinor, in IIII urbanas eos dispersisse, in libro de viris illustribus scriptum est. cur autem ita putem, haec causa est, quod ni hoc ille tulisset, P. Sulpicio tribuno pl. legem ferre anno DCXLV, necesse non fuisset, ut libertini in omnes tribus distribuerentur. id quod in epitoma Liuiana, & apud Asconium scriptum inuenitur. quam tamen legem eodem anno a L. Sulla consule, Mario, Sulpicioque aduersae factionis ducibus vrbe per arma pulsus, vna cum ceteris eius legibus abrogatam, cum docet Appianus, tum inde etiam pater, quod C. Carbone iterum consule, Sullae inimico triennio post libertini in omnes tribus descripti in epitoma Liuiana traduntur. Verum & hanc legem haud ita multo post a Sulla dictatore sublatam, ex eo suspicari libet, quod C. Manilius tribunus pl. anno DCXXCV, eadem legem tulisse dicitur, quae quia postridie, id est K. Ianuariis senatusconsulto, Dione & Pediano testibus, est sublata, propterea P. Clodius ferre in tribunatu suo illo turbulentissimo proposuerat, ut libertini, qui non plusquam in urbanis tribubus suffragium ferebant, possent in rusticis quoque tribubus (sic enim loquitur Pedianus) quae ingenuorum essent, ferre. Quibus ex rebus illud efficitur, libertinos in tribubus urbanis perpetuo ferre esse cenfos, quod etiam memoria sua obseruatum prodit Dionysius, qui fuit Augusti aequalis.

Ut autem suffragiorum iure, sic etiam stipendiorum caruisse, ex eo suspicor,

quod non ex ordine, sed difficillimis tantum reip. temporibus conscripti sunt. neque enim credendum est, si ex ordine meruissent, ita de iis Liuium in bello Samnitico, & Etrusco exponendo scripturum fuisse: *Senatus iustitium indici, deletum omnis generis haberi iussit, nec ingenui modo, aut iuniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertiniqu; centuriati.* Quod cum ait, quippe illud significat, ut seniores, sic libertinos extra ordinem fuisse conscriptos. An vero idem bello Punico secundo scriptum reliquisset, *Libertinos etiam, quibus liberi essent, & ætas militaris in verba iurasse.* vnde scripsit Macrobius Saturnalium primo, post cladem ad lacum Trasimenum acceptam libertinos quoque in sacramentum vocatos. aut bello Ligustino, litteris prodidisset, *rei naualis curam non omissam, duumuiros in eam rem consules creare iussos, per quos viginti naues deductæ naualibus socijs ciuibus Ro. qui seruitutem seruissent, complerentur, ingenui tantum ijs præessent* aut bello Persico permissum tradidisset, *ut supplementum legeretur in classem ex libertinis.* Neque vero Appianus bello Marfico per libertinos oram à Cumis ad urbem esse custoditam, *libertinis tum primum propter ingenuorum inopiam merere incipientibus,* dixisset. quem locum attigit etiam, eodem, quem commemorauimus, in loco Macrobius, cum addidit, *Bello sociali cohortum XII ex libertinis conscriptarum operam memorabilis virtutis apparuisse.* Quibus ex locis quid aliud admonemur, quam libertinos, nisi extra ordinem, asperis reip. temporibus, non esse centuriatos?

At caruerunt suffragio, num vero honorum petitionem habuerunt? multo minus. hoc enim vix libertinorum filiis patuit. Docet hoc Liuius, cum de Cn. Flauio loquitur: *Eodem anno Cn. Flauius C. F. scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir, & facundus, ædilis curulis fuit, tribunatu ante gesto, triumuiratūque nocturno, altero coloniæ deducendæ. ceterum Flauium ædilem dixerat forensis factio Ap. Claudij censura vires nata. qui senatum primus libertinorum filijs lectis inquinauerat. quam lectionem nemo ratam habuit.* docet Appianus, qui P. Furium, eum, qui tribunus pl. Q. Metelli Numidici restitutioni se opposuit, libertino patre natum prodit. docet Tacitus, apud quem D. Claudius ita loquitur: *Libertinorum filijs magistratus mandati, non ut plerique falluntur recens, sed priori populo factitatum est.* demonstrat postremo diligens, atque assidua obseruatio antiquitatis, quæ constantissime libertinum ab honorum petitione repellit. nisi forte apparitiones magistratuum, in numero honorum habeamus, de quibus post dicemus.

Verū neq; in senatū libertinos lectos esse inde apparet, quod ne libertinorū qui de filij lecti sint. vnde illud est in Cluentiana: *Lentulus censor Popilliu, quod erat libertini filius, non legit. locum quidem senatorium ludis, & cetera ornamenta reliquit.*

Libertinorum autem numerum cum in omni tempore magnum fuisse inuenio, tum Sullanis temporibus maximum. Etenim L. Sulla recuperata rep. omnes eorum, qui in bello ceciderant, seruos, atque in primis robustissimum quemque manumisit, atque eis plebis iura dedit. qui omnes ab eo Cornelij auctore Appiano, sunt appellati. vnde Cicero in Corneliana prima dixit, *Cornelios tam multos esse, ut iam collegium esset constitutum.* Itaque cum post eorum numerus ferri in vrbe non posset, manumittendi modus ab Augusto imp. præscriptus est.

De apparitoribus magistratuum. CAP. XV.



**A**PPARITORES autem magistratuum dicebantur, qui magistratuum imperio præsto erant, ut scribæ, accensi, interpretes, præcones, viatores, lictores, serui publici, carnifices. Hæc autem munera libertis fere suis magistratus quisq; more maiorum mandauit. Quod cum ex aliis multis locis colligitur, tum maxime ex oratione senatoris cuiusdam, apud Tacitū, de libertinorū ordine ita disserētis, lib.

lib. XIIII: *Hinc plerunque tribus, decurias, ministeria magistratibus, & sacerdotibus, cohortes etiam in vrbe conscriptas, & plurimis equitum plerisq; senatoribus non aliam de originem trahi.* Quibus verbis satis planum fecit, libertinis tribus, & decurias, credo, scribarum, & præconum, & viatorum, aliquando esse repletas. ex libertinis ministros esse magistratibus ac sacerdotibus datos. eisdem esse aliquando in cohortes ad bellum descriptos, atque inde plurimos equites, multos senatores originem deduxisse.

De scribis autem ante diximus, eosq; ex hoc numero exemimus, non quod non apparitorum numero fuerint, sed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis constituisse animaduertimus. siquidem & antiquus ille scriba pontificū Cn. Flauius non libertinus fuit, sed libertini filius, & Cicereius scriba Scipionis prætor legi non potuisset, nisi ingenuus fuisset. neque enim stante rep. magistratus vlli libertinorū ordini patuerūt. Cicero tamē M. Tullio liberto suo scriba vsus est.

Accensos porro hoc loco intelligimus magistratuum ministros, qui accirent. sic enim Varro de lingua Latina: *Consul loquitur ad exercitum: Impero, qua conueniente ad comitia centuriata. Quare hic accenso, illic præconi dicit. hæc est causa. in aliquot rebus item ut præco, accensus acciebat. a quo accensus quoque dictus. Accensum solum cire Bœotia ostendit. Vbi primum accensus clamavit merid'em.* Liuius de decemuiris consularibus: *Penes præfectum iuris duodecim fasces erant, collegis nouem singulis accensi apparebant.* & Cicero in epistola illa nobili ad fratrem: *His rebus nuper C. Octauius iucundissimus fuit. apud quem primus licitor quieuit, tacuit accensus. quoties quisque voluit, dixit, & quam voluit, dixit.* Quo in loco cum de accenso Tacuit, dixit, significat, accensi officium fuisse non solum, ut acciret ad prætorem, qui ius poscerent, sed etiam ut molestis interpellatoribus silentium imponeret. Libertis autem hoc muneris datum esse, idem ille in eadem ostendit: *Accensus sit, inquit, eo etiā numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt. qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris, & muneris, non temere nisi libertis suis d. ferebant. quibus illi quidem non multo secus, ac seruis imperabant.* vnde ad Appium cum scribit, Pausaniam Lentuli libertum, accensum suum vocat. Neque vero cum dixit in Verrem: *Homo ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tertius,* alium ordinē, quam libertinorum, ut opinor, intellexit. in quibus ut in seruis frugalitas commendatur.

Interpretes fuerunt, quos inter exterarum gentes, ad externorum populorum orationem interpretandam adhibuerunt. quos ex apparitorum, & libertinorum numero fuisse, Ciceronis verba, quæ sequuntur, ostendunt. primum ad Thermum, inquit, se pro cos. in Sicilia *in longa apparitione singularē, & propè incredibilem interpretis sui Marcilij fidem cognouisse,* deinde in Corneliana, *C. Publicium Menandrum, libertinum hominem, apud maiores legatos in Græciam proficiscentes interpretem secum habere voluisse.* Munus autem interpretis declarat in frumētaria, cum ait: *A. Valentinus est in Sicilia interpretis, quo iste interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta, & flagitia uti solebat.*

Præconum in ciuitate vsus fuit varius, ac multiplex; in auctonibus, ut ad hastam starent, & precia oblata nunciarent; in concionibus, ut audientiam facerent; in comitiis magistratuum, ut tribus ad suffragia ineunda citarent, & eos, qui designati erant, renunciarent; in legibus ferendis, ut subiiciente scriba leges populo recitarent; in iudiciis, & quæstionibus, ut iudices, reos, & accusatores, & testes citaret. quod vnicique planum esse potest, qui non cursim, sed attente antiquorum scripta perlegerit. Liberos autem fuisse præcones, exemplo sit Sex. ille Næuius, contra quem venit Cicero in Quintiana defensione, cum dixit: *Neque parum facetus scurra Sex. Næuius, neque inhumanus præco est vnquam existimatus. quid ergo est? cum ei natura nihil melius, quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, vocem in quæstum contulit, libertate vsus est, quo impunius dicax esset.* quibus verbis eum libertini filium mihi videtur subinnuere. Ut autem præcones à consulibus ex

ciuibus Romanis legerentur, & eorum multæ decuriæ essent, atque mercedem à magistratibus acciperent, post indicabo.

Lictoribus vsi sunt consules, prætores, interreges, & dictatores, & si qui alij magistratus non potestatem solum habuerunt, sed etiam imperium. viatoribus ij, quorum potestas potius, quam imperium extitit. Eorum munus erat, vt populum summouerent, fontes virgis cæderent, & securi ferirent. quæ ex Liuiο elicuntur: *Et summouere populum lictores iussi.* vnde alibi lictorem aditus summotorem vocauit. *Assuetis, inquit, regio imperio formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia.* & alio loco: *Lictor apparuit, summouente eo incesserunt. virga, & securis prælatæ.* & alibi: *Faluuus præconi imperauit, vt lictorem lege agere iuberet. ita de ijs quoque, qui Calibus erant, sumptum supplicium.* inde: *Missi q; lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securi q; percutiunt.* Hos autem è plebe Romana fuisse idem libro secundo ostendit, apud quem nescio quis è plebe queritur, quattuor, & viginti lictores apparere consulibus, & eos ipsos plebis homines. Punico autem bello confecto, qui magistratibus in prouincia apparerent, eos fere Bruttios fuisse, vnde Bruttianos dictos, tradit Gellius; qui causam exponens, cur quendam à Bruttianis verberatum Cato dixisset, ait, *Romanos ægre passos, Bruttios populos totius Italiae ad Annibalem defecisse. pulsos, victis q; Pœnis, Bruttios ignominie causa nec milites scripsisse, nec pro socijs habuisse, sed magistratibus in prouinciam euntibus parere, & præministrare seruorū vicem iussisse. quod autem è Bruttijs essent, Bruttianos appellatos.*

Viatores alios à lictoribus fuisse, argumento est antiqua vtrorumq; origo. Lictor enim à ligando, Viator à via, vnde accersebant, est appellatus. Testis est in Catone Cicero: *Et via ad senatum accersebantur Curius, & ceteri senes, ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt.* Valgius tamen eosdem fere viatores cum lictoribus existimauit, vt est apud Gellium. Lictorem enim dicit à ligando appellatum esse, quod cum magistratus populi Rom. virgis quempiam verberari iussissent, crura eius, & manus ligari, vinciriq; à viatore solita sint, isq; qui ex collegio viatorū officium ligandi haberet, lictor fit appellatus, vtiturq; ad eam rem testimonio M. Tullij, verbaq; eius refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio. *Lictor, inquit, colliga manus.* Quod autem supra dixi, lictorem consulibus fuisse, intelligendum est, ita fuisse, vt etiam viatorem habuerit; siquidem de consulibus loquens Liuius dixit, *Quibus in forum delatis, & ad viginti matronis, apud quas deprehensa erat, per viatorem accitis,* & alibi: *Consul viatorem misit, qui patri nunciare, vt sine lictoribus ad consulem veniret.* ex quibus tamen apparet, viatoribus eos vsos vocandi, & nunciandi causa, non ligandi. Viatorum porro, vt etiam ante præconum, decurias fuisse, easq; à cōsulibus lectas, & mercede affectas fuisse, testis est antiqua ea tabula, cuius supra memini, cum de scribis dicerē, cuius reliquum, quod ad præcones, & viatores pertinet, quoniam res est memoria digna, hic adscribam:

COS. QVEI. NVNC. SVNT. IEI. ANTE. K. DECEMBRIS. PRIMAS. DE. EIS. QVEI. CIVIS. ROMANEI. SVNT. VIATOREM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. VIATORVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. PRIMEIS. QVAESTORIBVS. AD AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. EIDEM. COS. ANTE. K. DECEMBR. PRIMAS. DE. EIS. QVEI. CIVIS ROMANEI. SVNT. PRAECONEM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. PRAECO. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. PRAECONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. PRIMEIS. QVAESTORIBVS. AD. AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. DEINDE. EIDEM. CONSVL. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. VIATOREM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. VIATORVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. SECVNDEIS

QVAESTORIBVS. AD. AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. EIDEMQVE. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. PRAECONEM. VNVM. LEGVNTO. QVI. IN. EA. DECVRIA. PRAECO. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. PRAECONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. SECVNDEIS. QVAESTORIBVS. AD. AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. DEINDE. EIDEM. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. VIATOREM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. VIATORVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. TERTIIS. QVAESTORIBVS. AD. AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. EIDEMQVE. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. PRAECONEM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. PRAECO. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. PRAECONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. TERTIIS. QVAESTORIBVS. AD. AERARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. EOSQVE. VIATORES. EOSQVE. PRAECONES. OMNEIS. QVOS. EO. ORDINE. DIGNOS. ARBITRABVNTVR. LEGVNTO. QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM. ITA. VIATOR. LECTVS. ERIT. IS. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. ESTO. ITEM. VT. EI. CETERI. EIVS. DECVRIAE. VIATORES. ERVNT. QVAMQVE. IN. QVISQVE. DECVRIAM. ITA. PRAECO. LECTVS. ERIT. IS. IN. EA. DECVRIA. PRAECO. ESTO. ITA. VT. EI. CETEREI. EIVS. DECVRIAE. PRAECONES. ERVNT. SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS. DE. QVE. EIS. VIATORIBVS. Q. OMNIVM. RERV. IVS. LEXQVE. ESTO. QVASEI. SEI. EI. VIATORES. IN. EAM. DECVRIAM. IN. TRIBVS. VIATORIBVS. ANTEA. LECTEI. SVBLECTEI. ESSENT. QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM. EORVM. EX. HAC. LEGE. VIATOR. LECTVS. ERIT. SIREMPSQVE. EIS. PRAECONIBVS. DE. QVE. EIS. PRAECONIBVS. QVAESTORI. OMNIVM. RERV. IVS. LEXQVE. ESTO. QVASEI. SEI. EI. PRAECONES. IN. EAM. DECVRIAM. IN. TRIBVS. PRAECONIBVS. ANTEA. LECTEI. SVBLECTEI. ESSENT. QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM. EORVM. EX. HAC. LEGE. PRAECO. LECTVS. ERIT. QVOS. QVOMQVE. QVAESTORES. EX. LEGE. PLEBEIVE. SCITO. VIATORES. LEGERE. SVBLEGERE. OPORTEBIT. EI. QVAESTORES. EO. IVRE. EA. LEGE. VIATORES. III. LEGVNTO. SVBLEGVNTO. QVO. IVRE. QVA. LEGE. QVEI. NVNC. SVNT. VIATORES. III. LEGERVNT. SVBLEGERVNT. QVOSQVE. QVOMQVE. QVAESTORES. EX. LEGE. PLEBEIVE. SCITO. PRAECONES. SVBLEGERE. OPORTEBAT. EI. QVAESTORES. EO. IVRE. EA. LEGE. PRAECONES. III. LEGVNTO. SVBLEGVNTO. QVO. IVRE. QVA. LEGE. QVAESTORES. QVEI. NVNC. SVNT. PRAECONES. III. LEGERVNT. SVBLEGERVNT. DVM. NI. QVEM. IN. EIS. VIATORIBVS. PRAECONIBVS. LEGVNDEIS. SVBLEGVNDEIS. IN. EIVS. VIATORIS. PRAECONIS. LOCVM. VIATOREM. PRAECONEM. LEGANT. SVBLEGANT. QVOIVS. IN. LOCVM. PER. LEGES. PLEBEIVE. SCITA. VIATOREM. PRAECONEM. LEGEI. SVBLEGEI. NON. LICEBIT. ITAQVE. DE. EIS. QVATTVOR. VIATORIBVS. QVAESTOR. QVEI. QVOMQVE. ERIT. VIATORES. SVMITO. HABETO. VTEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. DE. TRIBVS. VIATORIBVS. VIATORES. HABERE. SVMERE. SOLITEL. ITAQVE. DE. EIS. QVATTVOR. PRAECONIBVS. QVAESTOR. QVEI. QVOMQVE. ERIT. PRAECONES. SVMITO. HABETO. VTEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. DE. TRIBVS. PRAECONIBVS. PRAECONES. HABERE. SVMERE. SOLITEL. SVNT. ITEMQVE. EIS. VIATORIBVS. PRAECONIBVS. QVI. EX. HAC. LEGE. LECTEI. ERVNT. VICARIVM. DARE. SVBDERE. IVS. ESTO. LICETO. QVE. VTI. CETEREIS. VIATORIBVS. PRAECONIBVS. QVA. IN. QVISQVE. DECVRIA. EST. VICARIVM. DARE. SVBDERE. IVVS. ERIT. LICEBITQVE. ITEMQVE. QVAESTORES. AB. IEIS. VICARIOS. ACCIPIVNTO. VTEI. AN. CETEREIS. VIATORIBVS. PRAECONIBVS. VICARIOS. ACCIPEI. OPORTEBIT. VIATORES.

VIATORES. PRAECONES. QVEI. EX. HAC. LEGE. LECTEI. SVBLECTEI. ERVNT  
 EIS. VIATORIBVS. PRAECONIBVS. MAGISTRATVS. PRO. VE. MAG  
 MERCEDIS. ITEM. TANTVNDIEM. DATO. QVANTVM. EI. VIATORI  
 PRAECONEI. DAREI. OPORTERET. SEI. IS. VIATOR. DE. TRIBVS  
 VIATORIBVS. ISQVE. PRAECO. DE. TRIBVS. PRAECONIBVS. ESSET  
 QVEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. VTEI. LEGERENTVR. INSTITVTI. SVNT  
 QVAS. IN. DECVRIAS. VIATORVM. PRAECONVM. CONSVL. EX. HAC  
 LEGE. VIATORES. PRAECONES. LEGERIT. QVORVM. VIATORVM  
 PRAECONVM. NOMINA. IN. EIS. DECVRIEIS. AD. AEDEM. SATVRNI  
 IN. PARIETE. INTRA. CAVEAS. PROXVME. ANTE. HANC. LEGEM.

Seruos autem publicos alios fuisse à licitoribus ostendit senatusconsultum vetus, quod ponitur à Frontino in libro de aquæductibus : *Placere Senatui, eos, qui aquis publicis præessent, cum eius rei causa extra urbem essent, lictores binos, & seruos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos, præconesq; totidem habere, quot habent ij, per quos frumentum plebei datur.* Hi vero omnibus magistratibus apparuerunt, vt censorsibus, de quibus Liuius : *Censores signatis tabellis publicis, clausoq; tabulario, & dimissis seruis publicis negarunt se quidquam publici negotij gesturos;* & ædilibus, de quibus Varro : *Ædiles stipati seruis publicis non modo prebendi non possunt, sed ei vltro summouent populum.* & quæstoribus, quos idem scripsit neque licitorem habuisse, neque viatorem.

Vnus fuit carnifex, qui non modo ciuis non fuit, sed ne domicilium quidem in vrbe habuit. si teste M. Tullio statimus in Rabiriana illa de perduellione ita loquente : *Sed moreretur prius acerbissima morte milies Gracchus, quam in eius concione carnifex consisteret, quem non modo foro, sed etiam caelo hoc, ac spiritu censoria leges, ac vrbis domicilio carere voluerunt.* est autem ferè carnifex is, per quem in crucem egerunt, vt licitor, per quem securi percusserunt,

De notis ordinum. CAP. XVI.



**H**ACTENVS de tribus ciuium ordinibus, qui fuerint, quas partes habuerint, quidq; demum ad remp. momenti attulerint, disputatum sit. nunc de notis eorum, quod relinqui videtur, dicamus. Notas autem intelligo censorias. Etenim vt ciues à censoribus in ordines honoris causa referebantur, sic ab iisdem ignominia causa ex ordinibus pellebantur. Itaque vt tribu largienda plebeium, equo publico assignando equitem Rom. senatu communicando senatorem faciebant, ita tribu mouendo plebeium, equo adimendo equitem, senatu eiiciendo senatorem, cum essent magistri morum cõstitut, notabant. Neque vero equites, aut senatores eã nota solum afficere poterant, vt aut equo spoliarent, aut senatu exigerent, sed illa præterea etiam, vt tribu mouerent. vt enim omnes ciues, quod iam sæpius admonui, erant in tribu, sic eandem amittere omnes, & quod grauius esse existimabatur, in Cæritum tabulas referri, & ærarij relinqui poterant. Senatu autem mouere, erat in recitando senatu senatorem veterem præterire. equum adimere, equum videri iubere. tradit hoc in Diuinationem Pedianus. *Censores, inquit, quanto quoque anno creari solebant. hi prorsus ciues sic notabant, vt qui senator esset, eiiceretur è senatu, qui eques Rom. equum publicum perderet, qui plebeius in Cæritum tabulas referretur.* ostendunt exempla multorum, quibus referta est Liuiana historia, vt Cethegi, & Tuditani censorum, qui senatum ita legerunt, vt octo præterierint, & Salinatoris, ac Neronis, qui septem senatu mouerunt, neminem, qui sella curuli sedisset, & Flaminini, ac Marcelli, qui quattuor, neminem curuli honore vsurum, & M. Catonis, qui septem, inter quos etiam L. Flamininus confularis. de nota vero eque

stri,

stri, Claudij, & Gracchi, quos ait idem in equis adimendis equestrem ordinem offendisse, & eorum, à quibus scribit Valerius, equestris ordinis magnam partem, quadringentos iuuenes, quia ad munitionum opus explicandum ire iussi, non iuerant, equis publicis spoliatos. Neque vero equites soli, qui equo publico, sed etiam, qui priuato merebant, à censoribus eo spoliabantur, si Liuiano testimonio sterer, qui scribit : *In equestribus notis eadem seruata causa. illis omnibus equi adempti, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent ijs, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis priuatis facerent.* significat enim omnibus equitibus tam priuato equo, quam publico equos ereptos : iis autem, qui publico stipendia fecerant, illud adiectum, vt priuatis facerent. Nam eos, qui publicum equum haberet, eo aperte priuatos fuisse cum Neronis, & Salinatoris exemplo patet, quorum alter alterum equum publicum, quem forte habebant, notæ causa, teste Liuius, iussit vendere, tum ex eo perspicari potest, quod narrat idem de iis, qui deferendæ Italiæ consilium ceperant, & qui nimis callidi exoluendi iurisiurandi interpretes fuerant, quibus equos ademptos ait, qui equum publicum habebant. Qui vero tertij ordinis erant, ij tribu mouebantur, in Cæritum tabulas transferebantur, & ærarij fiebant. Tribu mouere erat ex vna tribu in aliam notæ causa transferre. Hoc tradit Liuius. *Negauit, inquit, Claudius censor suffragij lationem iniussu populi censorem cuiquam homini, nedum vni uerso ordini adimere posse. neque enim si tribu mouere posset, quod nihil sit aliud, quam iubere mutare tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus mouere posse.* Ex quo apparet, mouere tribu esse, ex honestiore tribu in minus honestam transferre, vt ex rustica in urbanam, aut ex rustica in rusticam. vnde dixit Plinius, in urbanas tribus transferri ignominiosum fuisse. Accedit, quod Cicero de republica quarto ait, maiores Romanos, *cum artem ludicram, scenamq; totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquerunt carere, sed etiam tribu moueri censoria notatione voluisse.* quæ verba D. Augustinus enarrans, ait, *quisquis ciuium Romanorum esse scenscus elegisset, non solum nullum ei ad honorem aditum datum, verum etiam censoris nota tribum tenere propriam non permissum.* & post : *Romani hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiam debonestari sinunt.* In Cæritum porro tabulas referre, erat suffragio spoliare. Nam Cæritibus beneficij loco, ob sacra Gallico bello seruata ciuitas sine suffragij latione fuerat data, vt apud Strabonem, & Gellium scriptum inuenimus. *Ærarium vero facere erat, auctore Pediano, nullum aliud ius ciuitatis in centuria, atque adeo in tribu relinquere, quam vt pro capite suo tribui nomine era penderet,* ita vt, qui ærarius factus esset, is non solum suffragio urbano, sed etiam stipendiis militaribus spoliatus esset. Vt autem grauior erat nota in Cærites referri, quam tribu moueri, sic ærarium relinqui, quam inter Cærites conici. Nam ærarius etiam inter Cærites relatus erat. quare in annalibus nullam aliam notam reperiemus, nisi tribu motum, & ærarium factum. Quod autem ærarij à militaribus stipendiis essent repulsi, ex Liuij loco, qui est in principio septimi, cognoscitur, cum scribit, Attellanos histriones censoria nota vacuos fuisse, *quia neque tribu mouerentur, neque à militaribus stipendijs reppellerentur.* Ergo senator non solum senatu eiici, eques equo exui, sed etiam tribu moueri, & in ærarios referri poterant. Quocirca est apud Liuium, *M. Aemilium dictatorem ob diminutum censuræ tempus censores tribu mouisse, octuplicatoq; censu ærarium reliquisse.* Item : *Censores censum seuerius, quam ante habuisse. multis equos ademptos, qui equum publicum haberet, tribuq; motos, ærarios omnes factos. neque senatu modo, aut equestri ordine regendo curam censorum se tenuisse. nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpisse, qui quadriennio non militassent. quibus neque vacatio iusta militiæ, neque morbus causa fuisset, & ea supra duo millia nominum in ærarios relata, tribuq; motos.* & alibi : *His equi à censoribus adempti, tribuq; moti. ærarij omnes facti.* atque etiam Cicero in Cluëtiana scripsit : *Censores ipsi inter se tanti esse iudicia arbitrantur,*

vt alter

*ut alter alterius iudicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu mouere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignum existimet, ut alter in aerarios referri, aut tribu moueri iubeat, alter vetet.*

## De iure ordinum.

CAP. XVII.



**L**X P O S I T I S ordinibus tribus, reliquum est, ut de iure eorum differam. iura enim ordinum quære, nihil aliud est, quam iura ciuium, quatenus in ordines distributi sunt, indagare. Hæc vero iura plura fortasse fuerunt, sed quæ maxime excellere, duo potissimum fuisse animaduerto. quorum alterum iudicia attingit, spectacula alterum. Etenim ut omnes ciues sedes in teatro spectandorum ludorum causa habuerunt, sic omnes etiam & priuatas, & publicas causas iudicant. quibus autem legibus, & quando, & quo modo, & quibus reip. motibus illud obtinuerint, aperiendum videtur. Agamus autem primum de iudicijs, deinde spectacula persequamur, atque, utraque ut inter hos ordines vel diuisa, vel communicata fuerint, demonstremus.

## De iudicijs.

CAP. XVIII.



**I**UDICIUM est potestas de rebus aut priuatis, aut publicis ex iure & legibus Rom. iudicandi. Iudicia porro obierunt ijs, qui Iudices appellantur. quos à magistratibus fuisse diuersos, non minimo illa sunt argumento, quod magistratus iudicium darent, iudices causa cognita iudicarent; illi iudices cogere, hi in iudicium cogere, illi populi suffragijs, hi à prætoribus; illi ex vniuerso populo, hi ex certo plerumque ordine allegerentur; in ijs, quid quisque decerneret, obseruaretur, in his quid plerique statuerent, spectaretur. iudices denique sententiam ferrent, magistratus iudicium sententiam pronunciarent. Quare in constituendo Romano ciue non omnibus in partibus Aristotelicam definitionem ciuis traditam possumus sequi. Ille enim ciuem magistratibus, & iudicijs circumscriptis, quod iudicia & omnibus ciuibus committi, suffragio mandari æque ac magistratus ipsos posse censuit; nos aliam rationem in legendis iudicibus, aliam in defendendis. Itaque si ciuem statuerimus eum, qui iudicia habeat, graui illo incommodo vrgebimur, ut vsque ad sexcentimum tricesimum ab vrbe condita annum senatores solos ciues, quia soli iudicant, fuisse concludamus. deinde vero vnà cum iudicijs ciuitatem à senatoribus ad solos equites esse translata dicemus. quo quid potest dici peruersius? Quæ causa fecit, ut ego ordines, & iudicia ab honorum numero remouerim. cum honores suffragio ciuium tradi viderem, ordines autem lectioni censoriarum, iudicia prætoriarum esse commissa animaduertentem.

Sint ergo iudicia ab honoribus segregata, ordinibus autem adiuncta, & tanquam ordinum ornamenta. Eorum vero alia priuata fuerunt, alia publica. Priuata erant, in quibus ius suum priuatus quisque persequeretur: publica, in quibus iniuria, quæ reipublicæ facta erat, vindicabatur. Quæ vero essent iniuriarum, quibus res publica, siue populus vniuersus læderetur, in ipsius populi arbitrio erat positum.

Ut autem iudicia alia priuata, alia publica, sic iudices alij rerum priuatarum, alij publicarum fuerunt. ac priuatarum quidem recuperatores, iudices & centumviri, publicarum, qui proprie iudices sunt appellati. Præterea vero ut in litibus priuatis iudices à magistratu penes quem iurisdictio erat, dabantur, sic in causis publicis à magistratu, qui quæstioni præfesset, & quidem ex eo numero, qui selecti dicebantur.

Hi vero

Hi vero in decurias distributi feruntur fuisse, quas prætores vrbanus iurati conferunt. quoniam autem ex ordinibus iis, apud quos iudicia essent, seligebantur, selecti iudices appellati sunt. Hoc autem voluit Cicero, cum dixit in Cluentiana, *prætores vrbanos iuratos optimum quenque in selectos iudices referre.* Ex ordinibus autem iccirco dixi, quia non ex omni populo prætor vrbanus, sed ex certis ordinibus iudices in selectorum numerum referebat, id quod, altius huius disputationis exordio repetito, cuiusmodi fuerit, demonstremus.

Satis igitur constat, iudicia primum penes senatores fuisse. id est iudices, quorum esset consilium prætor aduocaturus, ex senatoribus primum tantum fuisse. Hoc probat cum Dionysius, qui iudicia patricijs à Romulo tributa esse dixit, tum Polybius, qui iudicia senatorum in potestate fuisse aperte lib. v i litteris prodidit. Probat etiam illud, quod equites ante legem C. Gracchi non iudicasse satis perspicuum est. quod si non equites, multo minus plebs.

Ergo lex Sempronia initium huius totius mutationis attulit. Placuit enim C. Graccho, ut remp. quam multis alijs legibus perturbare instituerat, hac etiam in parte vexaret, à senatu, quem parum integra fide iudicare criminabatur, ad equestrem ordinem totam iudiciorum rationem, consuetudinemque transferre, idque, lata ad populum lege, non admodum aduersante senatu obtinuit. testis est huius historiæ Appianus, cuius verba subscribam: *C. Gracchus iterum tribunus creatus, conciliata, atque adiuncta sibi plebe, de equitum etiam, qui medijs inter senatum, & plebem sunt interiecti, colligenda beneuolentia cogitauit, hoc modo: Iudicia, quæ ob pecunias captas flagrabat infamia, ad equites à senatoribus transtulit, cum eis proximè quodque iudicium exprobraret, quod Aurelium Cottam, & Salinatorè, & M. Aquillium, qui Asia ceperat, captis aperte pecunijs absoluisset. quin etiam legati cum eo querelarum pleni per urbem vagabantur. Quæ senatus veritas, legi non est aduersatus, ac plebs eam sciuit. atque ita ad equites à senatu iudicia sunt translata. narrant autem accepta lege, Gracchum dixisse, se funditus nervos senatorij ordinis incidisse, idque vero ab eo usurpatum, rem ipsam postea comprobasse. Nam cum equitibus potestatem permisisset, ut de ciuibus Romanis, atque Italicis, & senatoribus ipsis iudicarent, ac multa, ignominia, exilio damnarent, eos quasi dominos constituisse, senatores vero illis subiecisse visus est. Ita que cum equites facta cum tribunis pl. conspiratione in comitijs adessent, atque ab ijs, quæ vellent, omnia obtinerent, maximum senatoribus ipsis terrorem incutiebant. breuitque apparebat fore, ut vniuersa reip. ratio peruerteretur, cum senatus dignitate sola, equester ordo potentia, opibusque præstaret. Eadem vero etiam Paterculus, eadem Pedianus, Gracchum à senatoribus ad equites iudicia transtulisse. Eadè Varro, cuius hæc verba ex libro de vita populi Romani quarto profert Nonius: *Gracchus senatui iniquus, equestri ordini iudicia tradidit, ac bicipitem ciuitatem fecit, discordiarum ciuilium fontem.**

Anno deinde post decimo septimo, Q. Seruilius Cæpio consul ea inter utrumque ordinem communicauit. Scriptum est hoc apud Obsequentem, & Cassiodorum, qui Cæpione, & Serrano cos. iudicia per Seruilium Cæpionem consulem equitibus, & senatoribus communicata notant. Vnde illa sunt etiam Ciceronis in Bruto: *L. Crassus Seruiliam legem suavit ijs consulibus, quibus nati sumus. & paulo infra: Mibi quidem à pueritia quasi magistra fuit illa Crassi in legem Cæpionis oratio, in qua auctoritas ornatur senatus, pro quo ordine illa dicuntur, & inuidia concitatur in iudicium, & accusatorum factionem, contra quorum potentiam fuit populariter dicendum.* Hanc autem mutationem necessariam fuisse propter equitum in iudicando superbiam, atque auaritiam, indicat etiam Appianus, qui eodem in loco ita pergit: *Equites non satis iudiciorum principatu contenti, aperte in senatores etiam extra iudicia insultabant. atque muneribus capti ea turpiter, atque immoderate accipiebant. & accusatores aduersus diuites comparabant, & captarum ob iudicandum pecuniarum quæstiones facta inter se con-*



*spiratione, & vi omnino sustulerant. ita ut cum hæc iudicij forma desideraretur, seditio nem alteram ob iudicarias leges haudquaquam priore leuiorem excitaret.*

Deinde lex altera Seruilia lata est à C. Seruilio Glaucia, ut opinor, prætor. qua equitibus iudicia restituta sunt, de qua lege sic Cicero in Bruto: *C. Seruilius Glaucia in prætura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis obstrinxerat.* & pro Scauro: *Reus factus est à Q. Seruilio Cæpione lege Seruilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent & P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa.* Atque hoc intellexit in primo de oratore Antonius, cum ita loquutus est: *Et animos equitum Ro. apud quos tum caussa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, à quo erant ipsi propter iudicia abalienati, reuocabam.*

Seruiliam inde legem consequuta est Liuia, quam M. Drusus tribunus pl. tulit anno sexcentesimo sexagesimo secundo. de quo sic scribit Appianus: *Drusus senatorium, & equestrem ordinem maxime tunc ob iudicia disidentes communi lege inter se conciliare conatus est. Itaque cum aperte iudicia senatui reddere non posset, hac arte ea inter utrosque communicauit. cum senatores propter superiorum temporum discordias vix ad ccc essent, totidem ipsis ex ordine equestri, & optimum quenque ut cooptarent, auctor fuit. atque ex his omnibus in posterum iudices legi voluit. qua tamen lege neque senatoribus, qui secum tot equites admisceri, neque equitibus, qui iudicia hoc pacto ad solos senatores referri videbant, gratificatus, in utriusque ordinis offensionem cum incidisset, in ipso magistratu est interfectus.* Velleius autem ita: *Drusus cum senatui prius restitueret decus vellet, & iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros secussent, tum P. Rutilium virum non sæculi sui, sed omnis æui optimum interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu ciuitatis damnauerant.) in ijs ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium. Quid quòd in epitoma Liuiana scriptum est. P. Rutilius, vir summæ innocentie, qui legatus Q. Mucij pro consule à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. Senatus cum impotentiam equestri ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se iudicia transferrentur. M. Liuius Drusus tribunus pl. legem tulit, ut æqua parte iudicia penes senatum, & equestrem ordinem essent.* Hanc autem legem cū reliquis aliis Liuiis legibus, tanquam aduersus auspicia latam, eodem anno Philippo cos. referente vno S. C. sublatam, testis est Cicero lib. 111 de legibus. qua lege adductum in eam opinionem Plutarchum puto, ut C. Gracchū de legendis in senatum equitibus, & communicandis ea ratione iudicijs in tribunatu tulisse scripserit.

Cum igitur nec Cæpionis, nec Drusi lege senatores in partem iudiciorum venire potuissent, tū M. Plautius Siluanus extitit, qui biennio post, Strabone, & Catone cos. in tribunatu senatui satisfecit. tulit enim, auctore Pédiano, ut singulæ tribus è corpore suo quindecim, qui per annum iudicarent, legerent. vnde dixit in oratione pro C. Cornelio Cicero: *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Ro. lege Plotia iudicarent, hominem dijs, ac nobilitati perinuisum Cn. Pompeium caussam dicere lege Varia de maiestate. quæ verba Pédianus interpretans ait, M. Plautium Siluanum tribunum pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone cos. anno secundo belli Italici, cum equester ordo in iudicijs dominaretur, legem tulisse adiuuantibus nobilibus, eamque legem eam vim habuisse, quam Cicero significat. nam ex ea lege tribus singulas è suo numero quinos denos creasse, qui eo anno iudicarent. ex eo factum esse, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe. An vero hæc lex diu seruata sit, parum certum est.*

Illud autem nullam habet dubitationem, septennio post L. Syllam dictatorem legem tulisse, ut soli senatores iudicarent. credo quòd equitibus, & plebi esset infensus, quia aduersus se pro Marianis partibus steterant. cuius legis Pédianus, &

Cicero

Cicero meminerunt.

Vndecimo deinde post anno, Cn. Pompeio, & M. Craffo eos. cum multos iam ante annos Sylla decessisset, L. Aurelius Cotta prætor legem ad populum tulit, ut senatores iam diu male de iudicijs audientes cum equitibus, & tribunis ærariis iudicarent, id est, ut tres ordines ad iudicia aduocarentur. siquidem tribuni ærarij ex plebe, ut dixi, fuerunt. de qua ita Pédianus: *L. Cotta lege sua iudicia inter tres ordines communicauit, senatum, equites & tribunos ærarios.* & Velleius: *Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est.*

Inde lex Pompeia lata, quam Cn. Pompeius in secundo consulatu promulgauit, auctore in Pisonianam Asconio, nihil de tribus ordinibus immutauit.

Post Cæsar dictator iudicia ad duos solum ordines redegit, senatores, & equites. cuius rei caussam Dio ita reddidit: *Iudicia senatoribus, equitibusque commisit ut purissima pars ciuitatis iudicaret. ante enim ex plebe quidam etiam vna iudicia exercebant.* quod de tribunis ærariis dictum esse ostendit Suetonius, cum scribit: *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, equestri ordinis, & senatorij; tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.*

Inde M. Antonius cos. Cæfare interfecto, legem tulit, *ut ad duas decurias senatorum, & equitum tertia adiungeretur centurionum, & manipularium militum legionis Alaude,* ut Cicero significat in prima Philippica, in qua hanc legem infectatur, atque exagitat. Atque hæc quidem de ordinibus, vnde iudices lecti sunt, hætenus.

Censum autem in iudice etiam legendo spectatum, non est dubium, id enim innuit Plinius libro quarto decimo in proœmio: *Posteris laxitas mundi, & rerū amplitudo damno fuit. postquam senator censu legi cœptus, iudex fieri censu.* & Seneca: *Censu in foro iudex legitur.* & Cicero in Antonium: *In iudice spectari & fortuna debet, & dignitas.* An vero iam inde ab initio iudici census præfinitus sit, nihil habeo comperti. Lege quidem Aurelia, Pompeia, & Iulia præfinitum, satis aperte docet Cicero in prima Philippica, his verbis: *At quæ est ista tertia decuria? centurionum, inquit quid? isti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? census præfinitus, inquit. non centurioni quidem solum, sed etiam equiti Romano.* Habet autem dubitationem, an idem fuerit ordinum census, ac iudicum, ut quo censu quis senator, eodem etiam iudex legi potuerit. qua de re quanquam certi nihil habeo, quod afferam, non recusabo tamen. quin, quo me coniectura ducat, exponam. Me igitur, ut diuersos eos fuisse sentiam, verba Asconij de lege Põpeia adducunt. qua sancitum ait, *ut ex amplissimo censu ex centurijs aliter, quam ante lecti iudices, æque tamen ex tribus ordinibus iudicarent.* itémque Suetonij de lege Augusti, qua quartam decuriam additam ait *ex inferiore censu, quæ ducentariorum vocaretur, iudicarentque de leuioribus summis.* Ex quibus omnibus possumus suspicari, non eodem censu ordines, ac iudices esse cooptatos. quid enim legibus vllis equiti Romano census ad iudicatum præscribendus fuisset, si omnes quocunq; censu equites legi iudices, concessum esset? aut cur demum Antonius leges eas immutare tentasset, nimirum, ut quocunq; censu centurio iudicare posset, nisi certus census ante iudici centurioni constitutus fuisset? Atque hoc quidem ita fuisse, lex ipsa Pompeia ostendit, cum iudices ex amplissimo censu legi iubet. Significat enim, senatores legi potuisse, qui octingenta milia possiderent; equites, qui quadringenta. at iudices è senatorio ordine, aut equestri, nisi, qui amplissimo censu essent, id est, qui supra senatorium, aut equestrem censum possiderent, constitui non licuisse.

Postremo ætatis etiam ad iudicandum annum legitimum trigessimum quintum fuisse eodem in loco docet Suetonius, cum ita pergit: *Iudices à tricesimo ætatis anno allegit, id est quinquennio maturius, quam solebant.* Sed de iudicibus multo pluribus in libris de iudicijs differemus.

Pertinuisse autem hoc etiam ad ius ciuitatis, ex eo conici potest, quod de se inquit Cicero: qui cum lege Clodia se ciuitatem omnium iudicio non amisisset, multis argumentis contenderet, ita demum intulit: *Me L. Cotta, homo censorius, in senatu iuratus dixit, se, si censor tum esset, cum ego aberam, meo loco senatorem recitaturum fuisse. quis in meum locum iudicem subdidit? quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod et si adessem?*

De spectaculis ordinum.

CAP. XIX.



**V**T autem in iudicando, sic etiam in spectando proprio quodam iure singuli ordines fuerunt. Ceterum promiscuum spectandi in theatro senatui fuisse, & populo ab initio locum, inde senatum à populo, post equites à plebe discretos, in monumentis rerum Romanarum notatum videmus. Quæ quia sine eorum ordinum offensione, qui deteriore in causa ponebantur, fieri nequiuerit, quo pacto res vniuersa ceciderit, verbis prisorum annalium recitatis ostendam. Liuius ita scribit: *Sex. Aelius Patus, & C. Cornelius Cethegus censors gratiam ingentem apud ordinem senatorium pepererunt, quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent à populo. nam antea in promiscuo spectabant. & paulo post: C. Atilij Serrani, L. Scribonij Libonis ædiliū curulium ludis Rom. primum senatus à populo secretus spectauit. præbuitq; sermones (sicut omnis nouitas solet) alijs tandem, quod multo ante debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini, alijs demptum ex dignitate populi, quicquid maiestati patrum adiectum esset, interpretantibus. & omnia discrimina talia, quibus ordines discernentur, & concordie, & libertatis æque minuendæ esse. ad quingentesimum quinquagesimum sextum annum in promiscuo spectatum esse, quid repente factum, cur non immisceri sibi in cauea patres plebem vellent? cur diues pauperem confessorē fastidierit? nouam, & superbam libidinem ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam. postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor eius rei fuisset, pœnituisse ferunt. Adicit Valerius, quanquam ad hunc vsque annum promiscua subsellia fuerant, nunquam tamen quenquam ex plebe in theatro ante patres conscriptos spectare sustinuisse. De eodem autem etiam instituto Pedianus in Cornelianam, atq; adeo ipse etiam Cicero ita in oratione: *P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum à sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam à se ipso sæpe accusatus est, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum à populari confesso senatoria subsellia separari. Ut autem tum senatores ab equitibus, & plebe, sic postea equites à plebe secreti sunt; spectabant enim senatores in cauea, qui locus ad theatri radices scenæ proximus erat, inde proximi quattuordecim theatri gradus, ut commodiores, sic honestiores habebantur. in iis autem, & in ceteris altioribus plebs cum equitibus spectare solita erat.**

Post autem lata lex est, ut iis equites vtiq; considerent, confuse tamen, Tacito auctore, cum plebe. Hanc autem legem tulit L. Roscius Otho tribunus pl. ut est apud Dionem, M. Glabrione, & C. Pisone cos. Alienauit autem à se plebem, equites sibi adiunxit hac lege Roscius. Quo factum est, ut cum quinquennio post consule Cicerone, dum ludi ederentur, in theatrum veniret, à plebe maximo strepitu, ab equitibus ingenti plausu exceptus sit, cumque iterum plebs, & equites, ut quisq; animo erat affectus, Roscium accepissent, paulatim ad verborum conuicia descenderunt, atq; theatrum perturbarunt, id quod cum Cicero consul accepisset, statim, aduocata concione, populum castigauit. qui in theatrum reuersus, & ipse cum equitibus de Roscij honoribus, Plutarcho auctore, contendit. Vnde merito Plinius ita in laudes Ciceronis erupit: *Te suadente tribus Roscio theatri auctori legis ignouerunt, notataq; se discrimine sedis æquo animo tulerunt.*

Inde lex Iulia ab Augusto lata est: Ut equitibus Rom. quibus ipsis, parentibusve equester

equester census vnquam fuisset, in quattuordecim ordinibus lege Roscia theatri constitutis considerare liceret. cuius legis Suetonius testis est. astipulatur Plinius lib. xx xiii, cum inquit, à *Tiberio imp. constitutum, ne cui ius annulorum esset, nisi cui ingenuus ipsi, patri, auoq; paterno* <sup>HS CCCC</sup> *census fuisset, & lege Iulia theatri in xiiii ordinibus sedendi.* Post autem Imp. Nero equitum Rom. locos sedilibus plebis anteposuit, si Taciti auctori atestandum est, qui libro xv ait: *Nam ad eam diem nondi secreti ierant. quia lex Roscia nihil, nisi de quattuordecim ordinibus sanxerat.*

De nobilibus, nouis, & ignobilibus.

CAP. XX.



**H**is expositis, sanè quæ prima fuerit ciuium Rom. à nobis constituta diuisio, ab omnibus intellectum existimo. nunc sequitur, ut de secunda, quemadmodum instituiamus, disseramus; cuius ut partes sunt minores, sic disputatio aliquanto erit angustior. Ut autem illam diuisionem ab ordinibus deduximus, sic hanc ab imaginibus deriuamus. Nam qui maiorum suorum habuerunt imagines, ij nobiles; qui suas tantum, ij noui; qui nec maiorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt. Ex quo efficitur, ius imaginis nihil esse aliud, quàm ius nobilitatis. Etenim ut imago à magistratu proficiscitur, sic nobilitas ab imagine, vnde etiam sæpe imagines pro nobilitate sunt positæ. Est autem imago, ut præclare libro sexto Polybius, insignis alicuius viri simulacrum oris similitudinem artificiose effictam coloribus, pigmentisq; adumbratam referens, quod in insigniori, & celebriori domus parte positum ligneo armario includebant. Imaginem autem sui ponere non temere omnibus licuit, sed iis tantum, qui magistratus curules gessissent, quorum primus fuit ædilitas. vnde Cicero dixit in Verrem, *se ædilem designatum, adeptum esse antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam.* & pro Rabirio Postumo, vbi loquitur de iis, qui propter magistratus in senatum lecti sunt; *Delectat*, inquit, *imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita.* Imago vero iccirco valuit ad memoriam, posteritatemque prodendam, quia inde nobilitas familiæ ducta est. nobiles enim, ut dixi, fuerunt, qui maiorum suorum imagines ostendere potuerunt. Hoc indicat Liuius cum dixit, *Ancum Marcium nobilem vna imagine Numæ item, Ap. Claudium honoratissimæ imaginis ad posteros, legum latorem, conditorumque Romani iuris.* & Cicero cum pro Plancio inquit: *Non aubitas, quin omnes, qui fauent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te ædilem fecerint.* & cū in Pisonem: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum,* & Iuuenalis, cum in nobilitatem maiorum imaginibus partam ita Satyræ sexta est inuectus:

*Stemmata quid faciunt? quid prodest Pontice longo  
Sanguine censi, pictosque ostendere vultus  
Maiorum? & stantes in curribus Aemilianos?  
Et Curios iam dimidios? nasumq; minorem  
Coruini, & Galbam auriculis, nasæque carentem?  
Quid fructus generis tabula iactare rapaci  
Fumosos equitum cum dictatore magistratos?*

Has autem imagines primi patricij posuerunt, quod iis primis curules magistratus, ut consulatus, censura, prætura, ædilitasque patuerunt, vnde ius imaginis fuit. Itaque patricij etiam primi nobiles habiti sunt, vnde aliquando etiam nobilitas pro patriciorum factione est vsurpata, ut apud Liuium lib. vi i: *Non patientibus tribunis, quod pro consule vno plebeio tres patricos magistratus curules sellis prætextatos, tanquam consules, sedentes nobilitas sibi sumpsisset.* & apud Sallustium lib. de rep. ordinanda: *In duas partes ego ciuitatem diuisam arbitror, in patres, & plebem. antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaque sæpius in ciuitate secessio fuit, semperq; nobilitatis opes diminutæ sunt, & ius populi amplius*

*plificatum.* & iterum apud Liu. lib. 11. *Occupant tribuni templum. postero die consules, nobilitasq; ad impediendam legem in concione consistunt.* Post autem ubi plebs eosdem patricios magistratus est nata, tum & ipsa imagines ponere, easque relinquere cum nobilitate posteris suis cepit. quod demonstrant apud Liuium lib. VI plebeij, cum de communicando consulatu agentes dicunt, *ex illo in plebem ventura omnia, quibus patricij excellant, imperium, atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, maiora liberis relinquenda.* Quocirca multis post vulgatos honores sæculis Afconius in commentario orationis in toga candida scriptum reliquit, sex competitores Ciceronem in consulatus petitione habuisse, duos patricios, quattuor plebeios, ex quibus plebeiis duos nobiles, duos, qui tantum non primi ex suis familiis magistratum adepti essent. solum Ciceronem questri loco natum fuisse.

Vt autem nobiles dixerunt, qui maiorum imagines habuerunt, sic ignobiles, qui iis caruerunt. vt Suetonius in Vespasiano: *Flauia gens obscura, ac sine vllis imaginibus.* Iam vero qui primi ex familia sua magistratus curules ceperunt, ac imaginem sui prodiderunt, eos novos homines, quasi generis, ac posteritatis suæ principes appellarunt, vt M. Catonem illum censorium. nam pater eius ignobilis, ipse nouus, posterius eius nobiles extiterunt. est enim nouitas inter nobilitatem, & ignobilitatem interiecta. cuius rei admonemur à Cicerone pro Cluentio, cum ait: *Et iam querimus, sæpe hominibus nouis non satis magnos in hac ciuitate esse fructus? nego vsquam vnquam fuisse maiores. Vbi si quis ignobili loco natus ita viuat, vt nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur, vsque eò peruenit, quo ad eum industria cum innocentia profecuta est. si quis autem hoc vno nititur, quod sit ignobilis, procedit sæpe longius, quam si idem ille sit cum iisdem suis vitij nobilissimus.* Itaq; idem de se homine nouo ita dixit in Rullum ad populum: *Me hominem nouum consulem fecistis: item, Mihi apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur, non quòd non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisq; institutos videtis, sed quòd laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt.* Item: *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt, sic si quid deliquerò, nullæ sunt imagines, quæ me à vobis deprecantur.* Quibus verbis significat, hominem nouum eum esse, qui curuli magistratu parto aditum ad amplitudinem, & nobilitatem posteris suis patefaciat. quod etiam intellexit, cum ædilis curulis designatus dixit in Verrem, *ius se adeptum imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam.* & Plutarchus in Catone maiore, cum scripsit, *Nouos homines appellatos, qui non ex genere commendationem haberent, sed ex se cognosci inciperent.* Ex quo intelligi potest, cur Cicero in Catilinam dixerit, *se hominem esse per se cognitum, nulla commendatione maiorum,* & pro Plancio: *Ego huc à me ortus, & per me nixus ascendi, istius egregia virtus adiuuabitur commendatione maiorum.*

Cum autem procedentibus temporibus multæ plebeix familiæ, prætorix, consulares, ac triumphales essent, factum est, vt plebs in duas quasi partes abierit. quarum vnã tuebatur nobilitas, quæ ex patriciis, & plebeiis nobilibus familiis constabat, alteram plebs, quæ obscurissima, & nullarum imaginum erat. ex qua fuit C. Terentius Varro lanij filius, qui ad Cannas consul male pugnauit. Vnde ille de se loquens apud Liuium ait: *Romanos non habituros ante finem belli Punici, quàm consulem vere plebeium, id est hominem nouum fecissent. nam plebeios nobiles iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint à patribus.*

Atque hæc quidem de nobilibus. redeo ad imagines, vnde nobilitas ipsa fluxit. Has ergo qui habuerunt, eas summo studio coluerunt, & conseruarunt. Narrat enim eo, quem supra commemorauimus, loco Polybius, festis eos diebus apertis armarijs illas exornasse. cum vero ex domesticis quispiam esset mortuus, in funere extulisse, addito, vt magnitudine quã simillimæ apparerent, reliquo corporis trũco. vestibus autem exornatas, si consulares, aut cum imperio fuissent, prætextis, si censorij,

rij, purpureis; si triumphales, auro intextis; atque currũ, fascibus, & securibus, aliisque magistratum insignibus prælatis in rostra esse perlatas. Hoc autem idem tradidit quoque Plinius libro x x v: *Apud maiores in atrijs imagines erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora. expressi cera vultus singulis disponebantur armarijs, vt essent imagines, quæ comitarentur gentilia funera, semperq; defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. tabulina codicibus implebantur, & monumentis rerum gestarum. aliæ foris, & circa limina animorum gentium imagines erant, affixis hostium spolijs, quæ nec emptori relinquere liceret. triumphabantq; etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingens exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Extat Messallæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suæ Leuinorum alienam imaginem. Similis causa Messallæ seni expressit volumina illa, quæ de familijs condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetq; adoptione testamentaria Salutionis, (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam inrepentem Scipionum nomini. sed pace Messallarum dixisse liceat, etiam mentiri clarorum imagines, erat aliquis virtutum amor, multoq; honestius, quàm mereri, nequis suas exspectaret. Cum his autem Plinianis verbis illa quoque Valerij de Torquato Silani patre mire conueniunt: *Videbat, se in eo atrio consedisse, in quo illius Imperiosi Torquati seueritate conspicua imago posita erat. prudentissimoq; viro succurrebat effigies maiorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, vt eorum virtutes posteris non solum legerent, sed etiam imitarentur.* & illud Ciceronis in secundo de oratore: *Cum casu funere efferretur anus Iunia, tum Crassus: Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? & pro Sulla: Si quæris, qui sint Romæ regnum occupare conati, ex domesticis imaginibus inuenies.* intelligit enim M. Manlium Capitolinum, qui eo nomine de saxo deturbatus est. & pro Murena: *Domum ne se vertet? vt eam imaginem clarissimi patris sui, quem paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemq; videat?* Adde etiam, idem intellexisse Martialem, idem Iuuenalem, illum, cum dixit: *Atria Pisonum stabant cum stemmate toto, hunc vero, cum cecinit: Tota licet veteres exornent vndique ceræ**

*Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.*

Hanc autem eandem sententiam de virtute aduersus imagines protulit etiam in epistolis ad Hirtium Cicero: *Cum nobilitas, inquit, nihil aliud sit, quàm cognita virtus, quis in eo, quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret? sed hæc quidem ex virtute ducta nobilitas tota philosophorum est, vt quæ ex imaginibus, populi R. est vniuersa. vnde illud est notum Horatij.*

*Contra Leuinum Valeri genus, vnde Superbus  
Tarquinius regno pulsus fuit, vnius asis  
Non vnquam precio pluris licuisse, notante  
Iudice quem nosti, populo, qui stultus honores  
Sæpe dat indignis, & famæ seruit ineptus,  
Qui stupet in titulis, & imaginibus.*

Nobilitas autem ex virtute in nouis solum populis locum habuit, in quibus nulla dum imagines parari potuerunt. quod significauit Liuius de Tarquinio loquens: *Roma est ad id potissimum visa. in nouo populo, vbi omnis repentina, atque ex virtute nobilitas sit futurum locum, forti viro.*

*De optimatibus, & popularibus. CAP. XXI.*



EST AT tertia ciuium diuisio, quam, vt dixi, neque gentium diffidium, neque ordinum inter se de iure, & dignitate certantium dissimilitudo, sed praua ipsa, quæ omni semper reip. nocuerunt, partium studia, in rempublicam intulerunt, vt alteri se optimates dici, & esse vel-

lent, alteri populares. Quid autem optimates Romæ fuerint, adeo aperte docet Cicero in Sextiana, ut ex eorum descriptione, qui etiam populares fuerint, non difficile sit intelligere. Erit autem, ut opinor, non alienum, pulcherrimas eius voces, quibus in optimatibus, & popularibus non tam subtiliter distinguendis, quam acute circumscribendis est usus, in medium proferre, ac diligenter considerare. Duo genera, inquit, in hac ciuitate semper fuerunt eorum, qui versari in republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt. quibus ex generibus alteri populares, alteri optimates & haberi, & esse voluerunt. qui ea, quæ faciebant, quæq; dicebant, multitudini iucunda esse volebant, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur. Quanquam autem ciuiliis hæc diffusio, auctore Cicerone, semper in republica est versata, tamen ea maxime post Ap. Cæci censuram, id est post annum vrbis quadringentesimum quadragesimum primum videtur exarsisse. Is enim, ut inquit Liuius, primus senatum libertinorum filijs inquinauit. & posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes vrbanas, humilibus per omnes tribus diuisis, forum, & campum corrupit. quæ forensis factio dicta est. quæ cum Cn. Flauium patre libertino, humili fortuna ortum adilem curulem dixisset, id adeo nobiles ægre tulerunt, ut plerique annulos aureos, & phaleras deponerent. ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas. aliud integer populus, fautor, & cultor honorum, aliud forensis factio tenebat. donec Q. Fabius censor simul concordie causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensis turbam excretam in quattuor tribus coniecit, vrbanasq; eas appellauit. Hæc Liuius. Redeo ad Ciceronem, qui optimates definiuit, eos, qui ita se gerebant, ut quæ agerent, quæq; dicerent, ea optimo cuique probari vellent. Quibus definiendis non longe Aristotelica, ut video, præceptione discessit, qui optimatum potestatem inde dictam tradidit, aut quia optimi in ea imperarent, aut quia eius rei causa esset quæ maxime reip. expediret. Horum autem genera fuisse permulta, facile ex eodemmet Cicerone cognosci potest, qui in eadem oratione ita pergit: *Quis ergo est iste optimas? quis? de numero si quæris innumerabiles, neque enim aliter stare possemus. sunt principes consilij publici. sunt, qui eorum sectam sequuntur. sunt maximorum ordinum homines quibus patet curia. sunt municipales, rusticisq; Romani. sunt negotia gerentes. sunt etiam libertini optimates.* Quibus verbis partes potius persequitur, quam formas optimatum. Etenim quod inter optimates refert *publici consilij principes*, consules intelligit, qui ut tribuni concionis popularis, sic ipsi senatus sunt duces ac principes. Inter hos autem magna semper discordia, sed alijs temporibus alia fuit. primis enim temporibus tribunis plebis consules restiterunt, ut patricius magistratus plebeio. nam tunc nulla alia, nisi ex familiarum patriciarum potentia plebeijs ipsis intoleranda audita contentio est. post autem vbi plebeijs etiam familijs consulatus, & ceteri patricij honores communicati sunt, non ita contendit consulatus cum tribunatu, tanquam patricius cum plebeio, sed tanquam optimatum princeps cum popularium principe, in quo controuersiam fecit non generis dissimilitudo, sed voluntatum distractio. Atque hoc est, quod inquit idem in secunda agraria: *Non natura, neque dissidio, neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persepe seditiosus atque improbis tribunis boni & fortes consules obstiterunt, quia vis tribunicia non nunquam libidini restitit consulari. non potestatum dissimilitudo, sed animorum dissiunctio disensionem facit.* Neque vero solum principes consilij publici, sed etiam, qui sectam eorum sequuntur, optimates Cicero appellat hi vero multi, sed maxime nobiles homines fuerunt. nobiles dico tam plebeios, quam patricios, quorum maiores magistratus amplissimos administrassent, & ad eosdem posteris suis faciliorem aditum communissent. est enim æquum, ut qui reipublicæ partem maximam obtinent, ij gloriosam etiã, & incolumem esse reipublicam velint. Itaque pauci nobiles populares fuerunt. inter eos vero. M.

Aemil

Aemilium Lepidum, cui Q. Lutatius Catulus restitit, referre possumus, de quo L. Philippus in senatu dixit, apud Sallustium: *M. Aemilius omnium flagitiosorum postremus, qui peior, an ignauior sit, deliberari non potest, exercitum opprimendæ libertatis habet.* & post: *Hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello Saturnini olim, post Sulpicij, dein Marij, Damasippiq; nunc Lepidi satellites.* præterea vero adiungere licet etiam C. Cæsarem, cui Bibulus primum, post etiam duce Pompeio senatus, atque vniuersa optimatum factio occurrerunt. Nam P. Clodium non numero, quia optimates non ante oppugnauit, quam se nobilitate auita abdicauit, & adoptione se Fonteium pro Claudio reddidit. Addit deinde Cicero, *optimates esse maximorum ordinum homines, quibus patet curia.* maximorum autem ordinum nomine senatorium, & equestrem complecti videtur. nam equites Romanos ipse senatui reconciliarat, atque cum optimatibus in consulatu coniunxerat. equitibus autem patebat curia, quod ex eo ordine fere in senatum sublegerentur. Itaque senatores & equites pro optimatibus stetit innuit. Vnde tertium qui plebis est, ordinem innuens, addit *municipales, & rusticos Romanos, & negotiatores, & libertinos.* municipales quidem appellans, qui ex municipijs erant ciues Romani. de quibus in libro de iure Italiæ disputabimus; rusticos autem eos, qui agros tenerent, aut colerent. quam rusticam plebem supra appellauimus; postremo etiam negotiatores, & libertinos, de quibus satis supra diximus. Atque hæc quidem de partibus optimatum. Formam vero, vimque eorum si quis requirat, is quid ille deinceps subiiciat, quælo diligenter attendat. Numerus, inquit, *optimatum late, & varie diffusus est. sed genus vniuersum (ut tollatur error) breui circumscribi, & definiiri potest. omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica seruiunt, defensores optimatum, ipsiq; optimates grauissimi, & clarissimi ciues nominantur, & principes ciuitatis.* Quibus verbis eos, quos commemorauit, omnes ita fuisse optimates adiungit, sineque nocentes essent, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. quid ita? quia sæpe vel iudicij declinandi causa, vel scelere, vel amentia, vel angustijs rei familiaris impulsu consules etiam, & senatores, & equites, & ex plebe rustici, & negotiatores, & libertini populares euaserunt, ac statum reip. peruertere tentarunt. Etenim Tiberium Gracchum accepimus nulla alia de causa, quam iudicij de se futuri formidine ab optimatibus, quorum pater suus princeps, ac defensor perpetuo fuerat, defecisse. id quod video Ciceronem ipsum in oratione de aruspicum responsis scriptum reliquisse, his verbis: *Ti. Graccho inuidia Numantini fœderis, cui feriendo quæstor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, & in eo fœdere improbando senatus seueritas dolori, & timori fuit. istaque res illum à grauitate patrum desistere coëgit.* Ab optimatibus autem adeo improbitatem abesse Cicero intellexit, ut bonos sæpe pro optimatibus, cum de rep. loqueretur, vsurparit. Hinc enim dixit in epistolis ad Lentulum: *Non offendes eundem bonorum sensum Lentule, quem reliquisti, qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, & afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab ijs, à quibus tuendus erat, derelictus. idq; non solum fronte, atque vultu, quibus simulatio facillime sustinetur, ij declarant, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur, sed etiam sententia sæpe iam, tabellaq; docuerunt.* Furiosos etiam negat esse optimates posse. furorem autem definiuit in Tusculanis mentis ad omnia cæcitatem. quo verbo non solum vesanos, atque amentes complecti voluit, sed etiam qui reip. ob detrimentum, aut ignominiam acceptam essent irati. siquidem, ut inquit poëta nobilis, *ira breuis furor est.* quo furore percitos fuisse C. Gracchum, & L. Saturninum accepimus. Etenim scriptum est apud Ciceronem in eadem oratione de aruspicum responsis, *C. Gracchum morte fraterna, pietate, dolore, magnitudine animi ad expetendas domestici sanguinis pœnas excitatum, Saturninum autem, quod in*

annonæ

*annonæ caritate quæstor à frumentaria procuratione à Senatu amotus esset, ei rei M. Scamro præfecto, dolore factum esse popularem.* Ex iis autem, qui cum propter ceteras causas, tum maxime propter magnitudinem æris alieni nouarum rerum studiosi fuerunt, L. Sergius Catilina, vir patricius & nobilis vnà cum sociis eius coniurationis fuit. de quo in hunc modum scribit Sallustius: *In tanta, tamq; corrupta ciuitate, Catilina omnium flagitiosorum, atque facinorosorum circum se, tanquam stipatorum cateruas habebat. nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, ventre, manu, pene bona patria dissipauerat, quiq; alienum æs grande confluauerat, quo flagitium aut facinus redimeret, præterea omnes vndiq; parricidæ, sacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes, ad hoc quos manus, aut lingua, periurio, atque ciuili sanguine aiebat, postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proximi, familiaresq; erant.* & post: *His amicis, socijsq; confusus Catilina, simul quod æs alienum per omnes terras ingens erat, & quod plerique Sullani milites largius suo vsu, rapinarum, & victoriæ veteris memores ciuile bellum exoptabant, opprimendæ resp. consilium cepit.* Postremo, quod huius disputationis est caput, de optimatibus ita concludit: *Quid est igitur propositum his resp. gubernatoribus, quod intueri, & quò cursum dirigere suum debeant, id quod est præstantissimum, maximeq; optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis? cum dignitate ocium.* Itaque in agraria altera, cum, quid populare esset, definiret, ita egit: *Dixi in senatu, in hoc magistratu me popularem consulem futurum. quid est enim tam populare, quàm pax, quàm libertas, quàm ocium? quod ita iucundum est, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in ocio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate. neque enim illud populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quæ verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto ærario. nullo pacto potest.* Quamobrè, si optimates hos esse perspicuum est, facile, qui his aduersentur, populares esse, intelligi licet. vt tribunos pleb. & qui eorum sectam sequuntur, id est humiles, & nullorum maiorum homines, & turbam forenses, ceterosq; eiusmodi, si nocentes, improbi, furiosi, egestes, atque ære alieno obstricti sint. quibus in rep. propositum sit nihil aliud, quàm vis, & seditio, quibus nihil turpius, nihil ad tranquillitatem reip. disturbendam potest esse accommodatius. Itaque animaduertere etiam possumus, bonis sæpe plebem opponi, cum pro plebe populares homines humilimos, ac tenuissimos accipiant, vt Cicero in Sextiana: *C. Gracchus frumentariam legem ferebat. res erat iucunda plebi. repugnabant boni, quod ab industria plebem ad desidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbant.* & in epistolis ad Atticum: *Quæ estimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam à plebe reprehenditur.* & alio loco: *Apud bonos ijdem sumus, quos reliquisti, apud fecem, & sordem vrbis multo melius, quàm reliquisti.* Et quoniam plebis numerus multo est, quàm bonorum, vberior, hinc etiam multos bonis opposuit, vt in sexto de rep. cum dixit: *Et vero in dissensione ciuili, cum boni plus, quàm multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto.* His ergo prauis, vt dixi, partium studiis, atque hac perniciosâ optimatum, ac popularium factione, antiquæ, quæ post bellum Tarentinum prorsus extinctæ erant, exuscitatæ sunt in ciuitate seditiones. sic enim P. Mucius consul, Scipione Nasica auctore, cum Tib. Graccho tribuno plebis, quietum statum ciuitatis legibus agrariis conuellente, atque tribunicijs rogationibus popularem auram aucupante adiuuantibus reliquis optimatibus decertauit; sic cum C. Graccho Tiberij fratre eadem moliente L. Opimius, cum L. Saturnino C. Marius, cum M. Drufo L. Philippus, cum P. Sulpicio L. Sulla, cum Cinna Octauius, cum Carbone iterum Sylla, sic Q. Catulus consul cum collega suo M. Lepido, M. Cicero cum L. Catilina, M. Bibulus cum C. Cæsare popularem consulatum administrante contenderunt. neque vero ante finem ciuilium contentionum fecerunt, quàm rempublicam vnâ omnium bello, paceq; post hominum memoriam florentissimam iisdem armis, quæ ab ipsa pro sua salute, & dignitate defendenda acceperant, deleuerunt.

leuerunt. tum scilicet cum in duas partes distracta ciuitas, Cæsarem plebs tueretur, Pompeio optimates hæterent. Cæsare autem, qui victor vniuersa ad se vnâ translata rep. tyrannidem exercere putabatur, per optimates interfecto, Anronio se, atque inde Octauio populus adiunxisset, Brutum, & ceteros patriæ liberatores curia cum bonis omnibus sectaretur.

HÆC habui, quæ de vetere ciuium Romanorum iure ex antiquissimis annalium monumentis magna diligentia conquisita, atque arbitrato meo digesta, litteris hoc tempore proderem: in quibus, quoniam non me præterit, quantas interea per rerum, & temporum tenebras penetrauerim, quàm crebro de recto pene tramite, itineris ipsius cæcitate, deflexerim, sæpe me leuiter offendere potuisse confiteor. neque vero eam industriam atque prudentiam mihi assumo, qua infinitas prope huius laboris difficultates omnes superare, vt à principio dixi, possim, sed si æquos, quod maxime cupio, laboris huius iudices nactus fuero, non dubito, quin omnes hanc iacturam, quæcunque erit, facillime sint passuri, atque non grauissimo damno non leuissimam vtilitatem, quam ex rerum pulcherrimarum cognitione accipient, prælaturi. Reliquum est, vt ciuitate Romana explicata, Italiam ipsam, quod est opus, vt ipse meditans sentio, aliquanto iucundius, persequamur.



## CAROLI SIGONII DE ANTIQVO IVRE ITALIAE LIBER

PRIMVS.



### Ad senatum populùmque Rom.



*VID* causse sit, quamobrem, cum innumerabiles prope ab hominibus artes ad hominum vsum inuenta, ac posteris prodita sint, nulla tamen vel præstantior vnquam, vel nobilior habita sit, quàm qua militaribus instructa præceptis varie se bellicis in studijs apud homines commendauit, merito maximam semper habuit dubitationem. cuius qui acutius exitum expedire doctissimi, ac prudentissimi viri voluerunt,

voluerunt, eam potissimum afferre causam soliti sunt, quod ab hac una uberiores perpetuo, atque illustriores, quam ab omnibus alijs, commodorum, & gloriae fructus ad vitam hominum permanerint. Quod quidem vere traditum esse, nobis quoque cum rerum praesentium statum, ac quotidianam vitae consuetudinem intuentibus, tum vero praeteritorum temporum memoriam, atque antiquissimorum populorum praecleara facta animo repetentibus plane videtur. neque enim ullam aliam vim, ac facultatem aut furentes finitimorum populorum impetus aliquando retardasse, aut sanctum libertatis patrimonium aduersus nefarios hostium conatus defendisse, aut denique pacis omnium virtutum, unde nostra est perfecta beatitudo, alumnae grauiorem vindicem, ac custodem fuisse inuenimus, quam ipsam armorum tractationem, omnemque rei militaris, ac bellicae disciplinam. ex quibus tum diuturna incolumitas, tum sempiterna prope ad nominis commendationem fama huius laudis studiosis ciuitatibus comparata est. Quanquam autem ea fere conditio, ac natura hominum est, ut his duabus quasi facibus animi, mentesque eorum ad res omnes aggrediendas facile accendantur, & in id se alacrius intendant, unde utilitatis, aut dignitatis spem uberiores ostendi sentiant, non aequae tamen omnes homines huius utriusque studij cupiditate afficiuntur, ac flagrant. alios enim animaduertere licet, totos in parandis opibus, & quouis modo congerendis diuitijs occupatos, alios nihil aliud, quam de decore, & honestate cogitantes, atque hoc toto de genere ita sentientes, ut nihil esse in vita utile, quod a dignitate seiunctum sit, arbitrentur. cuius prope heroicae virtutis magnitudine qui priscis temporibus excelluerint, haud sane multos numerare ex omni memoria possumus, atate vero nostra, multo etiam pauciores. fit enim nescio quo modo, id quod grauius videtur esse dolendum, ut paullatim cum hominum atate mirifica illa priscae virtutis indoles consenescat, atque omnino antiqua laus illa sensim deficiens prope in dies vehementius contabescat. Ac mihi quidem hac de re saepius cogitanti cum vestri maiores Romani multis in rebus magni, atque admirabiles fuisse, tum vero in hoc studio omnem superasse hominum naturam, & conditionem videntur, quod ita bellicam disciplinam, & militaria studia tenuerunt, ac pertractarunt, ut qui gentes paene, ac nationes omnes singulari quadam consilij, atque animi praestantia ad suum imperium adiunxerint, iidem ne in ipsa quidem victoria, qua nihil insolentius esse, atque superbius solet, aliud

quiddam,

quiddam, nisi laudem, dignitatem, & gloriam spectauerint unquam, atque secuti sint. Neque vero quae quoque tempore ab ijs vel fortitudinis, vel prudentiae, vel moderationis, vel iustitiae exempla edita sint, commemorare hoc loco necesse est. nota hac omnium iam historijs, testata vocibus adeo sunt omnia, ut facilius humani generis interitus uniuersus, ipsarumque terrarum exustio consequi, quam Romanae virtutis obliuio, atque silentium possit. illud autem illustre in primis, & ad perpetuam hominum memoriam insigne non praetermittam, eam fuisse quondam populi Romani magnitudinem, ac domi, forisque disciplinam, ut in hodiernum usque diem non modo Italia, sed, quod mirabile videatur, extrema fere terrarum sola, & nationes ultima stent praeclearis eius institutis, ac legibus obseruandis. Quibus de rebus cum saepe alias accidit, ut ipse mecum accuratius quererem, tum proxime, cum de antiquo iure Italiae scriberem. sensi enim tum aperte id, quod multo etiam ante facile animaduerteam, nullam unquam gentem, nullam nationem fuisse, quae vel belli, vel pacis studia, quam populus Romanus, coluerit diligentius, vel utrumque artis genus tractauerit excellentius. cuius ille rei documentum dedit certissimum, primum, cum rebellantis, atque imperium recusantis Italiae audaciam constantissime profligauit, deinde, cum eandem in fidem redeuntem, & auctoritatem suam se adiungentem humanissime in eadem ciuitatis, & rei publicae iura asciuit. Quamobrem incredibilem profecto cepi laboris mei, ac diligentiae fructum, cum eodem tempore populi omnium, qui fuerunt, futurique sunt, praestantissimi virtutem veterem, & antiquam Italiae, quibus in societatem Romani peruenit imperij, ornamenta renouauit. quin etiam valuit multum ad voluptatem animi mei augendam, quod intellexi, futurum, ut ego hoc studio non tam praesentem Latinarum laudem litterarum, quibus non nihil opis, ac luminis mea allatum industria exoptabam, quam veterem eius soli memoriam, in quo ego natus, & educatus essem, (quanquam non obscura fidelissima senatui Romano coloniae Mutinae fama est) tuerer, ac custodirem. Nec vero dissimulandum, aut obscure ferendum est, omnem me ab incunte atate eo curam, atque operam contulisse, ut populi Romani res gestas, leges, & instituta, non a silentio hominum, a quo quidem ipse sua se virtute, rerumque magnitudine vindicauit, sed ab obscuritate fortasse, quae plerisque veteribus monumentis amissis, mirabiliter iam mentes nostrum inuoluerat omnium, educrem, quoad studio meo consequi, ac diligentia possem. ut si mihi laus

m esset

esset aliqua ingenij requirenda, eam ex historia omnium nobilissima pertractatione colligerem; si pietatis, conditori, parenti, ac tutori prope nostro legitimo debitam officij gratiam quoquo modo possem, referrem. Ita que vix dici, aut omnino cogitari satis potest, quantum latitiae, quantum voluptatis animo aliquando capiam meo, cum veteris populi Romani ut nomen, sic imaginem in vobis adhuc, & in vestris magistratibus residere animaduerto, & in summo dolore, quem ex Romani euerfione imperij haurire soleo, quo saepe solatio fruor, cum vetera aliquot Romanae insignia reipublicae adhuc Roma, & in Capitolio apparere intelligo. quid enim aliud, quae so, conservatores vestri, quam augustam illam veteris consulatus speciem, quid aliud, qui Capita regionum dicuntur, quam sacrosanctum illum plebis referunt tribunatum? praeterea consilia publica, oppida, & castella etiam nunc in vestra, id est in senatus, populiq; Romani fide, & potestate posita, non ne antiquam etiam nescio quam Romanae representant faciem reipublicae? Quamobrem feci equidem libentissime, ut cum iura vetera civium Romanorum eruta ex obscurissimis tenebris vetustatis, pontifici maximo, atque optimo, P I O I I I I, cuius nunc nutum Romana civitas gravissimum intuetur, dedicassent, deinceps Italia iura, quod consequi videbatur, populo Romano potissimum, a quo uno quondam accepta essent, consecrarem. Cuius populi quando vos ut hereditatem virtutis amplissimam, ac splendidissimam crevistis, sic personam honestissimam geritis, date mihi hanc, obsecro, veniam, ut vos hoc studij, atque officij nouo fortasse, sed ut puto, a vestra dignitate non alieno munere prosequar. quod quidem eò nunc fungor alacrius, quod intelligo, eos in magistratu homines esse, ac publica gubernacula rei tractare, quos cum hac studia mirifice delectant, quae omnium pulcherrima, & nobilissima perpetuo ut haberentur, & essent, ad mirabili veterum vestrorum virtute patrum, effectum est, tum imitatio in primis antiquae virtutis, & disciplina, quam in suo munere obeundo summa eos audio diligentia, curaq; retinere. Quam ad laudem cumulandam hos de vetere Italia commentarios, qui mirum in modum populi Romani nomen, cuius opera Italia est hunc honorem consecuta, illustrant, haud parum arbitror allaturos, si ad ea, quae maiores sui pro dignitate, & salute Italiae gesserint, contemplanda cogitationes suas aliquando excitarint. Mihi vero ad letitiam animi mei sat erit, si antiqua Italia iura mea diligentia restituta veterem senatus populiq; Romani, cuius nomini sint inscripta, longe,

lateq;

lateque patentem potestatem ostendant. Sed ad rem reuertamur.

## De triplici iure populorum Italiae.

CAP. I.



**I**TALIAE VERO non vna totius olim appellatio, sic nec vna communis fuit omnino possessio. nam Hesperia, Aufonia, Oenotria, Saturnia, & demum etiam Italia partium tum fuerunt nomina, non totius. quas partes, ut in monumentis rerum gestarum traditum videmus, ab initio alij alias tenuerunt, Siculi, Tyrrheni, Umbri, Ligures, Oenotrij, Peucetij, Aborigines, Pelasgi. quorum alij huius regionis indigenae fuisse, alij aliunde in hanc terram, omnium iam tum rerum copiis affluentem, sed plerique ex Graecia creduntur traiecisse. Verum, ut eorum quifque venerit, ut bella pacemque cum finitimis fecerit, nobis hoc loco non est consilium scribere. nam nec eorum temporum satis est explorata memoria, & quae de iis antiqui prodiderunt, ea fabulis similia videntur, quam historiae. Adde, quod illi parum consentanea, atque adeo etiam inter se pugnantia saepe loquuntur, ut ne probabile quidem, quod in tantis rebus afferas, facile quidquam inuenias. Hanc scribendi gloriam aequo animo cum aliis, tum praesertim eruditissimo M. Catoni, illi veteri relinquemus, & temporibus illis multo, quam nos sumus, propinquiori, & optimorum annalium copia magis instructo. cuius doctissima Origines hoc tempore, magna rerum Italicarum iactura, desiderantur. nobiscum autem praecclare actum iri putabimus, si, qui fuerit antiquus Italiae status a Romulo rege usque ad Augustum Caesarem, & quo singuli Italiae populi bello a populo Romano domiti, quo cum eo foedere iuncti, quod demum iure donati fuerint, quam poterimus, verissime demonstrabimus. Quorum quidem temporum rationem cum complector animo, tria potissimum ea fuisse comperio; vnum a Romulo rege usque ad primum Punicum bellum, tum cum tota, quae tum dicebatur, Italia, assiduis bellorum afflictis contentionibus, in ditionem, potestatemque populi Rom. peruenit: alterum a bello Punico usque ad Italicum, siue Sociale, siue Marficum: quo tempore Italici a Romanis sociorum loco habitati, mirum in modum opes eorum, & imperium adauxerunt: tertium a bello Italico usque ad Augusti imperium, quo lege Julia, atque Pompeia ciuitatis Romanae iura late Italiae omnibus impertita sunt. Itaque omnem hanc in tres libros disputationem contulimus; duos, in quibus singulorum populorum, oppidorumque Italiae statum ab ortu urbis usque ad exitum belli Marfici; tertium, in quo eorundem iura a bello Marfico usque ad occasum reip. explanamus.

Ceterum Italia omnis duobus ab initio est finibus terminata, vno naturae, altero iuris. Natura fines mare, atque alpes dedit, quibus, praeter ceteros, Ligures etiam, & Gallos, & Venetos, & Carnos comprehendit. populus autem Romanus a mari supero quicquid intra Rubiconem, ab infero, quicquid intra Arnum est conclusum, proprio nomine Italiam appellauit; Ligures autem Gallos, Venetos, & Carnos ob eam causam exclusit, quod eos in prouinciae formam redegerat, ac multo deteriore, quam reliquam Italiam, iure affecerat. Prioris descriptionis cum multos alios auctores habemus, tum neminem certe aut aetate antiquiorem, aut auctoritate grauiorem, quam Polybium, qui & P. Scipionis eius, qui Carthaginem deleuit, fuit aequalis, & res Romanas omnium, ut res ipsa docet, diligentissime scripsit. is autem historiarum libro secundo his Italiam terminis definiuit: *Tota Italia in trianguli speciem est formata. eius latus vnum quod ad orientem solem spectat, Ionio, ac deinceps Adriatico mari terminatur; alterum vero, quod ad meridiem, Siculo, & Tyrrheno. ex quibus inter se coeuntibus apex trianguli efficitur, in meridiem proiectum promontorium, quod Cocinibus appellatur, & Ionium a Siculo mare distinguit.*

tertium vero, quod septentrionem, & mediterraneam regionem intuetur, deinceps alpium crepidine circumscribitur, quæ à Masilia, & ijs, quæ supra Masiliam sunt, locis initium ducit, & continenter usque ad intimum Adriæ sinum extenditur. apud ipsam autem, de qua dixi, crepidinè alpium, quam etiam quasi basem trianguli licet appellare, à meridie ad septentrionem subiecti sunt campi totius Italiæ ultimi, qui bonitate, & magnitudine omnibus ijs, qui in Europa sunt, antecellunt. Vniuersa vero ea linea, quæ hi campi definiuntur, speciem trianguli format, cuius apex ab alpium, & apennini montis concursu non longe à Sardonio mari supra Masiliam figuratur. Laterum autem unum à septentrione, ut supra dixi, alpes sunt, quæ ad ducenta septuaginta quinque millia passuum porrigitur; alterum vero à meridie apenninus, qui ad quadringenta quinquaginta basim autem totius figuræ latus Adriaticus effingit, cuius magnitudo est à Sena oppido in intimum fere sinum ultra CCCXII millia passuum, adeo ut horum camporum ambitus non multum à mille ducentis quinquaginta millibus passuum absit. Hæc, ut dixi, Polybius, ex quibus satis intelligi potest, Italiæ terminos eos, quibus ad alpes usque est propagata, à natura esse, omnium rerum parente antiquissima, constitutos, quibus autem Arno est, & Rubicone conclusa, eos non naturæ fuisse, sed iuris, quod est à populo Romano, omnium gentium victore, præscriptum, post commodiore loco probabitur. Quocirca si priorem illam naturæ diuisionem sequamur, hos Italiæ populos numerabimus, Ligures, Gallos, Venetos, Carnos, Etruscos, Latinos, Campanos, Lucanos, Græcos, Apulos, Frentanos, Picentes, Umbros, Sabinos, Vestinos, Marfos, Marrucinos, Pelignos, & Samnites; si posteriorem, Italos populos in tres tantum partes tribuemus, Latinos, Italicos, & prouinciam Galliam. Quas diuisiones, si quis diligenter ratione, animoque iustrauerit, facile intelliget, illam esse ut totius in partes, hanc verò quasi generis in species. Etenim cum Italiam in suas regiones locorum inter se interuallo distinctas describimus; quid aliud, quam totum quodammodo in sua, ex quibus constat, tanquam membra partimur: cum autem eandem non spatiis, aut locis, sed iure, aut lege distinguimus, non ne generis in suas formas diuisionem instituissemus? genus est enim ius vetus Italiæ, species, ius Latij, ius Italicum, & ius prouinciæ Galliarum. Quæ quidem nomina, ac iura Italia non à populari loquendi consuetudine, sed ab ipsa victoriæ lege obtinuit, ut enim optime se quisque in populum Rom. gessit, ita maxima fidei, ac virtutis suæ præmia est adeptus. Etenim, ut scite Flaccus Siculus, cum quidam populi aduersus Romanos bella gessissent, quidam experti virtutem eorum seruassent pacem, quidam, cognita pace & iustitia, se illis addixissent, & frequenter aduersus hostes eorum arma tulissent; pro suo quisque merito leges acceperunt, neque enim erat æquum, ijs qui toties admissio periurio, rupissent pacem, ac bellum intulissent Romanis, idem præmia, quod fidelibus socijs, recte etenim capite illud x i i tabularum, quo perimitebatur, & idem iuris esset. Sanatibus, quod fortibus, id est bonis, & qui nunquam defecerant à populo Ro. lege Aebatia abrogatum, prodit Gellius. Sanates autem, teste Festo, appellarunt, qui supra, infraque Romanos habitauerunt; qui cum desciuisent à Romanis, breui post in amicitiam, quasi sanata mente, rediissent.

Gradus autem præmiorum, per quos optime meritis ad summum in imperio fastigium tuit ascensus; hi, quos dixi, fuerunt, prouincialium, Italicorum, Latinorum, & postremo ciuium Romanorum, ex quibus ut iure Latij ciuitas Romana, sic Italicæ Latinitas, & Italicum prouinciali honestius, ac commodius fuit, quos quidem gradus cum alios, tum præcipue in p. Claudium apud Tacitum video in oratione quadam significasse, cum dixit, plebeios magistratus post patricios, Latinos post plebeios, ceterarum Italiæ gentium post Latinos, exterorum post Italos extitisse. Hæc autem iura maxime usque ad legem Iuliam bello Italico, anno urbis p. c. l. x. i. latam, in ipsa deuicta iam pridem, & nutum populi Rom. intuentem Italia celebrata sunt. post legem vero Iuliam; cum vniuersa in ciuitatem Romanam

acce

accepta; atque in tribus coniecta esset Italia, exteris etiam populis tribui cœpta sunt, ut aliis quidem ciuitas, aliis Latium, aliis ius Italicum pro sua cuiusque erga remp. fide concederetur. id quod è Ciceronis, Suetonij, & Plinij nobilissimis perspicui monumentis potest. Cicero quidem in epistolis ad Atticum, Siculis multa Cæsar, neque me inuito, etsi Latinitas erat non ferenda. Veruntamen, ecce autem Antonius fixit legem à dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani.

Ut autem ius ciuium Romanorum docuimus, ex popularibus rogationibus, plebi ve scitis, & senatus consultis, & edictis esse profectum, item de iure Italiæ existimamus: omnia enim hæc iura leges illæ intulerunt, quæ in fœdere feriendo, atque omnino societate iungenda à populo Ro. conscriptæ sunt. Itaque ius omne ex fœdere, fœderis æquitas ex lege, lex ex populi Ro. voluntate fluxit, quæ quidem pro suis in quæque aut victum, aut amicitiam petentem populum meritis inclinauit.

Iam vero tria amicitia, ac societatis, qua se populus Rom. cum Italis, ceterisque populis obtinuerit, iura fuisse, sponsonem, pactionem, & fœdus, ostendit in defensione Balbi Cicero, cum ait: *Ut quæque ciuitas nobiscum maxime societate, amicitia, sponsonem, pactionem, fœdere coniuncta est, ita maxime communionem beneficiorum, & præmiorum continere.* & Liuius, cum scribit: *Orculanos sponsonem, Lucanos fœdere, in amicitiam susceptos.*

Non esse porro idem sponsonem, pactionem, & fœdus, ex eo intelligi licet, quod fœdus pactione, pactio sponsonem firmior, ac stabilior fuit. Nam sponsonem neque populi iussu, neque senatus auctoritate, quod in fœdere accidebat: sed arbitrio magistratum, & imperatorum fiebat, atque deditio eorum, per quos facta esset, infirmabatur. Hoc autem adeo aperte docet Liuius, ubi de pace Caudina disputat, ut de eo nulla dubitatio relinquatur. si quidem ita agit: *Itaque non, ut vulgo credunt, fœdere pax Caudina, sed per sponsonem facta est. quid enim aut sponsonibus in fœdere opus esset, aut obsidibus, ubi precatione res transigitur: per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum ita Iupiter feriat, quem admodum à fetialibus porcus feriatur? sponsonerunt consules, legati, quæstores, tribuni militum, nominaque omnium, qui sponsonerunt, extant. ubi si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fetialium, non extarent.* Deinceps pacem eam à populo Ro. consulibus, & ceteris, qui sponsonerant, deditis irritam esse iussam addit. Sæpe tamen euenit, ut quod imperator iniussu populi, & sine auctoritate senatus pepigerit, id fœdus vocatum sit illud quidem, sed tamen non seruatum, quod ostendit princeps quidam Carthaginiensium apud Liuium, cum ad Romanos legatos de fœderis ratione secum agentes ita verba fecit: *Vos, quod C. Lutatius consul primo nobiscum fœdus icit quia neque auctoritate patrum nec populi iussu icitum erat, negastis vos eo teneri itaque aliud de integro fœdus publico consilio icitum est.* Tale autem etiã fuisse Numantinum, facile inde apparet, quod id C. Mancini consulis deditio est dissolutum. Quocirca scriptum reliquit in tertio libro de officiis Cicero, C. Mancinum, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus icerat, dederetur, rogationem suasisse eam, quam L. Furinus, & Sex. Atilius ex S. C. ferebant: eaque accepta, esse hostibus deditum. Numantinum autem fœdus, ut Caudinum sponsonem appellari posse, nisi Antias annalium libro x i i prodidisset, calamitatis certe similitudo id nos doceret. ut enim ad Caudium quæstores, qui sponsonerunt, dediti sunt, sic ad Numantinam Ti. Gracchum, Mancini quæstorem, fœderis eius auctorem, dedere voluerunt.

Pactionem præterea aliud esse à fœdere, demonstrat satis, ut opinor, Cicero in defensione Cæcinæ, cum inquit: *Quod edictum magistratus, quod fœdus, aut pactio?* Nam pactionis nomine etsi omnia, quæ cum hostibus pacifcerentur, continebantur, quo etiã modo fœdus pactio nominari potest, tamen hoc in loco præcipuam paciscendæ amicitia rationem significatam existimo, ut inducias. De induciis porro elegans illud est Varronis, *inducias pacem castrensem paucorum dierum, vel belli ferias esse.* quas tamen descriptiones Gellius lepidas magis, atque iucundas, quam ple-

m 3 nas,



nas, aut probas esse arbitratur. probabilius enim multo illud esse, inducias sic dictas, quasi inde uti iam. etenim pactum induciarum esse eiusmodi, ut in die certum non pugnetur, nihilque incommodi detur, sed ex eo die postea utriusque omnia belli iure agantur. Laudo inducias enim pax non in perpetuum, ut foedere, sed in certum temporis spatium dabatur aut dierum, aut mensium, aut annorum. Quare saepe factum animaduertimus, ut populus Romanus hostibus foedus petentibus inducias dederit. hinc enim illa Liuij: *A Perugia, Cortona & Arretio, quae ferme capita Etruriae populorum erant, legati pacem petentes, inducias in triginta annos impetraverunt. Itaque Faliscum in inducijs essent, foedus a senatu petierunt.* Induciarum etgo ea ratio fuit, ut eo tempore, quo praefinita erant, nihil hostile gereretur, sed summa a bello quies esset, atque aliqua etiam societatis cum iis, quibuscum pacta erant, species, & imago, quas qui violassent, ius gentium violasse existimabantur. unde illud est apud eundem: *Omnes portas concianabundus ipse imperator circumijt, & quibuscumque irritamentis poterat, iras militum aciebat, nunc fraudem hostium incusans, qui pace petita, inducijs datis, per ipsum induciarum tempus, contra ius gentium, ad castra oppugnanda venissent.* Itaque eosdem etiam a Cicerone iure vituperari videmus in primo de officiis, cum ait, existere iniurias saepe calumnia quadam, & nimis callida, sed malitiosa iuris interpretatione, *ut ille qui cum triginta dierum essent cum hoste pacta induciae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pacta, non noctium induciae.*

Quae cum ita sint, non est dubium, quin foedus (iam enim ad hoc oratio mea delabitur) pactio quaedam sit societatis, non ex imperatoris arbitrio, sed iussu populi, aut senatus auctoritate firmata, neque ad tempus, sed in perpetuum, neque per spores, datis obsidibus, sed per foecialem publicum populi Romani nuncium, solemnique precatioe adhibita: *per quem populum fiat, quo minus dictis legibus stetur, ut eum Iupiter ita feriat, quemadmodum a foecialibus porcus feriat.* Quod extremum ex formula etiam ipsa foederum feriendorum nobis a Liuijo tradita potest cognosci, qui primo libro de foedere Albano ita scriptum reliquit: *Foedera alia alijs legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt, tum ita factum accepimus. foecialis regem Tullum ita rogauit: iubes ne me rex cum patre patrato populi Albani foedus ferire? iubente rege, sagmina, inquit te rex posco, rex ait: pura tollito, foecialis ex arce graminis herbam puram attulit. postea regem ita rogauit: rex facis ne me tu regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa, comitesque meos? rex respondit: quod sine fraude mea, populi que Roma. Quiritium fiat, facio. Foecialis erat M. Valerius, is patrem patratum Sp. Furium fecit, verbera caput, capillosque tangens (pater patratus ad iusurandum patrandum, id est sancendum fit) foedus multis verbis, quae longo effata carmine non operae est referre, peragit. Legibus deinde recitatis, audi, inquit, Iupiter, audi pater patrato populi Albani, tu populus Albanus, ut illa palam prima, postrema ex illis tabulis, cera de recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. si prior defexit publico consilio, dolo malo, tum ille diespiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam. tantoque magis ferito, quanto magis potes, pollesque. Id ubi dixit, porcum silice percussit. sua item carmina Albani, suumque ius iurandum per suum dictatorem, suumque sacerdotem peragunt.* Ad hunc autem primum feriendi porci ritum probe alludit Virgilius, cum dixit: *Et caesa iungebant foedera porca.* & Suetonius, cum scripsit, *Imp. Claudium cum regibus in foro foedus icisse, caesa porca, ac veteri foecialium precatioe adhibita.* nam illatam post aliam esse feriendi foederis rationem, ut saepe non porcus feriretur, sed lapis abiceretur, existimo, si quidem Polybius auctor valde bonus cum Poenis hoc modo ictum foedus exponit: *Foecialis lapidem tenens ita ait: si sine dolo malo ago, bonis afficiar: si sciens fallo, ceteris omnibus saluis in suis ciuitatibus, legibus, laribus, delubris, sepulchris, solus ego concidam, ut lapis e manibus meis decidet. nec plura locutus manu lapidem abiecit.* Cuius iurisiurandi video post etiam Plutarchum in Sylla meminisse, & eiusdem Festum etiam antiquam formulam adiunxisse, cum scri

scripsit, *lapidem silicem tenuisse iuratuos per Ionem, haec verba dicentes: si sciens fallo, tum me diespiter, salua vrbe, arceque, bonis eiciat, uti ego hunc lapidem.*

Foedere, cuiusmodi fuerit, cognito, iam illud ab huius sermonis officio non videtur abhorre, ut quam multa foederum genera fuerint, exponamus. Tria autem ea fuisse docet apud Liuium Menippus Antiochi regis legatus, *unum, cum bello victis darentur leges. ubi enim omnia ei, qui armis plus posset, dedita essent, quae ex ijs habere, victos, quibus multari velit, ipsius ius, arbitriumque esse: alterum, cum bello pares aequo foedere in pacem, atque amicitiam venirent. tunc enim repeti reddique per conventionem res. & si quarum bello turbata possessio sit, eas aut ex formula iuris antiqui, aut ex partis utriusque commodo componi: tertium, cum qui hostes nunquam fuerint, ad amicitiam, sociali foedere inter se iungendam coeunt, eos neque dicere, neque accipere leges, id enim victoris, & victi esse.* Quibus verbis nihil profecto docetur aliud, nisi foedera alia alijs aequiora esse.

Iniquissima autem foederis conditione vti sunt dediticij, adeo ut non in foedere, sed in ditione esse dicerentur. ex quo fluxit Latinorum illud de Campanis apud eundem: *Campanorum aliam conditionem esse, qui non foedere, sed per ditionem in fidem venissent: itaque Campanos seu velint, seu nolint, quieturos: foedere Latino nihil esse, quo bellare, cum quibus ipsi velint, prohibeantur.* & illud Samnitium de Sidicinis: *Sidicinos nec in fide, nec in ditione populi Romani esse, id est neque aequo foedere, ut se, neque ditione, id est iniquissimo foedere, ut Campanos, in amicitiam populi Romani esse susceptos.* & tertium illud de Apulis: *ita in societatem eos esse acceptos, ut non aequo foedere, sed ut in ditione populi Romani essent.* Iam vero qui dediticij dicti sint, facile ex formula ipsa ditionis intelligi posse arbitror. cuius vestigia haec extant apud Liuium lib. primo ad memoriam omnium sempiternam impressa. *Rex interrogauit: estis ne vos legati, oratoresque missi a populo, ut vos, populumque dederetis? sumus. est ne populus in sua potestate? est. dedimus ne vos, populumque, urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utensilia, diuinaque omnia in meam, populi que Roma ditionem? dedimus. & ego recipio.* Itaque idem libro xxviii morem vetustum fuisse ait Romanis, cum quo nec foedere, nec aequis legibus iungeretur amicitia, non prius imperio in eum, tanquam pacatum vti, quam omnia diuina, humanaque dedidisset, & obsides accepti, armaque, adempta, & praesidia urbibus imposita forent. unde Campanos etiam apud eundem se populo Romano dedidisse his verbis videmus: *Populum Campanum, urbemque, Capuam, agros, delubra deum, diuina, humanaque omnia in vestram patres conscripti ditionem dedimus. quidquid deinde patiemur, dediticij vestri passuri.*

Aequius autem aliquanto erat illud foedus, cui haec verba erant adiuncta: *Maiestatem populi Romani comiter conseruent.* Quam iniquam tum conditionem fuisse probauit Cicero, cum Balbum de ciuitate defendit: *Primum, inquit, verbi genus hoc conseruandi, quo magis in legibus, quam in foederibus vti solemus, imperantis est, non precantis: deinde cum alterius populi maiestas conseruari iubetur, de altero siletur, certe ille populus in superiore conditione, causaque ponitur, cuius maiestas foederis sanctione defenditur.* Quod autem in hoc genere dixit Cicero, *Comiter*, id videtur dixisse Liuius sine dolo malo, in exponendis conditionibus pacis Aetolis datae. sic enim scriptum est: *Imperium maiestatemque populi Romani, gens Aetolorum conseruato sine dolo malo.*

Extremum praecipuum est aequissimi foederis, cuius formula fuit, cum ab utraque parte cauebatur, & pari iure societas utrinque, & amicitia stabiliebatur, quale illud fuit Annibalis cum Locrensis, de quo idem scribit hoc modo: *Locrensis iussu Annibalis pax data, ut liberi suis legibus viderent, vrbs pariter, & portus in potestate Locrensis essent: societas eo iure staret, ut Poenus Locrensem, Locrensis Poenum bello, ac pace iuuaret.* quo in genere foedera fuerunt, quae populus Romanus cum Carthaginensi, antequam armis inter se decertarent, fecit, quorum meminit Polybius libro tertio, ut iniqua, quae post consecuta sunt, omnia. In omnibus autem

foederibus sancendis, aut foederum legibus conscribendis illud erat sollemne, ac prope translaticium, ut legibus, libertati, agris, locis, ædificiis publicis, priuatisq; & ceteris præter hæc rebus publicis, priuatisq; liberis, seruisq; bello amissis, iuri, consuetudini & portoriis exigendis eius populi caueretur, quo cum amicitia iungebatur. quod ex veterum monumentorum diligenti obseruatione colligitur.

Ergo cum ius omne, ut ab initio dixi, manet à foedere, foedera autem alia aliis sunt æquiora, profecto iam patet, cur non eadem omnes populi iuris cõditione sint vsi, sed alij meliore, alij deteriore. optima autem, ut dixi, fuit ciuium Romanorum, aliquãto incommodior Latinorum, infra Latinos Italicorum, durissima vero prouinciarum. quo iure donata est Italia pars illa, quæ ultra Umbriam, & Etruriam vsque ad alpes est porrecta, atque à reliqua Italia, quia deteriore fuit causã, quodã modo seuocata. Quod quidem post patebit illustrius, cum qui Latini, qui Italici, quæ prouincia Gallia, quod demum ius Latij, quod Italicum, quod prouincia Gallia fuerit, expositum erit.

## De Latinis. CAP. II.

**D**E Latinis autem, atque Italicis disputaturus, maxime ad rem pertinere existimo, ut formulas ante quasdam dicendi antiquas Romanis in hoc genere vsitatas exponam. Hoc enim & doctissimi homines in rebus obscurissimis illustrandis faciendum esse præcipiunt; & ni fiat, innumerabiles post in disputando obiiciantur errores, oportet. Sic igitur intelligendum est, populos hos non semper à Romanis Latinos, atque Italicos appellatos, sed quod ab iis in societatem recepti essent, varie esse socios nominatos. Nam & *socij*, & *Latini socij*, & *socij nominis Latini*, & *socij nomenq;* *Latinum*, & *socij ab nomine Latino*, & *socij*, ac *Latium* dicti sunt. Quarum formularum cum multa proferre testimonia possim, singulis contentus ero. Liuius, *Socijs*, inquit, *imperare prætor iussus quattuor millia peditum, & trecentos equites*. Item: *Et exquiri ab interrogantibus, Romanus ciuis sis, an Latinus socius?* Item: *Fremitus inter Latinos sociosq; in concilijs ortus*. Et: *Imperata quina millia peditum socium nominis Latini*. & alibi: *Donec & ipse quinque millia socium, ac nominis Latini effecit*. Item: *Milites socijs, nominisq; Latino imperati*. Et: *Delectu perfecto consules paucos dies morari, dum socij ab nomine Latino venirent*. Et: *Socijs è nomine Latino imperata septem millia peditum*. Sallustius autem, *Sociorum*, inquit, *& Latij magna vis ciuitate per Syllam prohibentur*. Item: *Vti ex Latio, & socijs cogeret exercitum*. Sed tamen cum hoc ita constet, ut de eo nulla suboriri quæstio possit, sæpe etiam Italicos de Latinis; & Latinos de Italicis dictos inueni. Nam Sallustius dixit, *Turpilius ex Italicis capite pœnas soluisse, quod ciuis esset ex Latio*. & Valerius, *Vibius*, inquit, *Pelignæ cohortis præfectus vexillum trans Punicum vallum proiecit, se ipsum, suosq; commilitones, si hostes eo potiti essent, execratus*. & ad id pendendum subsequente cohorte primus impetum fecit. quod ut Flaccus tribunus tertiæ legionis aspexit, conuersus ad suos, absit, inquit, istud dedecus à sanguine nostro, ut Romani gloria Latinis cedere velint. Latinos enim dixit pro Italicis, quandoquidem Peligni Latini non erant. Quin etiam idem Valerius Q. Popedium ducem Latinorum vocat, qui fuit Marforum; & Latinos de ciuitate bello Sociali ait certasse, quos pro Rom. contra Italicos stetit, inter omnes rerum Romanarum scriptores constat. Postremo Liuius etiam socios Latini nominis Latinos tantum intellexit, cum dixit: *Legatis socium Latini nominis, qui toto vndiq; ex Latio conuenerant, senatus datus*. at cum inquit, *Annibalem captiuos, qui Latini nominis essent, sine pretio dimisisset, Romanos in vincula dedisset*, in nomen Latinum videtur etiam Italicos includisse, quippe cum post subiiciat, inter multitudinẽ sociorum Italici generis, qui ad Trasimenum capti ab Annibale, dimissiq; fuerat, tres Campanos equites fuisse.

Nam

Nam quid dicam, ut Latini sæpe pro vtrisque sint vsurpati, veluti; cum idem Hieronymus, Syracularum regem, populi Rom. amicum loquentem fecit? *Scire se milite, atque equite, nisi Romano, Latiniq; nominis non vti populum Romanum*.

Sed de varia ac multiplici Romanorum loquendi consuetudine, qui locus late patet, alij fortasse accuratius: nos de populis Latinis hoc tempore, quemadmodum propositæ disputationis ordo postulat, disseramus. Quod autem eo libro feci, in quo ciuium Rom. iura aperui, ut omnem eam disputationem ex ciuis Romani definitione deriuarem, idem hoc loco mihi faciendum esse censeo, ut à Latinorum definitione profectus ad eorum iura explicanda perueniam. itaque ut tum ciues Romanos homines liberos, vrbis, agriq; Romani habitatores, qui cum tribu ius honorum haberent, diximus: sic nunc Latinos Latij incolas, populi Rom. foed. eratos, iure Latij donatos definimus. Latium enim eos secreuit ab Italicis, qui non erant in Latio; foedus ab iis ciuibus Romanis, qui agrum Romanum possidebant, aut colebant in Latio; ius Latij ab iis Latinis, qui cum agrum Latinum tenerent, & non tamen Latij iure fruebantur. Quoniam autem, ut supra ostendimus, ius eorum omne è foedere proficiscitur, foedus autem ex victoria parta, & pace concessa, quædam quasi per vestigia indagatur: propterea, ut commodius foedera singulorum populorum inueniam, bella quoque, & clades vltro citroq; illatas, paucis exponam. atque hoc non in Latinis solum, sed in Italicis etiam, & Gallia prouincia institutum tuebor, ut ab agri descriptione exorsus ad bella, à bellis ad foedera, à foederibus ad iura singulorum populorum explananda nostra continenter oratio delabatur.

## De agro Latino, &amp; foederibus Latinorum. CAP. III.

**I**N describendo autem Latio, si veteres, qui in hoc studio magna cum laude versati sunt, Strabonem, Plinium, ac Ptolemæum, sequar, haud optime hercule de antiquitate Romana merebor. illi enim vltima Latij tempora respexerunt, ego antiquiora considero: illi Romana iam pace florentis, ego bellum gerentis rationem habeo. eos igitur si quis audiat, facile sentiat, Latio comprehesos, ac Latinos fuisse, Volscos, Æquos, Rutulos, Hernicos, Ocos, & Aufones. siquidem & ea in Latio oppida persequuntur, quæ Volscorum quondam, Æquorum, Hernicorum, & aliorum fuerunt: & eis Latinos finibus includunt, quibus, spoliato iam, non armato Latio, septos eos constat fuisse. sic enim illi, & quidem, ut mea fert opinio, non pessime disputant: Latium duplex fuisse, antiquum, & nouum. antiquum à Tiberi Circeios, nouum à Circeiis producut ad anem Lirim. Quorum si intimum excutere sensum potui, profecto Latium vetus his est finibus circumscriptum; ab occasu ferè Tiberi, & Etruscis; à septentrione Aniene, & Sabinis, Vfonte fluuiio cum Volscis ab oriente, Tyrrheno pelago à meridie. nam vtrinque ad occidentem obiectus est Tiberis, ad septentrionem Anio cum Sabinis, & Marfis, ad ortum Samuites, & Campani, ad meridiem mare. Quod si quis, qui vtrūque infederint Latium populi, fortasse roget; nihil est, quod tam facile expedire posse videamur. cui enim obscurum est, vetus Latium Albanos, Rutulos, Volscos, & Æquos; nouum Ocos, Aufones, & Hernicos à solitudine vindicasse?

Agamus igitur de vtroque: sed prius de priore. Primis temporibus angustissima fuit appellatio Latinorum. non enim solum Hernici, ceteriq;, qui in nouo erant Latio, Latini nominis expertes fuerunt; sed ne omnes quidem, qui Latium vetus incoluerunt, Latini sunt vocati: quandoquidem neque Volsci, neque Æqui Latinorum in numero habiti. Ac Volsci quidem fere mare versus, citra, & vltra Vfontem oppida tenuerunt Antium, Circeios, Anxur, siue Tarracinam, Ecetram, Velitras, Sueffam Pomertiam, Longulam, Poluscam, Coriolos, Cenonem, Signiam, Ar-

tenam,

oppida capta, prodit Liuius. Hoc autem fœdus post à Superbo rege, cum principatum Latinorum sibi callide asciuisset, renouatum est, Latinis etiam feriis, quas Romanus, Latinusq; populus communiter in monte Albano celebraret, vt supra diximus, institutis. Atque hæc quidem omnia Dionysius. neque vero multo aliter Liuius. quanquam ipse vt breuius, sic obscurius in huius antiquitatis pertractatione versatur. Horum autem fœderum meminit fere apud eum inter Latinos rex Superbus. *Posse se quidem, inquit, vetusto iure cum illis agere, quod, cum omnes Latini ab Alba oriundi sint, in eo fœdere teneantur, quo ab Tullo res omnis Albana cum colonis suis in Romanum cesserit imperium: ceterum se vtilitatis id magis omnium causa censere, vt renouetur id fœdus, secundaq; potius fortuna populi Rom. vt participes Latini fruantur, quam vrbium excidia, vastationesq; agrorum, quas Anco prius patre deinde suo regnante perpepsi sint, semper aut expectent, aut patiantur.* Haud difficulter persuasum Latinis, pergit Liuius, *quanquam in eo fœdere superior Romana res erat. ita renouatum fœdus, indictumq; iunioribus Latinorum, vt ex fœdere die certa ad lacum Ferentinae armati frequentes adessent.* Cum hoc igitur societatis iure Latini cum populo Rom. essent iuncti, quid est, cur miremur in primo fœdere, quod, expulso rege Superbo, a vindicata in libertatem rep. Bruto, & Collatino cōsulibus, cum Pœnis iētū est, Romanos Latinis sociis, qui maritimā oram accolerent, Ardeatibus, Antiatibus, Laurentibus, Tarracinēsisibus, quod scriptū est apud Polybiū, prospexisse? Post hæc autem A. Postumio, T. Virginio consulibus anno post reges exactos xiiii, post urbem conditam cclvii, Latinos Octaui Mamillio Tusculano, Superbi regis genero, rebellasse comperimus. Fuerunt autem Ardeates, Aricini, Bolani, Bubentani, Corani, Caruentani, Gabini, Laurentes, Pedani, Querquerulani, Satricani, Scaptiensis, Setini, Tiburtini, Tusculani, Tolerini, Tellenij, Veliterni, Lanuini, Lauicani, Nomentani, Norbani, & Prænestini. quibuscum ab A. Postumio dictatore ad lacum Regillum in agro Tusculano debellatum, ac triennio post fœdus percussum inuenio Sp. Cassio iterum, & Postumo Cominio iterum consulibus. Quo de fœdere hæc Dionysius: *Eodem tēpore iētum fœdus cum omnibus Latinis ciuitatibus, de societate, atque amicitia maxime, quod in secessionē plebis nihil mouerant, eamq; tandem in urbem recessisse gratulabatur, bellumq; aduersus deficientes ciuitates vna susceptura videbantur. Verba autem fœderis hæc fuerunt: Inter Romanos, & Latinorum ciuitates omnes aeterna pax esto: neque ipsæ inter se bellant, neque aliunde hostes inducunt, neque hostibus tutos transitus præbent, sed bello oppressis opem omnibus viribus ferunt: spoliis, ac prædæ partem aequalē habent: priuatarum litium iudicia illi, quibus mandata cognitio fuerit, intra decem dies peragunt: his legibus nihil addi, demum de possit, nisi si Romanis, Latinisq; ita placuerit.* Meminit huius quoque fœderis Liuius libro secundo; meminit & in Cornelianā Cicero. quin etiam profert ex fœdere Latino Festus hæc verba: *Peguuniam, qui nancitor, habeto, & si quid pignoris nanciscitur, sibi habeto.* Quæ causā fecit, vt Liuius, post aliquot annos Torquatū consulem ita ad Latinos loquentem fecerit: *Hæcine fœdera Tullus Romanus rex cum Albanis patribus vestris Latini, hæc L. Tarquinius vobiscum fœdera postea fecit? non venit in mentem pugna ad lacum Regillum? adeo & cladium vestrarum, & beneficiorum nostrorum erga vos oblitus estis?* Atque hi quidem populi, nisi si qui priuato forte nomine, ac priuatis opibus interea bellum intulissent, vt Prænestini, Tusculani, & Tiburtes sæpe fecerunt, in amicitia populi Rom. manserunt vsque ad annum cclxiii. quo anno percussam ciuitatē scribit Liuius defectione Latinorum, Hernicorumq;, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Rom. fuerant. Cum ergo Latini desciuissent, ac milites ex formula per aliquot inde annos negassent, tum anno demum cccxv, C. Fabio, C. Plautio cos. in amicitiam redierunt. sic enim post scriptum inuenio apud eundem: *Inter multos errores solatio fuisse pacem petentibus Latinis datam, & magnam vim militum ab ijs ex fœdere*

*ex fœdere vetusto, quod multis intermiserant annis, acceptam.* Neque vero hæc diu culta fides est. Nam, eodem teste Liuius, anno cccxiii, concilia Latinorum ad lacum Ferentinae habita; responsūque haud ambiguum imperantibus milites Romanis, datum, abstiterent imperare ijs, quorum auxilio egerent. *Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio laturus arma.* Itaque anno ipso cccxiii, cum eō superbix adducti essent, vt alterum è Latio Romæ consulem fieri, Romam à consulibus prætores eorum euocati respondissent, bellum Rom. aduersus se concitarunt. quo ad Vesperim in Campania victi sunt, T. Torquato, & P. Decio, qui se in acie deuouit, consulibus. Adeo vero eorum opes accisæ sunt, vt, quod scriptum reliquit Liuius, *Torquato consuli victorem exercitum ad populandos agros eorum ducenti dederent se omnes Latini. Latium agro multatum: extra pœnam fuere Laurentes, quia non desciuerant. cum ijs renouari fœdus iussu renouaturque quotannis post diem decimum Latinorum.* deinceps Latinos, ob iram agri amissi rebellantes, fusos, atque in deditiōem acceptos à Q. Publilio Philone consule, inde Aricinos, Lauinios, Veliternos, cum in armis essent, à C. Mænio, Pedanos & Tiburtes à L. Camillo, idem auctor est. *Placuit deinde, inquit, maiore conatu à P. di expugnatione ad perdandum Latium victorem circumducere exercitum. nec quie uere consules, antequam expugnando, aut in deditiōem accipiēdo singulas vrbes Latium omne subegere. Camillo autem in senatu de populis Latinis referenti responsū, cum aliorum alia causa esset, ita expediri posse consilium, vt pro merito cuiusque statueretur, si de singulis nominatim referrent. relatum igitur de singulis, decretūque. Lanuini ciuitas data. Aricini, Nomentanique, & Pedani eodem iure, quo Lanuini in ciuitatem accepti. Tusculanis seruata ciuitas, quam habebant. Velitris, quia sæpius defecerant, senatus abductus, in agrum senatorum coloni missi. Antium noua colonia deducta. mare interdictum Antiati populo, & ciuitas data. (hæc duæ enim Volcorum ciuitates huic bello interfuerunt.) Tiburtes, Prænestinique agro multati. ceteris populis Latinis commercia, & concilia inter se ademerunt.* Atque hoc tempore Latini ad lacum Ferentinae rerum communium causa conuocari desierunt, quod ex Cincianis commentariis perspici potest, vnde hæc haufit Festus: *Prætor, inquit, ad portam nunc salutatur is, qui in prouinciam prætoris, aut proconsule exit. cuius rei morem ait fuisse Cincius in libro de consulum potestate talem. Albanos rerum potitos vsque ad Tullum regem. Alba deinde diruta vsque ad P. Decium Murem consulem populos Latinos ad caput Ferentinae, quod est sub monte Albano, consilere solitos, & imperium communi consilio administrare. itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere oporteret, iussu nominis Latini complures nostros in Capitolio à sole oriente auspicijs operam dare solitos. vbi aues addixissent, militem illum, qui à cōmuni Latio missus esset, illum, quem aues addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam prouinciam obtineret prætoris nomine.* Atq; hæc quidē de pace reddita Latinis, deq; præmiis, & multa eorum inuenimus. Quam quidem pacem ab ijs post in perpetuum sanctissime custoditam, nullis vnquam aduersus populum Romanum, publico præsertim nomine, captis armis, animaduerto. Quod cum ita sit, sane dubitari non potest, quin aut hoc tempore, aut non ita multo post, vetustum fœdus secum à Cassio consule iētum recuperarint. Etenim Cicero, qui trecentos post annos floruit, Latinos fœderatos in Balbi defensione appellat *eo fœdere, quod cum Latinis omnibus Sp. Cassio, Postumo Cominio consulibus iētum est.*

De iure Latij. CAP. IIII.



**E**X FOEDERE autem, quod cum Latinis est percussum, ius illud emanauit, quod est ius Latij, vel Latinitas appellatū. quod supra dixi iure quidē ciuiū Romanorū esse deterius, Italico vero aliquāto commodius. Huius, vt etiam illius, multas partes fuisse, neminem puto fore, qui non intelligat, si in veterem memoriam paullo diligentius oculos quasi mentis intendat. quæ autem hæc fuerint,

rint, nobis etiam, atque etiam quærendum existimo. Quæremus autem iisdem vestigiis ius Latinorum, quibus alio libro ius ciuium Roma. inuestigauimus. Ita quoniam iura ea in duo genera digessimus, quorum vnum priuatam rationem attingisse diximus, alterum publicam, eandem in hac disputatione distributionem tuebimur. Sic igitur statuo, Latinos priuato iure longe alio vsos esse, quàm ciues Romanos. ne longius argumenta petam, hoc vnum satis valeat, quod ius Latij iuri Quiritium opponeretur, adeo vt, qui Latinitate donati essent, iidem, si meliore in causa ponendi essent, iure Quiritium auerentur. Ius autem Quiritium causam priuatam, vt dixi, complexum est, libertatis, gentilitatis, sacrorum, connubiorum, patriæ potestatis, legitimi dominij, testamentorum, & tutelarum. cum enim hæc omnia iure ciuili essent constituta, ius autem ciuile Quiritium esset, non Latinorum: profecto Latini nulla huius parte sunt vsi: nisi si quidam ex iis populis fundi essent facti. quid est autem fundus quidquam aliud, quàm auctor? quod ostendit Plautus in Trinummo: apud quem ita est:

*Nunc mihi is propere conueniendus est, vt quæ cum eius  
Filio egi, ei rei fundus pater sit potior eo.*

Cui opinioni conuenienter Festus etiam prodidit, fundum dici populum rei, quam alienat, hoc est auctorem. Ex quo translate populos fundos appellatos esse, intelligere possumus, qui ipsi auctores essent, vt iure ciuili Romano se obstringerent. quo modo accepit accusator Cornelij Balbi, quod indicat Cicero, cum in defensione eius ait: *Negat ex fœderato populo, quenquam potuisse, nisi is populus factus esset, in hanc ciuitatem venire.* Item: *Potuit magis fundus populus Gaditanus fieri, si tum sit fundus, cum scita, ac iussa nostra sua sententia comprobatur, quam cum hospitium fecit.* Quanquam Cicero ipse, qui ei respondit, aptius ad causæ victoriam, quàm ad veritatis rationem locutus, populum ita fieri fundum dixit, *si cum iussisset populus Romanus aliquid, si id asciuissent socij populi, ac Latini, & si ea lex, inquit, quam nos habemus, eadem in populo aliquo, tanquam in fundo resedisset. vt tum lege eadem populus is teneretur, non vt de nostro iure aliquid minueretur, sed vt illi populi aut iure eo quod à nobis esset constitutum, aut aliquo commodo, & beneficio vterentur.* tulit, inquit, apud maiores nostros legem C. Furius de testamentis, tulit Q. Voco nius de mulierum hereditatibus. innumerabiles aliæ leges de iure ciuili sunt latæ. quas Latini voluerunt, ascuerunt. Ex quibus verbis patet, omnino Romanos Latinis ius ciuile suum non communicasse, sed eos tamen vt legibus aliquot esse passos, & partem iuris Quiritium sæpe concessisse, eosq; populos fundos appellasse. Ex quo scitum est illud apud Gellium libro xv i, *municipes nulla populi Rom. lege astrikti esse, cum nunquam populus eorū fundus factus esset.* Ergo quoniam aliud erat, vt dixi ius Quiritium, aliud ius Latij; atque illud proprium ciuium Roma. hoc Latinorum: alio iure priuato Latini vsi sunt, alio ciues Romani. Neque vero, si iura priuata libertatis Romanæ, gentilitatis, sacrorum, ceterarumque rerum, quas alio volumine persecuti sumus, memoria retinentur, hic locus vllam habere dubitationem poterit. non enim si per leges Romanas ciuis Romanus neque à priuato verberari, neque à magistratu cædi potuit, propterea etiam Latinus non potuit: nec si quid iuris patricij, aut plebeij Romæ habuerunt, idem etiam Latini vsurparunt. nam sacrorum iura quædam, & connubiorum, & patrum in liberos, & legitimi dominij, & testamentorum, & tutelarum propria ciuium Romanorum fuisse ita, vt nullis aliis, nisi iure Quiritium impertito, communicata sint, ita ex eadem disputatione perspicuum est, vt longiorem orationem non desideret. Quod autem ius, aut quæ consuetudo harum rerum obeundarum apud Latinos fuerit, equidem vix inueniri, aut pro certo afferri posse crediderim. Quod tamen de sponsalibus eorum proditum sit, hoc loco apponere non graua bor. *Sponsalia*, inquit Gellius, *in ea parte Italiae, quæ Latium appellatur, hoc more, atque hoc iure solita fieri scripsit Ser. Sulpicius in libro, quem scripsit de dotibus.*

Qui

*Qui uxorem, inquit, ducturus erat, ab eo, vnde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonij ductum iri. qui datus erat, itidē spondebat. Is contractus stipulationum sponsionumq; dicebatur sponsalia. Tum quæ promissa erat, sponsa appellabatur; qui sponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes vxor non dabatur, aut nō ducabatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat. iudices cognoscebant, iudex quamobrem data, accepta, de non esset vxor, quærebat. si nihil iustæ causæ videbatur, licet pecunia æstimabat, quanti; interfuerat, eam vxorem accipi, aut dari eum, qui sponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat. Hæc ius sponsaliorum obseruatum dicit ad id tempus, quo ciuitas vniuerso Latio lege Iulia data est. Hæc eadem Neratius scripsit in libro, quem de nuptijs composuit.* Ex quibus rebus intelligi potest, Latinos ante ciuitatem Romanam acceptam alio iure sponsaliorum esse vsos; postquam in ciuitatem accepti sunt, ius in eo Quiritium esse secutos.

Age vero priuatum ius fuit diuersum. quid publicum, census, militiæ, tributorum, & vectigalium, suffragiorum, & honorum? ne omnino quidem idem habuerunt, sed tamen in eo ad ciuium Roma. conditionem propius accesserunt. census autem Romæ Latinos non inuenio, nisi si qui aut furtim eo nomine ciuitatem R. assequi voluissent, aut iam municipes facti essent. Municipibus autem & coloniis aliquot & Romæ, & in suis ciuitatibus censeri licuit: quod post illustrius apparebit. Quod si hoc in municipiis, & coloniis, quæ leges Romanas, non suas habuerunt, est obseruatum, quanto magis in fœderatis, & liberis ciuitatibus valuisse verisimile est: Quæret aliquis: quid de tributis: de his nihil habeo, quod affirmem: non deest, quod opiner. Mihi vero videtur prope ad veri similitudinem accedere; si ciues Roma. tributum contulerunt, ac vectigalia pependerunt, nec Latinos, qui detiore erant in causa positi, ab his oneribus vacuos fuisse. præsertim vero cum scriptum inueniam apud Liuium lib. nono: *Latinos, postquam stipendiarij facti sint, scuta pro clypeis vsurpasse: & apud Appianum libro primo: Italos questos, se militando, & tributo conferendo fessos esse.* & Dio adiciat, *lege Metelli Nepotis vectigal a vrbi, & Italiae molesta esse sublata;* in Ambracensium autem fœdere, Liuius auctore, illud etiam positum fuerit, *vt portoria, quæ vellent, caperent, dum modo eorum ciues Rom. & Latini socij immunes essent.* Militasse porro Latinos pro Romanis, non est dubium. hoc enim & aliis ante fœderibus, & maxime Cassiano est prouisum, vt Latini Romanorum arbitrio copias pedestres, & equestres darent, quarum opera ipsi in bello vterentur. Vnde illud est Liuij in tertio, vt alios, quos supra commemorauimus, locos multos omittam: *Hernici, & Latini iussi milites dare ex fœdere: duæq; partes sociorum in exercitu, tertia ciuium fuit.* & illud in sexto: *Cum quæsitum ab Hernicis, & Latinis esset, cur per eos annos militem ex instituto non dedissent, responsum datum, terrorem a Siduum à Volscis causam attulisse.* Neque vero, quanquam cum Romanis Latini militauerunt, propterea in legione, nisi fortasse municipes facti, meruerunt, sed in auxiliis. fuit enim legio ciuium Romanorum, auxilia sociorum. Quocirca scripsit Vegetius probe libro secundo, apud omnes se auctores inuenisse, singulos consules aduersus hostes copiosissimos non amplius, quàm binas legiones adduxisse, additis auxiliis sociorum. Numerus tamen eorum nec semper idem, nec iisdem semper ciuitatibus est imperatus, sed aut pro rei magnitudine à senatu decretus, aut arbitrio consulum, quibus id negotij datum erat à senatu, est permissus. Quod docet Liuius, cum libro xxi ita scribit: *Sex in eum annum decretae legiones, & sociorum quantum consulibus videretur. quattuor & viginti peditum Rom. millia sunt scripta, mille & octingenti equites. sociorum quadraginta quattuor peditum, & quattuor equitum.* Item libro xli: *Additum decreto, vt consules binas legiones scriberent, & trecentos equites, & dena millia peditum socijs nominis; Latino, & sexcentos imperarent equites.* & lib. xlii. *Quattuor legiones scribi iussa, quæ, si quo opus esset, educerentur. socijs nominis Latini sexdecim millia peditum, & mille*

2

equites

*equites imperati.* Ex quo intelligi potest, variasse sæpe id, quod perpetuum fuisse significare videtur Paterculus, cum ait. *questos esse Italicos, quod cum duplici peditum, equitumq; numeroungerentur, ciuitatis tamen R. expertes essent.* Eodem accedit Polybius, qui peditum numerum plerunque R. legionibus parem, equitum duplicem datum esse admonuit, cuius verba placet afferre, quia mirifice hunc locum, & hanc rotam, de sociorum militia quæstionem possunt illustrare. Sic igitur ille libro sexto, postquã de Romana legione locutus est, scribere de sociorum auxiliis pergit: *Eodem tempore consules præfectis ciuitatum sociorum Italiæ ostendunt, ex quibus velint ad se auxilia mitti, numero, & die, & loco, in quem conuenire debeant, indicto. ciuitates autem delectu simili Romano delectui habito, & iureiurando simili dato, mittunt præfecto, & tribuno ærario addito. Vbi vero socij conuenerunt, diuisionem eorum adhibent ij, qui à consulibus præpositi sunt, qui præfecti nominantur, numero duodecim. Hi primum ex omnibus aptissimum quæque ad bellicos vsus equites, peditesq; consulibus legunt, quos extraordinarios vocant. numerus autem vniuersus sociorum, peditum quidem est plerunque Romanis legionibus æqualis. equitum vero duplex ex his equitum tertiam partem legunt in extraordinarios, peditum vero quintam. reliquos autem in duas diuidunt partes, quarum alteram dextrum cornu appellant, alterã sinistrum.* Hactenus Polybius. Quanto vero maiora legionum commoda fuerint, quàm auxiliorum, satis in iis libris ostendimus, quos de iure ciuium Ro. conscripsimus. Habeo auctorem Plutarchum legem à M. Liuiio Druso tribuno pl. C. Gracchi collega ex auctoritate senatus latam, ne quis Latinus in castris cædi virgis possit. quam legem postea non obseruatam esse ab seueris imperatoribus, qui remoto virgarum metu exercitum in officio continere se vix posse videbant, ex eo adducor ad suspicandum, quod de Italico præfecto quodam prodit in Iugurthino bello Sallustius: *Turpillius, quem præfectum oppidi vnum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus à Metello causam dicere, postquam parum se purgat, condemnatur, verberatusq; capite pœnas soluit. nam is ciuis ex Latio erat.* Sed de Latinorum militia hactenus.

Relinquuntur duo, quibus ius optimum maxime stabiliri solet, suffragia, & honores. quæ qualia Latini habuerint, deinceps videamus. nam vt, nulla habuisse eos, negari non potest, sic non optima lege habuisse, asseri potest. suffragiorum autem latione ea vsi sunt, vt, quantum ex annalium veterum monumentis, & populi R. actionibus colligi potest, nec tribum certam, in qua suffragium ferrent, habuerint, nec nisi ad leges iubendas, & iudicia facienda vocati sint, nec intercedente vel consule, vel tribuno pl. ius vllum suffragij ferendi habuerint, sed sæpe vrbe, in quã suffragiorum causa venerat, abire sint iussi. hoc autem Cassiano etiam scedere impetratum apparet. siquidem Cassius ipse consul tertium, is, quem scodus cum Latinis percussisse supra diximus, apud Dionysium in concione gloriatur, se in primo consulatu Sabinos subegisse, in secundo plebem in vrbe reduxisse, Latinosque Romanorum consanguineos illos quidem, sed gloriæ tamen eorum inuidentes ad amicitiam adduxisse, atque æquo iure ciuitatis donasse, vt non amplius Romanam aduersariam, sed patriam appellarent. Ciuitatem tamen neque omnino cum suffragio, neque prorsus sine suffragij latione datam, sed ad arbitriũ magistratum, ex verbis, quæ addit Dionysius, intelligitur. inquit enim: *Cum Cassius Hernicos iisdem scoderis conditionibus, quibus Latinos, obstrinxisset, atque agrum Hernicis ademptũ, plebi Romanæ, Latinis, Hernicisq; diuisurus esset, ei que rogationi intercederet; Latinos, & Hernicos, quàm plurimos potuit, ad suffragium ferendum acciuit. qui cum frequentes venissent, vrbe hospitum turba repleuerunt. quod cum ad Virginium collegam eius delatum esset, per compita edici iussit, vt qui in vrbe domicilium non haberent, intra certam diem exirent. Cassius autem contra edixit, vt, qui ciuitate donati essent, donec lex accepta esset, manerent.* Quibus ex verbis, quis est, qui non intelligat, nisi Latini ciuitatem, ac ius suffragij habuissent, eos Sp. Cassium ad legem suffragijs suis iubendam aduocaturum non fuisse, nec, si illi lege Cassia optimum ius ciui

ciuitatis habuissent, ab eius collega Virginio vrbe pelli ante inita suffragia potuisse, verum incertam suffragiorum rationem magistratum arbitrio Latinis esse permissam? neque enim hoc semel factum est, vt Latini ante legem Iuliam ad suffragia sint acciti. ex hoc enim iure illud est, quod Liuius scribit contigit anno vrbis D X L I, Ap. Claudio, Q. Fulvio cos. Italia bello Punico secundo flagrante, iniudicio M. Postumij Pyrgensis ad populum: *Testibus, inquit, datis tribuni populum summouerunt, sicellaq; allata est, vt sortirentur, vbi Latini suffragium ferrent.* Neque vero, nisi ius suffragij aliquod habuissent, sortitione tribuum opus fuisset, in quibus suffragium ferrent, nec, si tribum, vt iure optimo ciues, obtinuissent, vbi suffragium dicerent, fortiendum fuisset. Nam cum consulum arbitratu Latini, qui suffragiorum causa venerant, aliàs aut in vrbe retinerentur, aut exire iuberentur, tum tamen eos credo ad suffragium ineundum maxime à consulibus esse adhibitos, vt grauissimis, ac periculosissimis Punici belli temporibus, in magna totius Italiæ defectione Latinum nomen honoris eius beneficio sibi arctius deuincirent. Qua de causa eodem bello triennio ante Sp. Caruilius in senatu etiam pro magna re se suadere dixerat, *vt ex singulis populis Latinorum binis senatoribus, si patres censuissent, ciuitas daretur. eiusq; rei vt aliena mentio oppressa est.* Itaque idem post tranquillatis rebus Italiæ, in tribunatu C. Gracchi non est concessum. qui anno D C X X I, multis legibus aduersa nobilitate promulgatis, cum Latinos ad eas suffragio suo iubendas in vrbe aduocasset, & C. Fannius consul ex S. C. eos exire ex vrbe iussisset, Gracchus iis manentibus auxilio futurum professus, incepto tamen, cum à lictoribus consularibus Latinos duci videret, teste Plutarcho, destitit. Quare duodecimo post anno in rogatione Mamiliæ ferenda idem occulte dicitur esse tentatum. Sic enim scribit in Iugurthino Sallustius: *Interea Romæ C. Mamilius Limitanus tribunus pl. rogationem ad populum promulgat, vt quaereretur in eos, quorũ consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quiq; ab eo in legationibus, aut imperijs pecunias acceperant, huic rogationi partim sibi conscij alij ex partium inuidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, occulte per amicos, & maxime per homines Latini nominis, ac socios Italicos impedimenta parabant.* Hoc autem ius cum in Sextiana Cicero intueretur, dixit: *nihil acerbius socios Latinos ferre solitos esse, quàm id, quod perraro accidit, à consulibus iuberi ex vrbe exire.* Habuerunt ergo ante legem Iuliam, bellumque Italicum, ex scedere Cassiano ius suffragij Latini, aut certe speciem quandam suffragiorum, cum id potius precarium esset magistratum beneficium, quàm optimum ius suffragiorum.

Extremum fuit ius magistratum Romæ petendorum, & capiendorum, in quo tantum momenti est constitutum, vt hoc vnum Latij ius appellatum sit: quippe, quia qui hoc habebat, reliqua superiora haberet omnia. sunt ergo qui ius Latij fuisse scribant, vt petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur. hic est autem eximius interpres Ciceronis Aconius, qui in commentario Pisonianæ scriptum reliquit, *Cn. Pompeium transpadanis colonis ius dedisse Latij, vt possent habere ius, quod ceteræ Latine colonie, id est vt petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Quid autem sit, petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipisci, magnam merito habere potest quæstionem. quid est enim? an vt ciues Romani fierent tantummodo, vt Romæ honores peterent? nõ videtur. qui enim credibile est omnes Latinos ius petendorum Romæ magistratum habuisse, qui ne suffragium quidem, nisi quo modo demonstratum est, ferrent? est enim ius magistratus magnificentius multo quàm suffragij. an vt qui ius Latij haberent, præter cetera ciuitatem etiam R. assequerentur, vbi apud Latinos magistratum petissent, vel potius gessissent? equidẽ arbitror. id enim aperte tradit Appianus lib. ii. cum inquit: *Novũ Comum Cesar. ad ius Latij redegit, apud quos qui annuũ gessissent magistratum, ciues R. fiebant. hanc enim vim habuit Latinitas. Marcellus autẽ consul Nouocomensem quendam, & qui apud Nouocomenses magistratum gesserat, ac*

Romæ se propterea pro ciue gerebat, in Cæsaris contumeliam virgis cædi iussit, vt intelligeret, se ciuem Ro. non esse. Adicit Strabo, magistratus hos ædilitatem & quæsturam fuisse. sic enim & ipse scribit libro quarto: *Nemauso in Gallia ius Latij datum, vt qui Nemausi ædilitatem, & quæsturam adepti essent, ij ciues Romani essent. eaque de caussa populus ille Romanis prætoribus non paruit.* Quibus ex verbis cū illud perspici non obscure potest, quod iam diu quærimus, ius Latij fuisse, vt qui Latino in oppido, vel iure Latij donato ædilitatem, aut quæsturam gessisset, ciuis Romanus esset, tum Latinos ipsos ne magistratum quidem Romanorum edictis, sed suorum prætorum obtemperasse. Tale autem ius post etiam imperatorum temporibus vsurpatum, verba ea indicant, quæ sunt in Panegyrico Pliniano ad Traianum, diuum Neruam iis, quibus per Latium ciuitas patuisset, indulgisse. Hoc vero ius Latini populi vsque ad annum DCLXII vsurparunt, quo ex lege Iulia ciuitas vniuerso Latio est concessa, paucis quibusdam oppidis exceptis, quibus ciuitatis, & suffragij iura singulari populi Romani benignitate ante fuerant permessa. Quod, opinor, Liuius intellexit, cum libro XXVI scripsit, iam inde à maioribus traditum morem Romanis colendi socios, ex quibus alios in ciuitatem, atque æquum secum ius accipissent, alios in ea fortuna haberent, vt socij esse, quàm ciues, mallent.

De federe, & iure Volscorum, & Aequorum.

C A P. V.

**H**IS EXPOSITIS, quale fuerit ius Latij veteris, intellectum puto. Sequitur, vt de Volscis, & Aequis differamus, quos Latio quidem inclusos, in Latinis tamen, vt supra ostendimus, antiqui non numerarunt. Hi vero vel potentiores vel ferociores ceteris, qui Latiū incolerent, populis diu Romani molem belli sustinuerunt, vt eos merito dicat Florus peruicacissimos Latinorum, ac quotidianos prope hostes Romanorum fuisse. Quas ipsi ciuitates in Latio habuerint, & quam regionem tenuerint, supra dictum est. nunc, quod rem magis continet, vt victi, delerique sint, demonstremus. Volscos primus, vt placet Dionysio, bello persecutus est Ancus rex, populationibus eorum, quibus Romanum agrum infestum reddebant, commotus, atque Velitris, eorum oppido, circumfessis, ad pacem petendam compulit. At Liuius secus, qui Volscis, & Aequis à Superbo rege arma primum illata scribit, Volscis quidem non dissimulanter, Aequis autem iuboscure inquit enim, eum primum Volscis bellum in ducentos amplius post suam ætatem annos mouisse, *Suessamq; Pometiam ex his vicepisse: excepisse deinde eum lentius spe bellum, quo Gabios, propinquam urbem, adortus est. & paulo post: Gabijs receptis pacem cum Aequorum gente fecisse, ac Signiam, & Circeios in agrum Volscorum colonias deduxisse.* Cum autem quarto decimo post reges exactos anno, bello Latino Volsci auxilia comparassent, quæ Latinis mitterent, placuit, vt sequentes consules Ap. Claudius, & P. Seruilius, anno vrbs CLVIII, aduersus eos exercitum ducerent. Volsci subita re perculsi primum obsides trecentos à Cora, & Pometia tradiderunt; deinde ad arma conuersi, & prælio victi Pometiam oppidum amiserunt. Ecetrani, Pometia capta, rebus suis timentes cum senatum adissent, agri parte adempta pacem impetrarunt. Postero anno cum Aequi Volscis adiuncti Latinū agrum populabūdi inissent, castris relictis in valles desiluerunt. Volsci, Velitris amissis, colonos Romanos acceperunt. Exarsit deinde vehementius bellum, adeo vt tria ab insequenti consule Postumo Cominio Volscorum oppida in potestatem sint redacta, Longula, quo Antiates fufos, fugatosque compulerat, Polusca, & Corioli. Norbam in montem colonia, quæ arx in Pomptino esset, deducta. Quietos inde Volscos, & pace Romana contentos triennio post C. Iulio, P. Pinatio consulibus, Tullus Attius rex, & Coriolanus Romanus exul ad arma perpulerunt, atque Aequis assumptis Circeios insequenti anno Romanam coloniam occuparunt.

Ex

Ex quo tempore Volsci, Aequiq; cōtinentia fere cum Romanis bella gessere, quæ per consules quotannis, sed nulla illustri re gesta, administrata. memorabile illud, Antium oppidum anno CCLXXXIII ex Volscis, à T. Quinctio Capitolino iterum consule captum, Romanis colonis esse firmatum; anno autem post pacem Aequis sub ea conditione datam, vt legibus suis vtentes priuatis stipendijs pro Romanis iussi militarent. quam pacem cum haud diu seruassent, meritas statim poenas dederunt. Siquidem anno CCXCIV, cum duce Clælio Graccho in Lanuuium agrum, inde in Tusculanum hostili populatione incurrissent, pleniq; prædæ in Algido regionis suæ loco, vt inquit Dionysius, castris locatis L. Minucium consulē, aduersus se profectum, cum exercitu obsiderent, à T. Quinctio Cincinnato dictatore victi, & sub iugum missi etiam Corbione oppido decedere sunt iussi; & cum Corbione præsidio interfecto Ortanam Latinorum cepissent, à C. Horatio consule non ex Algido modo, sed à Corbione, Ortanaq; deiectione. Quietas inde res in Aequis Lauicani noui hostes turbauerunt, quos cum veteribus hostibus consilia iungere anno CCCXXV, Romam est allatum. Et hi quoque, cum insequentibus consulibus, Aequorum exercitu adiuncto, agrum Tusculanum depopulati, castra in Algido posuissent, acie superati, non solum Lauicos oppidum amiserunt, sed colonos etiam Romanos receperunt. tertio post anno in Lauicanum excursionem factæ, nouisq; colonis bellum, Liuii teste, illatum. quam noxam cum Volani se consensu omnium Aequorum defensuros sperassent, deserti ab iis & oppido, & finibus deturbati sunt. Post quadriennium arx Caruētana, quam illi occuparant, à Romanis recepta est, Verrugo, & Ferētinum ex Volscis captum. cumq; tripartito ad depopulandos fines Volscorum esset discessum, Antium, Ecetras, Anxur, extremum hoc captum est, ac direptū, & biennio post Ardena occupata. Aequi anno CCLX, cum Vitelliam coloniam Romanam in agro suo expugnassent, à L. Lucretio consule pulsi. ad extremum vero quadriennio interiecto M. Camillus dictator tertium exercitu in Volscos ducto, non procul ab Lanuuii (ad Mæciumis locus dicitur) castra oppugnare adortus, fufos, cæfosq; eos persecutus, cum omnem illorum agrū depopulatus esset, ad ditionem septuagesimo demum anno, quod extat apud Liuium libro sexto, subegit. inde victor ex Volscis in Aequos transit, & ipsos bellum molientes exercitu eorum ad Volas, quod oppidum recuperarunt, oppresso, non castra modo, sed urbem etiam aggressus impetu primo cepit. Inclinatam ergo iam in Volscis rebus anno CCLXVIII Antiates obfessi urbem, agrosq; dediderunt. Latini à Volscis deserti Satricum urbem igne concremarunt, quæ anno CCCVI ab Antiatibus restituta, & colonia deducta, post biennium, cum eò Volsci compulsi essent, in ditionem Romanam peruenit. In Veliternos inde, & Antiates Volscos, qui bello Latino interfuerant, animaduersum. anno CDXXII legati ex Volscis Fabraterni Romam venerunt, orantes, vt in fidem reciperentur. & cum iam pridem Aequorum arma quiescerent, anno CDLIX, P. Sempronius Sophus consul ad singulas eorum rebellantium vrbes bello circumferendo vnū, & quinquaginta oppida omnia expugnando cepit. quorum pleraque diruta, atque incensa, nomenq; Aequorum prope ad internicionem deletum Liuius, omnem Aequorum gentem in ditionem redactam Diodorus auctor est. Itaque postero anno Soram, atque Albam deductæ coloniarum. Albam in Aequos, Sora agrum Volsci fuerat, sed possederat Samnites. Aequi inde coloniam ægre passi, cum arma cepissent, à C. Iuniō dictatore subacti. interiecto autem triennio bellum vltimum, sed parum memorabile aduersus rebellantes Aequos, cum præter animos feroces nihil ex antiqua fortuna haberent, gestum.

Atque hæc quidē bella sunt, quibus Volsci tandem, Aequiq; in Latio sunt perdomiti. Quos vt antiquis temporibus Latinorum & concilio, & iure exclusos inuenio, sic postea propter affinitatem in eadem iura esse ascitos opinor. neque enim vt singulorum Italicorum, sic Volscorum, Aequorumq; nomen postea est celebra-

tum; ex quo intelligi potest, omnes Volscos, Æquosq;, aut funditus à Romanis esse deletos, aut, si qui tot bellis, cladibusq; superfuerunt, vno Latinorum vt iure, sic nomine esse deuinctos. Cicero quidem, cum Balbum de ciuitate defenderet, dixit, *ex Latio Tusculanos, & Lanuuios, ex ceteris generibus vniuersas gentes in ciuitatem esse receptas, vt Volscorum, Sabinorum, & Hernicorum.*

*De agro, fœdere, & iure Hernicorum. CAP. VI.*



**P**ROXIMI Latinis Hernici, vt dixi, fuerunt: quorum oppida Alatrium, Anagnia, Verulæ, Capitolum, Cernetum, Frusino, & Ferentinum. Hos primus Superbus rex societate deuinxit, ac Latinorum feriarum participes fecit. deinde C. Aquillio, T. Sicinio cos. anno vrbs c c l x v i i, quod contra fœdus agrum Romanum populati essent, bello petiti, à Sp. Cassio tertium consule, cum pacem petiissent, fœderis conditiones easdem, quibus Latinos ille in secundo consulatu obstrinxerat, magna cum populi Rom. querimonia acceperunt. cuius fœderis summam fuisse ex Dionysio diximus; *Vt socij populi Rom. vocarētur, vt belli causa auxilia mitterent, vt tertiam prædæ partem reserrent, & ius ferendorum, si inter magistratus conuenisset, Romæ suffragiorum haberent.* Quanquam autem eodem, quo Latini, fœdere erant deuincti, non tamen è Latinorum tum corpore habebantur. neq; enim Liuius seorsum Latinorum, Hernicorumq; auxilia à Romanis accita, Hernicis, Latinisq; milites ex formula imperatos, Latinos, assumptis Hernicis, Volscorumq; copias sine duce Romano fudisse scripsisset; neque Dionysius Latinos Romanorum cognatos, Hernicos alienigenas iis temporibus vocasset.

Seruarunt ergo Hernici, Latiniq; pacem vsque ad annum c c c l x i i i. quod ostendit Liuius, cum scribit, *eo anno Latinos, Hernicosq; defecisse, qui post pugnam ad lacum Regillum factam per annos prope centum nunquam ambigua fide in amicitia populi Rom. fuerant:* itaque anno c c c x c i Hernicis post res nequidquam repetitas bellum indictum; L. Genucium consulem in hostes profectum, & insidiis eorum circumuentum interiisse. Postero autem anno Ferentinum eorum oppidum à C. Licinio consule vi captum, deinceps à M. Fabio Ambusto, & C. Plautio consulibus pluribus præliis victos. Cum autem concilium omnium populorum habentibus Anagninis, præter Aletrinatem, Ferentinatemq;, & Verulanum, omnes Hernici nominis cum populo Rom. bellum suscepissent, anno c c c x l v i i à Q. Marcio Tremulo consule acie superati sunt, atque in deditioem accepti. Hernicorum tribus populis, quia maluerunt, quam ciuitatem, suæ leges redditæ, connubiumq; inter ipsos, quod aliquandiu soli Hernicorum habuerunt. *Anagninis, quæque arma Romanis intulerant, ciuitas sine suffragij latioe data, concilia, connubiaq; adempta, & magistratibus præter quam sacrorum curatione interdictum.* Atque hoc quidem scriptum apud Liuium inuenio. nam Diodorus Romanos Anagninis bellum intulisse, ac Frusinone expugnato agrum reddidisse ait. quam historiã nec Liuius præterit. qui post biëniium Frusinate tertiam agri parte multatos narrat, quod Hernicos ab eis sollicitatos esse, compertum esset. Et hos autem, vt Volscos, Æquosq; ad Latinorum iura post adiunctos opinor. neque enim Hernicorum seorsum à Latinis post in Italicis auxiliis commemorandis, aut in alia actione referenda mentio vsurpatur. Itaque anno d x x x v i i i Ferentinates, qui Hernici quondam fuerant, Latinos Liuius vocat, cum eos tentasse ait, *vt Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, ciues Romani essent.* Hernicorum certe gentem in ciuitatem fuisse receptam, Cicero in Corneliãna de ciuitate scriptum reliquit.

De

*De agro, fœdere, ac iure, Osci, & Ausonum. CAP. VII.*



**L**ATIUM duplex fuisse, vetus vnum à Tiberi vsque ad Circeios, siue ad amnem Vsentem, nouum alterum ab Vsente vsque ad Lirim, omnes prope memoriæ prodiderunt, qui populos, regionesq; Italiae litteris persecuti sunt. at quo modo, aut qua occasione, aut quo tempore hi termini sint constituti, omnes, vt rem vel valde obscuram, vel nimis perspicuam, silentio præterierunt. nos vero rationem huius mutationis quæremus, & quæ maxime probabilis videbitur esse, reddemus. Primum autem Strabonis verba de nouo Latio recitabimus, deinde Plinij: ex quibus apparebit, Latium nouum iam tum ab Augusti temporibus, cuius Strabo fuit æqualis, fuisse appellatum. ea vero sunt hæc: *Hoc quidem tempore maritima ipsa ora ab Ostia vsque ad Sinuessam vocatur Latium, antea vero vsque ad Circeios porrigebatur. ac mediterranea quidem loca prius non admodum magna, post autem vsque ad Campaniam, & Samnites, & Pelignos, & alios Apennini incolis est producta.* & eodem libro: *In mediterraneo Latio sunt Campi Pomptini. his agrum continentem antea Ausones tenuerunt, ijdem, qui etiam Campaniam coluerunt. Post hos Osci, & hi etiam Campaniæ partem habuerunt. nunc vero omnia Latinorum sunt vsq; ad Sinuessam.* Plinius autem ita scribit: *Vltra Circeios Volsci, Osci, Ausones. vnde nomen modo Latij processit vsque ad Lirim amnem. à Circeijs palus est Pontina, deinde flumen Vsens, supra quod Tarracina oppidum lingua Volscorum Anxur dictum, Caieta portus, oppidum Formiæ. Ultra fuit oppidum Pira, colonia Minturnæ Liri amne diuisa, Glanico appellato. oppidum Sinuessa extremum in adiecto Latio, quam quidam Synopem dixerunt vocitatum. hinc felix illa Campania est.* Quis est ergo, qui ex his verbis non intelligat, hanc regionem primum Volscorum, Osci, & Ausonum, deinde Latinorum fuisse: in qua oppida floruerunt Tarracina, Fundi, Caieta, mons Cæcubus, Formiæ, Vescia, Aufona, Minturnæ, Fregellæ, Arpinum, Sora, & terminus regionis Liris amnis, quem ex Apennini collibus, & Vescino agro in mare ad Minturnas deferri prodit Strabo. vnde dixit etiam Lucanus libro secundo.

*Et vmbrosæ Liris per regna Maricæ  
Vescinis impulsus aquis.*  
Templum autem deæ Maricæ in ripa fluminis dicatum non longe à Minturnis intelligit. De Tarracina ante dictum est. Fregellas modo Sidicinorum, modo Volscorum, modo Samnitium fuisse inuenio apud Liuium. Cicero in Bruto Fregellanos inter Latinos extremis temporibus refert, cum L. Papium Fregellanum ex Latio nominat. Arpinum & Volscorum, & Samnitium fuit. illud ostendit Iuuenalis, cum ait Satyra v i i i de C. Mario Arpinatæ:

*Arpinas alias Volscorum in monte solebat  
Poscere mercedes, alieno fessus aratro.*

Hoc Liuius, cum Arpinum de Samnitibus captum scribit. De Fregellis, & Arpino, quoniam è Samnitibus capta sunt, in Samnitibus dicemus. Minturnæ, Vescia, & Aufona Ausonum fuerunt. Ausones autem proprie dictos in Tzetis Græca inuenio historia Auruncos inter Volscos, & Campaniam sitos. Minturnas tamen etiam Samnitium fuisse, prodit Stephanus. Has Liris interfuit; supra eas Fregellæ, supra Fregellas Arpinum, supra Arpinum Sora, omnes ad Lirim, teste Strabone. Soram agri Volsci fuisse, ac à Samnitibus possessam prodit Liuius. quare de his omnibus in Samniticis bellis, & fœderibus exponendis dicemus. Aquinum vltimum oppidum Latinorum esse prodit Strabo inter Lirim, & Casinum flumina, quod rectius à Plinio in Campania collocatur. Fundanorum, & Formianorum mentio fit bello Latino anno vrbs c d x i i i, quibus datam ciuitatem, scribit Liuius, *sine suffragio, quod per fines eorum tuta, pacoatq; semper fuisset via.* & paulo post, *Fundanis, quod Priuernatis belli socij fuissent, arma illata, atq; veniam petentibus datam addit.* Osci

autem,

autem, & Aufones ex his locis esse dimotos narrat Strabo, quod idem etiam de Volscis factum intelligere debemus, atque omnia hæc in vnum Latij nomen esse comprehensa, quod nouum Latium dictum sit. Hoc autem quando factum sit, parum liquet. illud quidem dubium non est, neque bello Punico primo, neque Gallico Cisalpino, neque ipso bello Punico secundo omnium difficillimo mentionem ullam vsurpari auxiliorum, quæ à Volscis, Ofcis, & Aufonibus missa sint, cum tamè aliorum omnium populorum, quibus Latium cingitur, apud Polybium, & Liuium memoria celebretur, Marforum, Pelignorum, Samnitium, Campanorum, Sabino- rum, Vmbrorum, Picentium, Etruscorum. Ex quo conici potest, his populis iam tum ad internecionem deletis in hanc regionem Latinorum gentem esse immis- sam, atque inde Latium nouum appellatam. quod ego quidem inter Tarentinum, & Punicum bellum factum esse crediderim.

An vero vt nomen Latinum, sic etiam iura Latij veteris tum adepti sint, in tanta rerum obscuritate nec affirmare ausim, nec negare. video enim Latinos omnes, vt pote qui meliore conditione essent, quàm Italici, belli Punici temporibus in fide manere, & bello Italico Latinos à Tiberi vsque ad Lirim, vt inquit Appianus, armis pro populi Rom. libertate, atque imperio aduersus reliquam Italiam decer- tare. quod profecto non fecissent, nisi commodiore in causa, quàm qui bellum mouebant, fuissent.

De Italicis. CAP. VIII.



ACTENVS de prima Italorum parte, qua Latinos contineri sta- tuimus, atque illorum iure sit disputatum: nunc de altera, quam Italici obtinuerunt, eorumq; iure differamus. Vt autem Latinos Latij incolas, populi Rom. fœderatos, iure Latij donatos definiui- mus: sic Italicos, reliquæ ad Rubiconem Italiæ habitatores, populi Rom. fœderatos, iure Italico præditos commode definiri posse censemus. Italiæ enim domicilium eos fecernit à Gallis & prouincialibus, fœderis communio ab iis vel ciuibus Rom. vel peregrinis, & exteris, qui quacunque de causa in Italiæ oppidis versarentur, ius Italicum ab iis Italis, qui, cum Italiam tene- rent, non iure tamen Italico fruebantur.

Italicorum porro numerum expleuerunt ad mare Tyrrhenum trans Tiberim Etrusci, post Latinos vltra Lirim Campani, Lucani, in Siculo Bruttij, in Ionio Messapij, & Sallentini, ad Adriaticum Apuli, Frentani, Picentes, & Senones. medi- terranei Umbri, Sabini, Marfi, Vestini, Marrucini, Peligni, & Samnites. quorum si- gillatim agros, bella, & fœdera deinceps breuiter exponere institui, vt ex hac di- sputatione quodnam tandem ius fuerit Italicum, quod ex eorum fœderibus fluxit, intelligamus.

De agro Etrusco, & fœderibus Etruscorum. CAP. IX.



TRVSCO S autem (ab his enim Italicos exordimur) Polybius à Pisis oppido Romam vsque perducit, id est, vt ego interpretor, inter Arnem, Tiberimq; flumina concludit. ex quo patet, eos, qui à Macra amne Etruriæ initia ducunt, quanquam recte, non tamè ad Romanæ reip. tempora apte instituere. qua florente, Luca etiã inter Ligures est numerata. Itaque idem Polybius Arretium quo- que primum in mediterraneis oppidum Etruriæ collocat. vnde alio loco C. Flami- nium consulem Annibali ex Gallia in Etruriam irrumpenti ad Arretium ait occur- risse. Quod tamen ita accipiendum esse opinor, non quòd omnino ab Arretino agro tum Etruria principium ceperit, siquidem Fæsulæ ante occurrūt, quàm Arre- tium;

tium; sed quòd ille firmius esse oppidum Arretium ad Annibalis impetum exci- piendum existimari. Fæsulæ autem iam tum in Etruria numeratas, cum Polybius eo loco ostendit, tum præcipue Liuius, cum de eadem re ita agit: *Regio erat Italiae in primis fertilis. Etrusci campi, qui Fæsulæ inter Arretiumq; iacent.* Item: *Pœnus laua relicto hoste, Fæsulæ petens Etruriæ agros prædatum profectus, quantam maxi- mam vastitatem potest, caedibus, incendijsq; procul consuli ostendit.* Neque vero à Fæ- sulis initium videtur habuisse Etruria, sed à Pistorio, cum scribat Sallustius, Catili- nam exercitum in agrum Pistoriensem adduxisse, ac sub ipsis radicibus montium confedisse, quà illi descensus erat in Galliam properanti. Etruriæ porro partes tres ab antiquis factas accepimus, quarum vnam Maritimam appellarunt, alteram Ci- sciminiam, tertiam Transciminiam. Maritimæ oppida à Tiberi ad Arnem progred- ientibus hæc aut ad mare, aut non longe à mari obiciuntur, Phregenæ, Alsum, Cære, Pyrgi, Sabate oppidum cum lacu, Castrum nouum, Tarquinij, Grauiscæ, Cosa, Volcæ, Telamon promontorium, Labro, Populonia, Volaterræ, & Pifæ. Ci- sciminia omnem regionem cis Ciminium montem continet, quæ est inter Tibe- rim, regionem maritimam, & Ciminia iuga. quo in spatio erant Veij, Falerij, Cape- na, Nepet, & Sutrium, lacus Ciminius, & Vadimonis. Transciminia, vt est in epito- mis rerum Italicarum antiquis, à Ciminiis iugis ad Pistorium pertinuit, atque op- pida habuit Ferentiam, Trosculum nouem millia passuum citra Volsinos, teste Pli- nio, Bleram, Cortnosam, Cortenebram, Salpinates, Clusium, Rusellas, Senam, Fluentinos, qui & Arnienfes, Fæsulæ, Pistorium, Stellates, Arretium, Cortonam, lacum Trasimenum, & Perusiam. Quemadmodum autem Latinorum, sic Etrusco- rum commune quondam consilium fuit, ad fanum Volturnæ, quo in loco x i i Etruriæ tum principes populi de summa rerum consultare, ac de bello, paceq; sta- tuere soliti sunt. fuerunt autem vt accepimus, hi: Veientes, Cærites, Falisci, Vulsi- nienfes, Clusini, Perusini, Arretini, Rusellani, Volaterrani, Populonienses, Pifani, & Fæsulani.

Vt autem ex his proximi quique Romæ vrbi fuerunt, ita primi Romano bello, tamquam continenti quodam incendio, conflagrarunt. Proximi autem Veientes, quorum agrum Tiberis à Crustumino, & Fidenate, qui in Sabinis sunt, vt ait Pli- nius, diuidit duodecim millia passuum procul à Roma. Cum his ergo primum acie decertauit Romulus, cum pro Fidenatibus illi consanguineis suis arma cepissent, eosq; proelio fusos agri parte, quæ Tiberim attingebat, & Septempagi dicebatur, ceterisq; quæ sunt ad fluminis ostium, locis, Dionysio auctore, multauit. Eisdem deinde sæpe rebellantes omnes prope, qui secuti sunt, reges deuicerunt, Tullus, Ancus, reliqui. Illud memorabile de Anco apud Liuium; *Sylua Masia Veientibus adempta eum vsque ad mare imperiū prolataste, atque Ostiam in ore Tiberis condidisse.* Inde vero regnante Prisco reliquam Etruriam belli Romani contagione arsisse; in Dionysij historia scriptum inuenio, cum quinque Etruriæ populi arma cum Lati- nis tum populi Rom. hostibus communi consilio coniunxissent, Clusini, Arretini, Volaterrani, Rusellani, Vetulonienfes. Hi vero ad Eretum in agro Sabinorum, proelio victi legatis ex singulis ciuitatibus missis, pacem his conditionibus impe- trarunt, *vt in neminem animaduertetur, nulli oppido tributa, atque præsidia impo- nerentur, suæ cuique leges redderentur. ciuitatum principatus penes regem Romanum esset, quem ipsi suis etiam insignibus augustiorem reddiderunt.* sic enim cum alij, tum præcipue in historia Fiorus; *Non pace Tarquinius, quàm bello promptior. Duodecim nanque Tusciæ populos frequentibus armis subegit; inde fasces, trabeæ, sellæ curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætextæ; inde quòd aureo curru quattuor equis trium- phatur: togæ pictæ, tunicaq; palmata, omnia denique decora, & insignia, quibus im- perij dignitas eminet, sumpta sunt.* Seruio deinde regnante cum Veientes rebellan- tes reliqui fere omnes Etrusci essent secuti, vigesimo anno x i i populi communi consensu pace petita fœdus antiquum à Prisco datum præter Veientes, Cærites, & Tarqui



Tarquinienses, recuperarunt, quibus ut belli auctoribus agri pars est adempta. pulsus autem regibus cum Tarquinienses, & Veientes Superbum regem in regnum reducerent, victi abierunt. Quod idem Porfena rex Clusinus anno post conatus, cum urbem obsidione cinxisset, & ipse nihil profecit. Anno vero urbis c c l x x i, C. Iulio, Q. Fabio cos. Veientibus populantibus, nec res reddentibus, bellum est indictum, idque per octo annos continuos gestum. quo spatio Fabij c c c v i, qui sibi hostem illum depoposcerant, ad Cremeram amnem deleti. A. autem Manlio, & L. Furio cos. induciæ in annos x l petentibus, stipendio, & frumento imperato, data. Post autem anno urbis c c c x v i i, L. Quinctio, M. Æmilio, L. Iulio tribunis mil. consularibus, Fidenates legatis Romanorum interfectis ad Lartem Tolumniū Veientium regem defecere. Veientibus arma capiētibus socios se Faliscis adiunxerunt. Itaque insequenti anno A. Cornelius Cossus, re bene gesta, spolia quoque opima de Tolumnio rege à se occiso rettulit. tertio autem anno Fidenates, & Veientes (non enim perducī Falisci potuerunt) cum in agrum Romanum trans Anienem impressionem fecissent, ab A. Seruilio dictatore haud procul Nomento fugati, & Fidenas compulsi, oppidum quoque amiserunt. Inde vsque ad annum c c c x x v i i otium ab Etruria. tum vero rem ita actam prodit Liuius: *Itas aduersus Veientes post diem induciarum rebellantes in insequentem annum C. Seruilio Abala, L. Papiro Mugillano cos. esse dilatas. ne bellum confestim indiceretur, ne de exercitus mitterentur, religionem obstituisse; fetiales prius mittendos ad res repetēdas patres censuisse; nec eorum, cum more patrum iurati repeterent res, verba audita; bellū iussu populi indictum, atque à tribunis militum parum prospere anno insequenti gestum. Cum Fidenates, colonis interfectis, defecissent, M. Æmiliū dictatorem cum magistro equitum A. Cornelio Cosso sexto decimo die oppidum cepisse. & Veientes vicisse, ijsq; postero anno x x annorum inducias datas.* Anno inde c c c x l i x, quia tempus induciarum cum Veienti populo exierat, per legatos, fetialesq; res repeti cœptæ. Veij circunfessi, adeo ut continuandæ obsidionis causa nouo exemplo hibernacula fierent. Venere inde Veientibus auxilio Capenates, & Falisci, quia proximi regione erant, deuictis Veijs, bello quoque se proximos fore credentes. Itaque triplici loco bellum constitit, ad Veios, ad Capenam, ad Falerios. decimo tandem anno M. Camillus in agro Nepefino cum Faliscis, & Capenatibus acie congressus eos fundit, ac castris exiit, Veios cuniculo in urbem acto capit, ac diripit. P. Cornelius Scipio, & Cossus Faliscum bellum, M. Valerius, & Q. Seruilius, tribuni militares consulari potestate, Capenas sortiti, non vrbes vi, aut operibus tentarunt, sed, agro depopulato, & prædis rerum agrestium actis, Capenatem populum subegerunt, ac pacem petentibus dederunt. Deinceps M. Camillus tribunus militum Falerios exemplo iustitiæ memorabili, proditore filiorum magistro in urbem remisso, in fidem recipit. Faliscis pax data. in stipendium militum eius anni pecunia imperata. Ante vero quam Veij caperentur, Tarquinienses arma mouerant, quia multis simul bellis Volscorum ad Anxur, Æquorum ad Lauicos, Veienti, Falisco, & Capenati districtos videbant Romanos. Eos L. Iulius, & A. Postumius tribuni militares prope voluntariorum coacta manu per agrum Cæretem obliquis tramitibus egressi redeuntes à populationibus, grauesq; præda oppresserunt, omnesq; impedimentis exuerunt. Captis autem Veijs anno c c c l x i i i, L. Valerio Potito, M. Manlio Capitolino cos. nouum bellum cum Vulfiniensibus exortum. quò propter famem, & pestilentiam exercitus duci nequiuit. ob quæ Vulfiniensis Salpinatibus adiunctis superbia elati vltro agros Romanos incurfauere. itaque duobus inde populis bello indicto cum Vulfiniensibus pugnatum. fusa primo concursu in fugam acies. octo millia armatorum ab equitibus interclusa positis armis in deditioem venerunt. eius belli fama effecit, ne se pugnae committerent Salpinates. mœnibus armati se tutabantur. Romani prædas passim & ex Salpinati agro, & ex Vulfiniensi, nemine eam vim arcente, egerunt: donec Vulfiniensibus fessis bello, ea conditione, ut res

populo

populo Roma redderent, in viginti annos induciæ data. Postero anno Clusini Gallorum Senonum bello oppressi, quanquam cum Romanis nullum ius societatis, amicitia ve habebant, nisi quòd Veientes consanguineos aduersus populum Roma non defendissent, legatos Romam, auxilium à senatu petitum, misere. de auxilio nihil impetratum. legati missi, qui senatus, populique Roma nomine agerent cum Gallis, ne à quibus nullam iniuriam acciperent, socios populi Roma, atque amicos oppugnarent. Eodemque tempore, recepta è Gallis Roma, cum Cæritibus hospitium publice iunctum inuenio, quòd sacra populi Roma bello Gallico custodierant. post biennium vero, cum ab Etruria prope omni armata Sutrium focij populi Roma esset occupatum, eodem die à Camillo dictatore recuperatur. Deinde exercitus in agrum Tarquiniensium ductus Cortnosam, & Cortenebram oppida cepit. duobus inde post annis, dum Camillus in Volscis rem gerit, legati ab Nepe, & Sutrio auxilium aduersus Etruscos petentes veniunt, breuem occasionem auxiliij ferendi memorantes. Itaque cum ea loca opposita Etruriæ, & velut claustra inde, ac portæ essent, & illis occupandi ea, cum quid noui molirentur, & Romanis recuperandi, tuendique cura erat. Camillus autem à Volscis auersus, Etruscis ab oppugnatione Sutrij depulsis, Nepe, quod per proditionem acceperant, recuperavit. Nepefinorum defectionis auctores securi percussi. innoxia multitudini deditæ res, oppidumque cum præsidio relictum. Pacatæ inde per multos annos res erant in Etruria, cum anno c c c x v i i Tarquinienses populabundi fines Romanos, maxime qua ex parte Etruriam adiacent, peragrauere, rebúsque nequicquam repetitis consules C. Fabius & C. Plautius iussu populi bellum indixere. Fabius incōsulte aduersus Tarquinienses pugnavit. c c c v i milites Romanos captos Tarquinienses immolauerunt. Insequenti anno C. Marcio, Cn. Manlio cos. Falisci hostes exorti duplici crimine, & quòd cum Tarquiniensibus iuuentus eorum militauerat, & quòd eos, qui Falerios profugerant, cum male pugnatum est, repetentibus fetialibus non reddiderant. Manlius, cui ea prouincia euenerat, nihil memorabile gessit. Postero anno, Falisci, Tarquiniensesque M. Fabium Ambustum consulem prima pugna fuderunt. concitatur inde omne nomen Etruscum, & Tarquiniensibus, Faliscisque ducibus ad Salinas perueniunt. aduersus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus ductus, profectus ab vrbe vtraque parte Tiberis ratibus exercitu, quocunque fama hostium ducebat, traiecto, multos populatores agrorum vagos, palantesque oppressit. castra quoque nec opinato aggressus cepit, & v i i i millibus hostium captis, ceteris aut caesis, aut agro Rom. fugatis, sine auctoritate patrum, populi iussu triumphauit. Anno autem c d Tarquiniensium agri à C. Sulpicio consule sunt vastati. deinde multis in acie caesis, ex ceteris captiuis, quorum numerus ingens fuit, c c c l v i i i delecti, ut nobilissimus quisque Romam mitteretur. vulgus aliud trucidatum. nec populus in eos, qui missi Romam erant, mitior fuit. medio in foro omnes virgis caesi, & securi percussi. insequenti deinceps anno in bellum Etruscum intentam ciuitatem, quia Cæritem populum misericordia consanguinitatis Tarquiniensibus adiunctum, fama ferebat, legati Latini ad Volscos conuertere inclinavit deinde pars maior curæ in Etruscum bellum postquam litteris C. Sulpicij consulis, cui Tarquinij prouincia euenerat, cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas salinas, prædæq; partem in Cæritum fines auectam, & haud dubie iuuentutem eius populi inter prædatores fuisse, ex auctoritate patrum, & populi iussu T. Manlius L. F. dictator bellum Cæritibus indixit. Cærites, quam non suarum virium ea dimicatio esset, cernentes, legatos de pace miserunt. ob vetus beneficium, quo bello Gallico sacra Romana pie custodiuerant, pacem impetrarunt. & inducias in centum annos factas in senatusconsultum referri placuit. in Faliscos eodem noxios crimine vis belli conuersa, sed hostes nusquam inuenti. Anno c d i i i terror vanus Etrusci belli, cum coniurasse duodecim populos fama ef-

o ser,

set, dictatorem dici coëgit. dictus in castris C. Julius. postero anno T. Quinctius consul ad Faliscum bellum, C. Sulpicius ad Tarquiniente profecti, nunquam acie congresso hoste, cum agris magis, quam cum hominibus, vrendo, populan dóque gesserunt bella. cuius lentæ tabis senio victa vtriusque populi pertinacia est, vt primum à consulibus, deinde permissu eorum ab senatu inducias peterent. in x l. annos impetrauerunt.

Atque his quidem victoriis nihil aliud effectum est à Romanis, nisi vt partem Etruriæ sibi adiungerent. siquidem Liuius in an ni quadragesimi trigesimi quinti rebus exponendis, vbi de Alexandro Macedonum rege agit, inter socios populi Roma, quibus resisti potuisse Alexandro, si Italiam inuasisset, ait, partem Etruriæ refert. ex quo intelligi licet, reliquos deinde continentibus bellis afflictos in societatem esse ascitos. bella vero hæc gesta accepimus. Primum anno c d x l i i i i omnes Etruriæ populi præter Arretinos ad arma isse dicuntur, ab oppugnando Sutrio, quæ vrbs socia Romanis, velut claustra Etruriæ erat, bellum ingens orsi. Ita non solum ad Sutrium à Q. Aemilio consule cæsi sunt. sed etiam deinceps à Q. Fabio ad Sutrium obsidione liberandum profecto trans Ciminiam siluam tum inuiam fugati, collatis non longe à Perugia signis deuicti. à Perugia Cortona, & Arretio, quæ ferme capita populorum Etruriæ erant, legati pacem à Romanis, fœdusque petentes inducias in triginta annos impetrauerunt. eodemque anno ad Vadimonis lacum cum Etruscis, qui lege sacrata exercitum coëgerant, acerrime dimicatum. fractæ opes, cæsum in acie quod roboris fuit, castra capta, direptaque. quin etiam cum reliquis Etruscorum ad Perusiam, quæ & ipsa induciarum fidem ruperat, idem Fabius nec dubia, nec difficili victoria dimicat. ipsum oppidum (nam ad mœnia victor accessit) cepisset, ni legati dedentes vrbem exissent. Præsidio Perusiæ imposito legationibus Etruriæ amicitiam petentibus præ se Romam ad senatum missis triumphauit. Ita quidem Liuius, nec longe secus Diodorus, Etruscis Sutrium coloniam populi Roma. obsidentes inde à consulibus esse depulsos. eosdem ad Perusiam à Fabio superatos, Fabium multorum cæde facta reliquis terrorem intulisse, cum primus Romanorum in ea loca cum exercitu penetrasset. eundem cum Arretinis, Cortonenisibus, & Perusinis inducias pepigisse, & oppido Castula expugnato Etruscos ab obsidendo Sutrio auocasse. Fabium deinceps P. Decius est consecutus, cui secunda admodum belli fortuna fuit. Tarquiniensem metu subegit frumentum exercitui præbere, atque inducias in x l. annos petere. Vulsinensium castella aliquot vi cepit, quædam ex iis diruit, ne receptaculo hostibus essent, circumferendoque passim bello, tantum terrorem sui fecit, vt nomen omne Etruscum fœdus peteret, de quo tamen nihil impetratum. induciæ annuæ datæ. stipendium exercitui Romano ab hoste in eum annum numeratum, & binæ tunicæ in militem exactæ, ea merces induciarum fuit. Anno inde c d l i i, M. Liuius C. Aemilio cos. Etruriam rebellare, ab Arretinorum seditionibus motu orto, nuntiatum. M. Valerius dictator castra in agrum Rusellanum promouit. prælio commisso, acciserum Etruscorum vires, & pacto annuo stipendio, & duum mensium frumento, permissum ab dictatore, vt de pace legatos mitterent Romam. pax negata. induciæ biennij datæ. Sunt qui (vt ait Liuius) sine vilo memorabili prælio pacatam ab dictatore Etruriam esse, seditionibus tantum Arretinorum compositis scribant. post biennium ab Etruscis aduersus inducias paratum bellum, qui Gallos etiam sibi socios aduersus Romanos adiunxerant, quos M. Valerius consul compressit, vt nemo extra munitiones egredi auderet, timorque ipsorum obsidioni similis esset. Cum autem postero anno L. Scipioni cõsuli ad Volaterras occurrissent, victi abierunt. Romanus vacuis castris potitus in Faliscum agrum copiis reductis cum impedimenta Falernis cum modico præsidio reliquisset, expedito agmine ad populandos hostium fines incedit. omnia ferro, ignique vastata. castellis etiam, vicisque

cisque illatus ignis. Post biennium bellum ingens multis ex gentibus conflatur. cuius auctor Gellius Egnatius ex Samnitibus erat. Tusci fere omnes consciuerant bellum. tacti contagione proximi Etruriæ populi, & Gallica auxilia mercede sollicitata. consules L. Volumnius, & Ap. Claudius in eos profecti commisso prælio castra eorum ceperunt, ac diripuerunt, & septem millia, & trecenta hostium occiderunt. duo millia, & centum viginti ceperunt. Itaque sequentes consules Q. Fabius, & P. Decius ad bellum Etruscum missi, Cn. Fuluius, & L. Postumius Megellus proprætore cum duobus exercitibus haud procul vrbe Etruriæ oppositi, vnus in Falisco, alter in Vaticano agro. Consules ad hostes, transgresso Appennino, in agrum Sentinatem peruenerunt. Fuluius, & Postumius in agrum Clusinum consulum iussu transeuntes Etruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos reuocarunt. Galli, & Samnites à Fabio acie fusi, cum se Decius collega in prælio deuouisset. Cn. Fuluius, præter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnavit etiam egregie. Perusinorum, Clusinorum cæsa amplius tria millia, & signa militaria ad viginti capta. Sunt qui, teste Liuius, pugna in Sentinate agro Tuscos etiam, & Umbros affuisse dicant. Postero anno L. Postumius Megellus consul, in Etruriam traducto exercitu, primum peruastauit Vulsinensium agrum, deinde cum egressis ad tuendos fines haud procul mœnibus ipsorum depugnat. duo millia c c Etruscorum cæsi. ceteros propinquitatis vrbis tutata est. in Rusellanum agrum exercitus traductus. ibi non agri tantum vastati, sed oppidum etiam expugnatum, capta amplius duo millia hominum. minus duo millia circa muros cæsa. tres validissimæ vrbes, Etruriæ capita, Vulsinij, Perugia, Arretium, pacem petiere. & vestimentis militum frumentoque pacti cum consule, vt mitti Romam oratores liceret, inducias in x l. annos impetrauerunt. multa præsens quingentum millium æris in singulas ciuitates imposita. Insequenti anno legati sociorum ex Etruria questi sunt, vri, & vastari agros à finitimis Etruscis, quod desciscere à populo Rom. nollent. allatum est etiam, Faliscos, qui per multos annos in amicitia fuerant, arma Etruscis iunxisse. Faliscis res non reddentibus bellum indictum. Caruilius Trossulum primum oppugnare adortus, quadringentos septuaginta ditissimos pecunia grandi pactos, vt abire inde liceret, dimisit: ceteram multitudinem, oppidumque ipsum vi cepit: inde quinque castella locis sita munitis expugnauit. cæsa ibi hostium duo millia quadringenti. minus duo millia capti. & Faliscis pacem petentibus annuas inducias dedit, pactus centum millia grauis æris, & stipendium eius anni militibus. Sequenti anno Faliscos, Romanorum opibus, vel ob pestilentiam, qua ciuitas laborabat, vel propter consules, quos, vt pacatis temporibus, non ex virtute delegerant, contemptis, mouisse tradit Zonaras; D. Brutum consulem ad eos missum, Faliscis victis, & ipsorum, & aliorum Tuscorum agros esse depopulatum. Extremum inde bellum, quod cum Etruscis internecium sit gestum, anno c d l x x est concitum, cum Galli etiam arma conficiant. Quos omnes ad lacum Vadimonis à P. Dolabella consule occisione esse occisos inuenio apud Eutropium, Florum, & Polybium. Cuius victoriæ mentio quoque vsurpatur in Originum Catonis epitomis, his verbis: *Turrenus, patre Elbio Volturreno, regum Etruscorum vltimo, ad lacum Vadimonis cæso, ad dedendam Urbem Etruriæ anno secundo Olympiadis c x x i i i i alluci potuit, sed ad recipiendas Latinas litteras nunquam persuaderi potuit.* Neque tamen post quieuisse Etruriam, ex bellis apparet, quæ sequentes consules gesserunt, Q. Fabricius Luscinus, Q. Marcius Philippus, & Ti. Coruncanius, quorum illos de Etruscis, hunc de Vulsinensibus, & Vulcientibus triumphasse, scriptum est in fragmentis tabularum Capitolinarum. victoriam autem Coruncanij comprobatur etiam Zonaras, qui eum triennio post in consulatu rem cum Etruscis gessisse, & fœdus cum iis percussisse scribit.

His ergo bellis, cladibusque fractæ tandem, atque euerstæ opes Etruriæ sunt, ipsaque in societatem à Romanis accepta. Quibus vero fœderum conditionibus singuli

populi in amicitiam venerint, quis est tanta ingenij magnitudine præditus, qui amissis earum & rerum, & temporum monumentis, possit aut coniectura consequi, aut omnino diuinatione complecti? non easdem tamen omnibus leges datas esse, cum per se satis intellectu probabile est, tum vero post alio loco apertius ostendatur.

*Dea gro, & fœderibus Campanorum.* CAP. X.



**F**TRVSCIS orientem versus Latini, Latio Campania est adiuncta. Campaniam à Liri amne ad Vulturum, à Vulturno ad Sarnum, inde ad Silarim antiqui produxerunt. quare tres Campaniæ partes institutæ, vna, quam Aufones, Aurunci, Sidicini, & Capuani tenuerunt: altera, quam Cumani, & Opici: tertia, quam Nucerni. Prima ad mare clarissimis his est oppidis frequentata, Sinuessæ, & Vulturno: intus autem Gauro, Massico, & Falerno montibus, Stellate campo, Suessa Aurunca, Calibus, Cassino, Teano Sidicino, Venafro, Calatia, Callicula, Trebula, Casilino cum sylua Gallinaria, & capite ipso regionis Capua. Secunda ad mare Liternum oppidum cum flumine habuit, Cumas, quam in Opicis collocat Dionysius libro primo, Misenum, Baias, sinum Lucrinum, & Auernum, Puteolos, Neapolim, Heracleam, omnia in sinu, qui Crater dicitur, intus Atellam, Abellam, Suessulam, Acerras, mōtem Vesuuium, Nolam, Pompeios. Tertia ad mare oppida habuit Stabias, Surrentum, Mineruæ promontorium, intus Salernum, & Nucerniam. In his Vulturnus amnis ex Venafrano labens per mediam Campaniam Vulturnum oppidum, Casilinum, & Capuam alluit. Liuius Casilinum urbem Vulturno flumine diremptam Falernum à Campano agro diuisisse prodidit. Pompeios alluit Sarnus. Campania ipsa veterum omnium litteris adeo celebrata, ut eorum consensu victus Florus eam omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrimam plagam appellet. *Nihil mollius celo, inquit: nam bis floribus vernat. nihil vberius solo. ideo Liberi Cererisq; certamen dictum. nihil hospitalius mari. hic illi nobiles portus Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baia, Lucrinus, & Auernus. hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus, & pulcherrimus omnium Vesuuius. ad mare vrbes Formia, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneum, Pompeij, & ipsa Caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginēque numerata.*

In hac autem regione res primum geri cœptæ sunt anno vrbis c d x, M. Cornelio, M. Valerio cos. Tum vero Sidicini (hos Ostorum è gente fuisse putat Strabo) armis Samnitium oppressi, cum ad Capuanos se contulissent, bellum excitant, quod cum Samnitibus pro Campanis est gestum, cū Capuani ab iis in agro Sidicino acie fusi ipsi se, urbem, agrōsque in fidem populi Romani dedidissent. Primi autem, qui bellum intulerint, consules fuerunt Valerius, & Cornelius. quorum ille in Campaniam ad montem Gaurum, hic in Samnium ad Saticulam protectus rem bene gessit. prospere etiam ad Suessulam à Valerio tertia pugna certatum. Capuanis, Suessanisq; precantibus datum, ut præsidium eò in hiberna mitteretur, quo Samnitium excursiones arcerentur. Biennio post cum Samnites ic̄to cum Romanis fœdere Sidicinis arma intulissent, Sidicini ad Latinos se contulerunt, qui tum bellum populo Rom. parabant. neque iis armis Campani se abstinere. pugnatū est cum Latinis haud procul radicibus Vesuuij montis, qua via ad Veserim ferebat. fugatus hostium exercitus. Latini ex fuga se Minturnas contulere. castra secundum prælium capta: multiq; viui oppressi, maxime Campani. qui Latinorum fugæ superfuerant, multis itineribus dissipati cum se in vnum conglobassent, Vesciam in urbem se receperunt. Latinis bellum instaurantibus Torquatus consul ad Trifanum (inter Sinuessam, Minturnasque locus est) occurrit, & acie congressus adeo res eorum contriuit, ut ei victorem exercitum ad depopulandos agros ducenti Latini omnes se dederent, deditiōemque eam Campani seque-

rentur.

rentur, Latium, Capuaq; agro muliari. Latinus, & Falernus ager, qui populi Campani fuerat, vsque ad Vulturum flumen plebi Romanæ diuiditur. bina in Latio ingera, terna in Falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis. extra pœnam fœdere Latinorum Laurentes, Campanorumq; equites, quia non descuerant. equitibus Campanis data ciuitas. Vectigal quoque eis Campanus populus iussus pendere in singulos quotannis (fieri autem mille, & sexcenti) denarios nummos quadringenos quinquagenos. Hæc Liuius. Torquatum eundem de Campanis, Sidicinis, & Auruncis triumphasse, scriptum est in Capitolinis triumphalibus tabulis. Campanos enim pro Capuanis veteres vsurparunt. Post autem anno c d x i i i, L. Furio, C. Mænio consulibus, cum de pœna Latinorum, quos consules ad deditiōem subegerant, referretur, de Campanis fociis eorum ita decretum est; *ut Campania equitibus, quia cum Latinis rebellare nolissent, ciuitas sine suffragio daretur, Cumani, Suessulanique eiusdem iuris, conditionisque, cuius Capua, essent.* Postero anno C. Sulpicio, P. Aelio consulibus inter Sidicinos, Auruncosque bellum ortum. Aurunci à Torquato consule in deditiōem accepti, nihil deinde mouerant. eò petendi auxilij à Romanis causa iustior fuit. sed priusquam consules ab vrbe (iussu ferat enim senatus defendi Auruncos) exercitum educerent, fama affertur, Auruncos oppidum deseruisse, profugosque cum coniugibus, & liberis Suessam comisse, quæ post Aurunca appellata, mœnia eorum antiqua, urbemque à Sidicinis deletam. Sequenti anno L. Papirio, K. Duilio consulibus Aufonum magis nouum, quàm magnum bellum excitatum. ea gens Cales urbem incolebat: Sidicinis finitimis arma coniunxerant. vno prælio duorum populorum exercitus fusus. Postero anno M. Valerio Coruo consuli bellum aduersus Calenos decretum. Aufones cum vrbe haud maiori certamine capti, quàm acie fusi erant. Deinde Ti. Veturio, Sp. Postumio consulibus Cales colonia deducta. consules ingressi Sidicinorum fines populando vsque ad mœnia, atque ad urbem peruenerunt. Sequenti vero anno exercitum aduersus Sidicinos missum, Acerranis ciuitatem sine suffragio datam, tradit idem, qui cetera, Liuius. Velleius altero anno, qui fuit Ti. Veturio, Sp. Postumio consulibus, Campanis ciuitatem sine suffragij latione datam prodit. Anno inde c d x x i i, Lentulo, & Philone consulibus Palæpolitani (horum vrbs haud procul inde fuit, vbi deinde fuit Neapolis, quam inter Opicos refert Stephanus) Cumis oriundi Samnitium infida aduersus Romanos locitate freti, siue pestilentia, quæ Romanam ciuitatem adorta nuntiabatur, fidentes multa hostilia aduersus Romanos agrum Campanum, Falernumque incolentes fecerunt. ea causa bellum iis indictum. Nolani Palæpolitani affuerunt. Philoni imminenti hostium muris in alterum annum propagatum imperium est. Palæpolitani se ei dedidere. Nolani ex vrbe Palæpoli Nolam effugerunt. Fœdus cum Neapolitanis ic̄tum. eo enim deinde summa rei Græcorum venit. Anno inde c d x x i x, C. Sulpicius, M. Pœtelius consules ab Sora profecti in agros, atque vrbes Aufonum bellum intulerunt. mota nanque omnia aduentu Samnitium, cum ad Lautulas dimicatum esset, fuerunt; coniurationesque circa Campaniam passim factæ. nec Capua ipsa crimine caruit. At vero gens Aufonum proditiōe vrbium in potestatem venit. Aufona, & Minturnæ, & Vescia vrbes erant, ex quibus principes iuuentutis duodecim numero in proditiōem vrbium suarum coniurati ad consules veniunt. & eos consensisse cum Samnitibus exponunt. admotis castris tria oppida capta, deletaq; Aufonum gens vix certo defectiōis crimine, perinde ac si interneciuo certasset bello. C. Mænius dictator quæstionem de Campanorum coniurationibus habuit. Ita quidem Liuius. At Diodorus Campanos prodit, antequam Samnites prælio victos audissent, defecisse, C. Mænum dictatorem aduersus eos missum, castris non lōge à Capua positis primum decertare acie voluisse, post Samnitium clade accepta, cum Romanis pepigisse defectiōis auctoribus traditis. fœdus antiquum vrbibus esse redditum. Po-

o 3 stero

stero anno, L. Papirio, C. Iunio consulibus, C. Poetelius dictator receptis Fregellis in Campaniam profectus est maxime ad Nolam armis repetendam. Nola siue à dictatore, siue à C. Iunio consule (nam vtrunque teste Liuius traditur) capta est. Qui captam Nolam à consule produnt, adiiciunt, Atinam, & Calatiam ab eodem captas. Suesſa tum Auruncorum colonia deducta. Post triennium Q. Fabio, C. Marcio consulibus classis Romana, vt scribit Liuius, à P. Cornelio maritimæ oræ præfecto in Campaniam acta, cum appulsa Pompeios esset, socij inde nauales ad depopulandum agrum Nucerinū profecti, proximis raptim vastatis, vnde reditus tutus ad naues esset, dulcedine, vt fit, prædæ longius progressi exciuerunt hostes. palatis per agros nemo obuius fuit, cum occisione occidi possent. redeuntes agmine incauto haud procul nauibus affecuti agrestes exuerunt prædæ, partim etiam occiderunt. quæ superfuit cædi, trepida multitudo ad naues compulsæ est. Post quinquennium autem L. Postumio, Ti. Minucio consulibus Samnites Stellatem campum agri Campani, vt ait Liuius, Falernum, vt scribit Diodorus, populati sunt. anno autem C D L V I I Samnites per Vesinos in Campaniam, Falernumque agrum transcendunt, ingentisque prædas faciunt. L. Volumnius consul in Calenum agrum veniens populantes repressit. de præsidio regionis depopulatæ à Samnitibus agitatum. Itaq; placuit, vt duæ coloniæ circa Vesinum, & Falernum agrum deducerentur. vna ad ostium Liris fluuij, quæ Minturnæ appellata, altera in saltu Vesino Falernum contingente agrum, vbi Synope dicitur Græca vrbs fuisse, Sinuesæ deinde ab colonis appellata.

Hæc fere in Campania gesta cõperio. ex quibus intelligi potest, Campaniæ populos omnes, sed alios alio bello ac fœdere, in societatem à Romanis esse acceptos. vnde eosdem videmus postea Pyrrhi bello, tanquam populi Rom. socios arma aduersus eum cepisse, ac pro Romanis stetisse. De fœdere autem, & ciuitate Capuanis data sic loquitur apud Liuium C. Varro consul ex Cannensi clade doloris, ac lacrymarum plenus ad Campanos: *Vobis fœdus æquum, & leges nostras, & magna parti vestrum ciuitatem dedimus, communicauimusq; vobiscum.* & Regulus, qui eodem tempore in senatu dixit: *Per senatum agi de Campanis, qui ciues Rom. sunt, iniussu populi non video posse.* Tum vero regionem Campaniæ tertiam, quæ inter Sarnum, & Silarim est interiecta, Picentiorum factam esse, facile crediderim. siquidem scriptum est in cõmentariis Strabonis, aliquot ex Picentibus iis, qui Hadriam oppidum tenebant, à Romanis in hæc loca traductos omnia vsque ad Silarim, antiquæ Campaniæ finem, infedis. vnde illud etiam extitit Plinij, *A Surrento ad Silarim annuum xxx millia passuum agrum Picentinum fuisse, intus oppidum Salerni, & Picentiam.*

*De agro, & fœderibus Lucanorum.*

CAP. XI.



**L**ND E à Silari ad Laum flumen tenuerunt Lucani ad mare Pæstum, siue Posidoniam, Palinurum, Veliam, & Buxentum. intus autem Volscos, Compſam, Potentiam, Blandam, Grumentum, & Lucaniæ caput Poeteliam. Atque hæc quidem Strabo, & Ptolemæus. neque vero longe aliter Plinius. *A Silaro, inquit, ager Lucanus incipit, oppida Pæstum, Græce Posidonia, sinus Pæstanus, oppidum Hælia, quæ nunc Velia, promontorium Palinurum, flumen Melpbes, oppidum Buxentum, Laus amnis.* Idem mediterraneos Lucanorum nominat Asinates Bantinos, Ebuiños, Grumentinos, Potentinos, Sontinos, Sirinos, Tergilanos, Vrsentinos, Volcetanos, quibus Numestranos iungit: præterea Thebas Lucanas interisse, Catone auctore, prodit, & Pandosiam, Theopompo.

Ceterum Lucani Poetelio, & Papirio cos. qui fuit annus ab ortu vrbs CDXXXVII, cum ad eam diem nihil rei cum populo Roma. habuissent, in fidem venerunt, arma, virisque ad bellum pollicentes. fœdere ergo in amicitiam accepti. quod cum eodem anno rupissent, factum est, vt anno C D XXXVI Apulia perdomita

in

in eos sit perrectum, vnde, vt ait Liuius, repentino aduentu Q. Æmilij consulis Nerulum vi captum. Post autem cum anno C D L V oratores Lucanorum ad consules L. Cornelium, Cn. Fuluium venissent; questum, quia conditionibus se perlicere nequiverint ad societatem armorum, Samnites infesto exercitu ingressos fines suos vastare, belloq; ad bellum cogere; iidemq; adderent, sibi satis superq; erratum quondam, nunc ita obstinatos animos esse, vt omnia ferre, ac pati tolerabilius ducant, quam vt vnquam postea nomen Romanum violent; orarent autem patres, vt & Lucanos in fidem acciperent, & vim, atque iniuriam ab se Samnitium arcerent, decreuit senatus, vt cum Lucano populo fœdus iungeretur. in quo mansisse videntur vsque ad annum C D L X I I I, quo cum Samnitibus, & Bruttis, & Tarëtinis tum populi Rom. hostibus iunctis armis pluribus à Romanis proeliis victi sunt. triumpharunt de iis consules M. Curius anno C D L X I I, C. Fabricius anno C D L X V. Postero anno C. Iunius Brutus, insequenti Q. Fabius Gurges, deinceps L. Lentulus, & C. Claudius Canina, & demum anno C D L X X X I Sp. Caruilus, & L. Papirius.

Quo anno Lucanis, & sociis eorum pacem datam esse facile adducor, vt credam. Fœderis tamen conditiones vnà cum rebus eorum gestis obscuratæ prorsus euauerunt.

*De agro Bruttio, Messapio, & Sallentino, & fœderibus Bruttiorum, Messapiorum, & Sallentinorum.* CAP. XII.



**L**V CANIAM regio attingit ea, quam Græci infederunt. ea in tres partes diuisa est, Bruttios, Messapios, & Sallentinos. Bruttij Græcis expulsis occuparunt eam partem, quæ quõdam Oenotriæ nomen tulit à Lao flumine vsque ad Metapontum oppidum, sicuti Strabo ex Antiochi sententia tradit. Nam ab antiquis Oenotros, & Italos solos vocatos ait, qui Isthmum habitarent; Isthmum autem esse, quidquid agrorum inter duos sinus includeretur, à Tirreno mari Hipponiatem, siue Napitinum, à Siculo Scyllaticum. Deinceps occurrit regio quæ Isthmo est inclusa à Tarento ad Brundisium, quam Messapiam, & Iapygiam, & Calabriam, & Sallentinam variis nominibus signarunt. quanquam alij in duas eam partes distribuerunt, teste Strabone, vnam in qua Tarentum, quam Calabriam, & Messapiam; alteram, in qua Brundisium, quam Sallentinos, siue vltimam Iapygiam appellarunt.

Bruttios narrat Diodorus M. Popillio Lænate, & Cn. Manlio Imperiosso cos. an. vrbs C C X C V, primum in his regionibus apparuisse, homines agrestes, & fugitivos, atque propterea domestica eorum locorum lingua Bruttios appellatos. occupasse autem eos Terinam, Hipponem, Thurios, aliaq; oppida complura, ac reip. genus ab aliis separatam instituisse. Crotonem quidem etiam Græcis à Bruttis esse ademptum, inuenio in Liuiana historia, in qua eadem Rhegini, qui Bruttij erant, Græci appellantur. Quod si veros Bruttiorum fines assignauimus, profecto vere etiam traditum est, maritima eorum fuisse Tempſam, Terinam, Metaurum fluuium, Scylæum promontorium, Rhegium, Leucopetram, Herculeum promontorium, Alecem flumen Rheginorum agrum dirimens à Locrensi, Locros, Caulonē, Scyllacium, Lacinium, Crotonem, Sybarim, Thurias, Legariam, Acirim, & Sirim flumina, postremo Metapontum, intus Numistrum, Consentiam, Hipponem, Heracleā, quæ & Siris vocata, & vt placet Straboni, Pandosiam. Nam in altera regione flumē fuit Galeſus, Tarentum, Gallipolis, Iapygium promontorium, in quo Leuca, Hydruntum, & Brundisium. Qua de regione ita video scripsisse Plinium: *Latitudo peninsula à Tarento Brundisium terreno itinere xxxii millia passuum patet, multoq; breuius à porta Sasina. oppida per continentem à Tarento Vria, Messapia, Aletium.*

o 4

in ora

in ora vero Senonum Gallipolis, quæ nunc est Anxa, LXII millia passuum à Tarento. inde XXXII millia passuum promontorium, quod Acram Iapygiam vocant. ab eo Basta oppidum, & Hydruntum. quæ in Græciam breuissimus transitus. ab Hydrunte Soletum, dein Fratuertium, portus Tarentinus. statio militum, Lupia, Balesium, Corliam, Brundisium, L millia passuum ab Hydrunte. His adde mediterranea Manduriam, Rhudias, Vxentum, & Neritum. Vretum sunt qui idem esse putent cum Vtia, Aletium cum Lupiis. Plinius quidquid esset à Locris vsque ad Tarentum Magnâ Græciam vocitatum scripsit.

Ac qui res quidem cum his populis gestas memoriæ mandarit, ex veteribus extat nemo: quantum autem ex iis, quæ habemus, monumentis colligi suspicione potest, cum Tarentinis ante bellum, quàm cum ceteris, est initum, an. vr̄bis C D LXXII, cum illi classem Romanam diripuissent, & legatos Romanorum, qui ea de re missi fuerant questum, contumeliis affecissent. Bellum autem, cum Pyrrhi Epirotarum regis, & Bruttiorum, ac Lucanorum, & Samnitum societate opes suas firmassent, in decimum vsque annum est protractum, Sp. Caruilius, L. Papirius cos. quo anno Tarento à Romanis capto Tarentinis pax, & libertas est concessa. Triumpharunt de Tarentinis, & Bruttiis C. Fabricius anno C D LXXV, C. Iunius C D LXXVI, Q. Fabius Gurges C D LXXVII, triennio post C. Claudius, de vtrisque Sp. Caruilius, & L. Papirius anno C D LXXXI. quemadmodum à me pluribus verbis in factorum consularium commentariis est demonstratum. Bruttiis Hipponem esse ademptum Strabo, Crotonem Liuius, Tarentinos fœderatos esse dimissos, Zonaras memoriæ prodiderunt.

In numerum autem fœderatorum Bruttios quoque existimo referendos. siquidem de ambobus ita apud Liuium loquitur Minio Antiochi regis legatus: *Quid magis Smyrnæi, Lampsaceniq; Græci sunt, quàm Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naues ex fœdere exigitis?* cui respondit P. Sulpicius imperator: *Ab Rheginis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem vno, & perpetuo tenore iuris semper vsurpato, nunquam intermissis, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Cum Heraclea vero Pyrrhi bello fœdus æquissimum ictum esse scripsit Cicero in oratione pro Balbo, ad quam Heracleam pulsos à Pyrrho fuisse Romanos legitimus. quibus ex verbis forma fœderum data satis, vt puto, perspicue perspicitur potest.

Sallentinis autem anno C D LXXXVI, M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone consulibus arma primum sunt illata. Zonaras Calabriae bellum indictum scribit, cum crimini darent, quod Pyrrhum regem recepissent, & sociorum suorum agros populabundi inissent, re autem vera quod Brundisiam sibi urbem adiungere cuperent propter portus oportunitatem. inde enim in Illyricum, & Græciam facile traicci poterat, quod eodem vento & soluere, & redire liceret. Eutropius his item consulibus bellum cum Sallentinis susceptum scribit, captosq; esse cum ciuitate simul Brundisinos. idem est in Flori historia. Ambos autem consules de Sallentinis triumphasse tabulæ Capitolinæ demonstrant. Cum Sallentinis porro simul etiam Messapios esse domitos, indicant aperte triumpho consulibus D. Iunij Peræ, & N. Fabij Pictoris, in sequenti anno de Sallentinis, & Messapiis acti. quos eisdem in iis, quas commemorauimus, tabulis descriptos videmus. Nec de his aliud quidquam comperti habemus.

*De agro, & fœderibus Apulorum.* CAP. XIII.



OST Sallentinos Apuli à Brundisio ad amnem Fiternum agrum tenuerunt. Et horum autem duo apud veteres genera fuisse inuenio, vnum, quos Peucetios, & Iapygas, & Pediculos vocarunt, alterum, quos Daunios, & Mesfapygas. Peucetiorum ad mare fuerunt Egnatia, Barium, Aufidus amnis. Dauniorum Salapia, Sipus, Apeneste, Garganus mons, Hyrium, inde Fiternus. illorum mediterranea Venusia, Cælia, horum Teanum cognomine Apulum, Luceria, Vidarnum, Arpi,

Arpi, Canusium. Quod cum testimonio Ptolemæi certum habemus, tum vero etiâ Plinij, cuius placet illustrandi huius studij gratia, ipsa quoque hac de regione verba recitare: *Brundisio, inquit, conterminus Pediculorum ager. quorum oppida Rhudia, Egnatia, Barion. amnes Pactius, Aufidus ex Hirpinis montibus Canusium præfluens. hinc Apulia Dauniorum. in qua oppidum Salapia, Sipontum, Vria, amnis Cerbalus Dauniorum finis, portus Agasus, promontorium montis Gargani, portus Gargana, lacus Pantanus, flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemq; Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. inde regio Frentana. ita Apulorum genera tria, Teani à duce Gares, Lucani subacti à Calchante, quæ loca nunc tenent Atinates. Dauniorum præter supra dicta colonia Luceria, Venusia, oppida Canusium, Arpi.* Hæc ille. Adicit Strabo, qui finem ad montem Garganum accolerent, proprio nomine Apulos appellatos.

Sed de Apulorum agro satis, nunc de fœderibus. Apuli, quod extat in annalibus Liuij, anno vr̄bis C D XXVII amicitiam petentes, eodem, quo Lucani, fœdere in amicitiam sunt suscepti. bellum autem post triennium commouerunt C. Sulpicio, Q. Aulio consulibus. Itaque sequenti anno Q. Fabius Maximus cōsul in Apuliam progressus, maximas inde prædas egit: deinde C. Publilius biennio post ad peragranda Apuliam profectus aliquot expeditione vna populos aut vi subegit, aut conditionibus in societatem accepit. L. Papirius Cursor, collega eius Luceriam, quam Samnites tenebant, pressit. biennio post Teanenses, & Canusini populationibus fessi obsidibus L. Plautio consuli datis in deditioem venerunt. Diodorus tum regionem omnem Dauniorum Apulorum populatam, & Canusinos in fidem acceptos scribit. *Inclinatis, vt placet Liuius, in Apulia rebus Teanenses quoque Apuli ad novos consules C. Iunium Bubulcum, C. Aemilium Barbulam fœdus petitum venerunt. Pacis per omnem Apuliam præstandæ populo Rom. auctores. id audacter spondendo, impetrauerunt, vt fœdus daretur, neque vt æquo tamen fœdere, sed vt in ditione populi Rom. essent. Apulia perdomita (nam Frento quoque valido oppido Iunius potitus erat) in Lucanos perrectum.* nec de Apuliæ rebus quidquam aliud scriptum inuenimus. Addit Diodorus, sequentes consules, Sp. Nautium, & M. Popillium Ferentum urbem Apuliæ vi cepisse. qui vero Nuceriam Alphenatam colebant, à Romana societate ad Samnites defecisse. anno vero C D XLVIII L. Postumium, Ti. Minucium consules adductis in Iapygiam legionibus Siluium oppidum obsidione cum hominum amplius quinque millibus in potestatem redegit. Quibus ex rebus quid aliud colligitur, quàm Apulos alios aliis conditionibus ad societatem Romanorum esse adductos? quarum monumenta certa in litteris nulla extant.

*De agro, & fœdere Frentanorum.* CAP. XIII.



OST flumen Fiternum, quod Apulis obiici diximus, sequuntur ad mare Frentani vsque ad Aternum amnem, à quo inde Picentes sunt. adeo vt inter Apulos, & Picentes nulli alij populi sint interiecti, quàm Frentani. Hoc & Mela ostendit, qui hos populos ita enumerat, vt post Daunios continenter Frentanos collocet, post Frentanos Picentes; & Plinius, qui ita scribit: *Flumen portuosum Frento, Teanum Apulorum, itemq; Larinum, Cliternia, Tifernus amnis. inde regio Frentana.* & alio loco: *In ora Frentanorum à Tiferno flumen Trinium portuosum. oppida Histonium, Buca, Ortona, Aternus amnis. intus Anxatini, cognomine Frentani, Carentini supernates, & infernates, Lanuenses.* Strabo quoque Aternum Picentibus esse finitimum scribit. Ptolemæus item Frentanorum maritimam numerat Bucam, & Histonium, mediterranea vero Anxanum, & Larinum. vnde inquit Cæsar, bello ciuili se Corfinio per fines Marrucinarum, Frentanorum Larianum

natum in Apuliam contendisse. Pari modo Strabo citra Aternum collocat Ortorem Frentanorum nauale, & Bucam item Frentanorum, quam Teano Apulo ait esse proximam.

Maneat ergo hoc, inter Apulos, & Picentes solos fuisse Frentanos. de quorum foederibus vix quid scribam habeo. Illud enim tantummodo extat apud Liuium, Q. Aulium consulem anno CDXXXIII vno secundo proelio cum Frentanis debellasse. anno vero CDVII Frentanos Aequorum clade commotos legatos Romanam de pace, & amicitia misisse, iisque foedus petentibus datum esse. vnde post Pyrrhi bello Frentani, ut socij Romanis affuerunt. siquidem eo bello Frentanae turmae praefectus egregie se gessisse commemoratur a Floro, & bello Gallico Cisalpino inter cetera Italicorum auxilia, etiam Frentanorum a Polybio numerantur.

De agro Piceno, & foederibus Picentum. CAP. XV.



**V**LTIMI tum Italiae erant Picentes, qui deinceps oram tenebant ab Aterno amne ad Aesim. in qua oppida veterum scriptorum testimonio celebrata sunt, Castrum, Cupra maritima, Trumentum, Numana, Ancona; intus vero Septempeda, Cupra montana, Firmum, & Asculum vtrunque cognomine Picenum, Hadria; inde Matrinus amnis, Auximum, Iguium, Prauentia. Plinius Praetutianam regionem modo cum Piceno coniunctam, modo ab eo separatam significat, cum de Piceno ita loquitur: *Picentes tenuere ab Aterno amne, ubi nunc ager Hadrianus, & Hadria colonia a mari septem millia passuum. flumen Vomanum, ager Praetutianus, Palmensisq;* item *Castrum nouum, flumen Batinum, Truentum cum amne. Flumina Albulates, Suinum, Heluinum, quo finitur Praetutiana regio, & Picentum incipit, Cupra oppidum, Castellum Firmanorum, & super id colonia Asculum, intus Nouana, in ora Cluana, Potentia, Numana, Ancona. intus Auximates, Veragrani, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani, Falerienses, Pausulani, Plenienses, Ricinenses, Septempedani, Tollentimates, Triacenses, vrbs Saluia, Pollentini.* Stephanus item Praetutianum agrum non procul ab Hadria locat. vnde Annibalem narrat Polybius, itemq; Liuius Hadrianum, Praetutianumq; agrum, inde Marfos, & Marrucinos, Pelignosq; deuastasse. Praetutianis oppida Beretram, & Interamnam assignat Ptolemaeus. Inuenio praeterea apud Strabonem, Picentes agros habitasse a montibus vsque ad mare in longitudinem, quam in latitudinem ampliores: latitudinem autem a montibus ad mare interuallis fuisse disparibus, longitudinem vero centum millium passuum.

Iam vero cum Picentibus anno CDLII T. Manlio Torquato, M. Fulvio Patino cos. foedus primum ictum esse, apud Liuium scriptum est his verbis: *Roma terrorem praebuit fama Gallici tumultus ad bellum Etruscum adiecti. & minus cunctanter foedus ictum cum Picenti populo est.* & paullo post: *Cum Etruscum bellum segnius opinione esset, alterius belli fama Picentium nouorum sociorum indicio exorta est; Samnites arma, & rebellionem spectare, seq; ab eis sollicitatos esse. Picentibus gratia acta.* Mansisse autem eos in hoc foedere vsque ad annum vrbis CDLXXIII inde licet suspicari, quod eo demum anno Q. Ogulnio Gallo, Q. Fabio Pictore consulibus Picentes bellum commouisse, & ab insequentibus cos. P. Sempronio, Ap. Claudio victos esse, tradidit Eutropius. Quo de bello non est alienum Orosij verba, quando Liuiana amissimus, recitare. *Sempronius consul aduersus Picentes duxit exercitum. & cum directe intra iactum teli vtraque acies constitisset, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, ut stuporem miraculi vtrunque pauesactum agmen hebesceret. diu attoniti vtrique populi haesitauerunt. praedudicata incepti conscientia tandem procursum concito iniere certamen. Romani, qui admodum pauci eo proelio remanserunt, vicerunt.* Idem autem in Flori est scriptum historia: *Domiti sunt post Tarentinos Picentes, & caput gentis*

*gentis Asculum Sempronio duce. qui tremente interpretum campo Tellurem deam promissa ade placauit.*

His etiam victis pacem hoc tempore datam esse inuenio in epitoma Liuianorum. verum quibus conditionibus parum compertum habeo, agris autem multatos eos, inde facile conici potest, quod C. Flaminius tribunus pl. anno DXXXV legem tulit, quod extat apud Ciceronem in Catone, de agro Piceno viritim diuidendo, & quod Firmum, & Hadriam in eorum agrum colonos tum Romani deduxerint. Hic autem ager fortasse ille fuit, vnde dimoti Picentes illi feruntur, qui a Romanis in Campaniam, quae est inter Sarnum, & Silarim, sunt traducti, ac Picentini, teste Strabone, postea, ut supra diximus, appellati.

De agro Gallico, & Gallis Senonibus. CAP. XVI.




**E**RAT ergo, ut dixi, non Picentum solum, sed etiam Italicorum terminus Aesim. vltra Aesim enim tenuerunt Galli Senones, ut opinor vsque ad Vitim. Hanc regionem, ut ex Catonis, & Plinij perspicui monumentis potest, primi coluere Liburni, & Siculi, quos expulere Umbri, quos Etrusci. Post Senones ex transalpina profecti Gallia in his locis, Tuscis exactis, confederunt. quod intellexit libro quinto Liuius, cum dixit, Senones recentissimos omnium Gallorum, qui in Italiam trascenderint, ab Vite ad Aesim fines habuisse. Itaque haec regio ab iis Senogallia, Catone teste, est appellata. in qua haec oppida floruerunt, Sena, Fanum Fortunae, Pisaurum, & Ariminum; flumina vero Metaurum, Crustumium, & Ariminum.

Hi sunt, qui, ut scriptum est apud Polybium, vna cum Gestatis Gallis Roman quondam praeter Capitolium captam incenderunt, atque terroris semper, ubi mouerunt, (mouerunt autem saepissime) populo Rom. tantum intulerunt, ut in lege de vacatione militiae, quae senibus, & sacerdotibus permittebatur, illud ascriberetur, nisi si tumultus Gallicus exciteretur, cuius rei Appianus libro secundo, & Plutarchus in Camillo meminerunt. Qui quanquam a Romanis longius, quam Picentes aberant, tamen ante in ditionem, quam Picentes, venerunt, cum manentibus in antiquo foedere Picentibus vltro populo Rom. arma saepius intulissent. Nam cum anno CCCXLIII fufis ad Alliam amnem Romanis urbem ipsam primo impetu cepissent, atque inde a M. Camillo dictatore exacti, atque occisione occisi essent, tanta tamen cladis oblitus, anno CCCLXXXVI reuersi iterum in Albano agro ab eodem Camillo dictatore, & post anno CCCXCII a T. Quintio Capitolino ad tertium lapidem Salaria via castra habente, tertium ad Anienem amnem vinci voluerunt. quo in bello T. Manlius, prouocatore Gallo occiso, actorque, quem ei detraxerat, sibi imposito, Torquati cognomen inuenit. Neque vero post triumphorum Gallicorum materia defuit, siquidem & sequenti anno C. Poetelius consul, cum ad portam Collinam armati steterint, & tertio post anno, cum Praeneste venissent, atque inde circa Pedum confedissent, C. Sulpicius dictator, & anno CDIII, cum in agro Latino castra posuissent, M. Popilius Laenas eos proelio deuicerunt. quin etiam L. Furius Camillus, Camilli dictatoris filius, consul postero anno, paternis auspiciis eosdem in agro Pomptino proelio fufos in Apuliam compulit, quo tempore M. Valerius pugna cum altero Gallo Romanos milites per contumeliam ad singulare certamen vocante commissa, ex corui alitis Galli os in pugna lacerantis omine Corui sibi cognomen peperit. Post autem cum aliquot annos quieuisent, ac pene priorum immemores facti malorum, Etruscis se, & Umbri, & Samnitibus tum Romanorum hostibus infestissimis adiunxissent, a Q. Fabio Maximo quinto consule anno CDLVII, in Sentinati agro acie fusi sunt. quo in proelio P. Decius Fabij collega se pro salute populi Rom. exemplum patris imitatus deuouit. Postremo vero,

mo vero, cum anno c d l x x inita cum Lucanis, Brutiis, Samnitibus, & Etruscis societate, bellum grauissimum intulissent, atque Arretium Etruriæ oppidum, quod in societate populi Rom. perstabat, obsiderent, Romanos occurrentes, primum L. Cæcilio imperatore exuerunt, atque acie pepulerunt, post ab iisdem nouo delectu in fines suos eo vsque bello Romano intactos irrumpentibus magno prælio victi, ac profligati sunt. Qua clade finitimi Galli Boij perterriti ( ij trans Rubiconem confederant ) cum Etruscis in auxilium aduocatis, exercitum aduersus Romanos adduxissent, à P. Dolabella consule ad lacum Vadimonis in Etruria superati, vix domum incolumes reuerterunt. Atque hæc quidem hoc modo Polybius. Nam Florus non Boios, sed Senones ad Vadimonem deletos prodit, his verbis: *Post aliquot annos omnes reliquias Senonum ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit. ne quis extaret in ea gente, qui incensam à se Romam gloriaretur.* Pulsos autem ex agris Senones, & ciues Romanos eò esse translatos, multis mihi argumentis, ac coniecturis est persuasum. primum quòd video Catonem, vt scriptum est apud Plinium, memoriæ prodidisse, in hoc tractu Senones, qui Romam incenderant, funditus interiisse, deinde, quòd colonias duas in eorum agro à Romanis collocatas intueor, Senam quidem pulsam statim Gallis, vt ait Polybius, Ariminum vero anno c d l x x v, P. Sempronio, & Ap. Claudio cos. Huc accedit, quòd rogante Caio, de quo dixi, Flaminio tribuno pl. anno d x x i latum est ad plebem de agro Gallico cis Ariminum diuidendo, & quòd post annos duodecim idem C. Flaminius censor viam Flaminiam muniuit, testibus Liuius, Cassiodoro, & Festo, quæ à Roma Ariminum est perducta. Nam quid dicam, vt inde hæc regio Togata Gallia nominata sit, nimirum à togæ vsu, qui ciuium Romanorum fuit præcipuus?

Cum autem hanc regionem Romani reliquo iuri Italiæ adiunxissent, placuit, vt Italiæ, quæ eo vsque Æsi flumine septa fuerat, vsque ad Rubiconem produceretur, id quod ex Strabone cognosci facile potest, qui ante Æsim, post Rubiconem Italiæ terminos fuisse memoriæ prodidit. Quin etiam post omni prorsus Galliæ, Gallorumq; nomine extincto eandem propter affinitatem esse Vmbriæ attributâ, facile crediderim. siquidem video Strabonem Vmbriam Æsi, & Rubicone fluminibus, Ancone, & Arimino oppidis terminasse, atque in ea Ariminum, Senam, Fanum, & Metaurum, quæ Senonum ante ad mare fuerant, numerasse; & Valerium Aedrubaem à Nerone, & Salinatorem in Vmbria interfectum tradere, quos ad Senam, & Metaurum pugnasse, inter omnes constat. Quæ autem iis, qui in his collocati sunt sedibus, præcipuæ fœderum cõditiones sint datæ, nondum assequi potui:

*De agro, & fœderibus Vmbrorum. CAP. XVII.*



**H**ACTENVS eos populos persecuti sumus, qui oram Italiæ insederunt, ac siue Tuscum, siue Siculum, siue Ionium, siue Adriaticum mare attigerunt. reliquum est, vt deinceps disputationem ad eos exponendos, qui mediterranea Italiæ tenuerint, conferamus; primi autem citra Rubiconem fuerunt Vmbri. quos cum Sempronius à fontibus Tiberis vsque ad Narem flumen perducit, antiquiorum videtur habere rationem temporum; cum Strabo ab Arimino ad Ocriculos, recentiorum, quibus ager Gallicus Vmbriæ est, vt diximus, attributus. Horum ergo oppida fuisse feruntur Ocriculi, Nequinum, siue Narnia, Mæruania, Fulginum, Nuceria, Interamina, Spoletium, Æsim, Camarinum, Ameria, Fuder, Hispellum, Vrbinum, Arna, Sentinum, Saffina, quod veterum Strabonis, Plinij, Ptolemæi, Silij testimonio confirmare, non puto esse necesse.

Vmbros primùm populi Romani socios à Liuius inuenio dici. anno. c d x x i i i i i, dum comparans Alexandri Magni vires cum viribus populi Rom. omnem Campaniam cum Vmbria pro Romanis aduersus Alexandrum pugnaturam fuisse ait.

Ceterum

Ceterum hi primi annos post nouem bello se Romano implicuerunt, tum cū Q. Fabius Maximus consul iterum Etruscorum exercitum infecutus trans Ciminiam siluam penetrauit. Cum Camertibus amicitia est inita. reliqui fusi potius, quàm cæsi. neque enim cœptam acriter tolerarunt pugnam. post autem cum iidem repente defecissent, prælio ab eodem in tertio consulatu deuicti, se dederunt. Ocriculani sponfione in amicitiam accepti. Post autem cum Nequinatibus quoque, & cum Saffinatibus pugnatum est. cum Nequinatibus anno c d l i i i ab Q. Appuleio consule, qui Nequinum oppidum circumfedit, & sequenti anno à M. Fulvio Patino qui illud cepit colonia eo à pop. Ro. deducta, ac Narnia à Nare flumine appellata. cum Saffinatibus autem anno c d l x x v i i, quod & epitomæ Liuianæ testantur, & triumpho consulum Capitolini, D. Iunij Peræ, & N. Fabij Pictoris.

Quæ autem societatis fœdera acceperint, ea post vsque ad extremum perpetuo tenore vsurparunt. quæ tamen ea fuerint, parum explicatum est. illud minime dubium, non eadem omnibus fœdera esse concessa.

*De agro Sabino, & fœderibus Sabinorum. CAP. XVIII.*

**D**EINDE sequuntur Sabini inter Vmbros ab occidente, & Latinos ab oriente siti. etenim quidquid agri inter Narem, & Anienem flumina contineretur, id totum Sabinorum fuisse quibusdam è veteribus video placuisse. Strabo eos angustum agrum illum quidem incoluisse scribit, sed in longitudinem porrectum à Tiberi fluuio, & Nomento oppido per centum viginti quinque millia passuum vsque ad Vestinos. Quem agrum tradit Dionysius libro primo ex sententia Catonis x x x v millia passuum à mari Adriatico abfuisse, x x x à Tyrrheno, in longitudinem vero paulo minus c x x v millibus passuum patuisse. Florus autem hunc vsque ad Adriaticum fere mare peruenisse ostendit, cum scripsit, Curium omnem eum tractum, qua Nar ambit, fontisque Velini Adriatico tenus mari igne, ferroque vastasse. Atque huc eundem agrum Strabo alio loco inter Latinum & Vmbros vsque ad Samniticos montes concludit. Dionysius libro quinto historiarum Anienem amnem ex Tiburtinis montibus per campos Sabinorum, & Romanorum deferri, atque vtrumque agrum determinare memoriæ prodidit. Addit Plinius, Tiberim citra x i i millia passuum vrbis Veientem agrum à Crustumino, ac Fidenate, vt Latinum à Vaticano dirimere. Sabinorum oppida numerat Strabo Nomentum, Amiternum, Interocream, Reate, Forulos, Cures, Treburam, Eretram; Plinius Amiterninos, Curenfes, Fidenates, Interamnates, Nursinos, Nomentanos, Reatinos, Trebulanos, qui cognominentur Mutuscæi, & qui Suffenates, Tarrinates. quo de agro Silius vbi de Nerone Sabino:

*Hunc Amiterna cohors, & Baetris nomina ducens  
Casperula, hunc Foruli, magna Reate dicatum  
Caliculum matri, nec non habitata pruinis  
Nursia, & Tetrica comitantur rupe cohortes.*

Hoc etiam terrarum in spatio fuerunt Crustumerium, Cænina, Antemna, & Collatia, quæ vna cum Nomento, & Fidenis aliquando ad Latinos referuntur. vnde illud extitit apud Virgilium de Albanis regibus.

*Hi tibi Nomentum, & Gabios, vrbemque Fidenam,  
Hi Collatinas imponent montibus arces.*

& Liuius de Priscis Latinis scribens, capta à Prisco rege ait Nomentum, & Crustumerium. His adde Regillum oppidum, vnde Claudij Romam commigrarunt. Trebulæ Mutuscæ, vnde Trebulani Mutuscæi apud Plinium, meminit Obsequens, Suffenæ Dionysius.

Agro Sabino cognito dicendum est de fœderibus eorum. Vt autem Sabini cum

Romanis primi armorum contentione decertarunt, sic primi etiam se cum iis foedere obstrinxerunt. Nam Crustum erium, Antemnæ, & Cænina in regione Sabinorum fuerunt, sed bellum seorsum à reliquis Sabinis, quorum principes Curense, & rex eorum T. Tatius fuit, Romulo regi fecerunt, ut raptas repeterent virgines, & acceptam in vrbe per speciem amicitiae vlcisceretur iniuriam. Narrat Plutarchus, Romulo Sabinos ad societatem vocante Acronem Cæninensium regem, reliquis cunctantibus arma mouisse: eo victo Antemnates, & Crustum erinos, dum alij se compararent, facta conspiratione, aduersus Romanos exercitum adduxisse. quos cum reliqui Sabini fufos, luperatósque moleste ferrent, T. Tatiú Curensum regem imperatorem delegisse. Atque hos quidem postea reconciliatis inter pugnandum animis, ac foedere icto, in amicitiam, & in ciuitatem à Romulo esse susceptos constat. Tullus inde Hostilius cum Sabinis bellum suscepit, cum vtrunque iniuriæ factæ, ac res nequicquam essent repetitæ. Qui haud parú memores, suarum viri: n partem Romam ab T. Tatio rege fuisse translata, ad Veientes cum confugissent, ad siluam Malitiosam acie congressi profligantur. id quod prodidit memoriae T. Liuius, deinde eosdem ab Anco Marcio rege, cum à populationibus bellum exortum esset, victos tradit Dionysius. L. etiam Tarquinius Priscú regem urbem muro lapideo circumdare parantem bellum Sabinum auocauit, cū ea adeo subita res fuisset, ut prius Anienem transirent, quàm obuiam ire, ac prohibere exercitus Romanus posset. iis trans Anienem fugatis rex in agrum populabundus incurfat. iterumque ibi fusi, perditis iam prope rebus pacem petiere. Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum. Collatini dediti sunt. Sic Liuius. Dionysius autem nullo Collatiæ verbo factó Sabinos sex annorum inducias impetrasse ait. post autem in eos iterum esse bellatum, ac singulos populos oppidorum dedicatione facta foedere eodem, quo Etruscos, à rege in amicitia & societate esse ascitos. quin etiam eosdem Tarquinio Superbo regnante multis præliis deuictos legatis de pace missis tributum in posterum pacis, eam impetrauisse. Animaduerto etiam anno post reges exactos quinto, M. Valerio, P. Postumio cos. Sabinos aliquot, cum Romanas opes bello Etrusco Porfenæ accisas rati, in agrum Roma. impetum fecissent acie pulfos, victósque esse. consulum vtrunque triumphasse. Postero vero anno, P. Valerio quartum, T. Lucretio cos. iidem soluta esse foedera, quæ cum Superbo rege. postremum percusserant, arbitrati, quòd ille exactus imperio esset, communi consensu habito omnium ciuitatum concilio bellum grauius intulerunt: cūque à Sex. Tarquinio Superbi filio impulsí Fidenas, & Cameriam à Romanis abalienassent, iterum à Romanis sunt cæsi. consules ambo triumpharunt. Fidenis in auctores defectionis animaduersum. ager ademptus, atque iis, qui in proelium missi sunt, datus. Tertio anno item in Sabinos dimicatum. Agrippa Menenius cos. triumphans, P. Postumius, quòd minus prospere rem gessisset, primus ouans urbem ingressus est. quarto anno Sp. Cassius cos. cum iis non longe à Curibus congressus ad x millia, & trecentos cæcidit, ad tria millia cepit. qua clade compulsi ad consulem, atque inde ad senatum legatos de pace miserunt. quam non nisi frumento, & stipendio in milites, & decem agri iugeribus datis impetrare potuerunt. Opiter autem Virginiius exercitum ad Cameriam adducto receptam euerit, defectionis auctoribus interfectis & reliquis venūdati. Dionysius eos Ap. item Claudio, & P. Seruilio cos. cum mouissent, victos prodit. & sequenti an. A. Virginio T. Vetufio cos. cū se cū Aequis, & Volscis iunxissent, à M. Valerio Maximo dictatore esse subactos. P. inde Valerio, C. Nautio cos. motus eorum quidam, sed parum memorabiles, fuerunt. quin etiam aliquot post annos L. Valerio, Ti. Aemilio cos. cum iis pugnatum est. Numicio autem, & Virginio cos. cum ad portas urbis populantes incessissent, plus cladium, quàm intulerant, acceperunt. & cum P. Quintio, Q. Seruilio cos. Crustuminos campos citato agmine transgressi, cædes, & incendium circa Anienem flumen fecissent, porta prope Collina, mœnibusque pulsi ingentes

tes tamen prædas hominum, pecorumque egere. quos Seruilius eos. infesto exercitu insegutus, cū ipsum agmen adipisci locis æquis nequiret, populationem adeo effuse fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta præda rediret. post autem cum anno ccciiii in agrum Roma. cum Aequis incurfassent, sequentibus eos. M. Horatio, & P. Valerio pœnas dederunt. Neque eos postea mouisse inuenio, nisi anno cccxxxiii, quo accisas prorsus eorum opes esse à M. Curio Dentato cos. præter ceteros memoriae prodidit Florus; cum ita scripsit: *Populus Ro. à Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub T. Tatio amicitiae, quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. sed Curio Dentato, consule omnem eum tractum, qua Nar ambit. fontesq; Velini, Adriatico tenuis mari igne, ferroq; vastauit. qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in vtro plus esset, ne ipse quidem existimare posset, qui vicerat.* Velleius addit, eodē anno Sabinis sine suffragio ciuitatem datam, post autem Sempronio, Claudioque cos. suffragium etiam esse permissum. & Cicero cum Balbum de ciuitate, quæ in dubium vocabatur, defenderet, vniuersas sæpe gentes, ut Sabinorum, & Hernicorum, in ciuitatem esse ascitas dixit. Itaq; Liuius bello Punico secundo inter alios socios populi Ro. qui milites sint polliciti, Nursinos numerat, Reatinos, & Amiterninos, Sabinumque agrum omnem. Bello certe Marsico pro Romanis contra Italicos, ciuitatis iura postulantes steterunt. Romanorum victoriae testimonio sunt Forum Decij, & Forum nouum, quæ in Sabinis à Plinio memorantur.

*De agro, & foederibus Vestinorum, Marrucinarum, Marsorum, & Pelignorum.* CAP. XIX.



DEINCEPS sequuntur populi quattuor, ut non admodum latis, sic nec satis certis finibus ab antiquis circumscripti, Vestini, Marrucini, Marfi, & Peligni. Illud tamen dubitationem non habet, hos populos inter Picentes, Frentanos, Sabinos, Latinos, & Samnites medios confedisse. quòd etsi ad iura Italiae demonstranda satis valere deberet, adiungam tamen, quid & ipse de singulorum situ ex veterum monumentis in mentem veniat suspicari, ne quem locum patiar huius artis sine lumine aliquo vel veritatis, vel probabilis coniecturae iacere. Vestinos opinor Sabinis adhæsisse. Me vero in hanc sententiam rationes multæ adducunt. primum quòd Strabo Sabinos vsque ad Vestinorum regionem perducit: deinde quòd Silius Fiscellum montem inter Vestinos ponit, vnde Naren amnem Sabinorum terminum labi Plinius scribit. Valet etiam apud me plurimum, quòd Amiternum oppidum modo in Sabinis numerari inuenio, modo in Vestinis. quin etiam aliquid ad hanc quæstionem arbitror pertinere, quòd Aternus amnis, teste Strabone, Vestinum agrum à Marrucino secreuerit. manasse enim in Adriaticum eum ait ex Amiternino, ac per Vestinos ad dextram Marrucinis relicto ponte traiectum esse. Quibus auctoritatibus mihi persuasum est, Vestinos fere ab oriente Aternum flumen habuisse cum Marrucinis; at vero ab occidente Sabinos, à Septentrione Picentes. vsque adeo, ut qui Vestinos cum Campanis coniungant, Vestinorum, qui populi Campaniæ sunt, nominis similitudine ductos putem errare, quòd nomen vbique in Liuianis annalibus esse inuenio deprauatum. quorum errorem si nulla alia auctoritas coargueret, ipsa, quæ dicuntur Vestinorum fuisse, oppida certe conuincerent, Pinna, Auia, Amiternum, & Angulum apud Ptolemæum, Angulani, Pinnenses, & Peltuinates apud Plinium; quorum his versibus meminit item Silius:

*Haud illo leuior bellis Vestina iuuentus.*

*Agmina densauit venatu dura ferarum,*

*Quæ Fiscelle tuas arces, Pinnamq; virentem,*

*Pascuæque haud tarde redeuntia tondet Auellæ.*



Vestinos autem cis Aternum sequuntur Marrucini, quorum caput constanti omnium testimonio Teate fuisse fertur. ex quo apparet, Marrucinos Frentanis non admodum procul à mari fuisse subiectos.

Marrucinos porro supra Pelignos fuisse cum aperte tradit Strabo, tum indicat non obscure Cæsar, cum ait, se à Corfinio, quod Pelignorum est, per Marrucinos, & Frentanos in Apuliam peruenisse.

Pelignorum autem Corfinium, & Sulmonem clarissima oppida fuisse Strabone, & Ptolemæo testibus notum est. quæ septem inter se millia passuum abfuisse in Cæsar's commentariis video esse notatum, ut Pelignos à Frentanis flumine Sangro, quod est inter Aternum oppidum, & Ortonem, discretos, in Strabonis. Sangro autem suspicor, ne terminati fuerint Marrucini, ut ad mare primi fuerint Frentani, Marrucini sub Frentanis inter Aternum, & Sangrum amnes, sub Marrucinis Peligni iisdem vtrinque fluminibus circumstanti.

Nam Marfi supra se videntur habuisse Vestinos à septentrione, ab occasu Sabinos, ab oriente Pelignos, à meridie lacum Fucinum, & Aequos populos attigisse. Eorum oppida obscura fuerunt, & nulla re memorabili celebrata Aex, & Alfabucelis apud Ptolemæum, Milonia, Plestina, & Fresilia apud Liuium. Adiciunt multi Albam, quæ propter finium vicinitatem modo fuit Aequorum, modo Marforum ad lacum Fucinum, vnde inter Marfos retulit Plinius Anxatinos, Atinates, Fucentes, Lucenses, Maruuios, & Albenses. & de Marfis loquens dixit Silius:

*Maruuium veteris celebratum nomine Marri,  
Vrbibus est illis caput, interiorq; per vdos  
Alba sedet campos, pomisq; rependet aristas.  
Cetera in obscuro fama, & sine nomine vulgi,  
Sed numero castella valent.*

Horum autem populorum vicinitatem ostendit Cicero in Cluentiana, cum dixit, adesse primum municipes Larinates, deinde vicinos Frentanos, Marrucinos, & pari dignitate Teano Apulo, atque Luceria equites Romanos, & Liuius, cum ait, Nerone ex Apulia in Vmbriam ad Senam exercitum per agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum, & Pratutianum duxisse. & item, cum scribit, Annibalem ex Capua in Samnitiâ, inde in Pelignos accessisse, præterq; oppidum Sulmonem in Marrucinos transisse, inde Albeni agro in Marfos, hinc ad Amiternum, Forulosq; vicum venisse.

De rebus autem à populo Roma. cum his populis gestis, quos exiguos quidem, sed bellicosos tamē fuisse narrat Strabo, hæc à Liuiio accepimus. Anno c d x x v i i L. Camillo, D. Bruto cos. cum satis per se ipsum Samnitum bellum, & defectio repens Lucanorum sollicitos haberent patres, accessit, ut Vestinus populus Samnitibus sese coniungeret. & quanquam res noua erat, tamen tanta cura patres incessit, ut pariter eam susceptam, neglectamque timerent, ne aut impunita eorum lalciua, superbiaque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo, atque ira concirent finitimos populos. & erat genus omne abunde bello Samnitibus par, Marfi, Peligni, & Marrucini, quos, si Vestinus attingeretur, omnes habendos hostes. Ita bellum aduersus Vestinos ex auctoritate patrum populus iussit, idq; Bruto mandatum, ab eo in Vestinis multiplex bellum, nec vsquam vario euentu gestum est. nam & peruastauit agros, & populando, atque vrendo recta hostium, saratque, in aciem inuitos extraxit; & ita prælio vno accidit Vestinorum res, haudquaquam tamen incruento milite suo, ut non in castra solum refugerent hostes, sed, iam ne yallo quidem ac fossis freti, dilaberentur in oppida, situ vrbium, mœnibusque se defensuri. postremo oppida quoque vi oppugnare adortus, primo Cutinam ardenti ardore militum, aut vulnerum ira scalis cepit, deinde Cingiliam. vtriusque vrbis prædam militibus concessit.

Anno deinde c d x l v, Q. Fabio, P. Decio consulibus, cum Samnitibus acie dimicatum. haud magno certamine hostes victi, neque eius pugnae memoria tradita

dita foret, ni Marfi eo primum prælio cum Romanis certassent. Secuti Marforum defectionem Peligni eandem fortunam habuerunt. post triennium L. Postumio, Ti. Minucio cos. Liuius Aequorum nomen prope ad internecionem deletum scribit; exempliq; eorum cladem fuisse, ut Marrucini, Marfi, Peligni, & Frentani mitterent Romam legatos oratores pacis petendæ, amicitiaq; iis populis fœdus petentibus datum. Diodorus autem Pelignos armis subactos, & agro multatos narrat. aliis vero, qui amici esse videbantur, ciuitatem esse communicatam. Sequenti anno Aequos deletos, cum Marfis, Pelignis, & Marrucinis societatem initam. At vero anno c d l i m. Liuius, & M. Aemilio cos. cum Vestinis petentibus amicitiam fœdus iustum est. eodemq; anno nunciatum, à Marfis agrum vi teneri, in quem Carfeoli deducta colonia erat (erat autem in agro Aequicolarum.) ea causa fecit, ut Marfis arma inferrentur. M. Aemilius Paullus dictator profectus cum exercitu prælio vno eos fudit. compulsos deinde in vrbes munitas, Miloniam, Plestiniam, & Fresiliam intra paucos dies cepit, & parte agri multatis fœdus restituit. Nec de iis aliud præterea quidquam compertum habemus.

*De agro, & fœderibus Samnitium. CAP. XX.*



**R**ESTANT Samnites populi, quorum regio Samnium appellata, in longitudinem plus patens, quam latitudinem, habuit à septentrione Frentanos & Apulos, à meridie Campanos, & Lucanos, ab occasu Aufones cum Pelignis, ab oriente item Apulos cum Lucanis. Populi in his claruerunt præter ceteros Pentri, Caraceni, & omnium vltimi Hirpini. quorum tanta fuit belli gloria, ut separatim à Samnitibus, quasi ab eorum corpore essent auulsi, nominarentur. vnde illud est apud Liuium, vbi Cannensem cladem descripsit, defecisse ad Pœnos in Italia Attellanos, Calatinos, Hirpinos, Samnites præter Pentros, & apud Appianum, bello Marfico, Samnites, & Hirpinos arma aduersus populum Rom. tulisse. Samnitiæ porro capita, quantum ego intelligere possum, fuerunt Saticula, Caudium, Aesernia, Allifæ, inde minora alia multa, Callifæ, Ruffrium, Plistia, Cluuiam, Tifernus mons, Aufidena, Cimetra, Murgantia, Romulea, Ferentinum, Milonia, Aquilonia, Amiternum, Duronia, Sepinum, Velia, Palumbinū, Telesia, Maronea, Pentrorum Bouianum, Caracenorum Cominium, Hirpinorum, ut ait Plinius, Beneuentum, Cosa, & Herculaneum. Plinius autem inter Samnites collocat Bouianum, Aufidenates, Aeserninos, Fagos, Fugulos, Ficolenses, Sepinates, Treuntinates, de quibus pleriq; sic Silius:

*Affuit & Samnis, nondum vergente fauore  
Ad Pœnos, sed nec veteri purgatus ab ira.  
Qui Batulum, Mucrasque colunt, Bouiania quiq;  
Exercent lustra, aut Caudinis faucibus hærent.  
Et quos aut Ruffra, aut quos Aesernia, quos ve  
Obscura incultis Herdonia misit ab agris.  
Bruttius haud dispar, animorumq; vna iuuentus  
Lucanis excita iugis, Hirpinæque pubes.*

Hirpinos proditum est à Strabone Samnites fuisse, qui Lucanis adhæserint iis, qui mediterranea tenent. Aufidum autem amnem, qui Canusium præfluit, & Dauniam terminat, ex Hirpinis montibus esse delatum. retinuisse autem eos vel extremis temporibus nomen, bellum ipsum Italicum anno vrbis d c x i i gestum, est documento, in quo Hirpinorum præcipue egregia opera celebratur. Ferocissimam autem inter omnes Italicas Samnitum gentem fuisse, ex eo intelligi potest, quod cum eis per annos octoginta quotidianis prope armis est dimicatum. Quocirca apud Florum in hunc modum scriptum inuenimus: *Samnites inuasit populus Ro. gentem, si opulentiam quæras, aureis, & argenteis armis discolori veste*

*usque ad ambitum armatam, si insidiarum fallaciam, saltibus fere, & montium fraude grassantem; si rabiem, ac furorem sacratis legibus, humanisq; hostijs in exitium urbis agitatum; si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiores.*

De his autem pugnis, ac cladibus præcipue hæc accepimus. Narrat Liuius M. Fabio, M. Popillio cos. anno post urbem conditam c c c x x i x, Samnites petentes primum fœdere in amicitiam esse acceptos. anno vero c d x, populum R. cum eis bellum inisse, ut Campanos dedititios suos aduersus eorū arma defenderet, pugnatum autem esse à M. Valerio consule in Campania ad Gaurum montem ab A. Cornelio collega eius in Samnio ad Saticulam, iterumq; à Valerio ad Suesfulam. hostibus vbique pulsus, cæsisq; biennio post fœdus cum eis esse percussum. post autem cum anno c d x x v defecissent, quia Fregellas Volscis ademptas in agro suo populus Ro. coloniam collocasset, sequentes consules C. Pœtelium, & L. Papirium, indicto bello, tria eorum oppida in potestatem redegisse, Allifas, Califas, & Rufrium, aliumq; præterea agrū longe, latèque vastasse. inde à L. Papirio dictatore subactos pacē petiisse, ac pactos, ut singula vestimēta militibus, & annum stipendium darent, cum ad senatum, ad quem reiecti erant, venissent, intacta pace, inducias retulisse. Postero autem anno siue ab A. Cornelio Aruina dictatore, siue à consulibus Q. Fabio, & L. Fulvio (vtrumque enim tradit) victos, cum defectionis auctores dedissent, non tamen pacem impetrare potuisse. Itaque ad arma conuersos Ti. Veturium, & Sp. Postumium, qui secuti sunt, consules sub iugū ad Caudium missos ad turpe fœdus ferendum compulisse. quo sequenti anno ipsorum deditioe consulum infirmato, bello vehementius à Romanis, L. Papirio consule duce, renouato, eosdem ad Luceriā in Apulia victos, & sub iugum missos esse. Inde Sarrico, quod ad eos defecerat, capto, ipsos à Papirio prælio deletos, petentibus fœdus negatum, inducias biennij datas. Post autem anno c d x x v Sp. Nauisio, L. Æmilio cos. L. Æmilius dictatorem Saticulam oppugnare adortum illis causam rebellandi dedisse. Fusos in castra spe abiecta Saticulæ tuendæ Plisiam socios Romanorum circumfedis. sequenti anno Q. Fabium dictatorem Saticulam proditioe, Samnites Plisiam vi cepisse. inde traducto Soram exercitu, quæ colonia Romana ad Samnites defecerat, cum Samnitibus ad Lautulas ancipiti prælio dimicatum. Soram cum insequentes consules M. Pœtelius, C. Sulpicius cepissent, & supplicium de defectionis auctoribus sumpsissent, cum Samnitibus, qui in Campaniam Capuæ Romanis adimendæ causā venerant, depugnasse. eo prælio ad triginta millia cæsa, aut capta. reliquos Beneuentum profugisse. Inde Samnitium clades multæ. Nam & consules Q. Fabius per Soranum, P. Decius per Sidicinū agrum in Samnium legionibus ductis, eos ad Tifernum cæciderunt. & cum Apulis auxilio occurrentibus Decius se ad Maleuentum obiecisset, Samnium vastarunt, Cime tram, Murgantiam & Romuleam ceperunt. Ferentinum validissime oppugnarunt. deinde cum iidem reparato exercitu per fines Vescinos in Campaniam, Falernūque agrum transcendentis ingentes prædas fecissent, atque eos L. Volumnus consul, ex Etruria in Calenum agrum profectus, præda onustus ad Vulturnum flumen federe audisset, prælio cæcidit, ac prædam eripuit. inde sequentes consules Q. Fabius, & P. Decius cum Samnitibus, Gallis, & Vmbrijs, qui arma consciauerunt, pugnarunt in agro Sentinate Vmbriæ, quo prælio nobilissima victoria Decij deuotione est parta. Samnitium agmen cum per Pelignos fugeret, circumuentum est à Pelignis. ex millibus quinque ad mille cæsi. L. Volumnus pro cos. Samnitium exercitum in Tifernum montem compulsus fundit, fugatque. Pugnatum est etiam prospere in agro Stellate ab Ap. Claudio consule, & L. Volumnio pro consule. Sequenti anno Samnites cum M. Atilio consule non infeliciter congressi, cum non modo castra inde proferre, sed ne pabulari quidem Romanos paterentur, & retro in pacatum Soranum agrum populabundi irent, L. Postumius collega Atilij exercitu Soram indicto, inde in Samniū ad castra collegæ perrexit,

ac

ac Miloniam, & Ferentinum cepit. Atilius ad Luceriam in Apulia vario euentu pugnavit. Samnites Interamnā coloniam, quæ via Latina est, occupare conati urbem non tenuerunt, agros depopulati cum retro redirent, in victorem delapsi hostem ab Luccria redeuntem, cæduntur. Postero anno Samnitium exercitus lege sacrata coactus ad Aquiloniam confedit. Sp. Caruilius consul Amiternum vi cepit. Papirius Duroniam expugnauit. Inde peruagati Samnium maxime depopulato Atinate agro Caruilius ad Cominium, Papirius ad Aquiloniam, vbi summa rei Samnitium erat, peruenit. vtrouque res bene gesta, oppidum captum, direptum, ac concrematum est. Post Caruilius Veliam, Palumbinum, & Herculanum cepit. Papirius Sepinum expugnauit, exercitumq; in agrum Vescinum, quia ea regio infesta ab Samnitibus erat, hibernatum duxit. Atque hæc quidem omnia in Liuianis analibus scripta sunt. Cum autem Q. Fabius Gurges, qui consul est subsecutus, ab iis fufus, fugatusq; summa apud omnes infamia flagraret, patris Q. Fabij Rulliani, qui legatus ei datus est, consilio vsus rem prospere pro consule gessit, atque hostes, Zonara, & Orosio testibus, sub iugum misit. Cum Samnitibus autem debellatum à P. Cornelio Rufino, & M. Curio cos. qui secuti sunt, inuenio, & cum iis petentibus fœdus quartum esse percussum; inde per annos vndecim ab iis otium fuisse; anno vero c d l x x, P. Dolabella, & Cn. Domitio cos. eosdem cum Gallis, & Lucanis, & Etruscis arma rursus cepisse. atque de iis L. Æmilius Barbulam pro consule triumphasse. Neque vero his solum, sed post etiam Pyrrho regi in Italiam venienti Samnites se adiunxerunt; quo factum est, ut de iis C. Fabricius consul triumphum nobilissimum egerit. Post autem cum Pyrrhus Italia cessisset, C. Iunius, & P. Cornelius Rufinus consules in Samnium legiones duxerunt, agrisq; vastatis castella quædam ceperunt. cumq; hostes in montem compulsos adoriri statuisent, detrimentis quibusdam acceptis, populatione contenti fuerunt. Inde aliis ducibus continenter est bellatum. siquidem de iis & Q. Fabius Gurges pro eos iterum triumphauit, & post etiam M. Curius, & L. Lentulus. à quo Samnitium etiam oppidum captum esse prodidit Plinius. & post etiam C. Claudius Canina, & qui bello diuturno finem imposuerunt, Sp. Caruilius, & L. Papirius Cursor. Itaque per eosdem Samniticum bellum est confectum, per quos etiam Tarentinum. Victis autem Tarentinis, & Samnites, quæ populo Rom. placuerunt, conditiones pacis acceperunt. vnde iidem apud Liuium sic ad Annibalem victorem loquentes sunt, bello Punico: *Hostes populi Rom. fuimus, primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant. posteaquam ijs parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus, à quo relicti pacem necessariam accepimus.* Pacis autem conditiones, ut multa alia vetustate obsoleta, nobis parum compertæ sunt.

## De iure Italico. CAP. XXI.



**E**X his autem, quæ diximus, neminem esse puto, quin intelligat, populum Rom. cum populis Italicis ita societatem inisse, ut alios deditioe, alios spōsione, quosdam pactioe, omnes demum fœdere aliquo in amicitiam acceperit. fœdera tamē alia alijs æquiora pro meritis eorum, & senatus, populiq; Rom. liberalitate esse concessa. quibus autem legibus pax cuique data sit, silentibus in tanta re præcis annalibus, non est, cur vehementius à nobis, ut dixi, sit hoc tempore postulandum. Ex his ergo fœderibus ius vnum manasse intelligo, quod, quia plerique Italici in eo conuenerunt, ius est Italicum appellatum, Latinitate quidem deterius, prouinciæ vero Galliæ iure commodius. Huius autem partes multæ numerantur, sed pleræque Italicis fuere cum Latinis, de quibus ante dixi, communes. primum enim, ut Latini iure Quiritium caruerunt, sic Italici; ita ut non eadem libertatis, sacrorum, gentilitatis, legitimi dominij, testamentorum, ac tutelarum iura,

quæ ciues Romani, habuerint. nisi forte præcipua lege aliqua, vt municipales, & coloni aliquot, iuris eius partem aliquam impetrassent. Deinde, quod de censu, de tributis, & vectigalibus Latinorum est dictum, idem de Italicis censo iudicandum; omnes in ciuitatibus suis per censes suos censes esse, omnesq; tributa, & vectigalia, quo modo in fœderibus cuiusque cautum esset, perfoluisse. vnde tritum illud est Minionis legati regis Antiochi apud Sulpicium consulem: *Quid magis Smyrnaei, Lampfaceniq; Graeci sunt, quam Neapolitani, & Rhegini, & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naues ex fœdere exigitis?* Cui respondit Sulpicius: *Ab Rheginis & Neapolitanis, & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, vno, & perpetuo tenore iuris semper seruato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent, exigimus.* Quin etiam Italicos tributis perfoluendis afflictos narrat Appianus in primo, item Liuius in x x v i i, cum fremitum inter Latinos, sociosq; in consiliis ortum scribit, *quod se decimum annum delectibus, & stipendijs exhaustos esse, & quotannis ferme magna clade pugnare dicerent.* Nam partem Italiae vectigalem fuisse, Cicero demonstrat in Verrem: *cum in omnibus, inquit, vectigalibus ipsius Italiae, quæ vectigalis sit, publicanus petitor, ac pignerator non creptor, neque possessor soleat esse.* quæ quidem vectigalia, quippe Italiae vniuersæ molesta Cæcilia tandem lege sublata, libro primo de iure ciuium Rom. ostēdimus. Augustus inde cum vectigalia omnia prouinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituit, alia in agros, alia in caput. Itaque cēsum in toto imperij Rom. orbe indixit, vt capitum, fortunatumq; summam, quæ in Imperio esset, cognosceret. cum autem prouincias alias tributo in caput, alias tributo in solum onerasset, Italiam tamen immunem vtriusque reliquit, idq; ius Italiae dictum. de censu vniuersæ terræ instituto ita D. Lucas in Euangelio: *Exijt edictum à Cesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio prima facta est à præside Syriae Quirino.* & Isidorus libro v Etymologiarum, cap. x x x v i. *Augustus censu excogitato Romanum descripsit orbem.* Higenus Augusti libertus: *Nunc multi agri pecuniam præbent, & hanc per soli æstimationem.* Ius autem Italicum hanc vim habuisse, quam dixi, ostendit Paulus D. de censibus: *Laodicea in Syria, & Berytos in Phœnice iuris Italici sunt, & solum earum eiusdem iuris & Tyrionum ciuitas à Diuis Seuero, & Antonino facta est.* D. Antoninus Antiochenfes colonos fecit saluis tributis. Imp. noster Antoninus ciuitatem Emisenorum coloniam, & iuris Italici fecit. D. Vespasianus Casarienses colonos fecit, non adiecto, vt & iuris Italici essent, sed tributum his remisit capitis, sed D. Titus etiam solum immunefactum interpretatus est. Hinc etiam Plinius scripsit: *in Hispania, Foroaugustana ciuitati ius Italiae datum, Castulonenses oppidanos Latij veteris factos.*

Iam vero eodem militiæ iure Italicos fuisse, ac Latinos, obstrictos, satis perspicuum est; nempe vt in auxiliis non in legione mererent, atque ex fœderis formula numerum militum, quem iussi essent, darent eo modo, quo supra in Latij iure explicando ostendi. Huius autem iuris testis est locupletissimus Polybius, qui bello Gallico Cisalpino, quod non ita multo ante, quam cum Annibale pugnaretur, est gestum, maximas sociorum copias præter Latinorum auxilia ait affuisse, Sabinorum, Etruscorum, Vmbrosum, Sassinatum, Samnitum, Marforum, Marruciorum, Frentanorum, Vestinorum, Iapygum, Messapygum, Lucanorum, & Campanorum. Itaque Plinius L. Æmilio Papo, C. Atilio Regulo cos. Italiam nunciato Gallico tumultu solam sine externis vllis auxiliis equitum l x x millia, peditum d c c armasse prodidit, & Liuius bello Punico duarum turmarum Samnitium meminit, & bello alio Gallico Marforum cohortis, & bello Persico cohortium Firmæ, & Vestinæ, & turmæ equitum Æterninæ. & idem, cum res tulit, ad legiones Romanas socium, Latinorumq; auxilia tum peditum, tum equitum adiuncta scribit. Quod autem Hiero rex Syracusanorum, amicus populi Rom. apud eundem tertio anno secundi belli Punici, cum sagittarios ad Romanos mitteret, iccirco se eos misisse ait, *quod sciret, milite, atque equite, nisi Romano, Latiniq; nominis non vi populum*

*pulum Romanum*, id ita, vt dixi, accipiendum est, vt Latino nomine etiam Italicos complectamur: præsertim vero cum eodem tempore idem Liuius tradat, *ad socios, Latinumq; nomen ad milites ex formula accipiendos missum.* Non omnes tamen Italicos dare milites debuisse, hinc ego ducor ad opinandum, quod scriptum inuenio libro x x x i i i i apud eundem, *socijs, ac Latini nominis magistratibus, legatisq; eorum, qui milites dare debebant, consulem edixisse, vt in Capitolio se adirent. ex ijs x v millia peditum, & quingentos equites pro numero cuiusque iuniorum descripsisse.* in quo mire dixit, *Legatis eorum, qui milites dare debebant,* quasi vero non omnes deberent. atque etiam libro x x x v i i i extremo, quo loco, quæ à quoque populo in classem P. Scipioni præbita sint, narrat. vbi quæ Cærites, Populonienses, Tarquinenses, Volaterrani, Arretini, Perusini, Clusini, Russellani, Vmbri, Nursini, Reatini, Amiternini, Sabinusq; omnis ager, Marfi, Peligni, Marrucini se daturus esse polliciti sunt, exposuit, subdit: *Camertes cum æquo fœdere cum Romanis essent, cohortem armatam sexcentorum hominum miserunt,* nimirum hoc significans, ceteris populis exiguam, Camertibus, qui propter æquitatem fœderis nihil deberent, maximam laudem, quod enixe populum Rom. adiuuissent, fuisse tribuendam.

Si ergo in his omnibus eodem iure Italici sunt vsi, atque Latini, restat, vt, quo Italicis Latini superiores fuerunt, suffragij fuerit potestas, & magistratus. Neque enim Italicis ciuitas data est, quo modo fœdere Cassiano Latinis, neque Italicos nisi post legem Iuliam Romæ suffragia inisse comperimus; eademq; ratione neque Italicis per magistratum aditum ad ciuitatem Romanam patuisse certum est, in quo summum Latinitatis ius supra diximus constitisse. Loquor autem de Latinis, atque Italicis in vniuersum. nam aliquot ex vtroque nomine sigillatim: ciuitate, atque suffragij latione donatos, satis ex eo loco perspicuum est, qui est apud Liuium: *Iam inde à maioribus traditum morem Romanis colendi socios. ex quibus alios in ciuitatem, atque æquum secum ius accepissent, alios in ea fortuna haberent, vt socij esse, quam ciues, mallent.* Quod si quis fortasse requirat, quo potissimum iure Italici Galliam prouinciam superarint, non dubitabo respondere, quod magistratibus suis, non prætori Romano, vt prouincia, obedirent. neque enim Appiano, quam auctori bono, assentior, qui belli Marfici temporibus Italiam ita à Romanis administratam scribit, vt plures essent proconsules, qui partes eius cum imperio obtinerent siquidem prætoribus, aut procōsulibus, nisi grauioris alicuius belli causa, Italiam vnquam esse decretam non inuenio. quod & Punico, & Marfico bello, & post bellis sæpe ciuilibus factum est. Nam Q. Seruilius, quem tum in Piceno proconsulem fuisse obiicit Appianus, satis constat extra ordinem ad motus illos inspiciendos, sedandosq; esse missum. siquidem inquit Orosius, *Q. Seruilius prætorem, & legatum eius ad se missum ab Italicis apud Asculum esse occisum.* legatus autem fuit Fonteius.

Hoc ergo iure fuit Italia à Tarentino fere bello vsque ad cladem Cannensem. cuius ictu adeo est perculsa, vt qui sociorum ad eam diem firmi steterant, tum labare cœperint, atq; ad Pœnum victorem defecerint, Campani quidem, vt ait Liuius, Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Pentros, præter Petelinos Bruttij omnes, Lucani, Surrentini, & Græcorum omnis ferme ora, Metapontini, Crotonenses, & Locrenses. Itaque cum melioribus postea populi Rom. rebus idem in fidem populi Rom. aut voluntate, aut vi redierint, credibile est, alios alias fœderis conditiones pro suis cuiusque meritis impetrasse; & vt qui fidem non seruauerant, grauissime sunt multati; sic qui firmi steterant, vt Latinis, Sabinis, & Vmbriis, alijsq; cum antiquum fœdus conseruatum, tum nouo fortasse aliquo etiã beneficio auctum. Ac Campanorum quidem constat disparem conditionem fuisse. Nam de trecentis equitibus Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendijs emeritis, alienata Capua, Romam venerant, latum ad populum narrat Liuius, vt ciues Romani essent, item vt municipales Cumani essent pridie, quam populus Campanus à populo

populo Rom. defecisset. Capua vero recepta, Atella, & Calatia in deditioem acceptis in senatores, ceterosq; qui capita rerum fuerat, animaduersum esse, Capuæ agrum, & tecta publica populi Rom. facta. præfectus ut quotannis eò ad iura reddenda mitteretur, decretum. quin etiam adiicit alio loco Liuius, Cãpanos omnes, Atellanos, Calatinos, Sabatinos, extra quàm qui eorum aut ipsi, aut parentes eorũ apud hostes essent, liberos esse à populo Romano iussos, ita ut nemo ciuis Romanus, aut Latini nominis esset. Postremo pulso Italia Annibale, cum P. Sulpicius Galba dictator anno quingesimo quinquagesimo post urbem conditam, Italiã vrbes, quæ bello alienatæ fuerat, circumisset, ac singularum causas, quod extat apud Liuium, quæ aut aperte defecerant, aut auxilia populo Rom. denegauerant, cognouisset, verisimile videtur, aliis alias conditionibus eum sibi obnoxias reddidisse, ita ut vniuersis nominis Italici non idem ius reliquerit, quod ante defectionem haberant, sed quarundam ciuitatum conditione, fortunamq; magis affligerit. inter quos Bruttiorum, qui primi ad Annibalem defecerant, valde ius est imminutum. eos enim post ignominie causa non milites scripserunt, nec pro sociis habuerunt, sed magistratibus in prouincias euntibus parere, & præministrare seruorum vice, ut scribit Gellius, iusserunt. Strabo non Bruttios solum, sed etiam Picentinos, & Lucanos depresso tradit, siquidem pro militibus eos, ut viatores publicos, aut tabellarios scripserunt, & Salernum oppidum aduersus eos communisse; Lucanorum vero res adeo perditas fuisse, ut ne tum quidẽ sedes eorum distingui potuerint, cum nullum commune gentis concilium reliquum esset, & sermonis, & habitus, & armaturæ ratio defecisset; Apulorum autem Peucetiorum, & Dauniorum nomina, quæ primis temporibus floruerunt, ætate sua profus euauisse, proptereaq; certos eorum fines tradi non posse. Pedicorum autem, & Iapygum, ut etiam Picentiorum, & Lucanorum bello Italico Appianum video in historia meminisse. Quod si quo beneficio nouo Latinos, sociosq; qui à populo Romano dubiis in rebus non recesserant, ut mihi quidem probabile coniectura videtur, affecerunt, profecto iis legem illam dederunt, cuius post meminit in anni quingessimis septuagesimis sextis rebus exponendis Liuius, ut qui socium, ac Latini nominis stirpem ex sese domi relinquerent, ciues Rom. fierent. qua lege simul & sociorum voluntati est satisfactum, qui Romanæ ciuitatis cupiditate maxime post Punicam victoriam erant incensi, & Italiã à solitudine vindicarunt, cum eos, qui ciuitatem mutare vellent, stirpem domi relinquere cogent. Ac de Italicis quidem hætenus.

*De Gallia citeriore. CAP. XXII.*



**S**EQVITVR, ut, quoniam de duobus Italarum generibus, Latinis, atque Italicis, quorum diuersa inter se fuisse iura docuimus; satis est disputatum, deinceps de tertio, nempe de citeriore Gallia, disseramus. cuius multo, quàm vel Latinorum, vel Italicorum, ius deterius fuisse comperimus. quo explicato, triplex, quod ab initio proposuimus, ius nobis erit Italiæ demonstratum. Galliæ autem nomine hoc loco ad Romani potius iuris consuetudinem, de qua post dicã, quàm ad veritatis rationem apte appello quidquid montium, camporumq; mari Ligustino, fluminibus Arno, Rubicone, Formione, Adriatico sinu, & conuexa ipsa prope Alpium crepidine cõtinetur. mare est enim à meridie, alpes à Massilia prope in orbem per vada Sabatia Taurinos, Salassos, Rhætos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicetiam, Opitergium, Aquileiam, & Tergeste vsque in sinum Adriaticum ductæ occidentis, & septentrionis partes tuentur, sinus ipse cum duobus, quæ dixi, fluminibus partem orientis definit. Hanc mediam fere discriminat Apenninus, & flumẽ maximum Padus. Apenninus ab eodẽ fere, vnde alpes, initio exurgens vsque ad mare Adriaticum, & Senam oppidum porrigitur. Padus ex Alpino quodam in Va-

giennorum

giennorum Ligurum finibus Vesuli montis fonte erumpens longo per medios campos tractu multis in sinum Adriaticum ostiis influit. In eum vero ex Apennino multa flumina deferuntur. quorum hæc in primis video celebrari, Iactum, Tanarum, Trebiam, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultemnam, & Rhenum. ex albis Sturam, Morgum, Durias duos, Sessilem, Ticinũ, Lambrum, Aduam, Ollium, Mincium; atque ex his quidem Ticinus ex Verbano lacu fluit, Lambrus ex Eupili, Aduas ex monte Adua Rhætorum in Larium lacum, atque inde in Padum, Ollius ex Sabino, Mincius ex Benaco. quæ scripta in Strabonis, & Plinij commentariis extant.

Quoniam autem in multas nationes est hæc regio distributa, Ligures, Gallos, Venetos, & Carnos, admonet institutæ disputationis ratio, patriiq; soli caritas hortatur, ut sigillatim, quem quisque eorum agrum tenuerit, quibus imperatoribus, & quo tempore quisque deuictus, quo fœdere in amicitiam acceptus fuerit, planum faciam, ut his demum expositis facilius, quale nam eorum ius ante bellum Italicũ fuerit, cognoscamus. ordiamur autem à Liguribus.

*De agro, & fœderibus Ligurum. CAP. XXIII.*



**L**IGVRVM, ut ait Dionysius, & patio antiquissima, & regio latissima fuit, quippe quæ ante Gallos Italiam infederit, nec solum Italiæ, sed etiam Galliæ vterioris partem non modicam obtinuerit, in qua Salyes, Deceates, Oxybij & Vocontij Ligures habitauerunt. vnde autem in Italiam, aut in Galliam venerint, ille pro incomperito reliquit. Inuenio porro, qui cis alpes Ligures coluerunt, in duas partes diuisos Transapenninos, & Cisapenninos. Transapennini fines à meridie mare Ligustinum, à septentrione Apennini iugum, ab oriente primum Macram amnem, post impetu in Etruriam facto Arnem, ab occasu eiusdem Apennini, & alpium congressum ad Nicæam habuerunt, eorumq; alij Montani, alij Maritimi appellati. Montani, ut est in veteribus rerum Italicarum commentariis, à Nicæa, vnde Apenninus attollitur, vsque ad fontes Macræ pertinuerunt, à Macra vero vsque ad Arni Ligures Apuani. Maritimi à Massilia, ut ait Polybius, vsque ad Pisas, quod primum oppidum ex Liguribus in Tuscos eunti occurrit, quamquam illud etiam Trogius in Liguribus collocauit. Quæ ora oppida habuit Herculis fanum, Lucum Feroniæ, Lunam, & post Macræ fluminis ostium Erycis, ac Veneris portum, Tigulliam, Genuam, Vada Sabatia, Albigaunum, Albium Intemelium, Monœci portum, Herculis portum, Nicæam, & finẽ Italiæ flumen Varum: intus castella plurima. oppida, pauca; in iis Luca, quod ante Etruscorum scribit fuisse Liuius, post Ligurum, & Apua. Qui cis Apenninũ fuerunt, ij Trebia, & Pado fluminibus & Apennini, atque alpium parte conclusi hæc, ut prodit Plinius, oppida tenuerunt, Libarnam, Derthonem, Triram, Barderatem, Industriam, Polentiam, Carream, quod Potentia cognominetur, Hastam, Aquas Statiellorum. Strabo cum Derthone Statellam, & Clastidium edit, Liuius cum Clastidio Litubium, & Caristum. Clastidium autem modo Ligurum, modo Insubrium fuit ad Padum. Liuius Ligures quondam etiam trans Padum, & citra Ticinum incoluisse, verum ab Insubribus Italiam inuadentibus pulsos fuisse prodit. Inuenio etiam in eiusdem annalibus multa alia populorum Ligustinorum nomina, ut Briniatum, Ceclatum, Cerdiciatum, Epanteriorum, Friniatum, Garulorum, Hercatum, Iluatum, & Lapicinarum item montes, Basilistam, Suismontium, Letum, Anidum, Auginum. Adde illud, quoniam Pisæ vltimum tum erat Etruriæ oppidũ, idq; Liguribus hostibus proximum, Pisæ tum pro Ligurum prouincia esse vsurpata, ut apud Liuium libro xxxiiii: *P. Porcius Laca prætor, inquit, sortitus est Pisas, ut ab tergo Liguribus esset.* Hætenus de Ligurum agro sit dictum, nunc reliqua persequamur.

De

De bello Ligustino inito non omnes scribunt vno modo. Zonaras bellum susceptum cum iis anno vrbis  $\text{DXXV}$ , Ti. Sempronio Graccho, P. Valerio Faltoe consulibus, & Gracchi ductu prospere pugnatum tradit. Eutropius anno sequenti, L. Lentulo, Q. Flacco consulibus. Adicit Florus bellum à latrociniis Ligurum Etruriam populi Rom. prouinciam incurfantium esse commotum. Post triennium vero, cum iidem iterum arma cepissent, primum à L. Postumio Albino victi, deinde à Q. Fabio Maximo consulibus ita cæsi sunt, vt, quod scripsit Plutarchus, finem iam facerent populandi. Sed ne tum quidem diu quieuerunt. Nam anno  $\text{DXXXIII}$  ambos consules M. Æmilium, & M. Iunium aduersus eos cum exercitu profectos, & anno  $\text{DXXX}$  de iisdem P. Furium Philum triumphasse in Capitolinis tabulis scriptum est. Polybius tum Anamaros populos non longe à Massilia incolentes ad amicitiam Romanorum à consulibus ait esse traductos. Inde anno  $\text{DXXXV}$  ad An nibalem Pœnum in Italiam irrumpentem se contulerunt, eumq; auxiliis aduersus populum Rom. iuuerunt. Quam iniuriam, quanquam iniquo animo ferebant Romani, non tamen ante annum  $\text{DLVI}$  sibi armis vindicandam putarunt. Tum vero Punico terrore leuati, Q. Minucio consuli, vt eos bello persequeretur, mandarunt. Qui exercitu Genuam, vt ait Liuius, adducto oppida eorum Clastidium, & Litubium, & duas eiusdem gentis ciuitates Celetes, Cerdiciatesq; ad deditionem perpulit. Iam omnia cis Padum præter Gallorum Boios, Iluates Ligurum sub ditione erant. quindecim oppida, hominum viginti millia, quæ se dediderant, esse dicebantur. post Clastidium incensum in Ligustinos Iluates, qui soli non parebant, legiones duxit, eosq; ad deditionem compulit. Neque vero post tantam cladem acceptam Ligurum bella defuerunt. Rem autem cum iis gessit anno  $\text{DLX}$  Q. Minucius Thermus consul, cum  $\text{XX}$  millia Ligurum, armatorum coniuratione per omnia conciliabula vniuersæ gentis facta, Lunensem primum agrum depopulati, Pisanum deinde finem transgressi, omnem oram maris peragrassent, nuntiatumq; præterea esset, etiam Ligurum  $\text{XX}$  millia in agrum Placentinum venisse, & eum vsque ad ipsa coloniarum mœnia, & Padi ripas cum cædibus, & incendiis perpopulatos esse. Is ergo Pisas à Liguribus circumfessas suo aduentu seruauit, atque primum acie congregari non ausus vix à populationibus eos continuit. post autem in agro Pisano commisso prælio nouem millia hostium occidit, ceteros fusos, fugatosq; in castra compulit. Inde ex agro Pisano in eorum fines ingressus castella eorum, vicosaq; igni, & ferro vastauit. Minucium inde L. Quinctius cōsul est consecutus, qui agro eorum late populato castella etiam aliquot occupauit. eodemq; anno Q. Minucium pro eos. rem prospere gessisse, hostibus supra quattuor millia cæsis prodit Liuius. Deinde M. Valerius Messalla in eos profectus, nulla memorabili re gesta, bellum insequentibus consulibus C. Flaminiō, & M. Lepido tradidit. quorum C. Flaminius cum Friniatibus in agro eorum pugnauit, ac pluribus præliis secundis factis in deditionem gentem accepit, & arma ademit. & quia non sincera fide tradebant, cum castigarentur, relictis vicis in montem Auginum confugerunt. confestim secutus est consul. Verum effusi rursus per loca, quæ sequi Romanus hostis non posset, trans Apenninum abierunt. qui castris se tenebant, circumfessi expugnati sunt. inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, altitudine paullisper se tutati, mox in deditionem venerunt. tum conquesta cum intentiore cura arma, & omnia adempta. translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum, qui agrum Pisanum, & Bononiensem ita incurfauerant, vt coli non posset. his quoque perdomitis pacem dedit finitimis. & quia, à bello quieta vt esset prouincia, effecerat, ne in otio militem haberet, viam Bononia perduxit Arretium. M. Æmilium agros Ligurum, vicosaq;, qui in campis, aut vallibus erant; ipsis montes duos Balistam, Suismontiumq; tenentibus, exussit, & populatus est. deinde eos, qui in montibus erant, adortus, primo leuibus præliis fatigauit, postremo coactos in aciem descendere, iusto prælio deuicit. Subactis cis Apenninum omnibus, tum

transmon

transmontanos adortus, in his & Briniates Ligures erant, quos non adierat Flaminius. omnes Æmilium subegit, armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus in agrum Gallicum exercitum duxit, viamque ab Placentia, vt Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit. postero anno Q. Marcius Philippus consul in Ligures Apuanos profectus, dum penitus in abditos saltus, quæ latebræ, & receptacula illis semper fuerant, persequitur, in præoccupatis angustiis loco iniquo est circumuentus. saltus, vnde consulem Ligures fugauerant, Marcius est appellatus. Deinde M. Sempronius Tuditanus consul à Pisis profectus in Apuanos Ligures vastando agros, vrendoq; vicos, & castella eorum, aperuit saltum vsque ad fluuium Macram, & Lunæ portum. Hostes montem antiquam sedem maiorum suorum ceperunt, vnde superata locorum iniquitate deiectione sunt. & Ap. Claudius Pulcher felicitate, virtutemq; collegæ in Liguribus Ingaunis æquauit secundis aliquot præliis, sex præterea eorum oppida expugnauit, multa millia hominum in iis cepit, belli auctores tres, & quadraginta securi percussit. biennio post à Q. Fabio Labeone consule memorabile nihil gestum. Insequenti anno, cum Ligures consulibus ambobus L. Paulo, & Cn. Bæbio essent decreti, à Q. Fabio litteræ acceptæ, Apuanos ad rebellionem spectare, periculumque esse, ne impetum in agrum Pisanum facerent, consules ambo in Ligures profecti prospere pugnauerunt. Ligurum duo millia fere ad extremum finem prouinciæ Galliarum, vbi castra Marcellus habebat, cum venissent, vt reciperentur, orantes, Marcellus per litteras senatum consuluit. senatus ad consules vt mitterentur, censuit. nec quicquam aliud postea gestum. recesserant enim Ligures primum in deuios saltus, deinde dimisso exercitu passim in vicos, castellaque sua dilapsi sunt. postero anno L. Paullus prorogato ex consulatu imperio in Ligures Ingaunos cum exercitum adduxisset, rem bene gessit. triduo Ligurum Ingaunorum omne nomen obsidibus datis in deditionem venit. Insequenti anno P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo prorogatum est ex consulatu in Liguribus imperium. iussiq; prouincias obtinere, donec consules venissent. Hi vero cum in consulatu memorabile nihil gessissent, hoc anno in Apuanos exercitum induxerunt. Ligures, qui ante aduentum consulum in prouinciam non expectassent bellum, improviso oppressi ad duodecim millia hominum dediderunt se. Eos consulto prius per litteras senatu, deducere ex montibus in agros campestres, procul ab domo, ne reditus spes esset, Cornelius, & Bæbius statuerunt, nullum alium ante finem rati fore Ligustini belli. ager publicus populi Roma. erat in Samnitibus, qui Tauraninorum fuerat. in eum cum traducere Ligures Apuanos vellent, edixerunt, Ligures ab Anido . . . . montibus descendere cum liberis, coniugibusque, sua omnia secum portarent. traducti sunt publico sumptu, ad quadraginta millia liberorum capitum cum feminis, puerisq;. argenti data centum, & quinquaginta millia sestertium, vnde in nouas ædes compararent, quæ opus essent. agro diuidendo, dandoque iidem qui traduxerant, Cornelius, & Bæbius præpositi. atq; hi sunt quos in Samnitibus Plinius Ligures Bæbianos, & Ligures Cornelianos appellat. Eodemque anno consules ambo A. Postumius, & Q. Fuluius in Ligures exercitus diuersis partibus induxerunt. Postumius prima, & tertia legione Balistam, Suismontiumque montes obsedit, & premendo præsidiis angustos saltus eorum, commeatus interclusit; inopiæque omnium rerum eos perdomuit. Fuluius secunda, & quarta legione adortus à Pisis Apuanos, qui eorum circa Macram flumen in colebant, in deditionem acceptos ad septem millia hominum in naues imposita præter oram Etrusci maris Neapolim transmisit, inde in Sannium traducti. agerque his inter populares datus est. Montanorum Ligurum ab A. Postumio vineæ cæsarum, frumentaque deusta, donec cladibus omnibus belli coacti in deditionem venerunt, armaque tradiderunt. Bellum inde Q. Fuluius Flaccus consul excepit. qui profectus per inuios montes, vallisque, saltus cum exercitu transgressus,

q signis

signis collatis cum hoste pugnavit, neque tantum acie vicit, sed castra quoque eodem die cepit. tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum in deditio-  
nem concessit. consul deditos in campestres agros deduxit, praesidiaque montibus  
imposuit. ab altero consule L. Manlio in Liguribus nihil dignum memoria gestum  
est. biennio post C. Claudius Pulcher consul victor ex Istria in Ligures mouentes  
s. c. exercitum traduxit. ad Scultemnam flumen in campos progressi castra habebant.  
ibi cum iis acie dimicatum. xv. millia caesa. Ligures reliquiae cladis in montes  
refugerunt passim, populantique campestres agros consuli nulla usquam apparuerunt  
arma. eodem anno Lucam colonia deducta. de Liguribus captus is ager erat.  
Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat. Ligures postquam senserunt, non contu-  
larem tantum exercitum Romam adductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis di-  
missam, soluti metu clam exercitu indicto, per transuersos limites superatis mon-  
tibus in campos degressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu colo-  
niam ipsam ceperunt. Itaque postero anno C. Claudius procos. exercitum ad Mu-  
tinam admouit, atque ante triduum, quam oppugnare coeperat, receptam ex hosti-  
bus colonis restituit. v. r. i. millia ibi Ligurum intra muros caesa. Q. autem Petil-  
lius consul, cum audisset, Ligures rebellasse, tumultus eius causa legionem tertiam,  
ac C. Claudium procos. in Galliam proficisci iussit, & duumuiros nauales cum  
classe Pisas ire, qui Ligurum oram maritimam, quoque terrorem admouentes  
circumuectarentur. eodem & ipse ad conueniendum exercitui diem edixerat. &  
C. Claudius audita rebellionem Ligurum praeter eas copias, quas secum Parmae ha-  
bebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admouit. hostes  
sub aduentum C. Claudij, a quo se meminerant ad Scultemnam flumen victos, fu-  
gatosque, locorum magis praesidio aduersus infeliciter expertam vim, quam armis  
se defensuri, duos montes Letum, & Balistam ceperunt. muroque insuper ample-  
xi, tardius ex agris demigrantes, oppressi ad M & D perierunt. Q. Petillius, ne ab-  
sente se debellaretur, litteras ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Gal-  
liam veniret. campis Macris se eum expectaturum. Litteris acceptis Claudius ex  
Liguribus castra mouit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem  
paucis post diebus consul alter venit. Ibi diuisis copiis, priusquam digrederentur,  
communiter ambo exercitus lustrauerunt. tum sortiti, quia non ab eadem vtrunq;  
parte aggredi hostem placebat. regiones, quas peterent. Profecti inde in diuersas  
regiones. Petillius aduersus Balistam, & Leti iugum, quod eos montes perpetuo dor-  
so inter se iungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites imme-  
morae ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, se eo die Letum capturum esse. duabus  
subinde partibus subire in aduersos montes coepit. ea pars, in qua ipse erat, impigre  
succedebat. alteram hostes cum pepulissent, ut restitueret rem inclinatum, consul  
equo aduectus suos quidem a fuga reuocauit, ipse dum incautus ante signa obser-  
uatur, missili traiectus cecidit. multitudo peditum equitumque deturbatis hostibus  
montes sine duce cepere. ad quinq; millia Ligurum occisa. ex Romano exercitu  
duo, & quinquaginta ceciderunt. Haec iisdem verbis de Liguribus haecenus Liuius.  
Sequenti anno tumultum item in Liguribus nouum exortum, atque a consulibus  
M. Lepido, & P. Mucio compressum docuit ille quidem libro x l i, at iniuria tem-  
porum rerum a Lepido gestarum memoria excidit. quae vero ex tanto quasi nau-  
fragio euaserunt, haec sunt. Loquebatur enim, credo, de Lepido, cum ita scripsit  
..... deduxit. cis Apenninum Garuli, & Lopicini, & Hercates, trans Apenninum  
Brimates fuerant. Quibus verbis hos omnes Ligurum populos victos ex mon-  
tibus in campos deductos a Lepido, ut alios ante ab aliis consulibus, significari exi-  
stimo. Inde pergit de altero consule ita scribere: P. Mucius cum ijs, qui Lunam,  
Pisasque depopulati erant, bellum gessit, omnibusque in ditionem redactis arma ademit.  
ob eas res in Gallia, Liguribusque gestas duorum consulum ductu, auspicioque senatus  
in triduum supplicationes decreuit, & xl hostijs sacrificari iussit. & tumultus qui-  
dem

dem Gallicus, & Ligustinus, qui in principio eius anni exortus fuerat, haud magno  
conatu oppressus erat. Inde anno D L x x x, in agro Statellati, ad oppidum Caristum,  
quo se magnus exercitus Ligurum contulerat, est pugnatum. primo sub aduentum  
M. Popillij consulis mœnibus sese continebant, deinde postquam oppidum oppu-  
gnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas aciem struxerunt. nec  
moram consul certamini fecit. cum amplius quattuor horas ita pugnatum esset,  
ut neutro inclinaret spes, consul equites immisit, qui impressione facta hostem  
pepulerunt. Ligures in fuga passim caesi sunt. decem millia hominum caesa tra-  
duntur. amplius D C C C passim capti. post hanc pugnam ex diuersa fuga in unum  
collecti Ligures cum maiorem multo partem ciuium amissam, quam superesse  
cernerent (nec enim plusquam decem millia hominum erant) dederunt sese. ni-  
hil quidem illi pacti. sperauerant tamen non atrocius, quam superiores imperato-  
res consulem in se seuiturum. at ille arma omnibus ademit, oppidum diruit. ipsos,  
bonaque eorum vendidit, litterasque senatui de rebus ab se gestis misit. quas cum  
A. Atilius praetor in curia recitasset, atrox res uisa senatui, Statellates, qui vni ex  
Ligurum gente non tulissent arma aduersus Romanos, tum quoque oppugnatos  
non vltro bellum inferentes, deditos in fidem populi Roma. omni vltimae crude-  
litis exemplo laceratos, ac deletos esse, tot millia capitum innoxiorum fidem  
implorantia populi R. ne quis vnquam se postea dedere auderet, pessimo exemplo  
venisse, & distractos passim, iustis quondam hostibus populi R. pacatis seruire. Quas  
ob res s. c. factum est, placere senatui, M. Popillium consulem Ligures pretio empto  
ribus reddito ipsos restituere in libertatem, bonaque; ut iis, quicquid eius recuperari  
possit, reddantur, curare arma primo quoque tempore fieri in ea gente, consulem  
de prouincia decedere, cum deditos in sedem suam Ligures restituisset. Sequenti  
anno M. Popillius procos. iterum cum Statellatibus Liguribus pugnavit, ac decem  
millia eorum occidit. propter cuius iniuriam belli ceteri quoque Ligurum populi  
ad arma ierunt. consules C. Popillius, & P. Aelius in Ligures profecti. s. c. factum ut qui  
Ligurum post Q. Fuluium, L. Manlium consules hostes non fuissent, eos C. Licinius,  
Cn. Sicinius praetores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Pa-  
dum consul Popillius daret. Multa millia hominum hoc s. c. restituta in libertatem,  
transductisque Padum ager assignatus est. Ita per aliquot annos otium in Liguri-  
bus fuit. anno autem D L x x x v i i, consules ambos M. Claudium Marcellum, &  
C. Sulpicium Gallum cum iisdem rem prospere gessisse ex mutilatis ipsorum trium-  
phis, qui in Capitolinis extant tabulis, apparet. a quibus iisdem Alpinos Gallos,  
& Ligures subactos, deletosque esse in Liuianorum epitomis, & apud Obsequen-  
tem est scriptum. postremo vero anno urbis quingentesimo nonagesimo quin-  
to in iisdem tabulis inuenio, M. Fuluium Nobiliorem pro cos. de Liguribus Ve-  
leatibus triumphasse. qui annus est a primo huius belli octogesimus. siquidem an-  
no urbis D x v initum scripsimus. Haec est autem nobilis illa victoria, de qua  
scribit, ut opinor, Strabo libro l i i i his verbis: *Salyes primos ex transalpinis Gallis  
populus Ro. in ditionem redegit, cum diuturnum aduersus eos, & Ligures bellum  
gessisset, quod iter per oram maritimam in Hispaniam impedirent. etenim & terra, &  
mari latrocinij infesta reddebant omnia, atque ijs opibus erant, ut vix magnis exerciti-  
bus viam praerberent. octogesimum autem demum annum bellum gerentes Romani effe-  
cerunt, ut ijs, qui publice iter facerent, ad stadia duodecim via pateret.* Nescio autem an  
hunc Fuluium Florus intellexerit, (nam multi cum Liguribus Fuluij ante bellum  
gesserunt) cum dixit: *Tandem Ligurum latebras Fuluius igne sepsit.* vnde Forum Ful-  
uij cognomine Valentinum nomen accepit apud Plinium. Quo vero anno Ligu-  
res in potestatem ita concesserint, ut parere praetori populi Ro. coacti sint, parum  
liquet. Strabo quidem post hoc tempus Romanos, Liguribus deletis, & tributo  
imposito, eorum remp. descripsisse tradit, quod est aliud nihil, quam eos in pro-  
uinciae formulam redegit. Quae verba mecum ipse contemplans, & cum bel-

lis, quæ post in Liguribus gesta sunt, comparans in eam adductus sum opinionem, ut putem, Ligures aliquot post annis prouinciæ formam. M. Aemilij Scauri consulis victoria, anno D C X X V I I I accepisse. quam sententiam intelligo præterea multis posse me argumentis non leuissimis confirmare. primum enim hic de Liguribus Gaticis triumphasse in libro de viris illustribus fertur; deinde eundem etiam incertum vltimæ quasi victoriæ argumentum Aemillam in Liguribus viam strauisse refert Strabo, quam per Pisas, & Lunam vsque ad Sabata, & inde per Derthonem perduxit. postremo, quod caput est, post hoc temporis Ligurum, ut sociorū, in bellis Romanis fieri mentionem inuenio. Atque de Liguribus quidem hæc hæc.

De agro, & fœderibus Gallorum. C A P. X X I I I.



**L**X P O S T I S bellis, ac fœderibus Ligurum, ordo postulat, ut deinceps Gallorum res persequamur. Hi ex transalpina Gallia profecti, Tuscis, veteribus incolis, per arma pulsus, in his locis sedes posterunt. Polybius quidem auctor est, loca prima, quæ ad fontes Padi sunt, Laos, & Lebecios, secūda vero Insubres, tertia apud fluium Cænomanos infedisse. cis Padum vero, qui ad Apenninum agri pertinent, primum Ananes, post Boios, deinceps ad Adriam Lingones, vltimos vero ad mare Senones occupasse. Lilius autem aliquanto illustrius; *Tuscorū, inquit, ante Romanum imperium late terra, mariq; opes patuere. mari supero, inferoq; quantum potuerint, nomina sunt argumento, quod alterum Tuscum communi vocabulo gentis, alterum Adriaticum mare ab Adria Tuscorum colonia vocauere Italica gentes. It in vtrunq; mare vergentes, incoluere vrbibus duodenis terras. prius cis Apenninum ad inferum mare, postea trans Apenninum, totidem, quot capita originis erant colonijs missis. quin trans Padum loca omnia, excepto Venetorum angulo; qui sinum circumcolunt maris, vsque ad alpes tenuere. Alpinis quoque ea gentibus haud dubie origo est, maxime Rhetis, quos loca ipsa efferaunt, ne quid ex antiquo præter sonum lingua, nec eum incorruptum, retinerent.* Hinc Tarquinio Prisco regnante, Gallos alpes in Italiam transcendisse ait, Bituriges, Aruernos, Santones, Aeduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, qui fuis acie Tuscis haud procul Ticino flumine, cum in quo confederant, agrum Insubrium appellari audissent, cognomine Insubribus pago Aeduorum, ibi omen loci secuti vrbem condiderint, eamque Mediolanum appellarint. aliam subinde Germanorum (Cænomanorum sunt, qui legi malint) manum vestigia priorum secutam traiectis alpibus, vbi nunc Brixia, & Verona vrbes sunt (locos tenuisse Lebuos) confedisse. post hos Saluos venisse; qui præter antiquam gentem Læuos, Ligures incolentes citra Ticinum amnem expulerint. Boios inde, Lingonēque transgressos cum inter Padum, atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus traiecto, non Etruscos modo, sed etiam Umbros agro exegisse. tenuisse se tamen intra Apenninum. tum Senones recentissimos aduenarum ab Vite flumine vsque ad Aesim fines habuisse. Atque hic quidem post Gallorum irruptionem antiquus huius regionis status fuit, ut ea trans Padum à Laiis, & Lebeciis, siue, ut est apud Lilium, Læuis, & Leuis, præterea ab Insubribus, & Cænomanis, cis Padum autem ab Ananibus, Boiis, Lingonibus, & Senonibus teneretur. Ego vero Ananes, & Lingones, quorū nullam in bellis Romanis fieri mentionem inuenio, à Boiis accolis hostibus sedibus suis euersos; ac latius Boiorum fines propagatos facile existimarim. siquidem & Ligurum cum Gallis, & Gallorum cum Venetis, & ipsorum inter se bella grauissima constat fuisse. Quo fit, ut incerti eorum etiam fines pro victoriæ ac temporis ratione reperiuntur. Quocirca ego in agro, & fœderibus Gallorum Cisalpinorum exponendis, Boiorum tantum, & Insubrium, & Cænomanorum meminero; quod reliqui, quantum ipse coniectura consequi possum, iam pridem

dem ab his, ut Senones à Romanis, bello deleti fuissent. Boij vero ab ortu solis Senonibus, teste Polybio, ab occasu Liguribus cispadanis ad Trebiam amnem adhæserunt, à meridie quidem Apennino, à septentrione vero Pado conclusi. Quod cum ita sit, profecto apparet, oppida eorū fuisse vltra Rubiconē ad mare Ra-uennā, intus Cæsenam, Fauentiam, Claternam, Bononiam, Mutinam, Macroscāpos, Nuceriam, Tanetū, Parmam, Brixillū, Fidentia, & Placentiam: vltra eā enim est Trebia. Cænomanorum incerti feruntur fines. quoniā autem Veronā, quam interfuit Athesis, modo in Venetis, modo in Cænomanis collocari ab antiquis animaduerto, fit, ut ab oriente Cænomanos Athesi flumine terminatos putē, ab occidente Ollio amne, à quo non longe abest Clusius, cuius Polybius meminit, cū inquit, Romanos ex Insubribus, Clusio fluuio traiecto, in Cænomanos venisse, atq; iis sociis asūptis in Insubres infesto agmine rediisse; à septentrione Rhetis, & ceteris, qui eas alpes insidebāt, barbaris, à meridie Pado. quo in spatio sunt Verona, Brixia, Mantua, Tridentū, & Butriū, auctore Ptolemæo. Insubres inde, ut ipse coniectura auguror, intra Ollium, & Ticinum flumina, Alpes, & Padum se tenuerunt. de Ticino significat Lilius, cum scribit, *Insubres traiectis alpibus præter antiquam gentem Læuos, Ligures citra Ticinum amnem incolentes expulisse, eamq; regionem occupasse.* oppida hi coluerūt Cremonam, Bergomum, Mediolanum, Ticinū, Acerras, & Nouariamq; vltra Ticinum, & Insubrium regionem fuerunt Lebecij, ut ait Polybius, siue Lybici, ut Ptolemæus, siue Lebui, ut Lilius, quos & ipsos Gallos aliquando appellat, quibus Vercellas oppidum assignat Ptolemæus. Nam Læui gens, ut ait Lilius, antiqua citra Ticinum habitauit, immo vero Ticinum oppidum, auctore Plinio conpedit. vltra hos erant Ligures Alpini, & Salassi, alique Galli Alpes Italia incolentes, de quibus alio loco disseram, nunc, quod instat, agendum.

Ex Gallis cisalpinis primi post Senones, quos supra funditus euersos scripsimus, Boij infesta Romanorum arma senserunt. Nā quo anno antiquis sedibus Senones sunt exturbati, eodem, ut scribit Polybius, Boij cum rebus suis timentes, sollicitatis Etruscis, graui Romanos bello prouocassent, ad lacū Vadimonis à P. Doblabella cōfule sunt deuicti, qui fuit annus, ut dixi, vrbis c D L X X. inde per multos annos otium à Gallis fuit. Quo deinde anno Liguribus, eodem etiam Boiis arma illata esse inuenio Ti. Sempronio Graccho, & P. Valerio Falto. eos cum quibus Valerio duce dubio euentu pugnatum scribit cum Zonara Orosius. Postero autem anno primum trans Padum legiones missæ, & cum Insubribus acie dimicatum est, tertio Boij cum multitudine sua terrorem se Romanis incussuros putassent, ac per legatos Ariminensem agrum, vnde paucis ante annis pulsus Senones fuerant, ut suū repetentes, Romanos Arimino excedere iussissent, sua sponte deleti sunt à sociis ipsi suis, quos ex transalpina Gallia euocauerant, conuersis in se armis oppressi. Inde ab iis per aliquot annos quies. post anno D C X I I, M. Aemilio Barbula, M. Iunio Pera-cos. Boiis, aliisq; Gallis pecuniā facientibus, veriti Romani, ne eam belli in se inferendi causa pararent, edixerunt, ne quis homini Gallo mutuam pecuniam daret. Galli cōperto, consules in Ligures exercitū adduxisse, dum se, ut Romā versus cōtendant, comparant, improviso à consulibus opprimuntur. Cum autem post biennium, Q. Fabio Maximo iterum consule, C. Flaminius tribunus pl. (quod scriptum est in Catone Tulliano), aduersus senatus auctoritatem legem pertulisset, ut ager Picens, & Gallicus viritim diuideretur (Gallicum autem intelligebant eum, vnde exacti Senones cis Ariminum fuerant) factum est, ut Boij Senonū calamitate edocti, cum se iniuriæ esse proximos cernerent, inita cum finitimis Insubribus societate, Gallis etiā transalpinis accitis, qui ad Rhodanum accolebant, & à mercede, qua conducti militabant, Gestatæ dicebantur, quiescentibus Cænomanis in Etruriam, quæ iam tum in ditione Romanorum erat, irruerint, anno vrbis D C X V I I. aduersus quos cum consules L. Aemilius Papus, C. Atilius Regulus maximum, siquando vnquam alias, ex vniuersa Italia exercitum adduxissent. ( ea centum

millia armatorum fuisse traduntur ) ingentes eorum copias ad Fæfulas prostigarunt. XL millia cæsa, decem capta, agrum Boicum ab Æmilio vastatum accepimus. Postero anno Romani ex re priore anno bene gesta in spem adducti, Gallos ex regionibus circumpadanis eiiciendi, Q. Fulvium, T. Manlium consules in Galliam miserunt. qui cum legionibus fines Boiorum ingressi ad deditiōem eos compulerunt, imbrium, & pestilentia, vt placet Polybio, deterriti magnitudine, ne reliquias belli persequerentur. Zonaras tamen Boiorum regionē ab hoc tempore in potestate fuisse populi R. tradit. Anno insequenti P. Furius, & C. Flaminius consules per Ligurum quorundam, quos sibi socios ascuerant, fines Insubrium gētem adorti, nobilem victoriam rettulerunt. Quietæ iā res in Gallia futuræ videbantur, nisi Insubres pacē petentes à M. Marcello, & Cn. Scipione eos. occasiōem belli quærentibus ad arma capiēda fuissent compulsi. Hi vero Gessatarum armis adiunctis cum in aciem prodissent, Aceris, & Mediolano, quod eorū caput erat, & Como oppidis amissis, cum frustra traiecto Pado Clastidium obsedissent, deditiōem fecerunt, pecuniis, & agrorum parte multati. Marcellus triūphauit, & tertia opima spolia Virдумaro rege Gessatarum interfecto rettulit. Atq; hoc pacto Gallia Cisalpinæ pars, quam Boij, & Insubres tenebant, in potestatem, ditionemq; populi R. concessit. Tum vero prouinciam hanc factā, inde apparet, quod sequentibus deinceps annis prætores, qui eam regerent, eò cum imperio missi sunt. Itaq; triennio post Scipione, & Longo eos. coloniarum duarum, Placentia, & Cremona in agrum, vt scriptum est in Liuianorum epitomis, de Gallis captum sunt deductæ. eaque claustrā aduersus Gallicos tumultus, si qui cis, aut trans Padum excitarentur, opposita. ex quo intelligi sine dubio potest, vt Placentia fuit Boiorum, sic Cremonam tum fuisse, non, vt tradit Ptolemæus, Cænomanorum, sed Insubrium. neque enim bello dum Cænomanos populus R. attigerat, immo vero socios tum, & quidem constantes habebat. Cum autem Boij, & Insubres subito defecissent, vix post multos annos perdomari armis potuerūt. eodem enim anno, vt inquit Liuius, Boij sollicitatis Insubribus ad Annibalem in Italiam venientem se contulerunt, nō tam ob veteres in populum R. iras, quàm quod nuper circa Padum Cremonam, Placentiamque colonias in agrum Gallicum deductas ægre patiebantur. quo factum est, vt triumuiui agrarij diffusi Placentiæ mœnibus Mutinā confugerint. Itaq; post biennium L. Postumius Albinus prætor è prouincia decedens Boiorum fraude in Litana silua cum exercitu est oppressus, Cannensi inde clade cum omnes Cisalpinii Galli populū R. deseruissent, Cremona tamen, & Placentia coloniarum in fide mālè runt. Bellum interea Gallicū ardente Punico bello in Italia omissum, & in annum vrbs quingessimū quinquagesimū quartum est dilatatum. quo anno P. Ælius consul Galliam sortitus, cum audisset, à Boiis ante suum aduentum incursiones in agrū sociorum factas, C. Oppium præfectū socium per Umbriam, agrum Boiorū inuadere iussit. Postero autem anno cum Insubres, Cænomaniq; & Boij excitis Salybus, Huatibus, & ceteris Ligustinis populis, Amilcare Pœno duce Placentiam inuasissent, à L. Furio Purpureone prætore magno prælio victi. Furium inde C. Cornelius Cethegus cōsul secutus, qui decreto à senatu Gallico bello, ad Insubres, qui in armis erant, Cænomanis assumptis, profectus, Boios, Insubres, & Cænomanos cæcidit. Cethego autem cū M. Claudius Marcellus successisset, Comēses prælio profigauit, atq; oppido capto, duodetriginta castella in fidem recepit, & cum L. Furio Purpureone collega Boiorum agrum vsq; ad Bononiam oppidum populabundus peragrauit. ea vrbs, ceteraq; castella, & Boij fere omnes præter iuuetutem, quæ prædandi causa in armis erat ( tunc in deuias siluas recesserat ) in ditionem venerunt. Biennio interiecto P. Africano, Ti. Sempronio Longo consulibus L. Valerius Flaccus pro consule circa Mediolanum cum Insubribus, & Boiis, qui Dorulace duce ad concitandos Insubres Padum traiecerant, signis collatis depugnauit. x millia hostium cæsa. eodemq; anno à Ti. Longo cōsule cum Boiis res varie gesta. Quem

lecu

secutus L. Cornelius Merula consul commissio ad Mutinam prælio Boiorū xiiii millia concidit. Postero anno Boij adeo quieuerunt, vt etiam senatus eorum Cn. Domitio consuli cum liberis, & præfecti cum equitatu ( summa omnium mille, & quingenti ) se dederint. Insequenti anno P. Cornelius Scipio Nasica summo cum Boiis prælio congressus, eos ad deditiōem compulit, ac primo obsidibus ab eorū gente acceptis agri parte fere dimidia multauit, quo si vellet, populus Rom. colonias mittere posset. Itaque sequenti anno decretum, vt eodux coloniarum nouarum deducerentur, & postero Bononia deducta est. Anno inde DLXVI M. Furius prætor infontibus Cænomanis in pace speciem belli quærens ademit arma. Id Cænomanis cōquesti Romæ apud senatum, reiectiq; ad consulem M. Æmiliū Lepidum, cui, vt cognosceret, statueretq; senatus permiserat, magno certamine cum prætore habito, tenuerunt. reddita arma Cænomanis. M. Æmilius ducto ex Liguribus in Galliam exercitu viam Æmiliam per prouinciam ab Arimino Bononiam, & Placentiam, atque inde Aquileiam prope Alpiū crepidinem strauit, ducto, vt ait Strabo, circum paludes opere: cuius viæ ambitum diligenter per singula oppida apud Artoninum video esse descriptum. Ab hoc Galliam citeriorem in prouinciæ formam iterum esse redactam, via Æmilia, & oppidum Regium Lepidi ab ipso appellata satis magnum dare documentum possunt. Quibus addere etiā colonias duas possimus Mutinam, & Parmam in agro Boiis adempto non ita multo post constitutas.

Hæc sunt bella, quibus Boij, Insubres, & Cænomanis domiti post Romana pace contenti in perpetuum quieuerunt. Strabo auctor est, Boios ex finibus suis in loca Danubio vicina translatos cum Tauriscis contra Dacos bellum gerentes radicitus esse sublatos. eosdem etiam funditus interiisse, ex Catone refert Plinius, cum eorū centum duodecim tribus fuissent. Polybius Gallos omnes Padi accolæ è campis dimotos, præter eos, qui sub Alpibus sunt, tradit. Recte. neque enim post hæc tempora vlla in Italia aut Boiorum, aut Cænomanorum memoria celebratur. Insubres autem sua etiam ætate in Italia fuisse Strabo prodidit. vnde illud est apud Ciceronem in Pisonem: *Insuber quidam fuit, id est mercator, & præco. Quidquid autem Gallorum ab Alpibus ad Rubiconem fuit, id totum in cispadanam, & transpadanam regionem est diuisum. Pulsis autem, vt dixi, Gallis pleraque Romani ciues occuparunt. declarant frequentes eorum coloniarum Bononia, Mutina, Parma, Placentia, & Cremona. ostendit nomen Togatæ Gallia, ( sic enim est hæc regio postea appellata ) quod ab eo ductum videtur, quia ei prouinciæ Romana toga sit concessa. vnde dixit Martialis:*

*Gallia Romana nomine dicta togæ.*

Togatam autem dictā scribit Dio vel ab vsu togæ, vel quod multo, quàm Transalpina Gallia, pacatior esset. Hoc autem nomen ea, vt dixi, regio primum tulit, quam Senones tenuerant. nimirum enim eam Galliam primum Togatæ nomine ornauerunt, quæ primum imperio populi Rom. paruit, ac ciues, moresq; Romanos cum vsu togæ Romanæ prima accepit. inde autem Boiis, qui finitimi fuerāt Senonibus, vt dixi, exturbatis hoc nomen esse communicatum puto, postquam ad hos etiam victus, cultusq; Romanus est translatus. siquidem Ptolemæus Galliam Togatam à Placentia Rauennam perducit. quo fortasse respexit quoque Festus, cum scripsit *Boicum agrum dici, qui fuit Boiorum Gallorum, esse autem in Gallia citra alpes, quæ Togata dicitur.* Argumento est etiam hanc regionem ciuibus Romanis fuisse reſertam, sermo ipse Latinus, quo ea vsa esse fertur adeo, vt etiam è Gallia Romæ fuerint oratores. Itaque quærenti Bruto in libro de claris oratoribus, quis esset vrbanitatis color, respondit Cicero; *Id tu Brute iam intelliges, cum in Galliam veneris: audies tu quidem verba quædam non trita Romæ. sed hæc mutari, dedisci; possunt. illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam, & resonat vrbanus, nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris. Ego memini T. Tincam Placentinum homine m facitissimum cum familiari nostro Q. Granio præcone dicaci-*

q 4

tate



tate certare. sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo. Sed de Gallis Italicis hactenus. nunc transeamus ad Venetos.

De agro, & federibus Venetorum, & Carnorum. CAP. XXV.



VPRA Cænomanos erant Veneti, supra Venetos Carni. Venetos alij ex transalpina Gallia ab ultimis Oceani partibus, alij, quibus ego potius assentior, ex Paphlagonia, post Troiæ excidium, cum Antenore Troiano in Italiam venisse, atque ad sinum Adriatici maris, pulsus inde antiquis incolis Euganeis, sedes posuisse, litteris prodiderunt. Quidquid autem agri ab occidente Athesi, ab oriente sinu Adriatico, à septentrione, ut ait Strabo, Natifone flumine, à meridie Pado est comprehensum, id totum fuit Venetorum, eaq; regio vniuersa est Venetia nominata. oppida in hoc tractu nobiliora fuerunt, Adria, vnde sinus nomen creditur inuenisse, Patauium, Altinum, Ateste, Opitergium, Vicetia, Acedum, Belunum, ut auctor est, & quidem, ut puto, idoneus, Ptolemæus. Nam Carni à Natifone flumine vsque ad Formionem, quantum ex Strabonis, & Plinij perspicui monumētis potest, oppida tenuerūt Aquileiam, quam aperte extra Venetos fines trans amnem fuisse narrat Strabo, Cōcordiam, & Tergeste. Vnde illud commode, ut alia multa, Mela, in oris Italia proximam esse à Tergeste Concordiam. interfluere Timauum, deinde Natifonem non longe à mari Aquileiam attingere; ultra esse Altinum. Flumina Venetiæ numerat Plinius Medoacos duos, & Togisonum per agrum Patauinum fluentes, Silim per Taurisanum, Lipientiam per Opiterginum, Romatium, Tillauemptum maius, minusq; Anassum, quo Varranus defluit, Alsam, Natifonem cum Turro præfluentes Aquileiam, XII millia passuum ab ea, ultra quam VII millia passuum Formionem esse.

Quo tempore Veneti à Romanis victi, aut omnino bello villo petiti sint, adhuc eruere ex tanta annalium vetustate non potui. societatem eos quidem cum Romanis inisse ante Annibalis in Italiam aduentum, tradit Polybius. ex quo existimari potest, nulla eos occasione, vel nullo potius rerum Italiæ motu post fidem semel datam violasse, sed amicitiam bonis populi Rom. rebus iunctam in perpetuum castissime coluisse. neque enim ipsos se villo aut Cænomanorum, aut Carnorum finitiorum bello implicuisse, sed sponte se fidei, ac potestati Romanorum permisisse accepimus. paruisse tamen & ipsos prætori, qui Galliam cum imperio obtineret, id est in prouinciæ formam esse redactos, & credo, & cur credam, multas causas afferre possum. maxime autem, quòd anno DLXVI M. Æmilius Lepidus, cum prouinciã Galliam, etiam tum arma retinentem, quanquam assiduis prope bellis afflictam, ac perditam esset fortitus, dicitur Æmiliam viam strauisse per prouinciã ab Arimino, Bononiam, ac Placentiam, atque inde circumducto opere Mediolanum, Bergomum, Veronam, & Patauium vsque ad Aquileiam tum illius, ut puto, prouinciæ finem, præsertim vero Carnis adhuc bello Romano intactis. quòd ille certe nõ fecisset, nisi Venetos quoque prouinciã habuisset. Alterum argumentũ est, quòd sequenti anno, cum Galli quidam transalpini in Venetia, ut inquit Liuius, ædificare oppidum conarentur, id sine prætoris, qui prouinciæ præflet, cōcessu factum molleste tulit senatus. Qua de re placet, quid ille ad verbum scripserit recitare. *Sp. Postumio*, inquit, *Q. Marcio consulibus, Galli transgressi in Venetiam sine populatione, aut bello. haud procul inde, vbi nunc Aquileia est, locum oppido condendo ceperunt. triennio post, Q. Fabio Licino, M. Claudio Marcello cos. cum ædificarent, Iulio prætori Gallie mandatum, ut id prohiberet, quoad eius sine bello posset. si armis prohibendi essent, consules certiores faceret. ex his placere alterum aduersus Gallos ducere legiones. Marcello consuli aduenienti cum legionibus Galli se dediderunt. XII millia armorũ erant, arma omnibus adempta. id legatis eorum in senatu querentibus, responsum, ne*

illo

illos recte fecisse, cum in Italiana venerint, oppidumq; in alieno agro nullius Romani magistratus, qui prouinciã præflet, permissu ædificare conati sint. neque senatui placere deditos spoliari. *Aquileia in colonia deduceretur, decretum.* Tertio loco moueor, quòd anno DLXXIII consuli, qui prouinciã Galliam obtinebat, à senatu negotium datum esse idem testis est Liuius, ut Patauinorũ in Venetia, seditionem comprimeret, quos certamine factionum ad intestinum bellum exarsisse, ipsorum legati attulerant. Patauinis saluti aduentum consulis fuisse, neque aliud, quòd ageret in prouinciã, cum habuisset, Romam rediisse. postremo, quòd Cæsar, & post Cæsarem D. Brutus, cum hanc Galliam cum imperio regeret, Patauinos quoque & Vicerinos in imperio habuisse, veterum litterarum monumenta declarant.

Ut autem de Venetis, sic etiam de Carnis obscurum est, quando vel vi, vel voluntate in amicitiam venerint. credo, quòd rerum cum his gestarum vna cum veteribus annalibus memoria profus exciderit. integris autem eos viribus ad annum DLXXII fuisse, satis plane demonstrat Liuius, cum ita scribit: *C. Cassius consul in Gallia, quam sortitus erat, memorabile nihil gessit. & per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. Aquileienses quæsti in senatu Romanæ coloniam suam nouam, & infirmam, nec dum satis munitam inter infestas nationes Istriarum, atque Illyriorum esse. senatus Carnis, aut Istriæ bellum à Cassio illatũ credere. postero anno Carnorum, Istriarumq; & Iapudum legati venerunt: duces sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedoniam ducenti exercitum iter monstrarẽ, pacatum ab se tanquam ad aliud bellum gerendum abisse, inde ex medio regressum, timere hostiliter peragravisse fines suos, passim rapinas, & incendia facta, nec se ad id leuorũ scire propter quam causam consuli pro hostibus fuerint.* Ac de his quidem aliud nihil accepimus. Carnos tamen, siue armis, siue voluntate se ad amicitiam Romanorum contulerint, in prouinciæ formam relatos, & Gallis, Venetisq; adiunctos, crediderim. siquidem Cæsar cum Galliam hanc pro consule administraret, Aquileiensem, & Tergestinorum, ut populorum ad suum imperium pertinentium, meminit in libris, quos de Gallico bello conscripsit. Factum est autem, ut postea Carni, Venetis, quorum nomen late patebat, attributi eorum etiam sibi nomen ascicerent, & Venetiam regionem vsque ad Istriam sibi finitimam propagarint. quòd video sine dubio intellexisse Catonem in epitomis Italicarum originum, cum Venetiam scripsit ab Istria vsque ad Padi ostia pertinere, quibus epitomis tantam ego tribuo auctoritatem, quanta incorruptis veteribus monumentis merito tribuenda est. Venetos autem vsque ad extrema reip. tempora nomen retinuisse, præter ceteros ostendit Velleius, cum de M. Antonio ait: *Pollio Asinius cum septem legionibus diu retenta in potestate Antonij Venetia magnis, speciosisq; rebus. circa Altinum, aliasq; eius regionis vrbes editis, Domitium iunxit Antonio.*

De iure prouinciæ Gallie. CAP. XXVI.



VM igitur alio bello Ligures, alio Boij, alio Insubres, & Cænomanii, alio Veneti, & Carni aut vi, aut voluntate ad amicitiam, & societatem sint traducti, est tamẽ vna omnium horũ, ut iam saepe significauimus, prouincia facta, eaq; vno nomine citerior, ac Togata Gallia appellata. in qua hi populi floruerunt, Ligures, Galli, & Veneti, nam ex Gallis Boij, & Cænomani adeo iam tum afflictũ erant, & perditũ, ut patriis euerfi sedibus ne agro quidem, quem amiserant, nomen reliquerint. Insubrium autem non late admodum memoria paruit. illud enim celebris, ut omnes Galli, aut cispadani dicerentur, aut transpadani, Carni enim Venetis videntur attributi. Termini autem huius, ut dixi, prouinciæ fuerunt à mari supero Rubico, ab infero Arnus, ab Alpibus Ligustinis Varus, à Carnicis Formio flumina. cis Rubiconem primum oppidum erat Ariminum, quòd iuris Italici fuit, non prouin-

ciz

cia Gallia, cis Arnun Pisæ, ultra Rubiconem in cispadanis Gallis Rauenna, ultra Arnun in Ligutibus Luca, ambo vltima prouinciæ Gallia oppida. Quo factum est, ut Cæsar, cum Galliam pro consule obtineret, modo Rauennam, modo Lucam, ut in extrema prouinciæ suæ oppida, ventitaret; & Cicero Bruto Galliam pro consule administranti Patum quendam ex municipio, ut ait, Lucensi commendaret. De Rubicone, Gallia sine, multa testimonio sunt; verum illud nobilissimum Cicero in Antonium: *An ille, inquit, faciat, ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis est Gallia, educeret?* Cæsarem autem intellexit, qui cum cohortes suas esset, ut ait Suetonius, ad Rubiconem prouinciæ suæ terminum consecutus, reputans se cum, quantum moliretur, conuersus ad proximos, *Etiam nunc, inquit, regressi possumus: quod si ponticulum transferimus, omnia armis agenda erunt.* quod idem multis post annis versibus elegantissimis Lucanus est persecutus in hunc modum:

*Fons cadit modico, parumq; impellitur undis*

*Puniceus Rubicon, cum feruida canduit aestas,*

*Perq; imas serpit valles, & Gallica certus*

*Limés ab Ausonij's determinat arua colonis.*

Atque etiam Ariminum primum oppidum è Gallia in Italiam venientibus occurrissè, eundem video satis diserte ostendisse, cum Ariminenses secum ita conuenientes fecit:

*O male vicinis hæc mœnia condita Gallis,*

*O tristi damnata loco. pax alta per omnes*

*Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,*

*Primaq; castra sumus. melius fortuna dedisses*

*Orbe sub Eoo sedem, gelidaq; sub arcto.*

*Nos primi Senonum motus, Cimbrumq; ruentem*

*Vidimus, & martem Libyes, cursumq; furoris*

*Teutonici. quoties Romam fortuna laeessit,*

*Hæc iter est bellis.*


Quæ causâ fecit, ut primis temporibus, quemadmodum Pisas pro Liguria, sic Ariminum pro Gallia communi sermone vsurparint, quod tradit lib. xvi Liuius, cum scribit: *Urbana prouincia Seruilo obtigit, Ariminum (ita Galliam appellabant) Sp. Lucretio.* Neque vero Luca tantum, id est finitima Tuscis Ligurum regio, prouinciæ est Gallia finibus comprehensa, sed etiam prima, & remotissima, in qua Monæci portus fuit. hinc enim de Cæsare ex Gallia prouincia in Italiam irrumpe dixit Virgilius:

*Aggeribus socer Alpinis, atque arce Monæci.*

Quod autem eadem Gallia Venetos, & Carnos inclusi, id non leuissimis ductus coniecturis feci. Venetorum enim, ut dixi, Vicetia, Patavium, & Opitergium fuit; Carnorum Aquileia, & Tergeste. At Cicero in Philippicis ait: *Vt omittam alias partes Gallia, Patavini alios excluderunt, alios eiecerunt, missos ab Antonio.* & Dio Patavium primum Gallia, post Italia fuisse oppidum scripsit. & D. Brutus huius Gallia prætor de Vicetinis in epistolis, ut de iis, qui suo subiecti essent imperio, loquitur. & Cæsar, ut dixi, libro primo, atque octauo de bello Gallico Opiterginorum, Aquileensium, & Tergestinarum, ut qui ad se, & ad suam prouinciã Galliam pertinerent, meminit. Iam vero vniuersa hæc regio Gallia Togata, quod nomen antea partium eius tantum fuerat, est appellata. ostendit hoc Hirtius, indicat Cæsar, demonstrat Dio, res prope loquitur ipsa. Hirtius, cum scribit, Cæsarem omnes regiones Gallia Togata percurrisse, T. Labienum ei præfecisse; Cæsar, cum se libro vii ait legionem xii in Galliam Togatam misisse, ad colonias ciuium Rom. tuendas, ne quod simile incommodum accideret, de incursione barbarorum, ac superiore æstate Tergestinis acciderat; Dio, qui cunctam citeriorem Galliam Togatam Gallia nomine appellatam scribit. Itaque probe Mela, & docte, qui Galliam Togatam

Carnos,

Carnos, & Venetos incoluisse prodidit, non quod ea Veneti soli, & Carni tenerentur, sed quod præter Ligures & Gallos, & hi Gallia huius finibus clauderentur. In hanc porro prouinciã tres ab vrbe via duxerunt, Flaminia per Ariminum, Cassia per Arretium, Aurelia per Pisas, vnde Cicero in Philippicis, *Tres viae sunt ad Mutinam, a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Hanc ergo regionem armis, quo modo demonstraui, deuictam iniquioribus, quam reliquam Italiam, in amicitiam fœderibus esse susceptam constat. vnde tertio quodam iuris genere est affecta, quod & Latinorum, & Italicorum iure deterius fuit. Visa est autem quodammodo à reliqua Italia segregari, quia non quo modo Italia, sed quo modo exteræ regiones solerent, est administrata. quo illa Tulliana referenda sunt in octaua in Antonium: *Maiores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticum, tumultum Gallicum, quod erat Italiae finitimum, nominabant.* & in decima: *Habet inimicissimam Galliam, etiam eos, quibus confidebat, alienissimos Transpadanos, Italia omnis infesta est.* Gallia autem administranda ratio ab ipsa prouinciã, de qua sæpe supra dixi, formula est petita. Redigere vero in prouinciã formam nihil erat aliud, nisi leges domesticas adimere, & Romanas dare, ac prætoris, qui quotannis prouinciã ex legibus datis administraret, instituere. Neque vero sola tributi impositio prouinciã efficit, cum id multis sit etiã Italicis, & exteris imperatum, qui tamen in prouinciã formam non sint relati, sed legum domesticarum, & patriæ libertatis ademptio, & prætoris, qui eos regat, institutio. regat autem ita, ut & ius in cõuentibus dicat, & imperium belli gerendi causâ habeat, ut in libris de antiquo iure prouinciarum accuratius ostendemus. Ius autem in Gallia dictum Aquileia, Mediolani, Rauenna, & Luca, ibiq; cõuentus actos non leuissimis adductis cõiecturis opinor. Hanc vero interea aut tumultuantem per consules, & prætores, aut pacatiorem per proprætores, & proconsules rexerunt. donec quotannis aut consularibus, aut prætoris ordine mādari est cœpta. siquidem extremis reip. temporibus L. Murena, & Q. Metellus Celer ex prætura, L. Afranius, & C. Cæsar ex consulatu eam administrarunt, postremo M. & D. Bruti à Cæsare acceperunt, & M. Antonius in consulatu obtinuit. Verum, ut aliquando summum huius prouinciæ ius aperiam, ac, quid inter hoc, & Latinorum, Italicorumq; interfuert, ostendam, dico, Latinos partem Romanæ ciuitatis, aut certe aditum ad Romanam ciuitatem aliquem habuisse; legibus suis, non Romanis magistratibus paruisse; inter auxilia meruisse; Italicos nec Romanæ ciuitatis partem, nec vllum ad Romanam ciuitatem aditum esse adeptos, sed legibus suis, ut Latinos, obtinuisse, & pariter in auxiliis militasse; Gallos vero nec ciuitatis Romanæ vlllo modo participes, nec legum, aut libertatis suæ cõpotes fuisse, sed in auxiliis tamen stipendia fecisse. Gallicorum auxiliorum meminit Liuius: *M. Iunius consul bello Istriaco transire in Galliam, & ab ciuitatibus, quantum quæque posset, militum exigere iussus.* & post: *Remissis auxilijs, quæ Gallis imperauerat.* & post: *auxilijs protinus per ciuitates Gallia, coloniasq; imperatis.* Ligustinarum bello Iugurthino Sallustius, cum scribit: *Missæ sunt eo cohortes Ligurum quattuor, & C. Annius præfectus.* deinde: *Forte quidam Ligus ex cohortibus auxiliarijs miles gregarius castris aquatum egressus.* quid quod Cicero ad Caninium scribit, M. Bibulum Syriæ prætorem alarios Transpadanos populo remisisse: Huc adde Plin. cum inquit lib. tertio: *L. Aemilio, C. Atilio cos. Italia nunciato Gallico tumultu sola sine externis vllis auxilijs, atq; etiam tunc sine Transpadanis equitum lxxx millia, peditum dcc millia armauit.* Cænomanos autem, iam tum populi Rom. socios Transpadanorum nomine intellexit, quorum tamen viginti millia cum ceteris Italicis auxilijs bello Gallico affuisse, tradit Polybius. Ex quo intelligi potest, hoc ceteris Galliam citeriorem prouinciis præstitisse, quod ex ea auxilia, ut etiam ex reliqua Italia, legionibus Romanis ex ordine sint accersita, Siculorum vero, aut Sardorum, aut Hispanorum, aut Asiaticorum, aut reliquorum prouincialium, nisi quid forte extra ordinem acciderit, non sint accepta. Ac de Gallis quidem, & reliquis Italiae populis in vniuersum hæc dicta sint.



CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
ITALIAE LIBER  
SECVNDVS.

De multiplici iure ciuitatum Italiae. CAP. I.



VI status populorum Italiae fuerit ab vrbe cōdita vsque ad annum sexcētesimum secundum, quo Sociale bellum Italici Romanae ciuitatis caussa cōflarunt, superiore libro satis arbitror explicatum, huic libro non populorum, sed ciuitatum iura mandare institui, qui locus quo vberior, ac fructuosior, eo mihi ad tractandum, ornandum ve difficilius est, sum enim de coloniis, municipiis, praefecturis, & foris verba facturus, & singulorum inter se differentiam traditurus, quarum rerum & cognitio semper vtilissima, & disputatio nunquam non obscurissima fuit; quippe quam ne sua quidem aetate satis expediam, & facilem fuisse tradidit Gellius, auctor iis, quae tracto, temporibus aliquanto ille quidem aetate inferior, sed ingenij tamen, & doctrinae elegantia, omnium consensione, prope aequalis, sapienter id quidem, intellexit enim, credo, vir iudicio acutissimus, omnem antiquitatis quaestionem multis inuolutam obscuritatibus esse; quae autem tradendis in singularum rerum praecipis cernitur, quae & multitudine infinita, & temporū inclinationibus varia, ac diuersa esse possunt, innumerabilibus prope erroribus esse, & inscitiae tenebris circumfusam.

Me autem vt separatim de singulis ciuitatibus agerem, easque ab vniuersa populorum disputatione secernerem, ea ratio mouit, quod non vt omnes populi ius aut Latij, aut Italicum, aut prouinciae Galliae sunt adepti, item omnes ciuitates, assecutas reperiebam. Quod vt planius intelligatur, illud repetito aliquanto altius huius orationis exordio constituendum videtur, duplicem iam tum ciuitatum Italiae institutam esse diuisionem, vnam artis, alteram iuris, artis, cum earum alias oppida, castella, & vicos dixerunt; iuris, cum easdem in colonias, municipia, praefecturas, foederatas ciuitates, fora, & conciliabula tribuerunt. De oppidis Italiae, neminem puto expectare, dum scribam, neque enim obscura res est, sed veterum omnium testimonio patet. Multos autem vicos, multaque; item in Italia castella fuisse, ne dubitandum quidem est, cum & Marfos, & Pelignos vicos, castellaque; quamplurima tenuisse, Strabo in Italiae descriptione posuerit; Samnitium multa castella, vicosque; bello deletos, Boios, Liguresque; a Romanis acie fusos in sua castella, vicosque; saepe dilapsos, Lilius in historiis suis scriptum reliquerit. Oppida autem illi, vt hoc quoque addam, frequentiores, & ampliores quosdam hominum conuentus esse voluerunt; castella minores, atque angustiores, sed murorum tamen vtrosque ambitu septos, vicos sine muris, sic enim Isidorus: *Vici, & castella, & pagi sunt, quae nulla*

dignitate

dignitate ciuitatis ornantur, sed vulgari hominum conuentu incoluntur, & propter paruitatem sui maioribus ciuitatibus attribuuntur. vicus dictus est a vicinis habitationibus vel quod vias habeat sine muris. castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, quasi casam altam, a quo castellum; siue quod castrabatur ibi licentia habitantium, ne passim vagarentur. Sed de oppidis, & castellis, quae sunt artis, alius erit differendi locus. nunc quod huius instituti sermonis est, de iis, quae ex iure ducta sunt, nominibus differamus. Haec autem coloniae, municipia, praefecturae, foederata oppida, fora, & conciliabula sunt. de quibus nisi certum, & graue antiquorum attulero testimonium, non recuso, quin omnes hanc vt inanem & commentitiam docendi rationem repudient. quid est autem certius, & grauius Cicerone? at ille, cum totam oratorie cōplecti vellet Italiam, dixit in Sextiana: *Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, quae non honorificentissime decreuisset de salute mea.* & in Pisonem: *Nulla fuit regio, nullum municipium, neque praefectura, aut colonia, ex qua non publice ad me venerint gratulatum.* & in secunda in Antonium: *Horum flagitiorum iste vestigijs omnia municipia, praefecturas, colonias, totam denique Italiam inuasi praesit.* Adiungamus Marco Quinctum fratrem, qui in libro de petitione consulatus ita praecipit: *Totam Italiam fac vt in animo, ac memoria tibi distributam comprehensamque; habeas, ne quod municipium, coloniam, praefecturam, locum denique Italiae esse patiare, in quo non habeas firmamenti, quod satis esse possit.* Neque vero aliunde sumpta esse putandum est ea, quae in libris de limitibus ex priscis hausta legibus extant: *Quae colonia hac lege deducta, quodve municipium, praefectura, forum, conciliabulum constitutum erit.* Oppidorum autem foederatorum nulla in his iccirco mentio facta est, quia ciuitatem adepta lege Iulia, omnia municipiorum iam in numerum erant relata. quod post dilucidius apparebit. hoc autem tempore, quoniam de iure Italiae scribere institui, hunc in primis locum purgemus, atque hanc quaestionem praeter ceteris expediamus, vt, quid coloniae, quid municipia, quid praefecturae, quid oppida foederata, quid fora, quid conciliabula fuerint, quae iura a populo Romano obtinuerint, & quanam ex his potissimum in Italia ante bellum Sociale floruerint, explicemus, ac tertium librum temporibus post bellum Italicum exquirendis, atque illustrandis relinquamus.

De colonijs. CAP. II.



COLONIAE igitur (ab his enim placet ordiri) oppida fuerunt, quod populus Romanus ciues suos ad incolendum deduxit. Harum antiquissima origo, quippe quae iam inde a Romulo rege, teste Dionysio, repetatur. Is autem, vt apud eundem est scriptum, quae oppida bello coepit, ea neque diruit, neque seruitute multauit, sed fere in agrum de eis captum colonos ab vrbe deduxit. qua re vel ad libertatem firmandam, vel ad propagandum imperium fingi accommodatius nihil potuit. ex quo apparet, vere quodam in loco scripsisse Gellium, *colonias fuisse ciuitates ex ciuitate R. quodammodo propagatas.* Romuli deinde vestigia ceteri reges, atque exactis regibus senatus, populique, ac postremo senatus, populique auctoritate, & potestate infirmata dictatores sunt secuti. siquidem penes hos omnes alii atque aliis temporibus ius deducendarum fuisse coloniarum inuenio.

Cur autem illi hunc morem semel vsurpatum nunquam postea intermiserint, vt aut quotidie nouas colonias deducerent, aut veteres renouarent, causas potissimum sex reddi posse reperio, dum mecum diligenter veterum annalium verba confidero; vnam ad priores populos coercendos, alteram ad hostium incursiones reprimendas, tertiam stirpis augendae causa, quartam plebis vrbanae exhauriendae, quin tam seditionis sedandae, sextam vt praemis milites veteranos afficerent. Haec autem omnia nobilissimis antiquorum monumentis adeo perspicua sunt, vt de iis nihil sit,

r cur

cur laborandum esse videatur. Nam & Flaccus in lib. de conditionibus agrorum, colonias dictas scripsit, quod populus Rom. in ea municipia colonos misisset, vel ad ipsos priorum municipiorum populos coercendos, vel ad hostium incursum repellendos. & Liuius Ecetras Volscis, Nequinum Umbris, Sinuessam Samnitibus hostibus colonias oppositas prodidit. idemque Placentiam etiam, & Cremonam velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus obiecta alio loco scripsit. & Cicero in agraria altera dixit: *Hoc in genere, sicut in ceteris reipub. partibus, diligentiam maiorum esse spectandam, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocassent, ut non oppida Italiae, sed propugnacula imperij esse viderentur.* & in Fontejana, *Narbonem Marcium coloniam ciuium Rom. speculam populi R. & propugnaculum Gallis oppositum esse dixit, atque obiectum.* Nam de augenda stirpe nescio, cur solliciti simus, cum Liuius magistratus R. his verbis colonias, quae bello Punico imperiū detrectabant, appellantes indicat: *Meminerint, se Romanos, inde ortūdos, inde in colonias, atque in agrum bello captū stirpis augendae causa missos, omnia, quae parentibus debentur, praestare debere.* Plebis autē urbanae exhauriendae, & seditionis sedandae causa saepe colonias esse decretas, facile cum Plutarcho in Coriolano & Dionysio lib. v. i. i. senserim, qui Velitras ea de causa colonos missos litteris prodiderunt. quanquam quid Graecorum testimonium quaerimus, cum nostrorum habeamus? Liuius hoc idem scripsit lib. i. i. i. cum senatum Antium coloniam dixit decreuisse, ut sine querelis possessorum plebs in agros iret, ciuitas in concordia esset. & libro quinto, patres seditionis leniendae causa coloniam in Volcos, quod tria millia ciuium Ro. deducerentur, deducendam censuisse. & libro decimo, Romae plebem quietam, & exoneratam deducta in colonias multitudine. Vnde merito dixit in senatu, cum de ferenda agraria lege contenderet, P. Rullus tribunus pl. *plebem urbanam nimium in rep. posse, exhauriendam esse.* & Cicero in primo epistolarum ad Atticum, se de lege Flauia agraria, quae promulgabatur, ita cēsuisse scribit, *ut emptione agrorum constituta sentina urbis exhauriretur, & Italiae solitudo frequentaretur.* Postremis autem etiam temporibus illa deducendarum coloniarum causa celebrari est coepta, ut emeriti milites in agros deducerentur; quae militares inde coloniae sunt appellatae, de quibus sequenti libro disputabo.

Quacunque autem de causa deducerentur, omnino aut senatusconsulto opus fuit, aut rogatione aliqua populari. quorum vtrumque vno legis nomine video comprehensum, quae lex agraria appellata est, de qua, quoniam lubricam quaestionem continet, & ad explicandum difficilem, pluribus nobis verbis est disputandum. Habuit ergo lex agraria multa capita. nam & agrum definiuit, qui esset diuidendus, & quibus, ac quam multis hominibus, & per quos, & quo modo, & quibus limitibus esset diuidendus, praescripsit.

Agri igitur diuidendi ratio, quantum è veterum monumentis suspicari licet, fuit bipartita, nam aut sine vlla coloniae mentione plebem Romanam in agris constituerunt, aut eidem ita agros assignarunt, si ex vrbe in coloniam, cuius agrum diuisuri esset, proficisceretur. Vtrumque autem agrum multiplicem fuisse inuenio, nempe aut de hostibus captum, neque dum in publicum redactum, aut publicum populi R. & a populo R. possessum, aut publicum quidem, sed furtim a priuatis potentibus vsurpatum, aut denique publico aere diuidendi gratia emptum. Ac reliquae quidem leges agrariae omnes, quae agros vel hostium, vel publicos, vel pecunia publica emptos diuidebant, facile, ac sine motu aliquo ciuitatis sunt perlatae. quae vero priuatos diuites possessione pellebat, ac plebem in agris nobilium collocabat, ea nunquam sine maxima turbatione reip. est promulgata. quae quidem a Sp. Cassio consule primum proposita, deinde quotannis fere per tribunos plebis iactata, ac semper a nobilium factione variis artibus elusa, atque impedita, a L. Sextio, & C. Licinio tribunis pl. comitia magistratuum haberi prohibentibus ad extremum est perlati. Quae res ut pateat illustrius, placet nobilissimam quanque agrorum diuidendo-

rum legem, quam ego inuenire potui, hoc loco ordine recitare.

Primum igitur Romulum regem ex agro publico viritim diuiso bina iugera singulis assignasse inuenio. testis est huius diuisionis praeter Dionysium Varro, cuius haec verba sunt libro de re rustica primo: *Antiquus noster ante bellum Punicum pendebat bina iugera, quod a Romulo primum diuisa dicebantur viritim, quae, quod heredem sequerentur, heredium appellarunt.*

Numam inde agri a Romulo bello parti, itemque publici partem, Tullum agrum quem Romulus primum, post Numa possederant, ac priuatis regiae familiae sumptibus destinarant, Seruium agros Veientibus, Caritibus, & Tarquiniensibus ademptos nouis ciuibus diuisisse, auctor est Dionysius.

Exactis autem regibus, satis constat, agrum Tarquinij Superbi praeter campum, qui Martius dictus est, senatusconsulto plebi fuisse concessum.

Post autem, cum perpetuis bellis aliquid quotidie reip. hostilis agri accederet, eum fere vel colonis explerunt, vel publicum reliquerunt, donec Sp. Cassius tertium consul, anno ab exactis regibus xxi. i. i., legem, de qua dixi, promulgauit, ut agri Hernicis adempti pars Latinis, pars plebi Romanae diuideretur. quam quoniam adicebat muneri agri aliquantum, quem, ut ait Liuius, publicum possideri a priuatis criminabatur, possessoribus, & senatu aduersante, perferre non potuit. Quo circa addidit Liuius, tum primum legem agrariam promulgatam, nunquam deinde usque ad suam memoriam sine maximis motibus rerum agitatam. Cum Liuius autem non dissentit Dionysius, siquidem agrum, de quo diuidendo Cassius promulgauit, fuisse publicum populi Rom. incuria magistratuum a diuitibus occupatum prodit, ac Cassio rem ex sententia fuisse processuram, si plebem tantum Romanam, non etiam Latinos, & Hernicos a se paulo ante ciuitate donatos, in agros deduxisset. multis super hac re in senatu sententiis dictis, s. c. tale esse perscriptum: *Decemviri creati è consularibus natu maximi, terminato agro publico, pronuncianto, quantum eius locandum sit, quantum populo diuidendum ceterum siquis ager communi militia partus erit, is cum socijs in ciuitatem ascriptis diuidi possit ex foedere. electionem autem decemvirum & agrorum diuisionem, & cetera, quae huius negotij erunt, futuri consules curanto.*

Quod si haec prima lex fuit agraria, profecto lex de septem iugeribus post reges exactos viritim plebi diuisis post hanc lata sit, necesse est, siquidem ea a tribuno pl. est lata: qui magistratus vix octo ante annis in remp. erat inductus. eius autem legis meminit lib. xv. i. i. Plinius, in hunc modum: *M. Curij post triumphos, immensumque terrarum adiectum imperio, nota concio est, perniciosum intelligi ciuem, cui septem iugera non essent satis. haec autem mensura plebi post exactos reges assignata est.* & Columella libro primo, *Post exactos, inquit, reges, Liciniana illa septem iugera, quae plebis tribunus viritim diuiserat, maiores quaestus antiquis rettulere, quam nunc nobis praebent amplissima veruacata.*

Inde post annos xv. i. i. in consulatu Ti. Aemilij, & L. Valerij vehementius de agrorum, quos diuites possidebant, diuisione per tribunos pl. agi est coeptum. cui cum Ap. Claudius esset acerrime aduersatus, die a tribunis pl. dicta, antequam causa ageretur, diem obiit.

Triennio post tribuni pl. rem agrariam aduersus possessores rursus commouerunt. tum vero atrox, ut inquit Liuius, fuisset certamen, ni Q. Fabius consul consilio neutri parti acerbo rem expedisset: *T. Quintij ductu, & auspicijs agri capti priore anno aliquantum a Volscis esse, Antium propinquam, opportunam, & maritimam coloniam deduci posse. ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, ciuitatem in concordia fore.* haec sententia accepta est.

Anno inde ccc. xxv. i., L. Sergio, M. Papirio, C. Seruilio, tribunis militum consulari potestate, captis Lauicis, senatus, priusquam ab tribunis pl. agrariae seditiones, mentione illata de agro Lauicano diuidendo, fierent, censuit fre-

quens, coloniam Lauicos deducendam.

Post biennium tribuni pl. Sp. Mecilius, & Metilius ciuitatem turbarunt, cum rogationem promulgassent, vt ager ex hostibus captus viritim diuideretur, magnaq; partis nobilium eo plebiscito publicaretur fortunæ. neque enim ferme quidquam agri, vt in vrbe alieno solo posita, non armis partum erat: nec, quod venisset, assignatum ve publice esset, præterquam plebs habebat. hæc lex consilio Ap. Claudij per paratos intercessores impedita est.

Sequenti anno *tentatum ab L. Sextio tribuno pl.* (sic enim pergit Liuius) *vt rogationem ferret, qua Volas quoque, sicut Lauicos, coloni mitterentur, per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est.*

At vero anno c c c l x, L. Lucretio, Ser. Sulpicio cos. S. C. factum, vt agri Veientani, qui paullo ante, Veis captis, in potestatem venerat, septena iugera plebi diuiderentur, nec patribus familiæ tantum, sed vt omnium in domo liberorum capitum ratio haberetur. Quod senatus consultum nihil ad legem illam de septem iugeribus aut Plinij, aut Columellæ pertinere, ex eo liquet, quod ea tribunicia rogatio fuisse dicatur.

Post quadriennium autem agrarios narrat Liuius Pomptinum agrum tum primum post accisas Volscorum res à Camillo possessione haud ambigua affectasse: cum criminarentur, multo eum infestiorum ab nobilitate esse, quàm à Volscis fuerit: in possessionem agri publici nobiles grassari, nec, nisi, antequam omnia præcipiant, diuisus sit, locum ibi plebi fore. Anno c c c l x x v, L. Sextius, & C. Licinius tribuni pl. quos ante commemorauimus, legem Cassij agrariam tandem pertulerunt, ne quis plus quingenta iugera agri, centum maioris pecoris capita, quingenta minoris possideret, cuius inter alios Liuius, & Appianus testes sunt. Quid autem quererentur agrarij, ostendit eo in loco Liuius, cum à tribunis primores patrum interrogatos prodit: *auderent ne postulare, vt cum bina iugera agri plebi diuiderentur, ipsis plus quingenta habere liceret? vt singuli prope trecentorum ciuium possiderent agros, plebeio homini vix ad tectum necessarium, aut locum sepulturæ pateret ager?* Neque vero ita multo post Licinius ipse sua lege damnatus est, quod filium emancipando mille iugera agri possideret. Ita perlata lege agraria, quæ possessores veteri possessione deturbabat, quieta post ab hac lege vsque ad Gracchos ciuitas fuit. Nam si qua est interea agri diuisio facta, ea non à priuatis possessi, sed ex hostibus capti, aut publici populi R. est constituta. nam & anno c d x i i i Latinus ager, quo Latini victi multati fuerant, Priuernati addito agro, & Falernus, qui populi Campani fuerat, vsque ad Vulturum flumen plebi Romanæ diuisus est. bina in Latio iugera, ita vt dodrantem ex Priuernati completerent, data, terna in Falerno, quadrantibus pro longitudine adiectis.

Anno c d l x i i i, Sabinum agrum victoria M. Curij aliqua ex parte plebi diuisum inuenio apud Valerium cap. de abstinentia. siquidem ille in hunc modum scripsit: *M. Curius decretis à senatu septenis iugeribus agri populo, sibi autē quinquaginta, popularis assignationis modum non excessit. parum idoneum reip. ciuem existimans, qui eo, quod aliquis tribueretur, contentus non esset.* quam tamen septem iugerum assignationem aliquanto post reges exactos, & quidem rogante tribuno plebis, non senatu largiente factam, supra Plinij, & Columellæ testimonio non omnino contemnendo planum fecimus.

Eadem ratione ager Gallicus & Picenus anno d x x v C. Flamini tribuni plebis rogatione est diuisus. cuius meminit libro primo Polybius, & præterea post Polybium Cicero, cum in Catone maiore scripsit, Q. Fabium Maximum consulem iterum Sp. Caruilio collega quiescente, quoad potuit, C. Flaminio tribuno pl. restitisse, agrum Picenum, Gallicumque contra senatus auctoritatem diuidenti. Quam eandem diuisionem intellexit Varro, cum in primo rerum rusticarum

libro ita scripsit. *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est.*

Quid quod anno d l i i, Cn. Cornelio, P. Ælio cos. cum de agris veterum militum relatum esset, decreuerunt patres, vt M. Iunius prætor vrbanus, si ei videretur decemuiros agro Samniti, Apulique, quod eius publicum populi R. esset, metiendo, diuidendoque crearet: Itaque postero anno decretum, vt quot quisque P. Africani militum annos in Hispania, aut in Africa militasset, in singulos annos bina iugera acciperet, cum agrum decemuiros assignarent.

Anno vero d l x x i x, L. Postumio, M. Popillio cos. cum agri Ligustini, & Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, s. c. factum, vt is ager viritim diuideretur. Decemuiros in eam rem ex s. c. creauit A. Atilius prætor vrbanus, diuiderunt dena iugera in singulos, locis nominis Latini terna.

Iam lex Licinia de quingentis iugeribus libidine diuitum obsoleuerat. cuius rei multa testimonia habemus, & quidem grauissima omnia, Catonis, Liuij, Ciceronis, Appiani. vnde post Ti. Graccho tribuno pl. in mentem venit, eam renouare. quo facto seditiones veteres iam pridem conticescentes exsuscitauit, quibus ipsa demum res. concidit. Catonis hæc sunt verba in oratione pro Rhodiensibus, quam anno d l x x v i habuit in senatu: *Quid nunc, ecqua tandem lex est tam acerba, quæ dicat, si quis illud facere noluerit, mille nummi dimidium familiæ mutet: esto: si quis plus quingenta iugera habere voluerit, tanta poena esto. si quis maiorem pecudum numerum habere voluerit, tantum damni esto. atqui nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune est.* Liuius autem anno d l x x i x placuisse senatui tradit L. Postumium consulem ad agrum publicum à priuato terminandum in Campaniam ire, cuius ingentem modum possidere priuatos paulatim proferendo fines constabat. Narrat etiam Tullius in agrariis, P. Lentulum, qui fuit princeps senatus, horum temporum æqualis, à senatu in Campaniam missum, vt priuatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret. Addit Appianus, nobiles homines ac locupletes partim agrum publicum occupando, partim pauperum coemendo, & possessionibus continuandis agros ad se omnes Italiae conuertisse, ac sensim plebem ex agris expulisse. quæ causa Ti. Gracchum accendit, vt in tribunatu legem Liciniam referret an. vrbis d c x x, P. Mucio, L. Calpurnio cos. *Ne quis plus quingenta iugera possideret; illud præterea adiiciens, vt filiis quidem eorum dimidium habere, non tamen coemi agros, aut vendi liceret, & vt si quis latius agrum patefaceret, triumuiros quotannis ad id creati iudicarent, qua publicus ager esset, qua priuatus. Lex autem, quanquam nobilitate, quæ patriis sedibus mouebatur, aduersante, perlata est. vnde iure dixit Cicero in Sextiana: *Ti. Gracchus legem ferebat agrariam. grata res erat populo. nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant, & cum locupletes diuiturnis possessionibus mouerentur, spoliari remp. propugnatoribus arbitrabantur.* Cum autem triumuiros Tiberius ipse cum Caio fratre, & Ap. Claudio focero creati agros diuidere, atque assignare cœpissent, Tiberius, quod iterum tribunus fieri vellet, ab optimatibus, qui eius se audaciam, si magistratum continuaret, frangere nullo modo posse videbant, est necatus. Quies interea per decennium Tiberio interfecto, & Appio mortuo in rep. fuit. inde M. Flaccus, & C. Carbo triumuiros agro diuidendo creati rursus ocium ciuile perturbarunt, cum leuiter ex lege Tiberij agrorum diuisionem exercebant. quibus cum P. Scipio Africanus Aemilianus Italorum, quorum agri diuiderentur, precibus fatigatus aduersaretur, domi & ipse, incerto auctore, est interfectus.*

Quin etiam C. Sempronium aliquid rei agrariæ in tribunatu anno d c x x x attingisse, ostendit Plutarchus, cum scribit, senatum non leges Caij, sed Caium ipsum infirmare, ac tollere voluisse. Caio enim duas colonias scribenti aduersatos esse, Liuius vero Druso collegæ eius duodecim promulganti affuisse, atque illum ita pauperibus agros diuidenti, vt vectigal imponeret, ferre non potuisse; hunc vero vectigal

illud etiam remittentem complexos esse. in æneis etiam legibus agrariis fit mentio rogationis C. Sempronij, qua cautum, exceptumque scribitur, ne quidam ager diuideretur.

Post autem Caio ipso, quod, ut ait Cicero, agrarios concitaret, & Flacco triumuiris per optimates anno DCXXXI occisis, variis artibus à diuitibus lex Tiberij primum elusa, post abrogata est, siquidem haud ita multo post, teste Appiano, est latum, ut quod lege Tiberij prohibebatur, agros vendi liceret. Hic autem fuit, ut opinor, M. Bæbius tribunus plebis, idemque triumuir coloniarum deducendarum, qui tulit ne agri amplius diuiderentur, sed possessores in iis relinquerentur, vectigal pro iis populo Romano soluentes, eaque pecunia plebi diuideretur.

Neque ita multo post Sp. Thorius tribunus pl. legem aliam tulit, ne quis vectigal vllum agrorum, quos possideret, solueret. cauitque de pastione pecoris. Vnde Cicero scripsit in Bruto: *Sp. Thorius agrum publicum inutili lege, vectigali leuauit. & in secundo de oratore: Cum in senatu ageretur de agris publicis, & de lege Thorii, & premeretur Lucilius ab iis, qui à pecore eius depasci agros publicos dicerent.* Huius autem legis fragmenta duo in nobilissimo Petri Bembi Cardinalis Musæo Patauij reperiuntur, in tabulas æneas incisa, verum manca admodum, atque exesa. Hoc ita esse argumento est, quod in iis & possessores in agris confirmantur, & iidem vectigali publicanis persoluendo liberantur, & de pastione pecoris agitur. fitque mentio consulum P. Mucij, & L. Calpurnij, quibus Tiberius agrariam legem tulit, C. Sempronij, & M. Bæbij, qui item, & postremo M. Liuij, & L. Calpurnij consulum, qui post eos anno

DCXXI consulum administrant. Ea fragmenta, ut ad multa res utilia his

commentariis attexere visum

est.

LEGIS THORIÆ FRAGMENTA DVO.  
EX ÆNEIS TABVLIS PROPE VETVSTATE  
CONSVMPVIS EXSCRIPTA,  
ET SVPPLETA.

LEGIS

SP. THORIVS... F. TR. PL. PLEBEM. IVRE. ROG. PLEBESQUE. IVRE. SC. VIT. TRIBVS... PRINCIPVM. FVIT. PRO. TRIBV. Q. FABIVS. Q. F. PRIMVS. SCIVIT. QVEI. AGER. POPLICVS. POPVLI. ROMANEI. IN. TERRAM. ITALIAM. P. MVV. CIO. L. CALPVRNIO. COS. FVIT. EXTRA. EVM. AGRVM. LOCVM. QVEI. EX. LEGE. PLEBEIV. SC. A. VE. TERE. POSSESSORE. POSSESSVS. SIT.

de. eo. agro. loco. quem. quis. sibi. agrum. locum. sumpfit. reliquitue. quod. non. modus. maior. fiet. quam. quantum. vnum. hominem. ex. lege. plebeiv. sc. sibi. sumere. relinquere. oportet

quod. quoi. eique. de. eo. agro. loco. ex. L. plebeiv. sc. III. vir. fortito. ceiv. Romano. dedit. adsignavit. quod. non. in. eo. agro. loco. est. quod. vltra. sineis. eius. agri. loci. est redditus. est. Quei. ager. publicus. populi. Romanei. in. terra. Italia. P. Muucio. L. Calpurnio. cos. fuit. extra. eum. agrum. quei. ager. ex. lege. plebeiv. sc. a. veteri. possessore. possessus. sit.

Ager. locus. edificium. or. nis. qui. supra. scriptus. est. quod. ve. agri. loci. publici. in. terra. Italia. quod. eius. extra. vrbem. Romam. est. quod. eius. in. vrbem. oppido. vico. est. quod. eius. III. vir. dedit. adsignavit. quod. eius. agri. loci. neque. possessor. ipse. abalienavit. abalienavit. de. extra. eum. agrum. locum. quei. ager. locus. ex. lege. plebeiv. scito. quod. C. Sempronii. Ti. F. tr. pl. rog. exceptum. cautum. est. nei. diuidetur. quod. quoi. eique. de. eo. agro. loco. agri. loci. edificii. datum. assignatum. est.

quod. eius. agri. loci. extra. eum. agrum. locum. quem. locum. agrum. in. terra. Italia. III. vir. dedit. adsignavit. reliquit. in. ue. formas. tabulas. et. retulit. referri. iussit. Ager. locus. edificium. omnis. quei. supra. scriptus. est. o. ita. vtei. ceterorum. locorum. agrorum. edificiorum. priuatorum. est. esto. cenforque. quei. quomque. erit. facito. vtei. is. ager. locus. edificium. quei. supra. scriptus. est. eius. sit. cuius. ex. lege. plebeiv. scito. esse. oportet.

Quei. ager. locus. edificium. datus. assignatus. est. neiv. quis. facito. quo. quoius. eum. agrum. locum. edificium. possessionem. ex. lege. plebeiv. scito. esse. oportet. oportebit. eum. agrum. locum. edificium. alius. habeat. possideat. utatur. fruatur neiv. queis. de. ea. re. ad. senatum. referio. Senator. iudex. neiv. sententia. deicito. neiv. ferto. quo. quis. eorum. quoius. eum. agrum. locum. edificium. possessionem. ex. lege. plebeiv. scito. esse. oportet. oportebit. eo. agro. loco. edificii. possessione. spoletur quem. agrum. locum. in. via. sive. vicaneis. quei. in. terra. Italia. sunt. dederunt. assignauerunt. reliquerunt. nei. quis. facito. quo. minus. ei. octantur. fruatur. possideant.

eumque. non. aliter. vendere. dare. reddere. ius. esto. atque. eum. agrum. quem. ex. H. L. venire. dari. reddi. oportebit. Quei. ager. locus. a. edificium. ei. quem. in. via. sive. vicaniis. ex. S. C. esse. oportet. oportebit. venditus. erit Quo. minus. quod. in. hoc. capite. scriptum. est. ita. vtei. est. fiet. ex. H. L. N. R. Quei. ager. locus. publicus. populi. Romanei. in. terra. Italia. P. Muucio. L. Calpurnio. cos. fuit. extra. eum. agrum. quei. ager. ex. lege. plebeiv. scito. a. veteri. possessore. possessus. sit

cuius. rei. causa. in. eum. agrum. agri. iugra. non. amplius. xxx. possidebit. habebit. S. ager. priuatus. esto. Quei. in. agrum. compascuum. pecudes. maiores. non. plus. x. pascet. quai. ex. eis. minus. annum. gnata. erunt. posteaquam. gnata. erunt nihil. populo. neiv. publicano. neiv. dato. neiv. foluito. Ager. publicus. populi. Romanei. quei. in. Italia. P. Muucio. L. Calpurnio. cos. fuit. quod. eius. agri. III. vir. A. D. A. ex. lege. plebeiv. scito. sortito. quoi. ceiv. Romano. dedit. assignavit. eius. sit. cuius. ex. hac. lege. plebeiv. scito. esse. oportet. Pr. consulue. quo. de. ea. re. ex. H. L. in. ius. aditum. erit. ious. dicit. decernitoque. vtei. possessionem. secundo. eum. heredem. eius. det. quoi. forti. is. ager. datus. assignatus. fuerit. quod. eius. agri. non. abalienatum. erit. ita. vtei. S. S. est. esto.

Qui. a. possessoribus. queiv. ab. eorum. quei. emit. quei. eorum. de. ea. re. ante. eidus. Martias. primas. in. ious. adierit. ad. eum. quem. ex. H. L. de. eo. agro. ius. deicere. oportebit. is. de. ea. re. ita. ius. deicito. decernitoque. vtei. ius. suum. consequatur. qui. quom. que. ex. eo. agro. quei. ager. S. S. est. ex. possessione. vi. eiectus. est. quod. eius. is. quei. eiectus. est. possederit. quod. neque. vi. neque. clam. neque. precario. possederit. ab. eo. quei. eum. ea. possessione. vi. eiecerit. ius. suum. persequi. licet

quod. agri. loci. edificii. ex. plebeiv. scito. ex. H. L. priuatum. factum. est. erit. pro. eo. agro. loco. edificii. proque. scriptura. pecoris. quod. in. eo. agro. pascitur. postquam. vectigalia. confiterint. que. post. H. L. rog. primum. confiterint. nei. quis. facito. quo quid. ob. eam. rem. populo. Ro. debeat. quoue. quid. ob. eam. rem. populo. aut. publicano. detur. ex. figurue. neiv. quis. quid. postea. quam. vectigalia. confitent. que. post. H. L. rog. primum. confiterint. ob. eos. agros. locos. edificia. nomine. populi. aut. publicani. exigat

E. A. D. XI. K. Octobris. Quom. agrum. quei. trans. curione. est. locauerint. quei. in. eo. agro. loco. ceiv. romanus. locum. eum. nominis. Latini. quibus. ex. formula. togatorum. ibei. esse. licet. sunt. nei. quis. eo. agro. loco. moueat quod. oppidum. coloniam. ex. lege. plebeiv. sc. constituit. deduxit. conlocavit. quem. agrum. locum. pro. eo. agro. locum. de. eo. agro. loco. quei. publicus. populi. Romanei. ius. dedit. assignavit aditum. erit. ius. dicit. facitoque. vtei. possessionem. secundum. eum. heredem. eius. det. quoi. III. vir. eum. agrum. locum. pro. eo. agro. loco. quo. coloniam. deduxit. dedit. reddidit. adsignavit. facitoque. is. pr. consol. ve. quo. de. ea. re. in. ious. aditum. erit. vtei. ius. suum. consequantur

neiv. is. ager. compascuos. esto. neiv. quis. in. eo. agro. agrum. oupatum. habeto. neiv. defendito. quo. minus. quei. velit. compascere. liceat. sei. quis. faxit. quotiens. faxit. in. agri. iugra. singula. pendat numerus. pecudum. in. H. L. scriptus. est. licet. neiv. quis. quoi. ob. eam. rem. vectigal. neiv. scripturam. dare. debeto. Quot. quisque. pecudes. in. calleis. viae. publicas. itineris. causa. induxerit. neiv. quid. populo. neiv. publicano. pecuniam. scripturam. vectigal. det. Quem. agrum. ex. publico. in. priuatum. commutavit. quo. pro. agro. loco. ex. priuato. in. publicum. tantum. modum. agri. loci. commutavit. is. ager. locus. omnis. priuatus. ita. vtei. qui. optima. lege. priuatus. est. esto. Quei. ager. ex. priuato. in. publicum. commutatus. erit

quem. alij. a. cens. redemptum. habent. cenfores. queicumque. post. hac. facti. erunt. ei. faciunt. vrei. quei. volent. tantidem. pro. patris. redemptum. habeant. P. P. subsignent. II. virum. qui quod. ex. H. L. ita. vtei. S. S. est. in. agris. quei. in. Italia. sunt. quei. P. Muucio. L. Calpurnio. cos. publici. populi. Romanei. fuerunt. ceiv. romano. facere. licebit. item. Latini. peregrinoque. quibus. M. Liuius. L. Calpurnio. cos. consultum. est. facere. licet

quis. quis. quod. eum. ex. H. L. facere. oportuerit. non. fecerit. quod. ve. quis. eorum. ex. H. L. omiserit. mag. proue. mag. quo. de. ea. re. in. ious. aditum. erit. quod. ex. H. L. petetur. item. iudicium. iudicem. recuperatores. dato. I. V. E. R. P. F. S. V. E. ius. dicit. decernitoque. seiue. quei. pro. moicipis. colonis. loci. nominis. Latini. poplice. deiv. senati. sententia. ager. fruendus. datus. est.

quei. ager. locus. publicus. populi. Romanei. in. terra. Italia. P. Muucio. L. Calpurnio. cos. fuit. quod. eius. agri. loci. ex. lege. plebeiv. sc. de. eo. agro. loco. nei. ious. dicit. neiv. decernito. neiv. iudicium. neiv. iudicem. recuperatores. dato. nisi. cos. pr. ve. quod. vadimonium. eius. re. sei. quid. de. eo. agro. loco. ambigetur. cos. pr. cens. quei. quomque. erit. de. ea. re. iuris. dictio. iudici. iudicis. recuperatorum. datio. esto. I. V. E. R. P. F. S. V. E. ius. dicit. decernitoque

esse. videbitur. quo. minus. huic. L. intercedat. E. H. L. N. R. Quoi. publicano. E. H. L. pecunia. debetur. solui. dari. oportet. decretum. erit. Cos. pr. proue. pr. quo. in. ious. adierint. in. diebus. X. proxime. queibus. hac. res. delata. erit. decretum. iudicatum. habeto

que. res. soluta. non. erit. ea. decreta. non. fiet. iudicata. non. fiet. quod. eius. prauaricationis. sententia. rei. iudicanda. maxime. verum. esse. commperit. facitoque. vtei.

habere. possidere. frui. vetet. quas. in. leges. pl. ve. sc. de. ea. re. relatum. erit. nei. magistratum. quem. minus. petere. capere. gerere. habere. licet. neiv. quid.

Quod. ei. facere. ex. lege. plebeiv. sc. que. facere. licuit. sed. fraude. sua. facere. licet. in. que. eas. leges. pl. sc. de. ea. re. quod. ex. us. est. dedit. adsignavit. quem. agrum. locum. de. eo. agro. loco. quei. publicus. populi. Romanei

assignatum. esse. fuisse. iudicauerit. vtei. in. H. L. sc. est. quei. l. agrum. locum. quem. ex. H. L. colonei. e. iue. quei. in. colonci. numero. sunt.

præuides. prædiaque. soluti. sunt. eaque. nomina. mancups. emit. is. pro. eo. agro. loco. pecunia. neiv. præuides. neiv. prædia.

manceps. præfue. factus. est. quodque. prædium. ob. ager. locus. priuatus. vectigalique.

vectigalia. inperare. solent. eis. p. quem. agrum. locum. in.

Quei. ager. locus. publicus. populi. Romanei. erit.



quod. C. Semproni. Ti. F. tr. pl. rog. exceptum. cautumque. est. nei. diuideretur.

iudicio. eum. quoum.

ne iue. quis. de. ea. re. ad. senatum. referto.

habeat. possideatque. quoue. possessio. inuito. mor

agrum. non. abalienauerit. extra. eum.

Is. ager. locus. ædificium. priuatus. fiet. quoue. ma

extraque. eum. agrum. quem. vetus. possessor. ex. lege. plebeie. scito. habuit. possedit. usus. fructus. que. est.

paſcet. quæque. ex. eis. minus. annum. gnata. erunt. post. ea. quam.

neque. ipse. abalienauit. abalienaueritue. neque. heres. eius. abalienauit. abalienauerit. de

eret. possessionem. dedit. adsignauit. reddidit. quodque. eius. agri. III. vir. colonia. deducenda. dedit. assignauit.

quoi. is. ager. vetere. proue. vetere. possessore. datus. adsignatusue. queiue.

ante. eidus. martias. quæ. post. H. L. rog. primæ. erunt. facito. vtei. is. quei. ita. vi. eictus. erit. restitatur.

ne iue. populo. ne iue. publicano. pecunia. scripturam. vectigalue. det. dareue. debeat. ne iue. quis.

quei. paſcet. populo. aut. publicano. dare. debeat. Ager. locus. publicus. populi. Romani.

agrum. locum. publicum. populi. Romani. de. sua. possessione. vetus. possessor. proue. vetere. possessore.

extra. eum. agrum. locum. quei. ager. locus. ex. lege. plebeie. sc. quod. C. Semproni. Ti. F. tr. pl. rog. exceptum. cautumque. est. nei. diuideretur.

quos. coloniam. deducit. ita. vtei. s. s. est. agrum. locum. ædificium. dedit. reddidit. adsignauit. quei.

ager. locus. quei. supra. scriptus. est. quod. eius. agri. loci. post. H. L. rog. publicum. populi. Romani. erit. extra. eum. quei.

nihil. dare. debeto. ei. quei. quomque. id. publicum. fruendum. redemptum. conductumue. habebit. boues. equi

quibus. viciis. q̄ publicis. passum. in pulsum. itineris. causa. erit. ne quid. populo. ne iue. publicano. pecunia. scripturam. vectigalue. det. dareue. debeat

quei. ager. ex. publico. in. priuatum. commutatus. est. de. eo. agro. firemps. lex. esto. quansi. is. ager. P. Mucio. L. Calpurnio. cos.

per. terram. Italiam. P. Mucio. L. Calpurnio. cos. fuerint. eas. faciunt. pateant. vacuæque. fiens.

ex. lege. plebeie. sc. exue. fœdere. licuit. sed. fraude. sua. facere. liceto. Quod. ex. H. L. ita. vtei. s. s. est. in. agris. quei.

et. in. eum. iudicium. iudicem. recuperatoresue. ex. H. L. dare. oporteret. seiquis. de. ea. re. iudicium.

ne iue. pro. colonia. moicipiue. proue. moicipiis. fruuntur. quei. in. trientibus.

dare. oportebit. id. vtei. quicquid. quoique. ante. H. L. R. licuit. ita. ei. habere. liceat.

sei. quid. de. eo. agro. loco. ambigetur. cos. pr. queiquomque. erit. de. ea. re. iurisdictio. iudici. iudicis. recuperatorum. aatro. esto.

i. causa. decernant. eius. H. L. N. R. Quod. iudicium. iudex. recuperatores. reddiderit. id. ius. ratumque. esto.

Pr. consulue. nei. de. eo. agro. loco. ious. deicito. ne iue. decernito. ne iue. iudicium. ne iue. iudicem. ne iue. recuperatores. dato

em. facito. quo. quis. pro. agro. minus. aliterue. scripturam. vectigalue. det.

ciuibus. L. quei. classis. primæ. fient. xi. dato. inde. alternos. ducito.

decretum. iudiciumue. factum. non. fiet. sei. maior. pars. eorum. recuperatorum. non. consenserit.

rit. sedulo. mn. vtei. is. quei. iudicatus. erit. dare. oporteat.

aliter. habebit. possidebit. fruetur. quam. ex. H. L. licebit. eum. agrum. quem.

siquæ. lex. plebeie. sc. est. quæ. mas. quem. ex. H. L.

decernere. oportebit. sed. fraude. sua. nei. iourato. ne iue.

ex. pl. sc. quod. M. Bæbius. tr. pl. III. vir. colonia. deducenda. fecit.

extra. eum. agrum. locum. quei. ager. locus. in. ea. censuria.

oportet. oportebitue. quod. eius. agri. loci. quoique. emptum. est.

questor. quei. ararium. prouinciam. optinebit. in. tableis. publicis. referat.

in. eam. rem. quod. præs. factus. est. populo. obligatus. est.

quei. ager. locus. in. Africa. est. quei. Romæ. publice. venit. venietue.

datus. assignatus. erit. quod. eius. agri. loci. extra. terram. Italiam. est

ue. agrum. locum. queiquomque. habebit. possidebit.

quei. ager. locus. in. Africa. est. quod. eius. agri. loci.

diebus. proxumis. quibus. factus. creatusue. erit. facito.

profitebitur. cognito.

ique. ipse.

Narrat etiam Appianus L. Saturninum trib. pl. legem agrariam tulisse anno DLIII Mario sextum consule, vt quem agrum Marius consul in Gallia Cimbris pulsus ademptum in ditionem populi R. redegit, is populo R. diuideretur; iussissetque, vt senatores in eam legem iurarent.

Dicitur etiam Sex. Titius in tribunatu legem agrariam post biennium tulisse, cui M. Antonius se consulem restitisse, inquit apud Ciceronem in secundo de oratore, his verbis: *Testimonium sæpe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, vt mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum ciuem, et turbulentum. explicari in eo testimonio dicendo omnia consilia consularis mei, quibus illi tribuno pl. pro rep. restitissim. quæq; ab eo contra rem facta arbitraret, exposui.* de lege autem agraria tulisse eum satis perspicue ostendit Valerius libro octauo, cum ait, *Sex. Titium, innocentem, agraria lege lata apud populum gratiosum, quia imaginem Saturnini domi habuerat, suffragis concionis oppressum.* hanc autem abrogatam vt putem, me ea verba Ciceronis adducunt, quæ sunt apud eum in secundo de legibus: *Quid religiosius quam leges non iure rogatas tollere, vt Titium decreto collegij?*

Eodemque tempore L. Marcium Philippum legem agrariam Gracchanæ similem promulgasse in tribunatu idem ostendit in secundo de officiis, cum ait: *In primis videndum erit ei, qui remp. administrabit, vt suum quisque teneat, neque de bonis priuatorum publice diminutio fiat. perniciosus enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, et in eo vehementer se moderatum; præbuit sed cum in agendo multa populariter, tum illud male: non esse in ciuitate duo millia hominum, qui rem haberent: capitalis omnino oratio est ad æquationem bonorum pertinens. qua peste quæ potest esse maior?*

Anno autem vrbs DCXII, L. ipso Philippo, de quo diximus, consulatum gerente, M. Liuius Drusus tribunus pl. legem de coloniis in Italia deducendis tulit, quæ iam pridem decretæ, nondum tamen deductæ fuerant. qua lege, scriptum est apud Appianum, vehementer animos Italorum esse offensos, quod se per eam viderent agris orbatum iri, quos vt nunquam diuisos alij vi, alij furto possiderent, & proprios præterea, atque hereditarios amissuros. Druso autem domi, incerto auctore, interfecto, Liuias omnes leges decreto Philippi consulis, auguris, vno versiculo senatus esse sublatas, traditum est à Cicerone in secundo de Legibus.

Post aliquot annos L. Sulla dictator legem tulit, vt agri eorum, quos ipse profecisset, publici essent.

Inde in consulatu Ciceronis P. Seruilius Rullus legem promulgauit, *Vt qui agri, quæ loca, quæ ædificia, aliud de quid, quod publicum populi Ro. factum esset L. Sylla, & Pompeio consulibus, id venderetur. item vt omnia venirent, de quibus vendendis s. c. facta erant M. Tullio, et Cn. Cornelio cos. et ea pecunia agri in Italia emerentur, in quos colonie à Xuiris deducerentur. vt Campanus ager, et Stellas publicus populi Ro. diuideretur, Capuam coloni ascriberentur.* quæ lex dissuadente consule Cicerone magno plebis est consensu repudiata.

Triennio vero post lex à L. Flauio tribuno pl. est promulgata, de qua in hunc modum Cicero scripsit in primo epistolarum ad Atticum: *Agraria lex à Flauio tribuno pl. debementer agitabatur, auctore Pompeio, quæ nihil populare habebat præter auctorem. ex hac ego lege, secunda concionis voluntate, omnia illa tollebam, quæ ad priuatorum incommodum pertinebant. liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio publicis fuisse. Syllanorum hominum possessiones confirmabam. Volaterranos, et Arretinos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam, vnam rationem non reiciebam, vt ager hac aduenticia pecunia emeretur, quæ ex nouis vectigalibus per quinquennium reciperetur. huic toti rationi agraria senatus aduersabatur, suspicans Pompeio nouam quandam potentiam queri. Pompeius vero ad voluntatem ferenda legis incuberat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium priuatorum possessiones. is enim est noster exercitus, hominum,*



ut tute scis, locupletium; populo autem Pompeiôque satisfaciebam emptione. qua constituta diligenter, & sentinam urbis exhauriri, & Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. sed hæc tota res interpellata bello refrixerat. Factum autem eodem anno s. c. ait Dio, ut Pompeij, & Metelli militibus agri diuiderentur, quorum ille è bello Mithridatico, hic ex Cretico reuerterat.

Postero autem anno lex Iulia à C. Cæsare consule est lata, optima in primis, ut inquit Dio, & nulla ex parte reprehendenda. quippe qua ciuium Rom. turba, quæ prope in immensum creuerat, ac sæpius iam seditionibus materiam præbuerat, ad laborem, & ad agriculturam traducebatur; solitudines autem quæ tum erant per Italiam plurimæ, frequentabantur, ut iam non solum qui confectis erant stipendiis, sed & alij omnes satis victus haberent, neque ciuitate quidquam in eorum sumptum erogante, nec locupletibus iacturam facientibus. Etenim omnem agrum, qui publicus populi Rom. erat, excepto agro Campano, (hunc enim ob præstantiam exemptum reip. relinquendum censuit) diuisit. reliquum nec inuitis dominis ademit, nec pretium arbitrio diuisorum constituit, sed emi eum à volentibus iussit, ac tantum numerari pecuniæ, quantum in proscriptionibus iudicaretur. magnam autem eius adesse copiam assererat, partim ex præda, quam Pompeius inuexerat, partim ex tributis, & vectigalibus iam ante constitutis. Lege hac perlatâ addidit illud quoque, ut ager Campanus iis, qui ternos, pluresve liberos haberent, diuideretur. Quo de agro Suetonius breuiter ita scripsit: *Campum Stellatam consecratum, agrumque Campanum, ad subsidia reipub. vectigalem relictum diuisit extra sortem viginti millibus ciuium, quibus terni pluresve liberi essent.* Non omnem tamen Campanum agrum in consulatu Cæsaris, aut certe lege Cæsaris esse diuisum, non obscure mihi videtur Cicero significare in epistola ad Lentulum, cum ait de se ita: *Quin etiam Marcellino, & Philippo cos. Nonis Aprilibus, mihi est senatus assensus, ut de agro Campano idibus Maijs frequenti senatu referretur. non potui magis in arcem illius causse inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, & meminisse actionum.* & paullo post addit: *Pompeium ad se Vibullium misisse cum mandatis, ut integrum sibi de causâ Campana ad suum reditum reseruaret.* & multo apertius Cælius, cum scribit ad Ciceronem, Ser. Sulpicio, & M. Marcello cos. *Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano. de quo negant Cæsarem laborare. sed Pompeium valde velle, ne vacuus aduenienti Cæsari pateat.*

Agros etiam ab eodem dictatore, & post necem eius à M. Antonio consule, inde à triumuiris reip. & postremo ab Imp. Augusto diuisos, satis constat. cuius rei testimonia in tertium librum mihi putauit reicienda, vbi de coloniis militaribus disseram. Atque ex his quidem legibus satis, ut opinor, intelligi potest id, quod in lege agraria primum quæsitum diximus, ut ager definireretur, quem diuidi oporteret, siue de hostibus modo captus, siue publicus populi Roma. esset, siue à priuatis possessus, siue publico ære de priuatis emptus. Quæ res impulit Appianum, ut M. Brutum veteranos milites ita post necem Cæsaris in Capitolio alloquentem fecerit, ut diceret, *ciues Romanos quondam in agros esse deductos, aut publicos, aut de hostibus captos, aut publica pecunia emptos, postremo autem ciuibus per vim ereptos diuidi esse ceptos.* Quanquam Cicero disputans in consulatu aduersus legem agrariam Rulli, negat à maioribus traditum, ut agri emerentur. sic enim inquit: *Hic ego iam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem Quirites, non esse hanc nobis à maioribus relictam consuetudinem, ut emanantur agri à priuatis, quo plebs publice deducatur.* & addit: *Antea, cum erat à tribuno pl. mentio legis agrariæ facta, continuo qui agros publicos, aut qui possessiones inuidiosas tenebant, pertimescebant.* Inde concludit, oportere definire, qui agri sint emendi. *Libet, inquit, agros emi? primum quæro, quos agros? & quibus in locis? nolo suspensam, & incertam plebem Rom. obscura spe, & cæca expectatione pendere.*

Alterum caput fuit legis agrariæ, quo præscribebatur, cui generi, & cui numero

homi

hominum agrorum assignatio constitueretur. cuius præcepti satis facilis, atque expedita ratio est. Nam, quod ad genus pertinet, satis constat, agros aut vniuerso populo viritim diuisos, aut plebi Romanæ, aut patribus liberorum, aut militibus, itaque vel peditibus, vel equitibus, vel ciuibus, vel Latini nominis sociis, unde scitum illud est apud Higinum, *finitis ampliorum bellorum operibus, augenda reip. causa, illustres Romanos viros vrbes constituisse, quas aut victoribus populi R. ciuibus, aut emeritis militibus assignarent.* Ac plebis quidem deducendæ causam inopia atque angustiae rei familiaris attulerunt, ut agrorum aliquid darent iis, qui nihil possiderent. unde dixit Liuius: *Etsi belli pars cum Sidicinis restabat, tamen ut beneficio præuenirent desiderium plebis, de colonia deducenda Cales rettulerunt.* Videntur autem ab diuidendo agro ordinem seruasse tribuum, nimirum ut ab urbanis exorsis ordine inde rusticis persequerentur. quæ res locum Ciceroni dedit Rullum reprehendendi, qui se à Romilia tribu, id est à rusticis initium facturum esse dixerat. *Quæsiui, inquit, in concione, ex eo Kal. Ianuarijs, quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset distributurus respondit, à Romilia tribu se initium esse facturum. primum quæ est ista superbia, & contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur; ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes, & iucunditas ostenditur?* Quod autem dixi, modo pedites, modo equites in agros esse deductos, Liuij testimonio adductus scripsi, qui in hunc modum loquitur de Thuriis: *Tria millia peditum iere, treceti equites. numerus exiguus pro copia agri.* & de Vibone: *Quadragesima iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equiti.* & de Aquileia: *Tria millia peditum, quibus data quinquagesima iugera, centurionibus centena; centena quadragesima equites acceperunt.* mouit me præterea Pedianus, cuius hæc in commentario Pisonianæ verba reperi: *Placentiam & Cremonam (ex millia hominum sunt deducta, in quibus equites deducendi causa fuit, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiae tenebant.* Ex his autem, qui agri cupiditate tenebantur, ij nomina in coloniam dabat. testis est Liuius lib. I. cū scripsit: *Plures inuenti, qui propter libertatem agri in Crustumini nomina darent.* & lib. I. I. I. *Iussi nomina dare, qui agrum accipere vellent.* Quæ ad morè respiciens, credo, Virgilius dixit in quinto: *Trascribunt vrbi matres, populumque; volentem.* Sæpe etiã numerus eorum, qui deducendi essent, lege est præfinitus. ostendit Liuius: *Senatus censuit coloniam Lauicos deducendam. coloni ab vrbe mille, & quingenti misi bina iugera acceperunt.* & alio loco: *Senatus Satricum coloniam duo millia ciuium Rom. deduci iussit.* & alibi: *Factum s. c. ut duo millia, & quingenti homines Cales scriberentur.* Quod si aut plures, aut pauciores, quam lege præscriptum erat, nomina in coloniam essent professi, tum ad sortem confugiebant, ut ex omnibus educerentur sorte, qui agro accepto exirent. Hoc enim Dionysius, & Plutarchus in deductione Velitrarum obseruatum scribunt, iidemque, qui forte educti essent à senatu exire coactos adiiciunt. declarat Liuius, qui in alia re tradit, ex senatus decreto consulem colonorum numerum conscripsisse. Numerus autem colonorum pro agri amplitudine, in quem deducebantur, scribebatur. quo factum est, ut modo bina, modo terna, modo quaterna millia, atque amplius scriberentur. Quo in genere Cicero Rullum quoque reprehendit, cum dixit: *Tu non definias, quot colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis?* post autem de Capua loquens ait: *Quingenta millia colonorum Capuam scribi iubet. ad hunc numerum quingentos sibi singuli sument.* De emeritis autem militibus deducendis, in quibus etiam Italici erant, post dicemus.

Deinceps sequitur, ut, per quos hæc diuisio fieret, exponamus. neque vero dubium est, quin per curatores agrarios, vel triumuiros, vel quinqueuiros, vel septemuiros, vel decemuiros, vel vigintiuiros. qui triumuiroi, vel Xuiroi agris dandis, assignandis vel coloniarum deducendæ sunt dicti. Triumuirum frequens mentio est. meminit Liuius libro tertio, vbi de Antio loquitur: *Triumuiros agro dando creant, T. Quinctium, A. Virginium, P. Furium.* & de Calibus: *Tresuiros colo*

colo

coloniae deducendae, agroq; diuidendo creauerunt K. Duilium, T. Quinctium, M. Fabium. Quinqueuirum lib. III: *Ad militiam, quo paratior esset plebes, quinque viros Pomptino agro diuidendo creauerunt.* Septemuiros lege sua creauit M. Antonius consul. vnde illa sunt Ciceronis in eum: *Sed haec agrorum assignatio paullo ante L. Caesaris sententia dissoluta est. huic enim assenti septemuirum acta sustulimus.* Decemuiros tum creatos prodidit Liuius, cum Samnitum, Apulumq;, & Ligustinum, Gallicumq; agros s. c. diuisos scripsit, cuius rei ante mentionem fecimus. atque eodem post etiam lege sua restituit Rullus. viginti viros Caesar intulit in primo consulatu, cum legem agrariam tulit. quod inter omnes video conuenire. Hi vero curatores modo per consulem, modo per praetorem urbanum sunt creati. per consulem, ut est apud Liuium, anno post v. c. D LIII. *L. Cornelius consul creauit triumuiros Narniensibus colonis supplendis.* per praetorem urbanum, cum de Samnite Apuloq; agro est actum. *Decreuerunt patres, ut M. Iunius praetor urbanus, si ei videretur, decemuiros agro Samniti, Apuloq; quod eius publicum populi Romae esset, metiendo, diuidendoq; crearet.* & de Gallico: *Decemuiros agro dando creauit A. Atilius praetor urbanus.* Creabantur autem comitiis tributis omnibus tribubus aduocatis. Quare Rullo vitio vertit Cicero, quod decemuiros suos per XVII tribus forte eductas crearet. *Toties, inquit, legibus agrarijs curatores constituti sunt triumuiros, quinqueuiri, decemuiros. quae a populari tribuno pl. ecquando nisi per XXXV tribus creati sint?* Quinetiam ex eadem Rulli lege eisdem multis ministris fuisse ornatos apparet, quippe cum dicat Cicero, Rullum tulisse, ut Xuiros auspicij coloniarum deducendarum causa pullarios haberent eodem iure, quo habuerunt tresuiri lege Sempronia. *deinde ornat, inquit, eos apparitoribus, scribis, librarijs, praecombibus, architectis, mulis, tabernaculis, suppellectili. ianitores ex equestri loco ducentos in annos singulos stipendios corporis constituit.* quae tamen ut noua in iis Cicero videtur improbare.

Iam vero modus etiam iugerum agri singulis assignandorum in lege est praefinitus. cuius rei testimonio verba sunt Liuij, qui de Satrico ait: *Duo millia deducta, bina iugera, & semisses agri assignati.* item alio loco: *Anxur trecenti in coloniam missi bina iugera agri acceperunt.* & alibi: *Coloniam Latinam in agrum Thurinum deduxerunt. tria millia peditum iere, ccc equites, numerus exiguus pro copia agri. dari potuere quadragesima iugera in pedites, sexagesima in equites.* *Apustio auctore tertia pars agri dempta. quo postea, si vellent, novos colonos adscribere possent. vicena iugera pedites, quadragesima equites acceperunt.* non est opus pluribus. addo tantum Ciceronem qui ait, *Serulium Rullum Campani agri iugera dena, campi Stellatis duodena singulis lege sua assignasse.*

Neque vero solum iugerum, sed limitum quoque ratio agraria lege est praefinita. Huius rei cum alia multa documento sunt, tum illud in primis, quod ager coloniarum, ut scriptum est apud Frontinum, *diuisus, & assignatus* dictus sit, idemq; duas condiciones habuisse feratur, vnam, qua plerunque limitibus contineretur, alteram, qua per proximos possessionum rigores. Limitum vero multa genera erant, decumani, kardines, prorsu, transuersi. decumanus erat ab oriente in occidentem, a meridie in septentrionem: kardis, ab occidente ad orientem: prorsu, a septentrione ad meridiem: transuersi. & a situ regionum maritimi, & montani, qui ad mare, vel ad montes spectarent. praeter hos erant limites actuarij, & linearij. *actuarus erat, ut ait Higinus, qui primus actus erat ab eo quintus quisque, quem si numerares cum primo, erat sextus, quoniam quinque centurias sex limites clauderent. reliqui medij limites linearij appellabantur in Italia subruncini.* Per rigores autem, ut scribit Frontinus, *duobus fiebat modis: si in longitudinem esset delimitatus, per strigas appellabatur; si in latitudinem, per scamna. strigatum autem agrum definit Higinus, qui a septentrione in longitudinem in meridianum decurrit; scamnatum, qui eodem modo ab occidente in orientem crescit.* erant etiam alia genera multa, de quibus in libris de limitibus disputatur. verum his nos hoc loco contenti erimus, ut illud demum doceamus,

mus, aliarum coloniarum agrum alia ratione esse diuisum, atque assignatum, prout in lege erat comprehensum.

Celebrantur autem in hoc genere leges quaedam, Sempronia, Mamiliam, Cornelia, Iulia: quarum Semproniam Ti. Gracchus tulit, Mamiliam C. Mamilius, qui propterea Limitanus vocatus est, tribunus pl. bello Iugurthino, ut proditum est a Sallustio. Cornelia, & Iulia a Sylla, & Caesare dictatoribus latae sunt. quibus lege etiam Augusti imp. aduicere possumus. Vnde scriptum est apud Higinum hoc modo: *Actuarij limites extra terminos D. & K. latitudinem habent pedum XII. per eos iter populo, sicut per viam publicam debetur. ita enim cautum est lege Sempronia, Cornelia, & Iulia. quidam ex his latiores sunt XII pedibus, ut ij, qui sunt per viam militarem acti. habent enim latitudinem viae publicae. lineares limites mensura tantum determinandae causa sunt constituti, & si finitimi interueniunt, latitudinem secundum lege Mamiliam accipiunt.* Fuit autem lex Mamilia, quae in finibus agrorum quinque, aut sex pedum latitudinem praescriberet, quos, ut XII tabulis ante cautum fuerat, vsu capi vetaret. cuius rei meminit Aggenus his verbis: *De sine lex Mamilia quinque, aut sex pedum latitudinem praescribit. quoniam hanc latitudinem, vel iter ad culturas accedens occupat, vel circumactus aratri, quod vsu capi non potest. iter enim, non qua ad culturas peruenitur, capitur vsu, sed id, quod in vsu biennio fuit.* Eadem lege singulos arbitros regendis finibus datos ostendit Cicero, cum ita loquitur in primo de legibus: *Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controuersia nata est de finibus, in qua, quoniam vsucapionem XII tabulae inter quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli. sed ex XII tres arbitri fines regemus.* Factum est autem saepe, ut noua lege, & nouis limitibus colonia deduceretur, saepe ut antiqua lege, & antiquis limitibus. antiquas autem leges voco Semproniam, Corneliam, Iuliam, Augustaniam, antiquos limites Gracchanos, Sullanos, Iulianos, Augusteos. Itaque Frontinus in libro de coloniis *Aeserniam lege Iulia deductam ait, agrum limitibus Augusteis assignatum, Nuceria lege Augustana, limitibus Iulianis, Velitras lege Sempronia, Suesulanam lege Sullana, Aretium, & Verulas limitibus Gracchanis.* Termini autem Augustei, ut est in libro veteri de limitibus, in locis montanis termini erant rotundi ea ratione, quod Augustus eos recensuit, & vbi fuerunt lapides alios constituit, & omnem terram suis temporibus iussit remensurari, ac veteranis assignari. Cum ergo tanta in limitibus constituendis opera poneretur, causa apparet, cur Rullus, ut obiicit Cicero, Xuiros suos agrarios finitoribus, atque architectis ornauerit, cur Liuius in triumuiros agrarios Placentinum agrum metantes impetum a Bonis factum esse prodiderit, & alio loco Xuiros Samniti agro metiendo, ac diuidendo creatos scripserit.

Ut autem magis haec tota de limitibus quaestio illustretur, placet hoc loco verba quarundam etiam legum, quas ante Augustum latae esse facile, nisi veteri testimonio reuinctus, crediderim, recitare, ex quibus omnino, quae limitum observatio esset, intelligatur. sunt autem lex Peducea, Alliena, & Flauia. quarum memoria extat in libro de limitibus agrorum, hoc modo:

KAPVT LEGIS PEDUCEAE: *Quae colonia hac lege deducta, quod de municipium, praefectura, forum, conciliabulum constitutum erit, qui ager inter fines eorum erit, qui termini in eo agro statuti erunt, quo in loco terminus non extabit, in eo loco is, cuius is ager erit, terminum restituendum curato. utq; recte factum esse velit, idq; magistratus qui in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo iure dicundo praerit, facito, ut fiat.*

KAPVT LEGIS ALLIENAE: *Qui limites decumani hac lege deducti erunt, quaecunque fosse in eo agro erunt, qui ager hac lege datus, assignatus erit, nequis eos limites decumanos ne obsepito, ne de eos arato, ne de eas fossas obturato, ne de qua sepito, quo minus aqua ire, fluere possit. si quis aduersus ea quid fecerit, IIII colonis, municipibus*

*pibus de eius, in quorum agro id factum erit, dare damnas esto.*

KAPVT LEGIS FLAVIAE: *Qui hac lege coloniam deduxerit, municipium, praefecturam, forum, conciliabulum constituerit, in eo agro, qui ager intra fines ita eius coloniae, municipij, fori, conciliabuli, praefecturae erit, limites decumani ut fiant. curato, quiq; fines ita statuerit, si fines eorum sunt, dum ne extra agrum colonicum, territorium fines ducat, quiq; termini hac lege statuti erunt, ne quis quem eorum eijcitur, ne de commoueto, sciens dolo malo, si quis aduersus ea fecerit, is in terminos singulos, quos fecerit, loco de mouerit, sciens dolo malo xxxv in publicum eorum, quorum intra fines is ager erit, dare damnas esto. deq; ea re curatoris, qui hac lege erit, iurisdictio, recuperatorumq; datio, addictio esto. cum curator hac lege non erit, tunc quicumque magistratus in ea colonia, municipio, praefectura, foro, conciliabulo iure dicendo praerit, eius magistratus de ea re iurisdictio, iudicijq; datio, addictio esto. inq; eam rem is, qui hac lege iudicium dixerit, testibus publice duntaxat in res singulas decem denunciandi potestatem facito, ita ut e rep. fideq; sua videbitur. Et si is, unde ea pecunia petita erit, condemnatus erit, eam pecuniam ab eo, de de bonis eius primo quoque die exigito. eiusq; pecuniae quod receptum erit, partem dimidiam ei, cuius vnus opera maxime is condemnatus erit, partem dimidiam in publicum redigito. quo ex loco terminus aberit, si quis in eum locum terminum restituere volet, sine sua fraude liceto facere, ne de quid cui is ob eam rem hac lege damnas esto.* Ac de legis quidem agrariae capitibus haec haec tenus nunc reliqua, quae ad coloniarum deductionem pertinerent, persequamur.

Lege accepta, aut s. c. facto, curatores, qui ex lege, aut s. c. coloniae deducendae, agrisq; dandis erant creati, colonos, qui vel sua sponte nomina dederant, vel sorte exierant, in agros lege definitos, atque in coloniam sub vexillo, quasi exercitum cui quem deducebant. dux autem deductionis, credo, aliquis e curatoribus agrariis erat. Docet hoc non obscure Appianus libro II, cum de coloniis loquens ait; multitudinem quondam in fanis, & lucis sub vno vexillo, & vno duce collocatam. ostendit Plutarchus, cum C. Graccho III viro coloniae ad Carthaginem deducendam profecto portentum factum ait, quod vexillum laceratum sit. quin etiam ex eodem fonte illa Ciceronis in Antonium fluxerunt: *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres.* & in Rullum: *Nisi forte mauultis, relictis his rebus, atque hac luce reipublicae in Sipontina siccitate, aut in Salpinorum pestilentiae finibus Rullo duce collocari.* qua in oratione post etiam vexilli meminit, cum a Capua colonos aduersus Romam reductum iri praedicit, his verbis; *Tum illud vexillum Campanae coloniae vehementer huic imperio timendum Capua a Xuiris inferetur tunc contra hanc Romam, communem patriam omnium nostrum, illa altera Roma quaeretur.* Signa autem cohortium in antiquis nummis, quibus coloniae alicuius deductio significatur, impressa adhuc etiam cernere possumus.

Vbi vero colonos in agris, quod deducendi erant, collocarant, tum aratro urbem, & agrum circumscribebant. de vrbe testis est Varro, Dionysius, Plutarchus, alij; de agro vnus, quod sciam, Cicero. Varronis haec in lib. de lingua Latina quarto verba sunt: *Oppida, quae prius erant circumducta aratro, ab orbe vrbes. & ideo coloniae nostrae in litteris antiquis scribuntur vrbes, quod item conditae, ut Roma. & ideo coloniae, ut vrbes conduntur, quod intra pomerium ponuntur.* Romulum porro tauro, & vacca iunctis vrbi condendae locum circumarsisse, ac designasse tradit Dionysius. quin etiam terminos Carthaginis coloniae, quos C. Gracchus triumuir descriperat, a lupis esse dissipatos refert Plutarchus. Nam de agro sic agit in Antonium Cicero: *Casilinum coloniam deduxisti, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres. cuius quidem vomere portam Capuae pene perstrinxisti, ut florentis coloniae territorium minueretur.* Significat enim, Antonium Casilini agrum ita dilatasse, ut cum vsque ad Capuae portam perduxerit, atque ea ratione Campanum ipsum territorium immiuerit. Ut autem signis militaribus, sic etiam aratro coloniae deductionem in nummis veteribus demonstrari, ita notum est, ut testimonium res non desideret.

Vrbe

Vrbe agroque, quo modo dixi, circumscripto, tum vero eos agri diuisionem, ac suae cuique partis assignationem opinor esse aggressos. vnde agros coloniarum diuisos, & assignatos dici notauit Frontinus. Quod munus difficillimum, ac molestiae saepe plenissimum videtur fuisse propter odium colonorum. in quod illi facile poterant assignationis eius causa incurrere. Qua de re, quoniam difficile est plus intelligere, quam quantum vetera monumenta significant, nullum verbum prorsus fecissem, nisi me grauissima ad id T. Liuij auctoritas adduxisset, qui de triumuiris Ardeae coloniae deducendae ita scripsit: *Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati Agrippa Menenius, T. Cloelius Siculus, M. Aebutius Elua, qui per minime popolare ministerium agro assignando socijs, quem populus Romanus suum iudicasset, cum plebem offendissent, ne primoribus quidem patrum satis accepti, quod nihil gratiae cuiusquam dederant, vexationes ad populum, iam die dicta ab tribunis, coloni ascripti, remanendo in colonia vitauere.*

Erit iam huius loci finis, si haec, quae dixi, omnia auspiciato facta fuisse ostendero. Quod ut omnibus videatur, id satis magnum argumentum debet esse, quod scriptum est apud Ciceronem in Antonium: *Negauit in eam coloniam, quae esset auspiciato deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci.* Nequid interea de pullariis repetam, qui cum agrariis curatoribus, ut supra docui, sint dati, certe nisi auspiciatorum causa non sunt dati. Huc autem eodem lustratio etiam coloniae referenda est, cuius auctorem Ciceronem habemus in libris, quos de diuinatione reliquit, cum scripsit, *in lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret, bonis nominibus, qui eam deducerent, fuisse electos.* Quocirca scriptum quoque apud Plutarchum legimus, C. Gracchum in Carthagine deducenda, extis aris impositis tempestate direptis, ac trans fines coloniae latis valde esse commotum. Qui mos si quis, vnde acceptus sit, roget, respondebo, me arbitrari a Romulo, a quo multa eiusmodi alia, ne dicam omnia, ad posteros permanarunt. ab eo enim Romam coloniam & auspiciato & lustratione adhibita esse deductam, diligentissimus rerum Romanarum scriptor literis prodidit Dionysius.

De iure Coloniarum. CAP. III.



**H**AC disputatione iam omnes intelligere posse arbitror, id quod paucis adhuc patuit, quid coloniae essent, qua de causa, a quibus, per quos, & quo modo deducerentur: nunc, si quis, quam multa earum genera extiterint, & in qua inter se illae varietate fuerint constitutae, exquirat, is si paullo diligentius sequentem disputationem attenderit, non multa, ut opinor, quae in tanta desideret antiquitate, habebit. Est enim mihi deinceps de iure coloniarum quaerendum. (si quidem non eadem coloniarum, ac municipiorum, ceterorumque Italiae oppidorum iura fuisse comperio.) cuius ignoratione multos adhuc in maximos, & turpissimos errores video esse prolapsos. Primum igitur constituendum est, ius coloniarum duplex fuisse, vnum earum, quae ciuium Romanorum, alterum illarum, quae Latinae coloniae dicerentur. Nota diuisio est, quippe quae sit Liuij clarissimis consignata monumentis, veluti cum de Aquileia loquitur: *Illud agitabant, ut colonia Aquileia deduceretur, nec satis constabat, utrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret. postremo Latinam potius deducendam patres censuerunt.* & alio loco: *Salernum, Buxentiumq; coloniae ciuium R. deductae sunt.* & post: *Quaelius tribunus plebis tulit ad plebem, plebesq; sciuit, ut Latinae coloniae duae, vna in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur.* & alibi: *Bononia Latina deducta, Parma, & Mutina ciuium Romanorum.* Hoc cognito, iam illud sequitur, ut quaeratur, quae potissimum eas inter se dissimilitudo secreuerit. Sunt, qui nostra memoria scripserint, Latinas esse, in quas homines ex Latio essent adscripti; alij, quae in Latium essent deductae.

s

deductae.

deductæ. quarum opinionum vtraque ita vacillat, & claudicat, vt nulla possit esse infirmior. quid est enim, cur vlla sententia delectemur, quæ aperte Liuiana auctoritate redarguatur? an coloniæ Latinæ sunt, quò Latini adscripti sunt? immo vero quò ciues Romani. siquidem Liuius senatum Romanorum ad XII colonias Latinas, quæ bello Punico I I defectionem spectabant, ita loquentem inducit: *Meminerunt, se Romanos, inde oriundos, inde in coloniã stirpis augendæ causa missos.* an quæ in Latium sunt deductæ? immo vero, quæ quocunque: quod Bononiæ, & Aquileiæ commemorato exemplo, quæ in Galliam, & Carnos sunt deductæ, facile cõprobatur. Vnde autem huius ignoratio iuris manauit? vnde nisi ab ignoratione Latinitatis? Etenim, si, quid inter ciuem Romanum, & Latinum interesset, cognouissent, facile etiam, quid coloniæ ciuium Romanorum à Latinis differrent, intellexissent. Supra autem diximus, ius Latij esse, vt suffragiorum potestatem, magistratum permittente, haberent, & si in Latina ciuitate, aut Latij iure donata, magistratum gessissent, ciues Romani vt fierent. vnde notum, ac iam tritum est illud Asconij, *Strabonem transpadanis ius dedisse, quod haberent ceteræ coloniæ, id est, vt petendi magistratus gratia ciuitatem Romanam adipiscerentur.* Ergo Latinæ coloniæ erant, quæ ius Latij siue Latinitatis acceperant. Quoniam autem ius Latij iuri Quiritium, & Latinæ coloniæ ciuium Romanorum opponuntur, ob eam causam fit, vt probe concludi possit, si Latinæ coloniæ sint, quæ ius habent Latij, Romanas esse, quæ donatæ sunt iure Quiritiũ. Qui autem ius habet Quiritiũ, is nõ plenam ciuitatem Romanam, sed partem tantum ciuitatis adeptus est. iure enim Quiritiũ quid aliud continetur, nisi, vt alio libro docui, ius priuatæ libertatis, cõnubiorum, patrium, ius legitimi dominij, vt hereditatis, mancipij, & nexus, vlcupationis, & reliquorũ, itemque ius testamentorum, & tutelarum? Ergo Romanæ coloniæ fuerunt, quæ ius priuatum ciuium Romanorum habuerunt, quod his rebus est comprehensum. Hæc autem iura omnia colonis Romanis concessa, Latinis interdicta, in veteribus monumentis perscriptum animaduertere possumus. Nam & Boëtius in expositione Topicorum dixit, *deductione in Latinas colonias ciues Romanos mediam capitæ diminutionem consecutos esse, & Romanam ciuitatem amisisse,* hoc est, vt idem interpretatur, *neque connubij, neque testamenti, neque mancipij, aut nexus, aut patriæ potestatis ius, quod erat proprium ciuium Romanorum, habuisse.* & Vlpianus in Institutionibus scriptum reliquit, *Libertinos Latinos neque connubij, neque patriæ potestatis, neque tutelæ recipienda ius habuisse.* Neque vero aliud sensisse Liuium puto, cum Antium coloniæ missam, atque Antiatibus, si ipsi ascribi vellent, ciuitatem datam ait, aut cum Veliternos colonos veteres ciues Romanos appellauit, quàm eis coloniis ius esse Quiritium impertitum. Nam quid Tullianum testimonium proferam? qui aliquot colonias hoc iure fuisse præditas nõ obscure in oratione pro Cæcina ostendit, cum dixit, *L. Sullam dictatorem, cum de ciuitate Volaterranis adimenda ferret, ita tulisse, vt non sustulerit eorum nexa, & hereditates, sed eo iure reliquisset, quo essent Ariminenses, quos neminẽ ignorare, XII coloniarũ fuisse, & à ciuibus Romanis hereditates capere potuisse.* erant ergo, vt eundem locum diutius urgeam, coloniæ ciuium Romanorum ciuitatis Romanæ iure donatæ illæ quidem, verum optimo. neque enim iura publica ciuitatis habebant, sed priuata tantum. Quare qui eò ascripti coloni erant, nomine quidem erant ciues Romani, re vero coloni. restem postulatis? non longe abiero. præsto est Liuius, qui libro XXXIII scribit, *Puteolos, Salernum, & Buxentum ciuium Romanorum ascripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro ciuibus ferrent, senatum iudicasse, non esse eos ciues Romanos;* & alio loco narrat, *Ferentinas nouum ius tentasse, vt Latini, qui in coloniã Romanã nomina dedissent, ciues Romani essent,* id est, vt ego quidem existimo, ius Quiritium adipiscerentur. Neque enim probabile atque vlla ex parte consentaneum rationi videtur, Latinos in coloniã Romanam deductos plenum ius ciuitatis assequi voluisse, cum satis constet ciues Romanos eò profectos id amisisse. Quoniam autem illud nouum, & ante inusitatum

ius vocat Liuius, facile, quid ante in more, ac instituto positum fuerit, intelligere possumus.

Quòd si coloniæ ciuium Roma. partem tantum habuerunt ciuitatis, non integram ciuitatem, profecto dubitandum non est, quin Latinæ omnis expertes fuerint ciuitatis. Id quod cum ipsa suadet ratio, tum exempla vetera non obscure demonstrant. An enim, si Latini coloni ciues essent Romani, Cicero pro Balbo dixisset, *T. Matrinium Spoletinum ex colonia Latina ciuitate esse donatum?* & in Bruto, *Q. Fuluium Nobiliorem, cum triumuir coloniã deduceret, Q. Ennium ciuitate donasse?* & in or. pro Cæcina, *ciues Romanos si in colonias Latinas proficiscerentur, Romanam ciuitatem amisissent?* & pro domo, *qui ciues Romanos in colonias Latinas proficiscerentur, fieri non potuisse Latinos qui non erant auctores facti, nomenque dederant?* quid opus est pluribus? lex Appuleia, quam idem ille in Balbi defensione commemorat, satis ostendit, nullas omnino colonias optimo iure ciuitatis Romanæ fuisse affectas. cur enim Saturninus ille Appuleius in tribunatu tulisset, *vt C. Marius in singulis coloniis ternos ciues Romanos facere posset, si coloniis ciuitas ante patuisset?* Si ergo coloniæ omnes aut ius Quiritium tantum habuerunt, aut ius Latij, profecto nec census, nec tributorum, nec stipendiorum, nec suffragiorum, nec magistratuum ius idem, quod ciues Romani, adeptæ sunt. De censu testimonium res non postulat. siquidem in quaque colonia colonici censores fuerunt, à quibus, vt infra ostendam, ex coloniæ instituto census peragebatur. Tributum tamen eos pependisse, & milites ad bellum ex formula misisse, non est dubium. Hoc enim XII coloniarum exemplo cõfirmatur, quæ bello Punico secundo negauerunt esse, vnde milites, & pecuniam darent, & XVII Ialiam, ex quibus, vt inquit Liuius, cum quæreretur, *ecquid milites paratos haberent, responderunt, & milites paratos ex formula esse, & si pluribus opus esset, plures daturas, & quidquid aliud imperaret, vellatque, populus Romanus. enixe facturas.* ad id sibi neque opes deesse, animum etiam superesse. Adde quòd XII coloniis, quæ imperium abuerant, eodem bello aliquot post annis ex s. c. imperatum est, quantum quæque earum coloniæ militum primum dedisset populo Romano, ex quo hostes in Italia essent, duplicatum eius summæ numerum peditum daret, & equites centenos vicenos: si quæ eum numerum equitum explere non posset, pro equite vno tres pedites liceret dare. pedites, equitesque quam locupletissimi legerentur, mitterenturque vbi extra Italiam supplemento opus esset. si quæ ex his recusarent, retineri eius coloniæ magistratus, legatosque mandatum. neque, si postularent, senatum dari, priusquam imperata fecissent. stipendium præterea iis coloniis XII milia æris, asses singulos imperatum, vt quotannis exigeretur. Habuisse tamen aliquot colonias militiæ vacationem, Liuij testimonio est cognitum, cuius hæc sunt verba: *Dijs rite placatis delectum consules habebant acrius, intentiusque, quàm prioribus annis quisquam meminerat habitum. nam belli terror duplicatus noui hostis in Italia aduentu, & minus iuuētis erat, vnde scriberent milites. Itaque colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recusantibus edixere in diem certam, vt quo quisque iure vacationem haberet, ad senatum deferret. ea die hi populi ad senatum venerunt, Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxurans, Minturnensis, Sinuessanus, & a supero mari Senensis. cum vacationes suas quisque recitaret, nullus, cum in Italia hostis esset, præter Antiatem, Ostiensemque vacatio obseruata est. earumque coloniarum iuniores iurciurando adacti, supra triginta dies non pernoctaturos se extra incenia coloniæ suæ, donec hostis in Italia esset. Præterea, quòd bello Antiochino cum eadem maritimæ coloniæ, eodem teste Liuij, cogebantur in classem, tribunos pl. appellarunt, à quibus ad senatum reiectis, senatus decreuit, vacationem rei naualis non esse. Quin etiam coloniæ immunitates aliis alias maiores habuisse, indicat Cicero in Verrem, cum ait: *Quæ colonia est in Italia tam bono iure, quæ per hos annos tam commoda vacatione vsa sit omnium rerum, quàm Mamertina ciuitas per triennium.* De iure autem suffragiorum ferendorum, aut magistratuum*

Romæ petendorum, quoniam in hoc vetera prope muta sunt monumenta, facile adducor, ut credam, nullum colonis ullis ante legem Iuliam patuisse, nisi, quomodo Latini id, ut supra diximus, per magistratum domi gestum adepti sunt.

*De republica coloniarum.* CAP. IIII.



**V**TRUM igitur hætenus ad iura coloniarum aperienda est satis aliis fortasse, mihi nequaquam. neque enim de earum republica, & ciuitatis ratione aliquid dictum est, in quo maxime coloniarum ius est versatum. Explicemus igitur, quoad possumus, hanc etiam quæstionem, aut certe vias quasdam eius tractandæ optimis ingeniis demonstremus. Omnis coloniarum res publica in legibus, & legum curatoribus, meo iudicio, fuit posita: leges vel à populo Ro. acceperunt, vel ipsæ sibi per senatum, aut populum condiderunt; legum curatores aut magistratus, aut sacerdotes fuerunt, humanarum illi, hi diuinarum. Leges autem suas quæque colonia habuit præcipuas, à Romanis quidem legibus separatas, sed tamen à Romanis triumuiris datas, ut enim legati à senatu decreti prouincias ordinabant, iisq; leges, ac iura præscribebant, sic curatores coloniarum coloniis. Fluius autem antiquitatis multi sunt testes, sed maxime Gellius, qui scripsit, colonias omnes iura, institutaque non sui arbitrij, sed populi Rom. habuisse; & Cicero, qui de Puteolis, quò deducere coloniam Rullus statuerat, dixit: *Puteolos, qui nunc sunt in potestate sua, suo iure, libertatēque vtuntur, totos nouo populo, atque aduenticijs copijs occupabunt.* & Liuius, qui scriptum reliquit, *Veliternos, & Circeienses colonos reperisse captiuos suos à Romanis, ut in eos legibus suis animaduertent.* Nam quid Flaccum memorem, omnium disertissime ita loquentem: *Territoria inter ciuitates, id est inter municipia, colonias, ac præfecturas alia fluminibus finiuntur, alia summis montium iugis, ac diuerijs aquarum, alia etiam lapidibus positis præsignibus, alia inter binas colonias limitibus perpetuis diriguntur. de quibus territorijs si quando quæstio mouetur, respiciuntur leges ciuibus datæ, id est coloniis, municipijs, ac præfecturis.* Item: *Ergo fit, ut plura territoria confusa vnam faciem limitationis accipiant. aliquibus vero auctores diuisionis reliquerunt aliquid agri eis, quibus abstulerunt, quatenus haberent iurisdictionē, aliquos intra muros cohibuerunt. itaq; leges datæ coloniis, municipijsq; inuēda erant.* Fuisse quoq; præter hæc alias leges ab ipsis coloniis latas, argumento illud est quòd in coloniis cõsiliū erat & senatus & populi. Senatores autē in coloniis ut etiā in municipijs, decuriones vocabantur, quod docet Cicero, cū ita loquitur in Sextiana de Capua colonia deducta, cū ante esset præfectura: *Qua de causa & tum conuentus ille Capuæ, qui propter salutem illius Urbis consulatū conseruatam meo, meo patronum adoptauit, huic apud me P. Sextia maximas gratias egit, & hoc tempore eisdem homines, nomine commutato, coloni, decurionesque beneficium P. Sextij testimonio declarant, recita quæstio, quid decreuerint. Capuæ decuriones.* Significat autem, qui conuentus Capuæ, cum præfectura erat, dicebatur, eundem decuriones post deductam à Cæsare consule coloniam, esse appellatum. Hinc Suetonius in Augusto, *Corpus, inquit, decuriones municipiorum, & coloniarum à Nola Bonillas usque deportarunt.* & in eodem libro: *Quæ de magistratibus Urbicis decuriones colonici in suam quisque coloniam ferrent, & in multis veteribus lapidum monumentis adhuc inuenimus, D. E. C. O. L. quòd valet, Decurio colonia.* Ceterum Pomponius decuriones dictos existimauit, quòd initio, cum coloniam deduceretur, decima pars eorum, qui deducerentur, consilij publici gratia conscribi solita sit. Numerus vero decurionum nescio an in omnibus coloniis idem fuerit, centum quidem eos certe fuisse in colonia Capua, Cicero in secunda agraria prodidit. Denique ut in senatore Romano, sic in decurione colonico legendo censum esse obseruatum, qui fuit centum millium, satis aperte ex libro primo epistolarum Plinij perspicitur,

cum

cū ait: *Esse autem tibi centum millium censum, satis indicat, quòd apud nos decurio es. igitur ut te non decurione solum, verum etiam equite Roma perfruemur, offert tibi ad implendas equestres facultates CCC millia nummum.* Magistratus coloniarum præcipuos fuisse inuenio duumuiros, censores, ædiles, & quæstores. Duumuiratus magistratus erat prope consulatui, aut præturæ cõpar. vnde scite illud in agrariis Cicero de Capua colonia dixit: *Cum in ceteris coloniis duumuiros appellantur, Capuæ se prætores appellari volebant.* & Pomponius de albo scribendo: *In albo lex præponi iubet, qui maximo honore in municipio functus est, ut qui duumuiratus gessit.* Item alibi: *Is, qui non sit decurio, duumuiratu, vel alijs honoribus fungi non potest.* Atque hos quidem esse opinor, qui etiam duumuiros iuredicundo appellabantur, quorum celebrem adhuc in veteribus lapidibus extare memoriam animaduertere licet, hæc scriptura breui: **II VIR. I. D.** inueni tamen etiam **III VIRUM** coloniam Auximatis, & **IIII VIRUM** coloniam Signinæ in exemplis his veterum inscriptionum ad me delatis. **IIIVIR. IN COL. AVXIM. BIS.**

*Item.*

**L. VOLVMNIO L. F. POMP. IULIANO SEVERO IIIIVIRO COL. SIG. PATRONO COLONIAE SVÆ SENATVS, POPVLVSQVE SIGNINVS.**

Censores censum in coloniis egerunt, perinde atque Romani censores Romæ. id quod testimonio cognoscitur Liuij ita scribentis in libris de bello Annibalis: *Decretum est, ut census XII coloniis, quæ imperium abnuerant, ageretur ex formula ab Romanis censoribus data. dari autem placuit eandem, quam populo Ro. deferriq; Romam ab iuratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent.* Itaque Nero, & Salinator Romani censores earum coloniarum, quod nunquam ante factum erat, deferentibus coloniarum censoribus, censum receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent. quibus ex verbis apparet etiam, quid in censu coloniarum agendo à censoribus colonicis obseruatum sit. Inuenio etiam in antiquis marmoribus mentionem **AEDIL. COLON. PUTEOLANORVM.** Illud præterea non prætereundum, quod ad omnes coloniarum magistratus pertinet, etiam in colonia magistratus prætexta vfos esse, quod scriptum est in oratione L. Valerij tribuni pl. apud Liuium. Sacerdotes porro, ut augures, & pontifices in coloniis cooptatos, indicat Cicero in secunda agraria, vbi de Capua loquitur: *Hinc isti decemuiros, cum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerint, quos illorum animos, quos impetus, quam ferocia fore putatis?* An vero certus numerus sacerdotum fuerit, an pro coloniam magnitudine variauerit, ut etiam magistratum, parum habeo explicati, quid aut tradam, aut sentiam.

Præter magistratus fuerunt patroni coloniarum. Hos Romulus in remp. induxit. ut enim ciues patricios plebeiorum tutores constituit, sic colonis, ac sociis populi Roma. quos vellent, ex ciuibus Roma. sibi patronos deligendi, copiam fecit, quorum opera in ciuitate vterentur, siquid esset, quod sua interesset, ac Romæ curandum esset. Horum patronorum tum Dionysium in Romulo video meminisse, tum Ciceronem in oratione pro Sylla, cum ait: *Primum omnis Pompeianorum, colonorumque dissensio delata ad patronos est, cum iam inueterasset, ac multos annos esset exagitata, deinde ita à patronis res cognita est, ut, nulla in re à ceterorū sententijs Sylla dissenserit.* & in Philippicis, cū inquit, *Antonium vexasse Puteolanos, quòd C. Cassium, quòd Brutos patronos adoptassent.* & Suetonium in Augusto, cum ait, *Bononienses antiquitus in Antoniorum clientela fuisse.* In lapidibus autem veteribus adeo crebra patronorum coloniam mentio est, ut nihil possit esse celebrius.

*De colonijs ante bellum Italicum deductis.* CAP. V.



QVAE de colonijs, & iure, & rep. earum ex veterum annalium memoria repetere, aut ipse coniectura, iudicio ve completi potui, ea fere sunt, quæ supra scripsi. reliquum est, vt earum nomina literis mandem, ac quo quæque anno, & qua lege, quo iure, quòq; loco deducta sit, explicem. ne quid à me, quod ad antiquam Italiam statum pertineat, prætere missum esse videatur. Initium autem ducam à Romulo, ac singulas deinceps vsque ad bellum Italicum persequar. Romulus rex coloniarum deducendarum auctor, sex, quod in monumentis rerum ab egestarum notatum videmus, colonias condidit, CAENINAM, ANTEMNAS, CRUSTUMERIVM, MEDULLIAM, CAMERIAM, ET FIDENAS. quarum reliquæ in Sabinis; Medullia, & Cameria in Latio fuerunt. Cæninam, & Antemas Aborigines, pulsus inde Siculis, tenuerant. in singulas treceni homines missi, cum ipsæ ciuitates tertiam agri partem obtulissent. Crustumerium, Cameria, & Fidenæ Albanorum coloniæ fuerant. ex quibus Crustumerium post cum regnante Tarquinio Prisco ad Latinos defecisset, armis in potestatem redactum, colonos iterum Romanos accepit. Cameria vero, cum regnante Romulo colonos suos partim interfecisset, alios eiecisset, dimidiam agri partem amisit. Hæc fere Dionysius, qui idem multas alias colonias à Romulo deductas, cum se multæ ciuitates initio à Medullia facto eius potestati permisissent, scribit. Liuius tamē Fidenarum tantum meminit, quas Plutarchus Idibus Aprilis deductas, duobus millibus, & quintingentis eo missis, litteris consignauit. anno inde CCCXXVI colonorum numerus additus, teste Liuius, agerque iis bello interemptorum est assignatus, qui post biennium à Fidenatibus sunt occisi. Deinde OSTIA in ore Tiberis ab Anco Marcio condita, eademque colonia est deducta, vt Liuius in primis, ac Dionysius memoriarum prodiderunt. SIGNIAM, & CIRCEIOS in Volscis deduxit rex Superbus, illam casu, hanc consilio. Cum enim bello Volscis illato, ac Suessa Pomeria capta, in Sabinos profectus præsidium in Volscis reliquisset, idq; per hiemem in agro Signino castra in oppidi modum communisset, Signiæ oppido originem dedit. Circeios autem consulto colonos misit, quod id oppidum & agro Poptino, omnium, qui in Latio sunt, maximo, & mari, quod attingebat, esset opportunissimum. Atque ita quidem Dionysius. Nam Liuius Signiam, Circeiosque colonos missos, præsidia vrbi futura terra, mariq; tantum scripsit. quin etiam idem Ap. Claudio, P. Seruillio cos. anno CCLIX, Signiam suppleto numero colonorum iterum deductam prodidit; Circeios L. Lucretio, Ser. Sulpicio cos. anno CCLX Diodorus. Anno autē eo, de quo dixi, CCLIX ECETRAS in Volscis item deductas, significauit Dionysius, cum scripsit, Aurucos postulasse à senatu, vt agro, quem Romani ademerant Volscis Ectranis, atque in eum colonos deduxerant, qui præsidio gentis essent, decederent, alioquin se armis eos moturos. Anno CCLIX A. Virginio, T. Veturio cos. *Volscis deuicti Veliternus ager ademptus. VELITRAS coloniam ab vrbe missi, colonia deducta.* sic Liuius; neque vero aliter, nisi quod aliquanto diligentius, Dionysius: M. Valerium dictatorem triumphasse, ac dimisso exercitu in agrum Volscis ademptum colonos misisse, lectis pauperibus, qui agrum hostilem custodirent, & seditiosam vrbis plebem leuarent. biennio post cum pestilentiarum vis vix decimam partem ciuium reliquisset, Veliternos vastitatem coloniæ questos colonos à Romanis postulasse, itaque triumuiros creatos, qui novos colonos deducerent. plerisque pestilentiarum metu ire recusantibus, sorte ductos, qui irent, eodemque ire compulsos esse. atque hoc idem in Coriolano quoque apud Plutarchum est scriptum. Hanc autem coloniam ciuium Romanorum deductam, significat Liuius libro III, cum ait, *In Veliternos veteres ciues Rom. quod cum Latini rebellassent, acerbe seutum.* Anno CCLXI, T. Geganio, P. Minucio consulibus NORBAM in montes deductam, vt arx esset in Pomptino, Liuius, vt sed

seditio sedaretur, Dionysius prodidit. Anno CCLXXXVI, Ti. Emilio, Q. Fabio consulibus Fabius rettulit; T. Quinctij ductu, & auspicio agri capti priore anno aliquantum à Volscis esse: ANTRIVM propinquam opportunam maritimam urbem coloniam deduci posse. ita sine querelis possessorum plebem in agros ituram, ciuitatem in concordia fore. ea sententia accepta triumuiros agro dando creant T. Quinctium, A. Virginium, P. Furium. iussi nomina dare, qui agrum accipere vellet. Fecit statim, vt sit, fastidium copia, adeoq; pauci nomina dedere, vt ad explendum numerum coloni Volsci adderentur. post autem anno CCCCXV, L. Furio, C. Mænio cos. subactis, qui defecerat, Antiatribus, Antium noua colonia missa cum eo, vt Antiatribus permitteretur, si & ipsi ascribi coloni vellet. & ciuitas, teste Liuius, data. M. vero Fabio, Postumo, Æbutio consulibus, anno CCCCXIII, s. c. factum est, vt quoniam ciuitas Ardeatium intestini tumultu redacta ad paucos esset, coloni eò præsidij causa aduersus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, vt plebem tribunosq; fallerent, iudicij rescindendi consilium inritum, consenserant autem, vt multo maiore parte colonorum Rutulorum, quam Romanorum scripta, nec ager vllus diuideretur nisi is, qui interceptus infami iudicio erat, nec vlli prorsus Romano ibi, quam omnibus Rutulis diuisus esset, gleba vlla agri assignaretur. sic ager ad Ardeates rediit. triumuiri ad coloniam ARDEAM deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clælius Siculus, M. Æbutius Elua, qui coloni ascripti in colonia remanserunt. Deinde anno CCCCXXVII, L. Sergio Fidenate, M. Papiro, C. Seruilio tribunis militum consulari potestate, opportune captis ex Æquis LAVICIS, senatus priusquam ab tribunis plebis agrariae seditiones, mentione illata de agro Lauicano diuidendo, fierent, censuit frequens coloniam Lauicos deducendam. coloni ab vrbe mille, & quingenti missi bina iugera acceperunt. Anno etiā CCLX, L. Lucretio, Ser. Sulpicio consulibus Liuium video VITELLIAM coloniæ meminisse, nec tamen, quando deducta fuerit, aperire: sic enim tantum inquit: *Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Aequi expugnant.* nec tamen de ea dubitandum est, siquidem ita de eadem scribit in Vitellio Suetonius: *Vitelliam ab Ianiculo vsque ad mare, colonia eiusdem nominis, quam gentis copia Vitellij aduersus Aequicolos tutandam olim depoposissent.* Anno vero CCCCXVIII cum haud procul seditione res esset, ecce tibi, vt inquit Liuius, eius leniendæ causa, postulante nullo, largitor voluntarius repente senatus factus, SATRICVM coloniam duomillia ciuium Rom. deduci iussit. bina iugera, & semisses agri assignati. Triennio vero interiecto, L. Valerio, A. Manlio, & collegis tribunis militum consulari potestate, SVTRIVM in Etruria colonos missos, mihi Velleij auctoritate est persuasum; quippe qui eam coloniam septem post Romam captam annos notat. Diodorus tamen anno post Romam captam Sutrinæ coloniæ meminit, vt Liuius post Punico bello. Eo certe anno, & Liuij, & Velleij testimonio certum est, NEPE in Etruria esse deductam. siquidem Liuius ait, quo ad Veliternam militiam paratiot plebes esset, triumuiros Nepet coloniæ deducendæ creatos. Anno CCLXXVII, L. Emilio, Ser. Sulpicio tribunis mil. consulari potestate, inuenio apud eundem SETIAM, ipsis querentibus penuriam hominum, novos colonos esse ascriptos. itaque anno CCCCXIII, Priuernates Norbam, & Seriam finitimas colonias esse depopulatos. Velleius tamē Setiam post annum, quam Sutrium, deductam scribit. Anno inde CDXIX Ti. Veturio, Sp. Postumio consulibus, etsi belli pars, vt ait Liuius, cum Sidicinis restabat, tamen vt beneficio præuenirent desiderium plebis, de colonia deducenda CALES rettulerunt. factoque s. c. vt duo millia quingenti homines eò scriberentur, tresuiros coloniæ deducendæ, agroq; diuidendo creauerunt K. Duilium, T. Quinctium, M. Fabium. Cales Ausonum fuit. eius item hoc anno deductæ meminit Velleius. Post quinquennium vero L. Emilio, C. Plautio cos. ANXVR trecenti in coloniam missi bina iugera agri acceperunt. Insequenti vero ann. FREGELLAS (Sidicinarum is ager, deinde Volscorum fuerat) colonia

deducta. Vtriusque cum Paterculo auctor est Liuius. Anno inde ccccxxxix, C. Sulpicio, M. Pœtelio cos. cum Lucerini in Apulia ad internecionem essent cæsi, eò ira processit, vt, cum de coloniis mittendis LVCEIAM consulèretur senatus, multi delendam censerent. præter odium, quod execrabile in hos captos esset, longinquitas quoque abhorrere à relegandis tam procul ab dæmo ciuibus inter tam infestas gentes cogebat. vicit tamen sententia, vt mitterentur coloni: duo millia, & quingenti missi. meminit huius non Liuius solum, cuius hæc verba sunt, sed Polybius quoque, Diodorus, & Paterculus. Postero anno SVESIA, & PONTIÆ coloniarum sunt deductæ. Sueffia Auruncorum fuerat. Volsci Pontias insulam sitam in cõspectu littoris sui incoluerunt. Ita quidem Liuius; num vero aliter Velleius: etiã nam Sueffiam Auruncam triennio post deductam ait, quàm Luceria. Addit præterea eodem anno SATICVLAM in Samnio esse deductam, de cuius deductione apud Liuium scriptum nihil inuenio. cum tamen idem ille post libro xxvii Saticulanorum colonorum meminerit. ex Festinis porro commentariis apparet, Saticulam deductã esse à triumuiris M. Valerio Coruo, Junio Scæua, P. Fulvio Longo ex s. c. K. Ianuariis, L. Papirio Cursore, C. Iunio iterum consulibus. Iisdem autem consulibus, vt ait Liuius, INTERAMNAM, & CASSINVM vt perducerentur coloniarum, s. c. factum est. sed triumuiros creauere, ac misere colonorum quatuor millia infrequentes consules M. Valerius, P. Decius. Interamnæ idem post etiã meminit L. Postumio, M. Atilio cos. cum ait: *Samnites Interamnã coloniam, quã via Latina est, occupare conati sunt.* Diuersus tamen est ab eo in hoc quoque Velleius, quòd Interamnã biennio post deductam ait, quàm Saticulam. Anno cccclj, L. Genucio, Ser. Cornelio cos. SORAM, atque ALBAM coloniarum deductæ. Albam in Æquos sex millia colonorum scripta, Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites. eò quattuor millia hominum missa. Hunc quidem in modum Liuius. Paterculus autem has tantum decennio post Interamnã deductas notat. Post quadriennium, M. Fulvio, T. Manlio cos. NEQVINVM in Vmbris in deditionem populi Rom. venit. colonia eò aduersus Vmbros missa, à flumine Narnia est appellata. Post autem anno DLIII, P. Villio, L. Cornelio cos. Narniensium legatis querentibus ad numerum sibi colonos non esse, immistos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum causã triumuiros creare L. Cornelius consul iussus. creati P. & Sex. Ælij Pæti, & C. Cornelius Lentulus, teste Liuius. Qui idem anno cccclv à consulibus L. Cornelio Cn. Fulvio CARSEOLOS in agrum Æquicolarum colonos missos scribit, cum tamen sui, vt puto, oblitus, ita in anni ccccli rebus exponendis scripsisset; *Nuntiatum à Marsis agrum vi teneri, in quem Carseoli colonia deducta erat.* Anno idem DLVII, Ap. Claudio II, L. Volumnio II consulibus, cum de præsidio regionis depopulatæ à Samnitibus ageretur, placuit, vt duæ coloniarum circa Vescinum, & Falernum agrum deducerentur, vna ad ostium Liris fluuij, quæ MINTVRNÆ appellata, altera in saltu Vescino Falernum contingente agrum, vbi Synope dicitur Græca vrbs fuisse, SINVESSA deinde ab colonis appellata. tribunis plebis negotium datum est, vt plebiscito iuberetur P. Sempronius prætor triumuiros in ea loca coloniis deducendis creare. Nec qui nomina darent, facile inueniebantur, quia in stationem se prope perpetuã infestæ regionis, non in agros mitti rebantur. Hæc Liuius. qui idem post bello Punico secundo narrando Sinuessam Romanam coloniam Samniti oppositam scribit. Velleius autem aliquanto secus, Fabio quintum, Decio Mure quartum cos. vtroque colonos esse deductos. Quadriennio interiecto VENVSIAM in Apulia colonia missa est, teste Paterculo. Itaque Liuius anno DLIII, P. Galba, C. Cotta cos. triumuiros creatos scribit ad supplendum Venusinis numerum colonorum, quòd bello Annibalis attenuatæ vires eius coloniarum essent, C. Terentium Varronem, T. Quinctium Flaminium, P. Cornelium Cn. F. Scipionem. Anno cccclxxi C. Fabricio, Q. Æmilio cos. SENA in agrum de Gallis Senonibus captum dedu-

cta. quan

ta. quantum ex verbis Polybij, & epitome xi Liuij suspicari licet. Fabio autem Dorfone, Claudio Canina cos. qui fuit annus ab v. c. CDLXXX, COSSAM, & PAESTVM coloni ascripti, teste eadem epitoma cum Paterculo. Pæstum, quæ & Possidonia Lucanorum, Cossa Tuscorum fuit, vtraque ad mare, post autem anno DLVII. Furio, M. Claudio cos. Cossanis postulantibus, vt sibi colonorum numerus augetur, mille ascribi iussi, dum ne quis in numero esset, qui post L. Cornelium, & Ti. Sempronium cos. hostis fuisset. Plutarchus Narniam, & Cossam à T. Quinctio Flaminio ante consulatum deductas scribit. Inde quinquennio post P. Sempronio, Ap. Claudio cos. ARIMINVM in Gallia, & BENEVENTVM in Samnio deductas inuenio apud Velleium, & Eutropium, & Liuium, & Polybium: de quo illud memorabile narrat Festus, *Beneuentum, cum colonia deduceretur, appellari ceptum esse melioris ominis causã, cum eam urbem Græci incolentes ante Maleuentum appellarent.* vnde notum illud est apud Plinium: *Hirpinorum coloniam Beneuentum auspiciatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleuentum.* In HADRIAM in Picenum coloni missi, vt scriptum legimus in epitoma xi, credo anno, postquam Picentes deuicti sunt, M. Atilio, L. Iulio consulibus. Hadriã Vomano flumine humectatam tradit Silius, eandem in mediterraneis non longe à Matrino amne collocat Strabo. Ab hac nomen inuenisse mare Adriaticum putat P. Victor in Hadriano, cum id ab Adria potius Venetorum ductum cõstantior fama sit. Deinde FIRMVM, & CASTRVM NOVVM coloni ascripti initio Punicum belli, vt ait Velleius, quod anno CDLXXIX est initum Ap. Claudio, M. Fulvio cos. Castrum certe memoria extat etiã in epitoma Liuianorum xi. Firmum Picentum, Castrum Tuscorum fuit, vtrunque maritimum. Quocirca Liuius libro xxxvi inter colonos maritimos Ostiam, Fregenas, Castrum nouum, & Pyrgos numerauit. Postero anno AESERNIAM, in Samnitibus deductam apud Liuium libro xvi, & Velleium primo inuenio. Eodemq; Velleio teste post annum xvii, AESVLVM, & ALSIVM, colonos esse deductos video. Alfium Etruscorum est ad mare. Post biennium vero FREGENAS ad mare Tyrrhenum deductas. Et in sequenti anno Torquato, & Sempronio cos. in Sallentinis BRUNDISIVM, narrat Velleius. neque aliter est in epitoma xix. Cicero natalem diem Brundisinae coloniarum Nonas Sextilis fuisse in epistolis ad Atticum scriptum reliquit. Triennio vero interiecto SPOLETIVM in Vmbria est deducta. Et post biennium VALENTIA Velleio teste. Spoletium Latinam coloniam fuisse ostendit Cicero in defensione Balbi, cum ait, *T. Matrinum Spoletinum ex colonia Latina à C. Mario ciuitate donatum.* Anno inde DXXXV, P. Cornelio, Ti. Sempronio cos. CREMONA in Insubribus, PLACENTIA in Boiis deducta. Cremonam tradit Tacitus lib. xix propugnaculum aduersus Gallos trans Padum agentes, si qua alia vis per alpes irrueret, constitutam. de Placentia ita scriptum inuenio in commentario Pediani: *In annalibus eorum, qui bellum Punicum secundum scripserunt, tradi video Placentiam coloniam deductam pridie Kal. Ian. Ti. Sempronio, & P. Cornelio cõsulibus, primo anno eius belli. sex millia hominum noui coloni deducti sunt, in quibus equites deducendi fuit causã, vt opponerentur Gallis, qui eam partem Italiae tenebant. deduxerunt triumuiros P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, Cn. Pompeius, alias Cn. Cornelius Scipio. eamq; coloniam LIII deductam esse meminimus. deducta est autem Latina.* Neque vero secus est in epitoma xx, Placentiam, & Cremonam in agro de Gallis capto deductas. itemq; apud Polybium libro III. vtrasque autem velut claustra ad cohibendos Gallicos tumultus opposita alio loco refert Liuius. Inde vero anno DLXII, L. Cornelio, C. Lælio cos. decreuit senatus, vt C. Lælius, si ei videretur, sex millia familiarum conscriberet, quæ Placentiæ, & Cremonæ diuiderentur, & vt L. Aurunculeius prætor triumuiros crearet ad eos colonos deducendos. creati M. Atilius Serranus, L. Valerius P. F. Flaccus, L. Valerius C. F. Tappus. consul in supplementum Cremonæ, & Placentiæ colonos scripsit. Quoniam autem

autem Placentiam LIII coloniam fuisse deductam prodit Afconius, placet hoc loco, quæ ex tam multis coloniis per bellum Punicum floruerint, quæq; iacuerint, recitare. Liuium enim tantum quadraginta commemorare inuenio, triginta quidem libro XXVII, alias vero in aliis. *Triginta*, inquit, *tum coloniæ populi Rom. erant. ex his duodecim, cum omnium legationes Romæ essent, negauerunt cōsulibus, esse unde milites, pecuniamq; darent. eæ fuere Ardea, Nepes, Sutrium, Circeij, Alba, Carsoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna. reliquæ XVII se ad quidquid opus esset præsto futuras responderunt, Signini, Norbani, Saticulani, Brundisini, Fregellani, Lucerini, Venusini, Hadriani, Firmani, Ariminenses, & ab altero mari Pontiani, Pæstani, Cossani, mediterranei Beneuentani, Aesernini, Spoletini, Placentini, Cremonenses.* libro autem XXVII, colonos maritimos, qui sacrosanctam vacationem habere dicebantur, ad senatum ait venisse, Ostiensem, Alsensem, Antiatem, Anxuratem, Minturnensem, Sinuessanum, & à supero mari Senensem, & libro XXXVI, colonis maritimis vacationem rei naualis negatam. quæ erant Ostia, Fregena, Castrum nouum, Pyrgi, Antium, Tarracina, Minturna, Sinuessa. ex quo apparet prætermittas ab eo Cassinum, Æsulum, & Valentiam, haud scio an quia Annibalis partiu essent. nam reliquas, Cæninam, Antemnas, Crustumerium, Medulliam, Fidenas, Cameriam, Ecetras, Velitras, Lauicos, Satricum, & Vitelliam aut afflictas crediderim, aut certe non admodum magnis tum fuisse opibus præditas. in his autem illud est obseruatione dignum, Pyrgos coloniam nominari, cuius deductio ignoretur. Quas autem hoc loco XII colonias imperium ait abnuisse, eas alio loco Latinas colonias vocat. Anno inde DLIII L. Cornelio, P. Villio cos. CASTRORVM PORTORVM, inquit Liuius, *quo in loco nunc oppidum est, censors fruentum locarunt, colonosq; eò trecentos (is numerus à senatu finitus erat) ascripserunt.* Post biennium vero, C. Cornelio, C. Minucio cos. C. Acilius tribunus pl. tulit, vt quinque coloniæ in oram maritimam deducerentur, duæ ad ostium fluminis VULTURNI, LITERNIQ. vna ad PVTEOLOS, vna ad castrum SALERNI, his BUXENTVM adiectum. tricenæ familiæ in singulas colonias iubebantur mitti, iis deducendis triumuii ij, qui per triennium magistratum haberent, creati M. Seruilius Geminus, C. Minucius Thermus, Ti. Sempronius Longus. Triennio vero interiecto, P. Scipione, Ti. Longo cos. coloniæ sunt deductæ, Puteolos, Vulturnum, Liternum, treceni homines in singulas, item Salernū, Buxentumq; omnes ciuium Rom. deduxere triumuii Ti. Sempronius Longus, qui consul erat, M. Seruilius, C. Minucius Thermus. Ager diuisus est, Campanorum fuerat. Eodemq; anno SIPONTVM in agrum, qui Arpinorum fuerat, coloniam ciuium Rom. deduxere triumuii D. Iunius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, M. Heluius. Iisdemq; COS. TEMP SAM, & CROTONEM ciuium Rom. coloniæ deductæ sunt. Tempianus ager de Bruttis captus erat. Bruttij Græcos expulerant. Crotonem Græci habebant. triumuii C. Octavius, L. Æmilius Paullus, C. Plætorius Crotonem, Tempiam L. Cornelius Merula, C. Saloni \* deduxerunt. anno vero DLXIII Sp. Postumio, C. Marcio cos. triumuii ad colonos scribendos Sipontum supero mari, Buxentū infero, desertas colonias, ab T. Mænio prætore vrbanō creati sunt L. Scribonius Libo, C. Tuccius, Cn. Bæbius Tamphilus. Ante vero triennium, in consulatu L. Cornelij, & C. Minucij M. Ælius Tubero trib. plebis tulerat ad plebem, plebesq; sciuerat, vt Latinæ duæ coloniæ, vna in Bruttios, altera in Thurinum agrum deducerentur. iis deducendis triumuii creati, quibus in triennium imperium esset, in Bruttios Q. Næuius, M. Minucius Rufus, M. Furius Crassipes: in Thurinum agrum A. Manlius, Q. Ælius, cuius lege deducebatur, L. Apustius. ea bina comitia prætor vrbanus Cn. Domitius in Capitolio habuit. Itaque insequenti anno coloniam Latinam in agrum THVRINVM deduxerunt. tria millia peditum iere, ccc equites. numerus exiguus pro copia agri. dati potuere quadragena iugera in singulos pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri

agri dempta. quo postea, si vellent, nouos colonos ascribere possent. vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt. Postero vero VIBONEM coloni ascripti ex s. c. plebei; scito. mille septingeni pedites ierunt, treceti equites: triumuii deduxerunt Q. Næuius, M. Minucius, M. Furius Crassipes. quina dena iugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equitibus. Bruttiorum proxime fuerat ager. Bruttij ceperant de Græcis. Strabo Hipponem à Locrensibus conditum, atque Bruttis à Romanis ademptum Vibonem Valentiam nominatum prodit. Anno DLXIII, C. Lælius cos. cum ex Gallia Romam redisset, vt nouæ coloniæ duæ in agrum, qui Boiorum fuisset, deducerentur, & rettulit, & auctore eo patres censuerunt. Itaque postero anno ante diem III Kal. Ian. BONONIAM Latinam coloniam ex s. c. L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus III viri deduxerunt. tria millia hominum sunt deducta. equitibus septuagena iugera, ceteris colonis quinquagena sunt data. ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuscos expulerant. confirmat hoc extremum Plinius, qui Bononiam Felsinam vocitatam tradit, cum princeps Etruriæ esset. Anno DLXIX, P. Claudio, L. Porcio cos. coloniæ duæ POTENTIA, siue POLLENTIA in Picenū, PISAVRVM in Gallicum agrum deductæ sunt. sena iugera in singulos data: diuiserunt agrum, coloniasq; deduxerunt iidem triumuii Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fuluius Flaccus, & Nobilior, vt prodidit cum Paterculo Liuius. Anno vero DLXX, D. Claudio, Q. Fabio cos. cum ageretur, vt colonia AVILEIA deduceretur, nec satis constaret, vtrum Latinam, an ciuium Romanorum deduci placeret, postremo Latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt. triumuii creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus. postero anno deducta est in agro, qui fuerat Gallorum transalpinorum. tria millia peditum, quinquagena iugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt.

Sed ecce in manibus patria MUTINA, itemq; PARMA. Hæ eodem anno, quo Aquileia Latina decreta est, ciuium Rom. coloniæ sunt deductæ. bina millia hominum in agrum, qui proxime Boiorum, ante Tuscorum fuerat, octona iugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. deduxerunt triumuii M. Æmilius Lepidus, T. Æbutius Carus, L. Quinctius Crispinus. meminit post Mutinæ Cicero in Philippicis, ad laudem inquit: *Quid interest, vtrum hanc urbem Antonius oppugnet, an huius urbis propugnaculum, coloniamq; populi Rom. præsidij causa constitutam?* Quo fit, vt in hoc erratum esse Polybij putem, qui Mutinam coloniā initio alterius Punicus belli commemorat. Eodem anno SATVRNIA in agrum Caletanum est deducta. deduxerunt triumuii Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stello, Ti. Sempronius Gracchus. iugera in singula dena data. Ptolemæus Saturniam coloniam inter mediterraneas Tuscorum refert. Anno DLXXII, P. Cornelio, M. Bæbio cos. GRAVISCAS colonia in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum est missa. quina iugera agri acceperunt. triumuii deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Istra. Hæc quidē Liuius. cum quo dissentit Paterculus, cui Grauiscas eodem anno, quo Aquileiam, deductas placet. Postero anno PISANIS agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ. triumuii, teste Liuius, creati ad eam rem C. Fabius Buteo, M. & P. Popillij Lænates. meminit eius & Ptolemæus. Post triennium autem LVCAM coloniam duo millia ciuium R. sunt deducta. triumuii deduxerunt P. Ælius, L. Ægilius, Cn. Sicinius. quinquagena & singula iugera, & semisses agri in singulos data sunt. De Liguribus captus is ager erat. Etruscorū ante, quàm Ligurum, fuerat. Ita quidem Liuius. Nam Velleius quadriennio post Aquileiam hanc deductam scribit. Quo ex eodē Cn. Cornelio, M. Fulvio Nobiliore cos. an. DXCIIII, AVXIMVM in Picenū colonos esse missos cognoscitur. Eodēq; tēporū interuallo RHVDIAS in Messapicis deductas significare videtur Cicero, cum scribit in Bruto, Q. Fuluiū Nobiliorem, cum triumuir coloniam deduceret, Q. Ennium (fuit ille Rhudinus) ciuitate



ciuitate donasse. Fuluius autem consulatum anno urbis sexcentesimo gessit. Inde C. Cassio Longino, & C. Sextio Caluino cos. anno DCXXIX FABRATERIA in Latio, Velleio auctore, est deducta. Postero autem, quo Q. Metellus, & T. Flamininus consules fuerunt, multas colonias à C. Sempronio Graccho trib. pl. deductas accepimus. siquidem ita in epitomis Liuianæ historiæ scriptum extat: *C. Gracchus tribunus pl. continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrarijs latis effecti, ut complures coloniae in Italia deducerentur, & una in solo diruta Carthaginis. quo idem triumuir creatus coloniam deduxit.* Inuenio autem in Plutarchi, & Appiani historiis, Gracchum in secundo tribunatu de duabus tantum coloniis deducendis Capua, & Tarento tulisse. M. autem Liuium Drusum Gracchi collegam ex s. c. legem de duodecim coloniarum deductione, & tribus millibus in singulas ascribendis pertulisse. Capuam tamen non esse deductam satis aperte indicat Cicero, cum in agrariis ait, Gracchos Campanum agrum attingere non esse ausos. Ergo si vel Gracchi, vel Drusi lege multæ in Italia coloniæ deductæ sunt, profecto ex eo numero illæ fuerunt, quas post annū, quàm Fabrateria, deductas narrat Velleius, *CYL-LATIVM, MINERVIVM, TARENTVM, NEPTVNIAM, & DERTHONAM*, de qua tamen idem ambigi ait. Sunt qui coniecturam secuti in hunc numerum Nolam etiam, Ariciam, & Lauinium referat, quarum post Marfico bello, & ciuili Sullano mentio in epitomis usurpatur hoc modo: *Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Postumio prætore venit.* item: *Marius Antium, Ariciam, Lauinium colonias deuastauit.* verum non XII esse deductas, cum alia indicant, tum vero id, quod est apud Appianum de M. Druso huius M. Drusi filio, legem eum de coloniis in Italia deducendis tulisse, quæ iam pridem decretæ, nondum tamen deductæ fuerant. quam legem post s. c. sublatam diximus.

Vltima autem ex iis, de quibus ante bellum Italicū deductis aliquid accepimus, fuit *EPOROEDIA*, C. Mario VI, & L. Flacco cos. Velleio teste, deducta, ut esset præsidio aduersus Sallassos, auctore Strabone, tumultuantes. neque post hanc ullam ferme aliam, nisi militarem, coloniam deductam esse, eidem placet, quas militares in tertium librum reiecimur. Atque de coloniis quidem hætenus expofitum sit.

*De municipijs.* CAP. VI.



**S**EQVITVR altera quæstio de municipiis, nobilis illa quidem in primis, & cognitione dignissima, verum tam multis tenebris vel vetustatis, vel incitæ occultata, ut nos vix vetera eius indagandæ vestigia in tanta siue rerum, siue temporum, siue monumentorum quasi caligine videamus. Sed ingredienti, quid susciperem, fuit videndum, nunc quo me incerta plerumque & fallax aura coniecturæ prouexerit, vela danda sunt. Municipia autem in eo præcipue à coloniis diuersa fuisse reperio, quod, ut traditum est apud Gellium, coloniæ ex ciuitate Romana quasi propagarentur, municipia in ciuitatem extrinsecus vocarētur. Etenim, quod in primo libro de iure ciuium Romanorum docuimus, ciuitas aut singulis, aut vniuersis alicuius oppidi incolis impertita est: vniuersis autē ita, si aut Romam commigrarent, aut in patria sua, id est in municipio remanerent. quorum primi, & secundi ciues Romani, tertij proprio municipij nomine sunt signati. atque ille quidē à Romulo traditus, ut dixi, mos post sæpissime est usurpatus. Hanc vero consuetudinem pop. Rom. post urbem à Gallis captam in remp. induxit. siquidē primi municipes fuisse feruntur Cærites, quos ob custodita bello Gallico Romana sacra ciuitatis Romanæ honore affectos accepimus. Municipes autem ex eo nominarunt, quod ius adepti essent cum populo Romano munera capiendi. Quocirca præclare Vlpianus municipes proprie dictos prodidit, *qui in ciuitatem Romanam*

*accepti*

*accepti, munerum participes fierent.* egregie etiam Paullus, *qui municipales appellatos, quod munera ciuilia caperent, dixit.* Munera vero illi nihil aliud, quàm officiorum ciuiliū iura vocarunt. Itaque municipales possumus dicere homines iuris ciuium Romanorum participes, & municipium oppidum iure ciuium Romanorum donatum. quod, credo, alio nomine oppidū ciuium Romanorum vocauit Plinius, cū in Hispania citeriore esse dixit *colonias XII, oppida ciuium R. XIII, Latinorū veterum XVII.* & post: *in ora coloniā Barcinonem, oppida ciuium R. Betulonē, & Illuronem.* Municipij porro constituendi multo expeditior, atq; procliuior ratio fuit, quam coloniæ deducendæ. quippe cum ad largiendam ciuitatem satis senatusconsulto fuerit, & plebiscito, id est, ut ex auctoritate senatus de ea ferretur ad populū: vnde illa sunt apud Liuium de Priuernatibus: *Ex auctoritate patrum latum ad populū, ut Priuernatibus ciuitas daretur.* & de Campanis equitibus: *latum ad populū, ut ciues Romani essent.* ciuitatis tamen communicandæ arbitrium penes populū ita fuisse, ut etiam sine patrum auctoritate, cui liberet, ciuitatem dare posset, nescio an apertius ab aliquo tradi possit, quàm à Liuiō traditum est alio loco, cum ait de Formianis, Fundanisque municipibus *C. Valerium Tappum tribunum plebis promulgasse, ut ijs suffragij latio esset. ei rogationi quattuor tribunos plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edoctos, populi esse, non senatus ius, suffragiumq; quibus vellet, impertiri, destitisse incepto.* Quæret forsitan aliquis, an vero rogatione de ciuitate perlata, confecta res erat non equidem arbitror. Etenim si ciuitas cum suffragio data esset, præterea ut à censoribus in certam ex xxxv tribubus conferrentur requirebatur. Quæ quia ipsa per se satis aperta res est, vno mihi tantum cōfirmanda videtur exemplo. *Eo anno, inquit Liuius, census actus, nouiq; ciues censi, tribus propter eos additæ Mæcia, & Scaptia. censes addiderunt Q. Publilius Philo, Sp. Postumius.* Hi vero Lanuini, Aricini, Nomētani, & Pedani fuerunt, quos ciues bello Latino populus R. asciuerat. An vero hoc perpetuum ius censorum fuerit, ut addubitem, verba illa Liuij faciunt, cum ait, *rogationem esse perlatam, ut Fundani in Aemilia tribu ferrent. atque in hac tributum primum ex Valerio plebiscito à censoribus T. Quinctio, M. Claudio censes esse.* Hac enim lege tribus expressa est, in qua noui ciues suffragium ferrent, non arbitrio censorum permiffa. ex quo intelligi potest, ius ac beneficium ciuitatis, totum à populo Romano esse profectum. atq; hi quidem proprie municipales dicuntur fuisse, qui ciuitatis Romanæ compotes erant facti.

*De iure municipiorum.* CAP. VII.



**V**TAVTEM Coloniarum duo genera fuisse comperimus, item municipiorum. quam diuisionem non aliunde, quàm à iuris dissimilitudine video emanasse. quandoquidem non eodem omnia municipia iure donata sunt. Etenim quanquam omnibus municipibus ciuitas est tributa, tamē quia ciuitatis, ut diximus, munera, siue iura diuersa fuerunt, nec omnes municipales eodem modo omnia obtinuerunt, varietas iuris dissimilitudinem quandā pepererit ciuitatis, necesse est. Quæ autem hæc iuris diuersitas fuit: nempe, quod alij ius tantum legionis, alij præter legionē reliqua omnia iura sunt consecuti. quam differentiam antiquos rerum Romanarū scriptores his verbis video expressisse, ut illis sine suffragio, his cū suffragio ciuitatem communicatā dicant. suffragium enim pro optimo iure ciuitatis acceperunt. nempe, quia nec suffragium est sine tribu, & qui suffragij ius habet, fere magistratus etiam habet. Primum autem municipum genus his mihi verbis prope depinxisse videtur Gellius, cum dixit, *municipes esse ciues Roma. ex municipijs suo iure, & legibus suis vtentes, muneris tantum cum populo Roma. honorarij participes, à quo munere capeffendo appellatos videri, nullis alijs necessitatibus, neque vlla populi Roma. lege astrictos, cum nunquam populus eorum fundus factus esset.*

esset primos autem municipes sine suffragij iure Cærites esse factos; concessumque illis, ut ciuitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotijs tamen, atque honoribus vacarent pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque. hinc tabulas Cærites appellatas versa vice, in quas censores referri iuebant, quos nota causa suffragijs priuarent. Quibus ex verbis perspicuum est, hoc genus municipiorum neque ius Quiritium habuisse, neque alias populi R. leges obseruasse, quod in his sit, nulla populi Ro. eos fuisse lege astrictos, cum populus eorum nunquam fundus factus esset. siquidem fundi populi erant, qui ius Quiritium asciuerant. caruisse autem eisdem suffragio, & negotijs, atque oneribus ciuilibus vacasse, ex eo cognoscitur, quod item scriptum est, muneris eos honorarij tantum cum populo Ro. fuisse participes, id est, tantum honoris causa in Romanam ciuitatem venisse. vnde illud est Liuium; Campanis equitibus quia cum Latinis rebellare nolissent, honoris causa ciuitatem sine suffragio datam. honorem autem hoc loco non magistratum vocant. neque enim qui suffragij non sunt compotes honorum esse participes possunt, sed quendam dignitatis gradum, quod & ciues Romani dicerentur, & in legione tanquam ciues Romani non in auxiliis, ut socij, militarent. Quod extremum quanquam est à Gellio prætermisum, habet tamen aliorum veterum satis graue testimonium. hinc enim extiterunt illa iam trita Festi: *Municipes, qui ex alijs ciuitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum honoris partem. at Seruius filius aiebat initio fuisse, quia ea conditione ciues Romani fuissent, ut rempublicam semper separatim à populo Roma. haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque ciues Romani erant, & in legione mererent, sed dignitates non capiebant. Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, nec ciues Rom. essent. participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum vna cum ciuibus Romanis, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo, sicuti fuerunt quondam Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuii, Tusculani. qui post aliquot annos ciues Rom. effecti sunt.* Patefactus est igitur locus, ut non difficile sit, videre, vnum, ut dixi, genus fuisse municipum, qui ciues Roma. essent ea conditione, ut nec suffragium ferrent, nec magistratus caperent, sed munus tantum honorarium obirent, id est, honoris causa in legione stipendia facerent, ut ciues, non ut socij in auxiliis. & quod de Cæritibus Strabo dixit, nomine, non re ciues Romani essent. qui iidem quod suo iure vterentur, & magistratum Romæ neque alteri suffragio suo dare, neque ipsi alieno consequi possent, propterea dicuntur, rempublicam à Romana separatam habuisse.

Alterum genus municipum fuit, quibus cum suffragij latrone ciuitas est data. quod intellexit ite Festus, cum ad ea, quæ recitauimus, addidit: *Altero modo municipium dicitur, cum id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuersa in ciuitate Romanam venerunt, ut Aricini, & Anagnini.* his enim verbis eos notatos esse arbitror, qui in ciuitate cum suffragij iure essent recepti, ut Tusculanos, Aricinos, Lanuuios. ex quibus municipiis, antiquissimis etiam temporibus, honores Romæ amplissimos cepisse Coruncanios, Iuuentios, Catones, Murenas, Voconios, Scatinios accepimus. Ut autem quibus suffragium non dabatur, suæ leges permittebantur, sic qui suffragio ornabatur, legibus suis spoliabantur, Romanis vero obstringebantur. cuius rei nos inter alios videtur admonere Liuius, cum ait, *Hernicorum tribus populis Aleruati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam ciuitatem, suæ leges reddita & post: Tentationem aiebant esse Aequi, ut terrore incusso belli, Romanos se fieri paterentur, quod quantopere optandum foret, Hernicos docuisse, cum quibus licuerit, suas leges Romanæ ciuitati præoptauerint, quibus legendi, quod mallet, copia non fuerit, pro pœna necessariam ciuitatem fore.* Quanquam quid dico Liuium? nõ ne aperte idem ostendit Cicero in defensione Balbi, inquit, *Cum socijs, & Latinis lege Julia ciuitas data est, magnam contentionem Heracliensem, & Neapolitanorum fuisse, cum magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatē ciuitati anteferebat.* Qua ex re iudicare potest,

test, si illi populi leges suas Romanæ ciuitati ante tulerunt, eos accipienda ciuitate legum, ac iuris sui detrimentum fecisse. Vnde illud etiam præcis est litteris consignatum, Latinos vsque ad legem Iuliam, id est ciuitatem acceptam, ius quoddam sponsaliorum vsurpasse; nempe, quia municipes facti, ciuitatis Roma. in quam ascripti essent, iura sequi essent coacti. Habebant ergo iura omnia municipes hi, quæ ciues Ro. iure domicilij excepto. domicilium autem curiæ, curias sacra, & iura curiarum sunt consecuta. neque iniuria. nam si curiæ tantum fuerunt in vrbe, profecto qui extra urbem habitauerunt, curiarum expertes fuerunt. ut in libro etiam de iure ciuium R. primo est dictum. Si autem curiis vacauerunt, profecto neque sacra habuerunt curiarum, sed municipalia. quæ tanta videntur consecuta & culta esse religione, ut ea, ne si Romæ quidem, quod pro arbitrio poterant, sedem, ac domicilium collocassent, propterea deserere possent. Itaque Festus probe, & docte municipalia sacra definiuit, *quæ ab initio habuerunt ante ciuitatem Romanam acceptam, quæ obseruare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adfuisse antiqui.* Neque vero sacris tantum curialibus caruerunt, sed iure quoque suffragij curiatis comitiis ferendi vacauerunt, quam diu in municipio, non Romæ domicilium habuerunt. Commodissima tamen horum fuit conditio, ac fortuna municipum. nimirum, quod duas prope habuerunt patrias, vnam naturæ, alteram iuris, ex quo illa nota sunt Ciceronis in Legibus: *Ego omnibus municipibus duas esse censeo patrias, vnam naturæ, alteram iuris. ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populo Roma. ciuitatem susceptus est. ita cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris.* Itē: *Auus quidem noster Cicero in municipio Arpinati restitit M. Gratio ferenti legem tabellariam. quæ cum res esset ad se delata, Scaurus consul, utinam, inquit, M. Cicero isto animo, atque virtute in summa rep. nobiscum versari, quam in municipali maluisset.* Quod autem patriam vnam iuris eos habuisse ait, nimirum ciuitatem Romanam intelligit, cuius eos iura, & priuata, & publica vsurpasse perspicuum est. primum enim legum de libertate beneficio sunt vsi. quod ostendit idem, cum de Gaio Complano, municipe à Verre prætore cæso, ita exclamauit: *Cadebatur in foro Messanae ciuis Romanus: o nomen dulce libertatis, o ius eximium nostræ ciuitatis, o leges Porcie, legesque Sempronie.* deinde etiam connubiorum Romanorum iura sunt adsecuti. id quod ex eo perspicui potest, & quod sponsaliorum ratio apud Latinos, ut diximus, ciuitate accepta, sit cõmutata, & quod multi ciues Romani, iidemque nobilissimi municipum filias in matrimonio habuerint. Quod si hæc duo, ut apparet, iura possederunt, quis dubitet, quin reliquas etiam iuris Quiritium partes sint adepti, patriæ potestatis, hereditatum, mancipiorum, vsucapionum, testamentorum, & tutelarum? Nã de publico iure nullus prope relinquitur controuersie locus. Neque enim quemquam dubitaturum esse opinor, quin, si tribum habuerint, censeari etiam in ea potuerint. Quod me, cum ratio impellit, ut credam, tum etiam Liuij auctoritas, qui scripsit, Formianos, & Fundanos in tribum Aemiliam coniectos in ea à censoribus Romanis Romæ eo anno esse censos. Quod si sunt censi, ad id certe sunt censi; ut cognita ex censu pecuniarum, & iuniorum multitudine, in vtroque officij genere reip. satisfacerent. Nam suffragij ferendi, ac magistratus petendi Romæ adeo certum ius municipes habuerunt, ut iidem & in municipio, & in vrbe magistratus interdum gesserint, quod non obscure declarat Suetonius, cum de Octauis Veliter nis municipibus differens ait, *proauum Augusti, tribunum militum Punico bello fuisse, auum contentum municipalibus magistratibus, patrem Romæ præturam gessisse.* quid autem dico Suetonium? Cicero T. Annium Milonem Lanuij dictatorem fuisse ait, tum cum Romæ consulatum petebat, & M. Cœlium, qui Romæ ædilis curulis, & prætor fuit, *summa omnia absentem Puteolis esse adeptum;* & alio loco, *se Marcum filium in Arpinati municipio ædilem creari voluisse ad constituendum municipium.* inquit, cum ambo Romæ consulatum administrarint. Cū autem municipia iura hæc non sui arbitrij haberent, sed Romani, intelligendum est, non iccirco tamē

eadem omnium municipiorum iura fuisse. adeo ut vere illud scripserit idoneus auctor Aggenus, antiqua municipia suum privilegium habuisse, ut alia iniquiore iure vterentur, alia solutiora essent, alia plus pensarent. ex quo fonte illud Tullianum manavit in Verrem: *Quod tam immune municipium est, quod per hos annos commoda vacatione sit usum?*

De republica municipiorum.

C A P. V I I I.



**D**EINCEPS sequitur, ut de republica municipiorum agendum esse videatur. Etenim quemadmodum in coloniis, eodem modo in municipiis quendam reip. speciem, atque imaginem fuisse animadvertimus. Quæret aliquis, quæ municipalis reip. forma fuerit: difficile est de singulis dicere. uniuersum autem genus temperatum ex omnibus prope rebus publicis, & pæne Romanæ simile videtur fuisse. Nam si ordines quæramus, decuriones, equites, & plebem inuenimus, si consilia publica, in senatum, & populū, si magistratus, & sacerdotes, in dictatore, I I viros, I I I viros, censores, ædiles, & quæstores, & flamines municipiorū incidemus. quæ tamen vtrum omnia in omnibus fuerint municipiis, ego haud pro certo vnquam posuerim. agamus autem de his sigillatim. Quod ad amplissimum ordinem municipalem attinet, per facile iudicium est, nisi si à Tulliana recedamus auctoritate. sic enim ille egit, cum Cœlium aduersus crimina inimicorum defendit: *Quod obiectum est, municipibus esse adolescentem non probatum suis, nemini vnquam presenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absentem M. Cœlio, quem & absentem in amplissimum ordinem cooptauerunt & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegarunt.* Summus autem ordo decurionum fuit, quorum insignis apud eundem extat memoria in Cluentiana, cum inquit: *Ex lacrymis horum exillimare potestis, omnes hæc decuriones municipij Larinatis decreuisse lacrymantem.* & apud Cæsarem libro primo belli ciuilibus, cum ait, *decuriones è municipijs à Domitio euocatos.* Ergo qui fuit senatus Romæ, idem in municipiis decurionum consilium. In quibus legendis video summam curam esse adhibitam. video autem apud idoneum omnis antiquæ memoriæ testem Ciceronē in epistola quadam ad Leptam: *Quæsiui è Balbo, quid esset in lege; rescripsit, eos, qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. quare bono animo sint tui familiares. neque enim erat ferendum, cū qui hodie haruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipijs decuriones esse nō licere.* Ex decurionum autem ordine decemprimi legebantur, qui, ut scriptum est apud Hermogenianum, tributorum exactioni ita præerant, ut si qua detrimenta fiscus mortuorum causa contraheret, ipsi suis sumptibus resarcirent. neque vero hos tacitus præterit Ciceronem, siquidem in Rosciana dixit: *Decretum fit decurionum, ut decemprimi statim proficiscantur ad Syllam.* Cum autē equitum Romanorum Puteolis, & Teani Apulij, & Luceria, & Arpini mentionem in Cœliana, in Cluentiana, & in epistolis ad eundem inueniam, facile eò me adduci patior, ut credam, equitum etiam Romanorum ordinem in municipiis fuisse celeberrimum. cuius antiquitatis ne qua dubitatio in animis residere posset nostris, fecit idem, qui in Cluentiana equitem Romanum quendam in municipio suo nobilem commemorauit. Iam vero magistratuum summorum memoriam usurpat Spartianus, cum Imp. Hadrianū ait per Latina oppida dictatorem, & ædilem, & duumuirū fuisse. Nam Milonem in municipio Lanuuiū dictaturam gessisse, quis iam ignorat? An vero obscuro esse Quattuoruirū possunt, qui sint Ciceronis memoria, & litteris consecrati? *Antonius consul, inquit, cum scribit ad T. Pomponiū, euocauit litteris è municipijs denos, & quattuoruirū venerūt ad villam eius mane. cum esset nunciatum deuisse Neapolitanos, & Cumanos, postredie redire iussit.* & in defensione Cluentij: *Oppianicus per Syllam, vni, atq; vistoris Larinū cū armatis aduolauit. Quattuoruirōs, quos municipes fecerāt, sustulit, se à Sylla*

à Sylla, & alios præterea treis factos dixit. quin etiam idē ad Quattuoruirōs, & decuriones Fregellanos scripsit petens, ut quam possessionem Valgius Hippianus ab iis in agro Fregellano emerat, eam immunem, & liberam esse vellent. Neque vero quattuoruirōs solum, sed duumuirōs quoque in municipiis fuisse inuenio. hoc autem apud Cæsarem belli ciuilibus primo, cum se duumuiris municipiorum omnium ait imperasse, ut naues conquirerent. & alio loco, aurum allatum ab duumuiris Corfiniensibus Domitio reddidisse. Censores item in municipiis creatos, argumento sunt tabulæ municipiorum censoriæ, quas Cicero in Cluentiana commemorauit, cum dixit, *Oppianicum tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones uniuersi iudicauerunt.* Larinum enim fuisse municipium indicat, cum addit, *grauiter id decuriones Larinatium, cunctosq; municipes tulisse.* Quod idem in ceteris omnibus municipiis fuisse seruatum, facile existimauerim, nisi forte insigni, ac præcipuo aliquo crimine eiusmodi iure fuissent spoliata. Neque vero, quando me in hunc locum deduxit oratio, illud tacitus præteribo, in municipio ita cenfos esse municipes, ut si eis commodum esset, Romæ cenferi etiam in tribubus possent, quas ab initio obtinuisent, quod ad speciem duntaxat, & iuris usurpationem interdum fecerunt, ut post bellum Italicum ciuitate nuper accepta, in censura Gellij, & Lentulij. quo anno cuiuscunque modi multitudinem inquit Asconius ex municipiis conuenisse, aut propter comitia suffragiorum causa, aut ut cenferentur apud cenfos. Iam ædiles in municipiis creatos docet Suetonius, qui de claris disputans dicendi magistris, in Nouariensi municipio ædiles tradit fuisse. Nam quæstorum meminij C. Gracchus in oratione, cuius memoria apud Gellium usurpatur, de legibus promulgatis, Flamini Lanuuii Cicero in Miloniana. Atque his quidem magistratibus, ut in coloniis, item in municipiis uti prætextis permissum inquit Valerius aduersus Catonem differens de lege Oppia abroganda apud T. Liuium. Age vero decurionum consilium senatus speciem rettulit, quorum etiam decreta veteribus litteris, quod ex superioribus intelligi auctoritatibus potest, celebrantur. quid plebs, non ne populi equidem arbitror. Huius enim summum fuisse ius video in legibus ferendis, & magistratibus municipalibus creandis. vnde peruulgata iam illa sunt Ciceronis in Legibus, *M. Ciceronem auum suum M. Gracchum in municipio legem tabellariam ferenti acerrime resistisse.* & in Cluentiana, *Oppianicum quattuoruirōs, quos municipes fecissent, sustulisse.* & in epistolis, *Transpadanos à Cæsare proconsule quattuoruirōs creare iussos esse.* Ergo cum corpus quoddam esset municipalis reip. etiam vnde aleretur, & sumptus in repub. necessarii sustinerentur, publico vectigali opus fuit. Quocirca Cicero ad Cluuium de agro vectigali municipij Attellani, qui esset in Gallia, scripsit, & ad Brutum, de Arpinatis. sic enim dixit: *Arpinatum municipium meorum omnia commoda, omnesque facultates, quibus & sacra confiscare, & sacra tecta ædium sacrarum, locorumque communium tueri possint, consistunt in his vectigalibus, quæ habent in prouincia Gallia. ad eas visendas pecuniasq; quæ debentur à colonis, exigendas, legatos equites Romanos misimus.* Hic est autem ager, de quo, ut opinor, scripsit Liuius lib. X L I I, *terna iugera agri Gallici, & Ligustini socij nominis Latini esse diuisa.*

De municipijs ante bellum Italicum constitutis.

C A P. I X.



**D**EINCEPS nomina municipiorum litteris persequamur, quæ ante bellum Italicum floruerunt, ac quod fecimus in coloniis, id in municipiis quoque exponendis retineamus. Exordiamur autem à CAERITIBVS, quos primos municipes prodit Gellius. Hi cum sacra populi Romani pie, castèque bello Gallico custodissent, merito anno C C C L X I I I in ciuitatem, sed sine suffragij atque iocis sunt. cuius rei nomine populum Romanum accusat Strabo, quod optime meritis socios nomine tantum ciuitatis, non iure ornauerit. Liuius





ED quoniam de coloniis, & municipiis dictum est; deinceps de præfecturis, quarum perdifficilis, ac perobscura quæstio est, disputandum videtur. persequemur autem iisdem vestigiis veteræ præfecturarum memoriam, quibus coloniarum, & municipiorum antea indagauimus. Inter omnes Italicas ciuitates præfecturæ conditio fuit, ac fortuna durissima. sic enim à maioribus erat traditum, ut quæ ciuitates iniquæ, ingratae uel erga populum Rom. fuissent, ac fidem datam semel, atque iterum sefellissent, ubi in potestatem, ditionemque essent adductæ, in præfecturæ formulam referrentur. Formula uero præfecturæ non longe à prouinciæ formula, de qua supra dixi, uidetur abfuisse. ut enim quotannis in prouinciis prætores Romæ mitti soliti, sic in præfecturas præfecti, qui eas administrarēt, ac ius dicerent, uide illæ quoque insigne hoc præfecturæ nomen hauserunt. Inuenio tamen antiquiorem multo præfecturæ fuisse originem, quàm prouinciæ. siquidem prima præfectura fuit Collatia iam inde à L. Tarquinio Prisco rege constituta. Quam deditioe facta in fidem uenisse Liuius, non eadem æquitate, qua Crustuminos, Nomentanosque hostes, tractatam, sed armis spoliatam, ac pecuniis mulctatam præsidium etiam cum præfecto accipere iussam, Dionysius auctor est. Hoc autem ius totum non populi, sed senatus fuisse comperio, nimirum, ut quemadmodum præmia, eodem modo pœnas ciuitatibus pro meritis illarum decerneret. quem morem non tam in præfecturis, quàm in prouinciis constituendis diligenter obseruatum, plurimis veterum exemplis, atque auctoritatibus admonemur. Quod si quis, quæ omnino fuerint præfecturæ, requirat, paucis ego rem expediam. auctore quippe adhibebo Festum, qui præfecturas prodit uocat, *in quibus & ius dicebatur, & iudicia agebantur, & erat quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant, & in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui ius dicerent.*

## De iure præfecturarum. CAP. XI.



EX hac autem definitione satis apparet, præfecturas iure fuisse incommodissimo usus. Primum enim quid est, quod minus probari possit, quàm præfecturas iure Quiritium esse donatas, quo multæ etiam coloniarum, multaque municipia caruerunt: deinde uero, qui possumus ius Latij, aut Italicum integrum eas retinuisse, existimare, cum præfectus Romæ eodem missus sit, qui ius pro arbitrio diceret, non præfecturæ legibus astrictus esset: nisi uero consentaneum alicui uideatur, ciues Romanos annuis prætoris urbani edictis deuinctos fuisse, præfectos in præfecturis, qui locum prætoris obtinuerunt, ius liberum non dixisse. Nam quid dicam, præfecturam ne Latij quidem, aut Italicæ iuris partem obtinere potuisse, cum speciem, similitudinemque prouinciæ gesserit, cuius iura longe à sociorum nominis Latini iure fuere diuersa? Ius ergo, ut puto, priuatum omne ab edictis præfectorum Romanorum est profectum. quorum duo genera fuerunt, auctore Festo, *unum quattuoruirum, uel sexuirum, qui Romani populi suffragio creabantur, alterum, quos prætor urbanus in quaque loca mittebat legibus.* Publicum autem uniuersum est à senatu petitum, nempe census, tributorum, uetigalium, & militiæ. quibus grauissimis præfecturas oppressas esse muneribus, uerissimum mihi uideatur. Nulli suffragiorum, aut honorum ullam eas partem attigisse, quæ præmia ciuitatum benemeritarum haberentur amplissima, suspicari uix possumus. Neque uero nego, præfecturam ciuitate Romana potuisse donari. illud dico, ad ius præfecturæ ius suffragiorum non pertinuisse, fieri tamen potuisse, ut aliqua præfectura in ciuitatem

fit

sit accepta, confirmo. quod de Arpino in primis libet suspicari. hoc enim & in præfecturis à Festo numeratur, & ciuitate donatum esse perhibetur. recte autem hercle utrunque. Nam & Cicero, cum inquit in epistolis, *solum ædilitatis magistratum Arpini creatum*, conditionem præfecturæ designat. quis enim ius dicit ædilis? non uidetur. an ut in municipiis quattuoruirat, eo teste, non creantur. an præfecti Romæ missi? ergo forma est præfecturæ. & cum ciuitate Romana affectum uideamus, municipale ius ipsum statim agnoscimus. Licuit enim idem oppidum & præfecturam, & municipium esse, præfecturam quidem, quatenus eò præfectus iurisdictionis causa mitteretur, nec in ea magistratus ad ius dicendum crearentur, municipium uero, quatenus iure ciuitatis, uel cum suffragio, uel sine suffragio ueretur. quemadmodum etiam coloniam in ciuitatem ascitam, & coloniam dictam inuenimus, quia forma reipublicæ colonicæ utebatur, & municipium, quia suffragij ius Romæ ferendi erat adeptæ. unde illa profecta sunt in Antonium, *Lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum Suesam fortissimorum militum sanguine repleuit.*

## De republica præfecturarum. CAP. XII.



AM uero, quod ait Festus, præfecturarum quandam fuisse rempublicam, ne incommode quidem dictum uidetur. nam in præfecturis & consilia publica fuerunt, nec magistratum aliquot ornamenta desiderata sunt. Neque uero hanc doctrinam quisquam ad Capuæ normam, aut exemplum dirigere uniuersam debet. in quo multos errare animaduerto. Etenim Capua, cum in præfecturæ formam est redacta, asperius multo est, quàm ceteræ solent præfecturæ, tractata. si quidem ita scriptum de ea inuenio in annalibus Liuianis: *Habitari tantum, tanquàm urbem, Capuam, frequentarique placuit. corpus nullum ciuitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. sine publico consilio, sine imperio multitudinem nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore, præfectum ad iura reddenda ab Roma quotannis missuros.* Atque hoc idem etiam ante Liuium tradiderat in agrariis Cicero, cum de Capua disputaret. *Statuerunt, inquit, homines sapientes, si agrum Campanis ademissent, magistratus, senatum, publicum ex illa urbe consilium sustulissent, imaginem reipublicæ nullam reliquissent, nihil fore, quod Capuam timeremus. itaque hoc perscriptum in ueteribus monumentis reperietis, ut esset urbs, quæ res eas, quibus Campanus ager coleretur, suppeditare posset, ut esset locus comparandis, condendisque fructibus, ut aratores cultu agrorum defessis urbis domicilijs uterentur; idcirco illa ædificia non esse deleta.* Hæc isti. Id autem ita esse, ut dixi, perspicuum est ex eo, quod progredientibus temporibus Capuæ consiliū aliquod publicum uidetur esse permissum, qui est conuentus appellatus. id quod ostendit noster idem in Sextiana, cum ait: *Qua de causa & tum conuentus ille Capuæ, qui propterea salutem illius urbis consulatu conseruatam meo me unum patronum adoptauit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit, & hoc tempore iidem homines nomine commutato, coloni, decurionesque beneficium P. Sextij testimonio declarant.* patet ite ex eo, quod multa post Campanis beneficii loco, quasi ad pristinam leuandam calamitatem uidentur esse concessa. quale illud est, quod anno DLXIII condonatum esse, prodit Liuius. *Cum Campani, ubi censerentur, senatum consulissent (nam antea incertum hoc fuerat,) decretum, ut Romæ censerentur.* Itaque postero anno cum censores M. Marcellus, T. Quinctius ex hoc senatus consulto eos Romæ censeret coegissent, petierunt, ut sibi ciues Romanas ducere uxores liceret, & si qui prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, ut iusti sibi liberi, heredesque essent. utraque res impetrata. Neque uero summus solum ordo, qui est conuentus dictus, in præfecturis eluxit, sed etiam equester medius. quod uno Plancij exemplo planum fieri potest. qui, ut inquit Cicero,

Cicero,

Cicero, in *Atinati præfectura ea vetustate equestris ordinis fuit, ut pater, avus, et maiores eius omnes equites Romani fuerint, summum in præfectura honestissima gradum tenuerunt.* Nam quid dicam de tertio plebis ordine? de quo ille eodem in loco ita pergit: *Atinas præfectura plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia dici frequentior possit, quam quidem nunc multitudinem videtis iudices in squalore, et luctu supplicem vobis, hi tot equites Romani, tot tribuni ævariij (nam plebem à iudicio dimisimus, quæ cuncta comitijs affuit.) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt?* & pro Rabirio de perduellione: *Quid propinqui vestri equites Romani, quid omnis præfectura?* Atque hæc quidem de summis præfecturarum consiliis, & ordinibus hæctenus. Magistratus autem alios eò Roma missos fuisse constat, alios è præfectura creatos; Roma missos, qui ius dicturi essent, quos præfectos appellarunt; creatos, qui publicæ curationi alicui præessent, ut ædiles, & quaestores. Ac præfectos quidem Festus quattuor viros, aut sex viros dictos tradit. Quos nescio an recte eisdem esse dixerimus, ac sex primos, quorum meminit Cicero in tertio de natura deorum, cum dixit, *L. Alenum ex agro Piceno chirographum sex primorum imitatum esse.* an potius sex primos in præfecturis decem primis municipalibus respondisse putabimus.

Ædilem autem ad publica vrbis loca facta tecta tuenda, & quaestorem ad pecuniam præfecturæ publicam curandam in præfecturis esse creatum, valde probauerim. cum autem Festus, aut Liuius magistratibus interdictum scribit, non quoscumque intelligere, sed eos, qui iuredicundo præessent, crediderim.

*De præfecturis ante bellum Italicum constitutis.* CAP. XIII.



Is cognitis, nunc quæ potissimum oppida à senatu Romano in præfecturæ quondam formulam sint redacta, exponamus. Huius autem antiquitatis indagandæ grauiorē nobis curam ademit Festus, qui duo fuisse præfecturarum genera docuit, *vnum, in quas præfecti irent à pop. Rom. creati, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam; alterum, in quas proficiscerentur, quos prætor urbanus misisset, Fundos, Formias, Cere, Venustum, Alifas, Priuernum, Anagninam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, alijsq; complura.* Cuius pulcherrimum viri præceptum video egregia aliorum præterea multorum auctoritate, ac testimonio confirmari. Nam de Capua quæ non loquitur historia? Atellanos autem, & Calatinos, quod grauiissime multatos, quia Annibalem armis defendissent, prodat Liuius, eandē fere, quam Campanos, pertulisse fortunæ conditionem possumus suspicari. Quod idem de Cumis etiam, & Vulturno, & ceteris Campaniæ oppidis ego facile existimauerim. Nam de Anagnia, & Frusinone suspicionem iniicit Liuius, cum inquit, *Anagninis, quiq; arma Romanis intulerunt, ciuitatem sine suffragio datam, & magistratibus, præterquam sacrorum curatione, interdictum.* neque enim inter se pugnant, ciuitate donati, & magistratibus interdici, quorum alterum ad municipij, alterum ad præfecturæ ius pertinet, alterum præmij fere loco datur à populo, alterum pœnæ à senatu. id quod supra de Arpino diximus, & de Fulgino etiam iudicamus. quippe cum Ciceronem in oratione pro Vareno Fulginum modo præfecturam, modo municipium videam nuncupare. Quin etiam *Reatina præfectura* extat apud eundem memoriā in libris, quos scripsit de natura deorum, & *Atinatis* in Placiana. Neque verò paucas etiam in Piceno fuisse præfecturas, ostendit libro primo de bello ciuili Cæsar, cum inquit: *Piceni cunctæ præfecturæ,* & Cicero, cum in Rabiriana illa nobili ait: *Quid propinqui vestri equites Romani, quid omnis præfectura, regio, vicinitas vestra, quid ager Picenus vniuersus?* Ac de præfecturis quidem hæc vix è veteribus eruere litteris, ac præcis annalium monumentis potuimus.

De

*De fœderatis ciuitatibus, & earum iure, & rep.*

CAP. XIII.



**N**IGITVR, quæret aliquis, præter colonias, municipia, & præfecturas vllum aliud oppidi genus in Italia extitit, quod cum populo Rom. alicuius iuris societate deuinctum fuerit? equidem opinor multa. sed ea fere ante bellum Italicum, & ciuitatem Romanam acceptam omnia. Hæ sunt ciuitates fœderatæ, quæ & oppida fœderata dicuntur. quas nescio an commodius describere possimus, quàm si oppida, quæ neque coloniarum, neque municipia, neque præfecturæ essent, dicamus. Etenim, si verum quærimus, fœderata ciuitas aliquid ex fœdere populo Rom. debuit, in ceteris libera fuit. atque hoc intellexit quoque, ut opinor, Plinius, cum in Hispania citeriore describenda dixit, fuisse in iis colonias, oppida ciuium Romanorum, Latinorum veterum fœderatorum, stipendiaria. hoc enim idem valet, ac si dixisset colonias, municipia, fœderata oppida, & præfecturas. cuius libertatis satis argumento sit, quod & suam rempublicam, & leges suas, & suos magistratus habuerunt. Itaque senatus, populiq; in iis oppidis, ut in liberis ciuitatibus memoriā vsurpari videmus. quod, ne frustra singula persequar, vno exemplo Capuæ confirmabo, de qua, cum adhuc fœderata, nec dum in præfecturæ formam esset relata, ita scriptum est apud Liuium: *Annibal Capuam sedit iter, luxuriantem longa felicitate, atque indulgentia fortunæ. maxime tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis, senatum & sibi, & plebi obnoxium Pacuuius Calauius fecerat. is cum forte eo anno in summo magistratu esset, iam diu infestam senatui plebem, ratus magnam ausuram facinus, ut, si in ea loca Annibal cum exercitu venisset, trucidato senatu traderet Capuam Pœnis, cum mallet incolumi, quàm euerfa rep. dominari, nullam autem esse incolumem orbatam publico consilio crederet, rationem iniit, qua & senatum seruaret, & obnoxium sibi, ac plebi faceret.* Quibus ex verbis & Campanam fuisse remp. & senatus, plebisq; consilium, & summum in ea magistratum versatum esse cognoscitur. Quod idem de ceteris iudicium faciendum est, quibus victis libertas à Romanis concessa fuisse dicitur, ut Tarentinis. Itaque animaduertere possumus, in ciuitates fœderatas exilij causa cōmigrare ciuibus Romanis fuisse permillum, ut quæ liberæ essent, ac suam remp. in potestate haberent. Quod cum res ipsa testatur, & exempla exulum Romanorum, quæ in hoc genere colligi multa possunt, ostendunt, tum maxime Polybius libro sexto docet, quo loco formam Romanæ exprimit reipublicæ, addens, Tibur, Prænestem, Neapolim, ut in libera ciuitate, ciues Rom. exilij causa solum vertere solitos. quanquam illi non in oppida fœderata solum se contulerunt, sed sæpe in colonias etiam Latinas, id est, Latij, ut dixi, iure donatas. quippe quæ longius à ciuium Rom. iure abessent, quàm Romanæ. hinc enim scitū illud est Ciceronis pro Cæcina: *In colonias Latinas sæpe nostri ciues aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt. quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent.* Legum porro, ac magistratum, quibus quæque ciuitas vteretur, ratio exquiri fortasse potest, inueniri vero in tanta vetustate qui potest? aliarum tamen alias leges, aliosq; magistratus pro rerum, ac temporum ratione, & cuiusque reip. genere fuisse, non est difficile intelligere. nam Tusculi dictator, & cōsul, antequam Tusculani in ciuitatem reciperentur, fuisse traditur. dictatoris meminit Liuius lib. v. II, & præter Liuium Cato Originum libro secundo, cum ait, *Lucum Dianium in nemore Aricino Aegerium Lesbium Tusculanum dedicauisse, dictatorem Latinum;* consulis Plinius, cum scripsit libro septimo: *L. Fuluius inter insignia Tusculanorum rebellantium consul, eodemq; honore, cum transisset, exornatus confestim à populo Romano, qui solus eodem anno, quo fuerat hostis, Romæ triumphauit ex ijs, quorum consul fuerat.* Narrat etiam Liuius Capuæ, antequam deficeret, summum magistratum mediastuticum fuisse. alioq; loco prætorem Capuæ Marium Blossium profite-

tur.

tur. quid quod Prænestinum prætorem commemorat, id est, ut ego interpretor, in bello præfectum. *Prænestinus*, inquit, *prætor per timorem segnius ex subsidijs suos duxerat in primam aciem.* & libro XXI: *Prænestini cum suo prætore Manio (scriba is antea fuerat) Prænesti incolumes redierunt.* Quin etiam de censoribus licet aliquid suspicari ex eo, quod apud eundem est scriptum in historia anni DXXC referenda. *L. Postumius consul*, inquit, *edixit, qui socium nominis Latini ex edicto C. Claudij consulis redire in suas ciuitates debuissent, ne quis Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur.* Adiungamus his etiam ædilem, & quæstorem, quos à Latinis creatos, declarant ea Strabonis verba, quibus ius Latij definiuit, ut qui ædilitatem, aut quæsturam apud Latinos gessissent, ij ciues Romani essent. Quod autem supra dixi, fœderatos nullam fere populi Rom. rationem duxisse, id verè dictum esse, ex eo efficitur, quòd ne magistratui quidem Romano apud se diuertenti ex antiquo fœdere quidquam darent. quod ex hac Liuiana narratione perspicitur, quæ est libro XLII: *L. Postumius consul iratus Prænestinis, quòd cum eo priuatus sacrificij in templo Fortunæ faciendi causa profectus esset, nihil in se honorifice neque publice, neque priuatim factum à Prænestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Prænesti misit, ut sibi magistratus obuiam exiret, locum publice pararet, ubi diuerteretur, iumentaq; cum exiret inde, præsto essent. ante hunc consulem nemo unquam socijs in vlla re oneri, aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis, tabernaculisq; & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent socijs. priuata hospitia habebant. ea benigne, comiterq; colebant. domusq; eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsi diuertere mos esset. legati, qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant. iniuria consulis etiam si iusta, non tamen in magistratu exercenda, & silentium nimis aut modestum, aut timidum Prænestinorum ius velut probato exemplo magistratibus fecit grauiorum in dies talis generis imperiorum.*

Atque hæc quidem tum erat Italicorum, Latinorumq; oppidorum cõditio. num autem eadem etiam Gallicorum? non, opinor. Nam cum Gallia prouincia fuerit, profecto Gallica oppida præter magistratus suos quosdam prætorem etiam Romanum habuerunt, cui, ut præfecturæ præfecto, non ius solum dicenti, ac quæstiones exercenti, sed imperium etiam habenti, ut supra diximus, obedirent.

Caruisse autem fœderata oppida omnia iure ciuitatis Romanæ, illud argumento est, quòd multos ex fœderatis ciuitatibus nominatim ciuitate donatos legimus. Age enim. Heraclienfes fœderati erant, & quidem, ut inquit Cicero pro Archia, *æquissimo fœdere*: quod ietum esse C. Fabricio consule, Pyrrhi temporibus, scribit in Cornelianâ; itemq; Camertes. Itaque bello Italico Heraclienfium legionem, & Camertium cohortes duas P. Crassus ciuitate donauit. & P. Cæsum, qui vivebat Rauennæ; fœderato ex populo, Cn. Pompeius, & Aletrinenfem fœderatum M. Crassus ciues fecerunt. quæ omnia ad Balbi defensionem Cicero exempla adhibuit. ut etiam illa: *C. Cossinium Tiburtinum fœderato ex populo, damnato Cælio, ciuem Rom. esse factum.* & *Cereris sacerdotes aut Neapolitanas fuisse, aut Velienfes fœderatarum sine dubio ciuitatum.* at vero ante ciuitatem Velienfibus datam nominatim ad populum latum de Caliphana Velienfe, ut ea ciuis Romana esset.

Finis erit huius loci, si hoc addidero, fœderatarum ciuitatum aliquanto vberiorum, quàm aliorum oppidorum, numerum extitisse. siquidem omnia Italiæ oppida præter colonias, municipia, & præfecturas, quas iam commemorauimus, in hunc numerum ascribenda sunt.



**F**XTREMVM præceptum est de foris, & conciliabulis, quorum certam inter se differentiam vix in tam obsoleta rerum antiquissimarum memoria inueniri posse existimo; querere tamen, atque indagare, vtile admodum esse puto. Sic igitur statuendum est, fori significationes, quæ multæ à Festo colliguntur, duas videri præcipue hanc disputationem attingere, vnam, cum pro iuris loco, alteram, cum pro nundinationis accipitur. Prioris significationis item mentio fit in commentarijs Nonij de sermone Latino, cum ait, *Fora locos fuisse, in quibus ius diceretur.* Quod præceptum notis illis dicendi generibus video comprobari. *forum indicere, & forum agere.* Forum enim indicere prætores dicebantur, cum locum iurisdicundi, qui conuentus dicebatur, designabant. Forum autem agere, cum conuentum in prouincia iurisdicundi causa habebant. Iurisdicatio autem ad priuatas controuersias, & omnino ad ius Quiritium tuendum pertinuit. Itaq; cum in foris ius dictum tradimus, prorsus quæstiones publicas remouemus. quas non in foris Italicis, sed Romæ cognitatas fuisse, nisi quid forte extra ordinem factum sit, arbitramur. id quod in Bacchanalium quæstione vsu venisse narrat Liuius. *Eadem solitudo*, inquit, *quia Romæ non respondebant, nec inueniebantur, quorum nomina delata erant, coëgit, consules circa fora proficisci, ibiq; querere, & iudicia exercere.* Altera, ut dixi, fori significatio locum nundinationis amplectitur, quæ prætores in prouincijs indicere, Seruio teste, soliti erant. Atq; hoc idem ius video ad prædia etiam priuata interdum translatum. siquidem inquit Suetonius, *Claudium imperatorem ius nundinarum in priuata prædia à consulibus petijisse;* & Plinius in epistola ad Valerianum scribit, *virum prætorium à senatu contendisse, ut sibi insituere in agris suis nundinas permetteretur.* Hæc autem loca proprio vocabulo non fora, sed distinctionis gratia conciliabula dicta esse inuenio. nimirum, ut tradit Festus, *quòd eo in concilium veniretur.* vnde est illud Liuij libro septimo, *legem latam ne ambiendi magistratus gratia nundinas, & conciliabula obire liceret.* nempe enim intelligebant, ciues Romanos, qui in agris versarentur, eò frequentes mercandi, ac vendendi causa conuenire solere. Fuisse vero loca eiusmodi, in quibus ius diceretur, alia, in quibus nundinæ tantum agerentur, ostendit idem aperte, cum ait alio in loco, *ex vicis partim habuisse rempublicam, & ius dictum, partim nihil eorum, & tamen ibi nundinas actas.* Quo fit, ut hæc duo coniuncte sæpe à veteribus proferantur, ut à Liuij lib. XL: *Decemviri supplicationem in biduum valetudinis causa in vrbe, & per omnia fora, & conciliabula edixerunt.* & libro XXV: *Senatus triumuiros binos creari iussit, alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis, forisq; & conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent.* In conciliabulis tamen aliquando æque, atque in foris ius dictum, veteres leges indicant, vna in libris de limitibus: *cum curator hac lege non erit, tunc quicumque magistratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro conciliabulo iurisdictione præerit, eius magistratus de ea re iurisdictione esto.* altera ænea: *In oppideis foris, conciliabulis, ubi iure dicundo præesse solet.* nam quæstiones ibi extra ordinem exercitatas, Liuius indicat, libro XXIX, cum C. Mænum pr. quæstiones veneficij per municipia, conciliabulq; habuisse, scribit. Ut autem colonias, & præfecturas, item fora, & conciliabula ad ius municipiorum redigi potuisse, non obscure Frontinus in libro de limitibus declarauit, cum ita scripsit: *Quod si ad hæc reuertamur, hoc conciliabulum fuisse fertur, & postea in municipij ius relatum. nam omnia antiqua municipia suum habent priuilegium.* & Aggenus, *Sunt loca publica coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipij ius relata.* Atque hæc quidem, quod ad ius Italiæ pertinet, de foris, & conciliabulis dicta sint.

Nunc quoniam multa in Italia oppida fuerunt, quæ Fori nomen tulerunt, ut Fo


rum Appij, Forum Cassij, Forum Liuij, Forum Cornelij, & alia generis eiusdem, nihil alienum me ab huius disputationis officio arbitror esse facturum, si hoc loco, quid de toto hoc genere sentiam, aperuero. Quod igitur quædã huius nominis, & appellationis in Italia oppida fuerint, id totum è more, institutoq; Romanorum est repetitum. de quo neminem arbitror esse dubitaturum, qui tritas aures veterum nominum Romanorum vsu ac consuetudine habeat. Cur autem, aut quando singula eorum sint constituta, vix equidem adhuc nisi leui suspitione attingere potui. Nam, quoniam forum & iuris, & nundinationis sedes fuit, factum est, vt ad credendum adductus sim omnia eiusmodi fora, aut quia iuris, aut quia negotiorum domicilia fuerint instituta, id nominis inuenisse. Hoc autem ita esse, probatur etiam exemplo Regij Lepidi, Galliarum citerioris oppidi, quod ita dictum prodit Festus, quia ibi forum habuerit Lepidus. Regium autem cum dicebant, quid aliud, quàm basilicam intelligebant, id est locum, in quo ius, vt Romæ in Basilicis, dicebatur? Quocirca Strabo Rhegium Bruttiorum oppidum ambigit an ab eo nuncupatum sit, quod esset quasi regia, siue, vt Græco verbo vtat, basilica. Cum ergo hoc constet, iam nullam illud habet dubitationem, Forum Appij ab Appio, Cassij à Cassio, Cornelij à Cornelio esse vt appellatum, sic etiam constitutum. at à quo Appio, Cassio ve (nam plurimi eius nominis Romæ fuerunt) nihil præter cõiecturam afferre possum, quam nunc non inuitus exponam. Me igitur ad hanc opinionem diuturna, ac diligens Romanæ obseruatio antiquitatis adduxit, vt credam, eiusmodi pleraque fora aut à censoribus, aut à prætoribus Romanis condita esse, censoribus, cum vias in Italia sternerent; prætoribus, cum bellum gererent, aut prouincias obtinerent. Cur enim, cum in Appia via Appij forum, in Flaminia Flaminij, in Aurelia Aurelij, in Aemilia Lepidi fuisse, teste Antonino inueniã, aut aliter possum existimare, aut non ab eodem, à quo via strata est, Forum esse instructum putare? Viam autem Appiam Ap. Claudius Cæcus censor, quod inter omnes constat, à porta Capena vsque ad oppidum Capuæ muniuit an. vrbs CDXLI. Nam Flaminiam Liuius, Cassiodorus, & Festus à C. Flaminio censore anno DXXXIII stratam litteris prodiderunt. ea vero à porta Flumentana per Vmbriam Ariminum vsque perducta est. vt qui Flaminius agrum Gallicum cis Ariminum in tribunatu diuiserat, Gallis cisalpinos in consulatu deuicerat, idem in censura ad finem vsque eiusdem agri viam perduxerit. aliam inde Flaminiam viam C. Flaminii huius filius in consulatu strauit à Bononia vsque Arretium, eaque cum Aemilia ad Bononiam est coniuncta. quod in annalibus Liuianis est scriptum. nam aliter est apud Strabonem, qui eam ab vrbe Ariminum vsque perducit. Viam Aureliam ab vrbe per Etruriam vsq; ad Pisas deducit Antoninus. in eaque Forum Aurelij collocat. ea vero à censore C. Aurelio Cotta (loquor, vt opinor. neque enim præter coniecturam quidquam habeo) anno DXXII est strata. M. autem Aemilius Lepidus is, qui bello Gallico confecto viam Aemiliam ab Arimino Placentiam muniuit, cum forum, teste Festo, in agro, qui est inter Mutinam, Parmamque haberet, Regium Lepidi in via Aemilia suo insigne cognomine reliquit. Atque hoc idem de Foro Claudij, & Foro Cassij possumus suspicari, quippe cum viam Claudiã, Cassiamq; per Etruriam ductas, & Forũ Claudij, Cassijq; Etruriæ fuisse oppida liqueat, & aliquot Claudij, Cassijq; censes fuerint, à quibus vt vias munitas, sic fora condita esse, consentaneum sit. Iam vero Forum Cornelij à Cornelio Sylla constitutum scribit Prudentius: *Sylla forum statuit Cornelius, hoc Itali urbem vocant ab ipso conditoris nomine.* Conditum autem existimo bello ciuili, tum cum Sylla Carbonem, exercitu eius ad Fauentiam cæso, Italia expulit. vt Liuius, & Appianus prodidit. vt autem Forum Corneliũ à Cornelio, sic Forum Sempronij à Sempronio Sopho, qui Picentes in ditionẽ populi R. redegit, Forum Liuij à M. Liuiio Salinatore, qui eam prouinciam aduersus Asdrubalem tenuit, Forum Fuluij in Liguribus ab aliquo eorum Fuluiorum, qui cum iis populis bellum

gessit

gesserunt, esse constituta, nisi si quis grauem veteris alicuius scriptoris auctoritatem opposuerit, facile opinione mihi patiar persuaderi. Forum autẽ Iulij in Carnis à C. Iulio Cæsare conditum crediderim, tum cū Galliam vltiorem, citerioremque pro consule obtinuit. quod idem de Foro Iulio Galliarum Narbonensis existimo, neque enim eos audire possum, qui hæc Cæsaris esse Augusti monumenta putant. quorum ab auctoritate cur discedam, id est causæ, quod Forum Iulium Narbonense in epistolis Planci, multo ante quàm Cæsar Augustus imperio potiretur, inuenio celebrari. Adde quod quæ Augustus monumenta reliquit, ea non Iulij, sed Augusti nomine signauit, vt in Hispania Foro Augustanam ciuitatem, & Augustam Emeritam, in Italia Augustam prætoriam, Augustam Taurinorum, nulla alia de causâ, nisi vt ea à patris Iulij monumentis fecerneret. Cæsar autem duobus in extremis prouinciæ suæ finibus duo fora videtur constituisse, vnum in vltiore Gallia, alterum (vt disertè scribit in secundo de Longobardis Diaconus) in citeriore. Cur autem hoc ipse, vel ceteri Romani factitarint, equidem honestam quandam laudis, & gloriæ cupiditatem mihi videor afferre posse, qua præter ceteras gentes populus Romanus semper flagrauit. vt qui armis, atque assidua bellorum contentione gentes omnes deuicerant, iidem in terris non solum nobilissima victoriæ monumenta posteris proderent, sed suo etiam, per quos egregij aliquid gestum esset, nomine libenter ad æternitatem ornarent. hinc viæ, hinc aquæ, hinc thermæ, hinc arcus, hinc fornices extiterunt. quæ qui curarunt, ac construxerunt, eximio quodam immortalitatis amore, ac studio ducti suo nomine insignita in perpetuum esse voluerunt. Quod idem de foris etiam conditis videtur esse iudicandum. quæ à principio ad vsu vel iuris, vel nundinarum instituta, post incolarum numero aucta tectis frequentata oppidi formam accepisse, ac fori tamen nomen, pristino iure amisso, ac meliore alio parto videntur vsurpasse.

Quibus ex rebus breuiter disputatis intelligi potest, non solum quod ius singulorum & oppidorum, & locorum Italiae fuerit, sed etiam Italiam nullo modo per proconsules, vt tradidit Appianus, fuisse administratam. Neque enim cum à coloniis, municipiis, præfecturis, fœderatis ciuitatibus, foris & conciliabulis recesserimus, vlla alia in Italia loca reperiemus. quæ ipsa iam nulli proconsulum imperio, aut potestate stati fuisse permissa ostendimus.





CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
ITALIAE LIBER  
TERTIVS.

De ciuitate Latinis atque Italicis data.

CAP. I.



ITALIAE statum à bello Italico vsq; ad Augustum imperatorem hoc tertio libro mihi proposui demonstrandum. quo tempore melius aliquàto ius ipsa, quàm antea obtinuerat, est adepta. Vt a utè superiora iura ex legibus foederum, foedera ex bellis fluxerunt, sic hoc quoq; quod optimum ius Italiae voco, lex Iulia peperit, qua ciuitas Latinis, atq; Italicis est concessa. Ad largiendam vero his ciuitatem populus Romanus Itali ci belli difficultate, periculòque compulsus est. Quod cum ita sit, relinquitur profecto, vt causam eius belli, ipsùmque bellum, & foedus, & foederis conditiones exponam, ni ab instituto discedere susceptæ disputationis velim. sic enim facilius, quo modo Latini, Italicique in ciuitatem, qui est huius sermonis, ac doctrinæ finis, asciti sint, apparebit.

Cum ergo, vt rem altius repetam, hoc iure Latini, atque Italici essent, quod, quemadmodum dixi iam toties, ciuitatis Romanæ iure incòmodius erat, propterea de eo amplificando, atque ad optimum ius ciuium Romanorum redigendo iterum, ac sæpius agitarunt, idq; à senatu negatum ad extremum aperta defectione vi, & armis extorserunt. Hoc autem ipsum quantopere concupiscerent, atque adeo rationibus suis accommodatum existimarent, iam inde ab anno DLVII maximum, ac certissimum illi documentum dederunt, cum, M. Catone, L. Flacco consulibus, nouum ius Ferentines tentarunt, vt Latini, quod scriptum est apud Liuium, *qui in coloniam Romanam nomina dedissent, ciues Romani essent.* Puteolos autem, Salernùmque, & Buxentum ascripti coloni, qui nomina dederant, cum ob id se pro ciuibus Romanis ferrent, senatus iudicauit, non esse eos ciues Romanos. Itaq; cum vulgo per migrationem, & censum, quod præcaueri consilio non poterat, sedibus, ac penatibus suis furtim Romam traductis clam in ciuitatem irrepent, visum est faciendum senatui, vt tantæ licetiae quasi fræna quædam iniicerentur, atq; vt in suas quique sedes redigerentur. Quare cum an. DLXVI, Lepido, & Flaminio consulibus, legati socium Latini nominis, qui toto vndique ex Latio conuenerant, magnam multitudinem ciuium suorum Romam commigrasse, ibique censos esse quererentur, Q. Terentio Culeoni prætori negocium, eodem teste Liuius, datum est, vt eos conquireret, & quem C. Claudio, M. Liuius censoribus, post ve eos censores ipsum, parentem ve eius apud se censum esse, probassent socij, vt redire eò cogeret, vbi censi essent. qua conquisitione duodecim millia La-

tino

tinorum domos redierunt, iam tum multitudine alienigenarum urbem onerante. Neque vero mirum videri cuiquam debet, his legibus, atque edictis ad Italicorum, qui Romam commigrarent, multitudinem cohibendam tum opus fuisse. Nam cum recentibus victoriis, Punica, Macedonica, atque Asiatica, omnium gentium consensu, vniuersi terrarum orbis imperium Romæ esset constitutum, nusquam se Itali melius, atque honestius, quàm in ipso imperij domicilio fore arbitrabantur.

Itaque cum vulgo oppida, agrique desererentur, tum, anno demum DLXVI, C. Claudio, Ti. Sempronio consulibus, legationes, vt idem inquit Liuius, socium nominis Latini, quæ & censores, & priores consules fatigauerant, tandem in senatum introductæ, quæstæ sunt, ciues suos Romæ censos, plerosque Romam commigrasse. quod si committeretur, per paucis lustris futurum, vt deserta oppida, deserti agri nullum militem dare possent. Fregellas quoque quattuor millia familiarum transisse ab se Samnites, Pelignique quæsti sunt. neque eo minus aut hos, aut illos in delectum milites dare. Genera autem fraudis, vt idem addit, duotandæ ciuitatis inducta erant. Lex sociis, ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, vt ciues Romani fierent. ea lege male vtendo alij sociis, alij populo Romano iniuriam faciebant. Nam & qui stirpem domi relinquerent, liberos suos quibuscunque Romanis in eam conditionem, vt manumitterentur, mancipio dabant, libertinique ciues essent: & quibus stirps deesset, quam relinquerent, vt ciues Romani fiebant. postea his quoque imaginibus iuris spretis, promiscue, sine lege, sine stirpe, in ciuitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Hæc ne postea fierent, petierunt legati, & vt redire iuberent in ciuitates socios, deinde vt lege cauerent, *ne quis quem ciuitatis mutandæ causâ suam faceret, ne ve alienaret, & si quis ita ciuis Romanus factus esset, ciuis non esset.* Hæc impetrata ab senatu. legem C. Claudius sociis ex s. c. tulit, & edixit, qui sociis, ac nominis Latini ipsi maiores ve eorum M. Claudio, T. Quinctio censoribus, postque ea apud socios nominis Latini censi essent, vt omnes in suam quisque ciuitatem ante K. Nouembris redirent. Quæstio, qui ita non redisset, L. Mummius prætori decreta est. Ad legem & edictum consulis adiectum est, vt dictator, consul, interrex, censor, prætor, qui tunc esset apud forum, darent operam, vt qui manumitteretur, iusiurandum daret, qui eum manumitteret, ciuitatis mutandæ causâ manu non mittere. qui non iuraret, eum manumittendum non censuerunt. Hæc in posterum causâ, iurisdictioneque C. Claudio consuli decreta est. Quo tempore L. Papium Fregellanum orationem pro Fregellanis, & colonis Latinis in senatu habuisse, Cicero prodit in Bruto. Itaque cum quadriennio post censores Q. Fuluius, A. Postumius censum agerent, minorem aliquanto, quam superiore lustro, numerum inuenerunt, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui socium nominis Latini ex edicto C. Claudij consulis redire in suas ciuitates debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis ciuitatibus censerentur. Has autem insidias, atque aucupandæ Romanæ ciuitatis fraudes nimirum intellexit noster idem, cum de Balbo ciuitatis reo dixit: *Nō furatus esse ciuitatem, non genus suum ementitus, non in aliquo impudenti mendacio delituisse, non irrepisse in censum dicitur.*

Post legem Claudiam non multis annis lata est Papia de ciuitate. quæ tamen quo potissimum anno sit lata, cum eorum temporum vnâ cum veterum annalium monumentis memoria euauerit, nobis parum compertum est. Hæc autem lex hoc amplius videtur habuisse, quàm Claudia, quod Claudia non nisi sociis nominis Latini esset lata, Papia etiam peregrinis, cum eodem illi fortasse ciuitatis Rom. adipiscendæ studio, atque hi, efferrentur. si quidem Mamertini, quod oppidum in Sicilia est, huius legis beneficio M. Crassum, qui se Romæ pro ciue ferebat, Messanam reuocare sunt conati. cuius rei Cicero, cum Balbum defenderet, exemplum adhibuit. *Cum iudices, inquit, præferrent, palàmque loquerentur, quid essent lege Pa-*

v 3 pia de

*pia de M. Crasso Mamertinis repetentibus iudicaturi, Mamertini publice suscepta causa destiterunt.* Quid quod hac etiam lege damnatum M. Perperna eius, qui anno DCXXIII consul fuit, patrem prodit Valerius? *M. Perperna, inquit, consul ante quam civis. cuius enim vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. namque patrem illius nihil ad se pertinentia civis Romani iura complexum, Sabelli iudicio petiit, redire in pristinas sedes coegerunt.*

Eodem ergo tempore, cum hunc rerum statum Italia obtineret, Ti. Gracchus tribunatum pl. adeptus est anno urbis DCXX. in quo etsi alia parum fortasse è repub. promulgavit, illud tamen ad imperium constituendum aptissime. quod animos Italicorum, ac sensus intimos perscrutatus, civitatem Italiae, quod extat apud Paterculum, est pollicitus. quam tamen legem, ante ab optimatibus interfectus, ferre non potuit.

Anno DCXXV, M. Iunius Pennus (hic Lepido, & Oreste consulibus, teste in Bruto Cicerone, ad tribunatum plebis accessit) legem tulit, quæ non ad civitatem, & socios, id quod nunc quærimus, sed ad peregrinos urbe eiiciendos, & usu eius prohibendos pertinuit. Quam quidem legem commemorat Festus. quippe à quo testis citatur C. Gracchus in ea, quam scripsit de lege Penni de peregrinis, vituperat autem Cicero in tertio de officiis. *Male, inquit, qui peregrinos urbibus vit prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros. usu enim urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est.*

Hoc vero tempore palam atque aperte Italicos ius civitatis Ro. tentare cepisse, neque ante, quam id obtinuerunt, conquiescere inuenio. Etenim cum agraria Ti. Gracchi lege se veteri agrorum suorum possessione everti viderent, & P. Scipionem Æmilianum, quo vno patrono eos se retenturos esse confiderent, insidiis inimicorum è medio sublatum esse, ipsi vna cum locupletibus Romanis omnibus indignissime ferrent, non defuerunt, qui Romæ ad incitandam ad agros defendendos Italiam, dandæ illis civitatis auctores essent. Quod Italicis alacri, atque libenti animo acceperunt, atque oppidorum nomina, M. Fulvio Flacco consule legem scribente, professi sunt. verum indignante, atque aduersante senatu, ac misso, & prope amandato in provinciam M. Fulvio, nihil, ut inquit Appianus, effectum est. Huius autem legis Fulviæ meminit, ut video, Valerius, ubi superbiæ exempla proponit. *M. Fulvius Flaccus consul, inquit, M. Plautij Hypsæi collega, cum perniciosissimas resp. leges introduceret de civitate danda, de provocacione ad populum eorum, qui civitatem mutare vellent, agre compulsus est, ut in curiam veniret.* Eodem autem etiam anno Fregellæ à Romanis in Latio defecerunt, Latinis, ut vulgo suspicabantur homines, à M. Fulvio concitatis. Plutarchus C. Gracchum suspectum fuisse tradit, ne socios sollicitasset, ac coniurationis Fregellanæ particeps fuisset. Fregellas quidem L. Opimium prætorem cepisse, atque ita ceteros quoque Latini nominis socios male animatos repressisse, scribit in commentario Miloniana Ascónius.

Triennio post C. Gracchus tribunus pl. legem, quam Tiberius frater ferre in animo habuerat, Flaccus promulgavit de civitate Italis danda, rettulit. Atque hoc quidem tradit Appianus, cuius præter alia hæc etiam verba sunt: *Gracchus multas leges promulgabat de iudicijs, de vijs, de colonijs, & ad omnes Romanorum res Latinos advocabat, quasi vero senatus hominibus consanguineis honeste repugnare non posset. reliquis vero socijs, quibus ius suffragij non erat, suffragium in posterum dabat, ut & hos in ferendis legibus suffragatores haberet. Quo facto senatus perturbatus consules edicere iussit, ne quis eorum, quibus suffragij ius non esset, in urbe obversaretur, neque propius urbem quinque milia passuum esset.* Plutarchus item præter ceteras hanc etiam legem à C. Gracchio in primo tribunatu promulgatam scribit, quæ Italis idem atque civibus Romanis, ius suffragiorum communicabat. in secundo autem cum ad propositas reliquas leges iubendas suffragium plebi, cuius

cuius ex cuncta urbis fece maximus ad se concursus factus fuerat, daturus esset, Fannium consulem ex auctoritate senatus socios præter civis Rom. omnes edicto exire ex urbe iussisse; Gracchum professum se manentibus eis auxilio futurum, & cum familiares quosdam suos à licitoribus consulibus trahi videret, destitisse. Quibus ex verbis satis aperte intelligi potest, Gracchum, ut ait Appianus, Latinos ad omnes res Romanorum sciscendas vocare, quippe qui nisi ad leges iubendas non accerferentur, Italis autem, auctore Velleio, civitatem largiri voluisse; at Fanniano edicto omnes ex urbe exire iussos. quæ res Ciceronem impulit, ut in Bruto scriberet, *C. Fannium unam orationem de socijs, & nomine Latino contra Gracchum reliquisse.* Quod autem scriptum est apud Sallustium in Iugurthina, nobilitatem per socios, ac Latinum nomen Gracchorum actionibus obtulisse, id ad leges eorum agrarias repudiandas, quibus Italiae potissimum res, ut diximus, agebatur; referendum videtur. quam tamen rogatione Sempronia de civitate promulgata cum Gracchis in gratiam redisse, opinor.

Neque vero dubium est, quin Flacci, & Gracchi, qui primi de civitate legem intulerant, nece cognita, vehementius (& hoc enim tradit etiam Appianus) Italia dolore exarserit. Vniuersos tamen postea omni civitatis cogitatione, speque abiecta placatos, licet suspicari; Latinos quidem, quod anno DCXLIII nobilitati, ut scribit Sallustius, ad Mamiliam rogationem occulte impediendam affuerint. & quod interea legis Seruiliæ, (hæc quo potissimum anno lata sit, est obscurum) beneficium tulerint, quæ dabatur, ut si quis Latinus senatorem Rom. accusando condemnasset, is civis Rom. esset. cuius legis Cicero memoriam usurpavit, tum cum Balbum de civitate defendit; Italicos vero, quod non nisi tricesimo post Gracchum, & Flaccum interfectos anno ad civitatis petitionem accensi fuerint. id quod iniuria legis Muciae Liciniæ coacti videntur primum cogitasse.

Nam cum illi summa, ut est apud Pedianum, cupiditate civitatis Rom. flagrarent, & ob id magna pars eorum pro civibus Rom. se gereret, L. Licinius Crassus orator, & Q. Mucius Scævola pont. max. consules legem de civibus regundis tulerunt, ut in suæ quisque civitatis ius redigeretur. quæ lex eandem fere habuisse vim videtur, quam Claudia primum, post Papia, quæ vetustate fortasse iam sua negligebantur. Huius autem legis meminit primum Cicero in III de officiis, cum dixit: *Esse pro civis, qui non sit civis, rectum est non licere. quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus, & Scævola.* & pro Balbo: *Legem Seruilia sapientissimi civis hanc Latinis viam populi iussu patere passi sunt, neque in his est hoc reprehensum lege Licinia, & Mucia.* Vnde illud est translate dictum in Bruto, *Lysiam Timæus quasi Licinia, & Mucia lege repetit Syracusas.* Verum hac lege adeo alienati sunt principum Italicorum animi, ut ea vel maxima causa belli Italici, quod triennio post exortum est, fuerit.

Nam cum M. Liuius Drusus tribunus pleb. L. Philippo, Sex. Cæsare eos. assiduus Italicorum efflagitationibus fatigatus, legibus multis de agris, de frumento, de iudicijs, de senatu, de coloniis promulgatis, hanc etiam de civitate Italiae danda proposuisset, advocatis in urbem per consules Etruscis, atque Umbris, verbo quidem, ut legem de coloniis, qua potissimum violabatur Italia, reprehenderent, re ipsa, ut Drusum interficerent, haud ita multo post, antequam hanc de civitate legem perferret, domi suæ, incertum à quo, necatus est. Quo facto equites Romani, penes quos tum iudicia erant, Q. Varium tribunum pleb. Drusi collegam impulerunt, ut legem ferret in eos, qui Italicos civitatem petentes clam, palamve iuissent. qua lege multi è primoribus urbe sunt exacti. Italicis vero cum se Druso, quo vno auctore se civitatem impetraturos sperauerant, erepto, & ceteris patronis suis exilio mulctatis, desertos cernerent, indignationis, atque irarum pleni aduersus populum Rom. conspirarunt. Ac primum quidem decreuerunt feriis Latinis in monte Albano, Philippum, & Cæsarem consules interficere. deinde re pa-

tesacta, Q. Seruilio procos. ad motus suos comprimendos accurrenti vna cum legato eius Fonteio, & omnibus, qui Asculi erant, ciuibus Romanis necem attulerunt. Quam vt vlcisceretur iniuriam populus Romanus, bellum illud iniuit, quod Sociale, atque Italicum appellatum est, nempe quod à sociis Italicis sit commotum. Quod idem etiam Marsicum nominarunt, quod illud Marfi potissimum, vt inquit Strabo, & eorum imperator Popedius intulerint. ad quos se deinde hi populi applicuerunt, Picentes, Peligni, Vestini, Marrucini, Frentani, Hirpini, Pompeiani, Picentini, Venusini, Iapyges, Lucani, Samnites, atque omnis, vt ait Appianus, ora à Liri fluuio vsque ad Ionium sinum. Hi vero, vt addit Diodorus, cum Corfinium, Pelignorum oppidum, belli caput legissent, eò cum alia, quibus magnum parari imperium posset, tum maxime forum, & consilium, & cetera, quibus ad bellum gerendum opus est, pecuniarum, & annonæ copiam cõtulerunt. quin etiam senatum ex viris quingentis constituerunt, ex quibus legerent, qui patriam regerent, & communi salutis consulere. atque his rei bellicæ auctoritatem, ac ius omne permiserunt. illi vero, consules bini quotannis, & duodeni prætores vt crearentur, cum statuissent, Q. Popediũ Silonẽ, & C. Papiũ Mutilũ, alterũ inter Marfos, alterũ inter Samnites auctoritate, & rerũ gestarũ gloria facile principẽ consules declararunt. cum autem vniuersam Italiam in partes duas distribuissent, easq; consulares provincias fecissent, Popedio partem ab Ocriculis vsque ad mare Adriaticum, nimirũ quæ occidentem, & septentrionem intuetur, tradiderunt, reliquam vero Italiam, quæ orientem, & meridiem spectat, C. Mutilo concesserunt. Ita cum omnia dextere, atque ad Romani moris similitudinem apte descripsissent, omni cura in bellum incubuerunt, cum Corfinium in Pelignis, communem patriam, Italicum appellassent. vnde postea Italicenses vsurpati.

Aduersus hos magno pedestrium, equestriumq; copiarum apparatu Romani consules cum venissent L. Iulius Cæsar, & P. Rutilius Lupus, primum vario Marte, dubioque pugnarunt: post autem, cum ad alias clades aduersis multis præliis acceptas, P. etiam Lupus consul tertio idus Iunias, teste in Fastis Ouidio, cecidisset, iamq; Etrusci etiam, & Umbri, aliiq; iis finitimi populi, qui ab altera vrbe parte incolunt, defectionem spectarent, tum lex, vt ait Appianus, est lata, vt qui populi ad eam diem in fide mansissent, ciues Romani essent. quo nomine Latinos, Etruscos, & Umbros comprehendisse visa est. nondum enim eorum quisquam defecerat. Appianus quidem certe Tiburtes, & Prænestinos, quas fœderatas ciuitates fuisse in Latio diximus, tum ciuitate donatos diserte scribit. Umbros autẽ, & Tuscos, cum in tanto tumultu nihil mouissent, in eandẽ tum esse ascriptos, facile mihi persuaserim. de Vmbriis enim, vt ciuibus in tribus cõiectis, loquitur Cicero pro Murena. *Multas sibi tribus, quæ municipijs Vmbriæ consociuntur, adiunxit.* de Tuscis illud est indicio, quod ait Valerius, vbi de Spurina Etrusco loquitur. *Quod sequitur externis adnectam, quia ante gestum est, quàm Etruriæ ciuitas daretur.* Idem autem de Sabinis est iudicandum, quos postremo in Sergiam tribum coniectos (in ea enim suffragium tulerunt) significat noster ille in Vatiniana. Hæc autem celeberrima lex Iulia fuit, à L. Iulio Cæfare consule, extremo, vt par est, consulatu, iam mortuo collega, anno post V. C. DCLXIII lata. qua lege Cicero pro Balbo sociis, & Latinis, & Gellius lib. IIII, vniuerso Latio ciuitatem datam profitentur. Tam diu vero Italici restiterunt, donec à Cn. Pompeio consule, & L. Sylla alterius consulis L. Catonis legato pluribus præliis victi, & iam ad paucos redacti omnium suorum consensu communem patriam Corfinium reliquerunt, quod iam Marfi, atque omnes finitimæ gentes in fidem Romanorum redierant, ac communi Italicorum caussa deserta, cum ab armis recessissent, in ciuitatem lege Iulia asciti fuerant. Rei vero summam in oppidum Samnitium, priore anno de Romanis captũ, Ælerniam transfulerunt. Tum vero magnis collectis vndiq; copiis, & seruis ad arma vocatis, duce Popedio Silone cum Venusiam in Apulia amisissent, nec, quod implora

implorauerant, à Mithridate Ponti rege Romanorum hoste, auxilium impetrassent, omnem belli gerendi cogitationem deposuerunt, paucis tantum Samnitibus, qui Nolæ se continebant, & Lucanis quibusdam exceptis. Itaque hoc anno omnes ex lege Iulia in tribus descriptos fuisse puto à censoribus L. Iulio Cæfare, & P. Licinio Crasso, qui huius rei gratia ante solemne quinquennij tempus creati erant. In tribus autem eos non veteres trigintaquinque, sed in nouas octo distribuerunt, eo nimirum consilio, ne, si eos in veteres rettulissent, multitudo nouorum suffragiorum nimium veterum ciuium opes infirmarent. Atque hoc esse opinor, quod in epitoma Liuianarum LXX scriptum est his verbis: *Italicis populis ciuitas à senatu data est.* Quanquam non suo id loco, vt opinor, non enim in Cornelij Cinnæ consulatu, quod ex eo loco apparet, sed in Pompeij Strabonis hoc factum est.

Quo eodem anno peregrinis etiam aditum quendam ad ciuitatem Rom. lege Siluani, & Carbonis tribunorũ plebis video esse factum. peregrinos nunc appello omnes præter Italos. Ea vero lege, auctore in oratione pro Archia Cicerone, latũ est, *Vt qui fœderatis ciuitatibus ascripti essent, si tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent, ac sexaginta diebus apud prætorem professi essent, ciues Rom. essent.* ad quam legem respiciens idem Archiam Antiochenum, cum ascriptus esset Heracleam, quæ æquissimo iure, & fœdere erat, ciuitatem Rom. esse adeptum, concludit. de vtraque ciuitate sic in defensione Balbi loquitur: *Lege Iulia, qua ciuitas socijs, & Latinis data est, magna contentio Heraclienisum, & Neapolitanorũ fuit, cum magna pars in ijs ciuitatibus iuris sui libertatem ciuitati anteferebat.* Fuit autem æquum, vt qui ascriptus esset in ciuitatem fœderatam, vnã cum ea ciuitatem Romanam consequeretur.


Quod autem dixi, ciuitatem Italicis populis datam in consulatu Strabonis, non Cinnæ, cum cẽsores, de quibus dixi, ostendunt, quorum munus est, ciues in tribus transferre, tum etiam illud maxime, quod P. Sulpicius, qui anno post Strabonem consulem, Sylla consule tribunatum gessit, nouos ciues ex octo tribubus in omnes triginta quinque distribuere est conatus. Etenim cum Italici in octo tribus nouas coniecti nihil se ad comitia roboris afferre, ac neruorum, dummodo veteres xxxv consensissent, intelligerent, se deceptos rati, ad P. Sulpicium nouarum rerum cupidum confugerunt. Ille vero ad aucupandam eorum gratiam legem promulgauit, vt noui ciues in veteres tribus transferrẽtur. qua de lege in epitoma LXXVII, atque in Appiani primo libro scriptum est. verum hæc lex aut non est lata, aut certe eodem anno à L. Sylla consule, cum in urbem ex Campania cum exercitu reuertisset, ac Sulpicium ipsum, Mariumq; inimicos suos vrbe exturbasset, vnã cum ceteris eius legibus est sublata. Quocirca L. Cinna, qui insequenti anno consulatum gessit, quod sibi contra Syllam tum absentem opes pararet, eam rettulit. id quod his verbis proditum à Velleio esse video: *Cum ciuitas Italiae data esset, vt in octo tribus contribuere noui ciues, ne potentia eorum, & multitudo veterum dignitatem ciuium frangerent, plusq; possent recepti in beneficium, quàm auctores beneficij, Cinna in omnibus tribubus eos se distributurum pollicitus est. quo nomine ingentem totius Italiae frequentiam in urbem acciuerat. ex qua pulsus, consulatus ei quoque abrogatus est.* Post autem Cinna quartum consule interfecto, & Cn. Carbone solo consulatum gerente, anno DCLXIX, socios omnes in xxxv tribus distributos possumus suspicari, atque id esse, quod in epitoma LXXX scriptum est: *Nouis ciuibus s. c. suffragium datum est.* His enim verbis significari arbitror, nouis ciuibus tum demum suffragium esse concessum, quod eo primum anno in xxxv tribus, quod ante eam diem non obtinuerant, sint distributi, quo modo par ius suffragiorum cum veteribus ciuibus sunt assecuti. Neque vero de facto dubito. quo anno factum hoc sit, de eo potius ambigo. neque enim ex verbis epitomarum sæpe certum rerum annum possis eruere. ego vero, si quid in re tanta iudicio, ac coniect

coniecturæ dandum est, malim Italicos biennio ante in xxxv tribus coniectos in secundo Cinnæ consulatu, quàm eodem quartum consule iam occiso, & Carbone solo consulatum gerente; primum, quia probabile videtur, quod Cinna in primo consulatu conatus non potuit efficere, id statim in secundo peregrisse; deinde quòd eo anno censores fuisse traduntur, L. Marcius Philippus, & M. Perperna, idq; ante solemnem censorij quinquennij vicissitudinem. quos ad id creatos esse facile putauerim. Nam nisi à censoribus in tribus translatos eos dicamus; legem latam ad populum, qua, qui in quaque tribu nominatim suffragium ferrent, expressum sit, confiteamur necesse est. cuius tamen legis nulla vsquam memoria extat. Itaque recte post in epitoma lxxxvi scriptum est, *Syllam cum Italicis populis, ne timeretur ab ijs velut erepturus ciuitatem, & suffragij ius nuper datum, fudus percussisse.* Quod ipsum cum Scipione, & Norbano consulibus factum sit, ob eam rem probe Cicero in Philippicis dixit, *Syllam cum Scipione collocutum de auctoritate senatus, de suffragijs populi, de iure ciuitatis, inter se condiciones contulisse.* Hoc tamen beneficium post à Sylla victore, & dictatore ademptum est multis, qui Cinnam, Carbonem, Marium, Scipionem, & Norbanum, ceterosq; aduersæ factionis duces aut consilio, aut pecunia, aut copiis iuuerant. quorum alios morte, vt inquit Appianus, alios exilio, alios bonorum publicatione multauit. cumq; in singulis hominibus insatiabilem suam crudelitatem exercuisset, oppida inde adortus, ea aut arcibus, aut mœnibus nudauit, aut grauissimis impositis tributis prorsus afflixit, aut deductis in eorum agros militibus suis, possessionibus patriis spoliavit, aut iis denique ciuitatem paullo ante à fenatu datam eripuit. Vnde merito in eum M. Lepidus consul est inuectus in concione dicens apud Sallust. *sociorum, & Latij magnam vim ciuitate pro multis, & egregijs factis data per vnum Syllam prohiberi.* De agris tamen, non de ciuitate ratum fuisse, docet in oratione pro domo Cicero: *Populus Rom. L. Sylla dictatore ferente, comitijs centuriatis ciuitatem ademit. ademit ijsdem agris. de agris ratum est, fuit enim populi potestas, de ciuitate ne tandiu quidem, quandiu illa Syllani temporis arma valuerunt.* Neque vero alia, vt opinor, caussa Sallustium impulit, vt in Catilinæ coniuratione scripserit, *Etruriam nouarum rerum cupidam consule Cicerone fuisse, quòd Sylla dominatione agros, bonaq; omnia amiserat.* Samnitibus quidē, qui Telefino, & Lamponio ducibus infesta vrbi signa aduersus se tulerant, itemq; Volaterranis, & Nolanis, & Arretinis, qui sibi pertinacissime restiterant, inimicissimum ipsum fuisse, multorum testimonio comperit habemus; maxime autem Strabonis ita de Samnitibus scribentis: *Samnites postremo à Sylla deleti sunt, quos cum ceteris Italis bello fractis, solos arma retinentes, ac Romam oppugnantes, videret, alios in fuga cecidit, alios abiectis armis se dedentes, ad quattuor millia in villa publica, quæ in campo Martio est, trucidauit, factisq; proscriptionibus non ante destitit, quàm vniuersum Samnitium nomen deleuerit, aut Italia fugarit.* Post autem Sylla dictaturam deponente, aut certe mortuo, omnibus, aut plerisque ius pristinum, vt opinor, est restitutum. verum quo potissimum legem ferente, nihil sane mihi legisse videor. illud pro certo affirmare possum, M. Lepidum consulem de Syllanis actis rescindendis cum Q. Catulo, collega suo, post Syllæ mortem contendisse, & bona, agrosq; quos à Syllæ hasta pretio persoluto mercatus erat, se cuique veterum dominorum reddere paratum esse, in concione professum esse. Quocirca Cicero quoque, *legem Sullæ de ciuitate adimenda ne tandiu quidem valuisse* dixit, *quandiu Syllana arma valuerunt.*

Hoc igitur pacto cum Italia ciuitatem Rom. multis laboribus, ac multo sanguine primum meruisset, deinde vero armis, atque pop. Rom. benignitate obtinisset, amissamq; recuperasset, tum tanta demum peregrinorum in urbem se rettulit copia, vt noua lege eorum libido fuerit coercenda. Itaque, Dione teste, Cotta, & Torquato cos. anno post urbem conditam DCLXXVIII omnes, qui Romæ obuerfabantur, Italis exceptis, vrbe pulsi sunt, C. Papij, tribuni pleb. rogatione, cum

cum peregrini in vrbe superarent, nec satis digni viderentur, qui secum habitaret. Hic est autem Papius ille, de quo Cicero: *Male, qui peregrinos urbibus prohibet, eosq; exterminant, vt Pennus apud patres nostros, Papius nuper.* quam eandem legem intellexit in agraria secunda, cum dixit: *Lege illa, qua peregrini vrbe eijciuntur, Glaucippus excipitur.* & in Archiæ defensione: *Quid quod non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam multi in earum ciuitatum tabulas irreperunt?* ex quo apparet, Papias leges duas fuisse, vnam de ciuibus, alteram de peregrinis, item vnam de ciuitate, alteram de vrbe. quos autem non modo post ciuitatem datam, sed etiam post legem Papiam in eorum municipiorum tabulas irreperisse ait, peregrinos intelligit qui vrbe lege Papiæ prohibiti, vt ibi esse per legem liceret, furtim sua nomina in tabulis fœderatorum reponi curauerant, vt ex lege Siluani, & Carbonis ciues Romani essent.

De iure ciuitatis Galliaë prouinciæ dato. CAP. II.



ACTENVS quo rerum motu, & quibus legibus Latini, atque Italici Romanam ciuitatem adepti sint, diximus. reliquum est, vt de Galliaë prouinciæ ciuitate eo, quo cœpimus, ordine differamus. Quid igitur? an ego Galliaë prouinciæ nobilissimæ datam esse ciuitatem addubitem? minime vero. extant enim præclari huius muneris insignia ad memoriam testimonia. Nam & Diodorus Ligures, & Strabo Gallos Cisalpinos cum Venetis in ciuitatem acceptos, vterque libro quinto mandarunt. an vero de tempore, quo asciti sunt, ambigam? ne id quidem. quippe cum Strabonem eundem habeam auctorem, Gallos, & Venetos, eodem, quo ceteram Italiam, tempore Romana ciuitate esse donatos. an lege Iulia ciuitas Galliaë data? non, arbitror. (lex enim Iulia fociis & Latinis solis traditur opem tulisse) sed Pompeia, quam Cn. Pompeius Strabo post L. Iulium Cæsarem, vnde est lex Iulia, consul, ni mea me coniectura decipit, tulit. Placuit enim Pompeio, cum Iulius lege sua Italicis omnibus in fidem redeuntibus subuenisset, se quoque à Gallis, qui in tanto quieti tumultu fuerant, gratiam inire. Itaque, quod verisimile videtur, legem, collega Catone iam extincto, tulit, qua Liguribus, & Cispadanis, & Venetis ciuitatem, Transpadanis vero Latinitatem communicauit. Huius legis præterquam quòd vestigia extant apud Plinium, cum inquit, *Costianas ciuitates duodecim, quia non hostiles fuerant, municipijs ab Augusto attributas lege Pompeia.* testis est quoque Alba Ligurum oppidum, quæ ab hoc Pompeio, vt in transpadanis etiam Laus, Pompeia est appellata. Accedit, quod cum transpadanos Latij iure ab eo donatos, vt infra ostendam, pro certo habeamus, cispadanos item præmio aliquo affectos, verisimile esse arbitramur. præsertim vero cum post hæc tempora cispadanos ius suffragiorum Romæ habere, transpadanos desiderare videamus. Hinc enim illa sunt Ciceronis de se consulatum petente ad Atticum: *Et quoniam in suffragijs multum potest Gallia, accurremus legati ad Pisonem.* & in Antoniana secunda: *Ex omnium omnibus flagitijs nullum turpius vidi, nullum audiui, quàm qui magister equitum fuisse tibi viderere, in proximum annum consulatum peteres, vel potius rogares, is per municipia coloniasq; Galliaë, à qua cum consulatus noster petebatur, non rogabatur, petere consulatum solebamus, cum caligis, & lacerna cucurristi.* & in tertia: *Tantus consensus est municipiorum prouinciæ Galliaë, vt omnes ad auctoritatem huius ordinis maiestatemq; pop. Rom. defendendam conspirasse videantur.* & post de restitutione eius ita Pedianus: *Placentini honestissima decreta erga Ciceronem fecerunt, certaueruntq; in ea re cum tota Italia, cum de reditu eius actum est.* & deinde de legibus C. Catonis antiquandis Cicero ad fratrem: *Magna manus ex Piceno, & Gallia expectatur, vt etiam Catonis rogationibus de Lentulo, & Milone resistamus.* & de sacerdotij Antoniani petitione Hirtius: *Cæsar in Italiam*

Italiam profectus, ut municipia, & colonias appellaret, quibus M. Antonij questoris sui commendaret sacerdotij petitionem, aut ijs gratiam ageret, quod frequentiam, atque officium suum Antonio prestitissent. Item: Cæsar, cum omnes Gallia Togata regiones percucurrisset, T. Labienum Gallia Togata præfecit, quo maiore commendatione conciliaretur ad consulatus petitionem. Hinc idem etiam Cicero in Philippicis, cum de Mutina colonia ab Antonio obsessa loqueretur, Galliam prouinciam fortissimorum ciuium vocat, atque incredibilem earum coloniarum, & municipiorum consensum ad salutem populi Rom. tuendam exclamat. & ad M. Brutum Gallia prætorem cum scriberet: *Ergo omnibus terris vna Gallia communi non ardet incendio. in qua frueris ipse te, cum in Italia luce cognosceris, versarisq; in optimorum ciuium vel flore vel robore.* Quod autem transpadanis non ius ciuitatis, sed Latinitatis lege Pompeia concessum sit, docet Afconius, qui in commentario Pisonianæ ita, ut sæpe dixi, scribit: *Cn. Pompeius Strabo Magni pater transpadanas colonias deduxit. quas non nouis colonis constituit, sed veteribus incolis manentibus ius dedit Latij, ut possent habere ius, quod ceteræ Latinæ coloniae, id est ut petendi magistratus gratia Romanam ciuitatem adipiscerentur.* Ex his autem coloniis Veronæ, Comi, & Laudis Pompeiæ tantummodo mentionem inuenio. De Verona scriptum est in Panegyrico Constantini Magni, *fato euenisse, ut quam coloniam Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus euerteret, & apud Tacitum libro xix: Quæsitum inde, quæ sedes bello legeretur. Verona potior visa, patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua præualebant, simul coloniam copijs validam auferre Vitellio in rem, famamq; videbatur.* Comum narrat Strabo modicum oppidum fuisse. quod cum incumbentes Rhæti vastassent, Cn. Pompeius Strabo Magni pater restituit. De Laude Pompeia nihil habeo præter coniecturam ex nomine ipso conceptam. Neque enim eos laudare possum, qui eam inter Transpadanos Venetos numerant, & oppida Venetorum in hunc etiam numerum sine vlllo vetere teste ascribunt. primum, quod cum Transpadanos Romani dixerunt, ij Gallos tantum Cænomanos, & Insubres intellexerunt; deinde quod Venetos non iure Latij, sed ciuium Rom. donatos inuenio.

Cum ergo deteriore Transpadani, quàm reliqui Itali, iure essent, propterea & ipsi sæpe, ut in ciuitatem acciperentur, egerunt. Itaque Cotta, & Torquato cos. anno DCLXXXVIII, M. Crassus, & Q. Catulus censores inter se summa vi decertasse à Dione traduntur, quod alter eorum Transpadanis ciuitatem dare vellet, alter veraret; iidemq; cum infecta re abdicassent, ne per sequentes quidem censores quicquam esse perfectum. eodem vero anno Cæsarem, addit Suetonius, *Latinas colonias de ciuitate agitanter adisse, atque ædilem curulem cum Cn. Pisonem conspirasse, ut ille foris, ipse Romæ ad res nouas consurgeret per Lambranos, & Transpadanos; destitutum vtriusque consilium morte Pisonis.* Quod autem Cæsar in ædilitate præstare non potuit, id in primo consulatu videtur tentasse. ut aliqua ex parte Transpadanorum petitioni satisfaceret. quanquam nisi de Como nihil nominatim accepimus. de quo est scriptum in Strabonis commentario quinto: *Cæsarem quinque milia hominum Comum deduxisse. ex quibus maxime illustres quingentos Græcos fuisse eos autem ciuitate donatos, atque colonos adscriptos, oppido nomen Nouocomi reliquisse.* Quocirca aliquot post annis M. Marcellus consul, Cæsari inimicus, ad senatum rettulit, ut colonis, quos rogatione, ut scribit Suetonius, Vatinia Cæsar Nouocomum deduxisset, ciuitas adimeretur, quod per ambitionem, vltra præscriptum data esset. Ciuitatem autem intellexit, non Romanam, quæ Comensibus veteribus incolis data esset, quæ nulla erat, sed Nouocomensem, quæ quingentis colonis Græcis adiectis. Nam, ut scribit Appianus, Cæsar Nouocomum ad Latij ius redegit, quod erat, ut qui annum gessisset ibi magistratum, is ciuis Romanus esset. id est, novos colonos Græcos, quos Comum adscripterat, etiam iure Latij, quo veteres incolæ lege Pompeia donati fuerant; decorauit. Quare, ut idem

ut idem scribit, Nouocomensem quendam, qui domi magistratum gesserat, ac propterea se pro ciue Romano ferebat, virgis cædi in Cæsaris contumeliam Marcellus consul iussit. quo eodem respexit etiam Cicero, cum ad Atticum scripsit: *Marcellus fœde in Comensi. etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus. ita mihi videtur non minus stomachi nostro Cæsari fecisse.* nimirum enim significat, Marcellum non minus stomachi suo Cæsari, id est Pompeio, fecisse, cum Comensem à Strabone Magni patre lege ornatum, quia Transpadanus erat, verberauit, quàm Cæsari ipsi inimico suo, à quo Nouocomum ascriptus fuerat. Neque vero aliunde factum, ut bello ciuili Cæsar Transpadanos amicos habuerit. quod in epistolis sæpe innuit Cicero, ut ibi: *Cæsar Gallias ambas habet inimicissimas præter Transpadanos.* & ad Atticum: *Transpadani, & plebs Romana erit cum Cæsare.* item: *Nondum satis huc erat allatum, quo modo Cæsar perferret de auctoritate perscripta, eratque rumor de Transpadanis, iustos quattuoruiros creare.* & Cælius ad Ciceronem: *Rumores de Comitibus Transpadanorum Comarum tenus caluerunt.* comitia vero intelligit, quibus quattuoruiro crearentur, qui erat municipiorum magistratus. ut si Cæsar iussisset à Transpadanis creari quattuoruiros, ius quoddam videretur ciuitatis iis, & municipij speciem concessisse. Sæpe autem de Transpadanorum ciuitate in senatu agitatum, ostendit vox illa Curionis apud Ciceronem in III de officiis: *Male Curio, cum caussam Transpadanorum æquam esse dicebat, addebat tamen: Vincat vtilitas.* Quasi enim significabat, Transpadanis ciuitatem deberi. sed quia id parum reip. expediret, negandam esse. Postremo quod efficere Cæsar in consulatu, & in imperio non potuit, id, vbi primum potestas data est, præstitit. siquidem Transpadanos omnes in prima dictatura, teste Dione, in ciuitatem asciuit. vnde D. Claudius dixit apud Tacitum: *Cum Transpadani in ciuitatem recepti, solida domi quies, & aduersus externa floruimus.* Ita autem recepti sunt, ut & magistratus petere Romæ, & in senatum legi possent. quod in oratione contra D. Claudium positum est apud eundem: *An parum est, quod Veneti, & Insubres in curiam irruerint, nisi coctus alienigenarum velut captiuitas inferatur?*

Quanquam autem Gallia in ciuitatem ascita erat, non tamen eodem, quo reliqua Italia, libertatis iure fruebatur, sed adhuc prouincia erat, & prætori obtemperabat. Post autem anno DCCXI, placuit M. Lepido, M. Antonio, & C. Cæsari Octauiano III viris reip. constituendæ, ut ex decreto diui Cæsaris libera esset, & ad reliquæ ius Italiae traduceretur, ut scribit Appianus. Quo spectans etiam Dio prodidit, C. Cæsarem Octauianum III virum reip. anno postero ex Gallia Togata pecunias, & miiites coegisse, quæ ob id ad Italiae formam redacta erat, ne quis in posterum prouinciæ nomine intra alpes exercitum haberet, quo tempore C. Albutius rhetor in cognitione cædis, Mediolani apud L. Pisonem proconsulem, cum reum defenderet, & cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita, teste Suetonio, excaudit, ut Italiae, id est Gallia statum deplorarit, quasi iterum in prouinciæ formam redigeretur. Finis autem à septentrione fuit flumen Formio. sic enim inquit Plinius: *Vltra Tergeste v. millia passuum Formio amnis antiquus aucta Italiae terminus.* Auctam autem intelligit à Rubicone ad alpes, non naturæ, sed iuris finibus propagatam. Atque ita Italia aperte vsque ad alpes promotæ, & Gallia in posterum prouincia appellari desita est, cum iam vniuersa in partem ciuitatis, & imperij Romani esset vocata. id quod me ab initio demonstraturum esse pollicitus sum.

*De iure ciuitatis colonijs, præfecturis, fœderatis ciuitatibus, foris, & conciliabulis dato.*

CAP. III.



**N**E QVIS autem putaret, cū vniuersos Italiae populos ciuitate à populo Romano donatos ostenderim, colonias, præfecturas, fœderata oppida, & fora ac conciliabula non eodē iure fuisse ornata; quanquā hoc superiore disputatione probatū satis videri poterat, visum est tamen faciendum, ut retinendi instituti mei causa, id ipsum sigillatim in horum etiam vnoquo-

que confirmarem. Vt ergo coloniis nullis ante legem Iuliam ius suffragij patuit, sic post legem Iuliam, aut Pompeiam omnibus esse permiffum dico. nisi forte id paucæ aliquot aut scelere suo non obrinuerint, aut post insigni aliqua calamitate amiserint. Habuisse autem colonias suffragium, indicat Cicero, cum de se post reditum ad Quirites inquit: *Nullus in eorū reditu motus municipiorum, & coloniarū factus est, at me in patriā ter suis decretis Italia cuncta reuocauit.* & pro domo: *Quid ego illa diuina, atque immortalia municipiorum, & coloniarum, & totius Italiae decreta commemorem?* & in secūda in Antonium: *Municipia, colonias, præfecturas nunc aliter iudicare censetis?* & pro Sylla: *Ad sunt pari studio Pompeiani, qui ita de ambitione, & suffragijs suis cū colonis dissenserunt, ut idem de communi salute sentirent.* cum Cicerone autem facit Hirtius, in cuius historia scriptum inuenimus: *Cæsar in Italiam profectus est, ut municipia, & colonias appellaret, quibus M. Antonij quaestoris sui commēdaret sacerdotij petitionem, aut ijs gratias ageret, quod frequentiam, atq; officium suum Antonio præstitissent, simulq; se, atq; honorem suum insequentis anni commendaret.* Neque vero quin idem quoque præfecturis ius suffragij, & magistratus sit impartitum, dubitandum videtur, cum huius antiquitatis locupletissimum habeamus Tullij testimonium. quin in Planciana ita disputat contra Laterensem Plancij accusatorem: *Primum utrum magis fauere putas Atinates, an Tusculanos suis? alteri, cum huius Cn. Saturnini patrem ædilem, cum prætorem viderunt, quod primus ille non modo in familiam, sed etiam in præfecturā illā sellam curule attulisset, mirandum in modum letati sunt. alteri (credo, quia refertum est municipium consularibus) nunquam intellexit vehementius suorum hospitem honore letari.* & paulo post: *Huius præfectura plena virorum fortissimorum sic, ut nulla tota Italia frequentior dici possit. quam quidem nunc multitudinem videtis indices in squalore, & luctu supplicem vobis. hi tot equites R. tot tribuni ærarij (nam plebem à iudicio dimisimus, quæ cuncta comitijs affuit) quid roboris, quid dignitatis huius petitioni attulerunt? non enim tribu Terentinam, sed dignitatem, sed oculorum coniectum, sed solidam, & robustam, & assiduam frequentiam attulerunt.* Quod autem fœderatæ ciuitates municipiorum ius, id est tribuum, & suffragij, & magistratus adeptæ sint, multi sunt testes, sed nescio quo modo vno maxime delecto eo ipso, quem paulo ante commemorauit, Tullio; cuius hæc in defensione Syllæ cum verba contemplor, nihil quæro amplius. *At si nos, inquit, tibi peregrini videmur, qui sumus è municipio, quorum iam & nomen, & honos inueterauit & huic vrbi, & hominum famæ, & sermonibus, quàm tibi illos cōpetitores tuos peregrinos videri necesse est, qui iam ex tota Italia delecti tecum de honore, & de omni dignitate contendunt? quorum caue tu quenquam peregrinum appelles, ne peregrinorum suffragijs obruare.* Non est hoc fortasse satis. nunc quid ille idem in Planciana dicat, attendamus: *Iam municipia coniunctione etiam vicinatis mouentur. nemo Arpinas nō Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas. totus ille tractus Venafranus, Allifanus. iisdemq; nunc à municipijs adsunt equites Romani publice cum legationis testimonio.* Ergo ut alia in te erant illustriora Laterensis, sic te Plancius hoc non solum municipij, verum etiam vicinatis genere dicebat; nisi forte te Laucana, aut Bouillana, aut Gabina vicinitas adiunabat. quibus ex municipijs vix iā, qui carnē Latinis petant inueniuntur: itē in oratione pro domo, in qua, dū se decretis Italiæ reuocatū comitiis cēturiatis gloriatur, in hæc verba erupit: *Ille ille populus dominus est regum, victor, atque imperator omnium gentiū, quem illo clarissimo die vidiſti, tum cum omnes principes ciuitatis, omnes ordinum, atque ætatum omnium suffragium se non de ciuis, sed de ciuitatis salute ferre censebant. cum denique homines in campum non tabernis, sed municipijs clausis venerunt.* Quid quod in epistolis prodidit, Attellanos, & Volaterranos municipes sibi in suis honoribus affuisse? Nam Pediani nota est iuctoritas, qui in Diuinationis commentario posuit, *rusticam plebem ex municipijs Romæ conuenisse, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum, aut ut censerentur apud censors.* Hi vero omnes erant

erant ex iis oppidis, quæ lege Iulia paulo ante ciuitatem ascita fuerant, neq; dum censa in tribubus xxxv. siquidem Italia in tribus à Philippo, & Perperna censoribus est coniecta. cūque nisi post annos decem, & septem censors in ciuitate nulli fuissent, ad eos, qui primi declarati sunt, Lentulum, & Gelliū ex tota Italia frequentissimi venerunt, non quod in municipijs nō censi suis possent, sed ut ius nouum, & multo sudore partum tandem aliquando vsurparent. postremo vero conciliabulis etiam ciuitatem esse communicatam, video satis perspicue docuisse Aggenum, cum scripsit: *Sunt loca publica coloniarum, ubi prius fuere conciliabula, & postea sunt in municipijs ius relata.* Quod cum ita sit, sane iam caussa patet, cur post legem Iuliam multa oppida & municipiorum, & coloniarum nomine decorata sint, multa item præfecturæ, & municipia appellata. quid enim aliud esse censemus, nisi quod quatenus colonos habuerunt, coloniarum, quatenus præfectos, præfecturæ nomen tulerunt; ut autem suffragij iure donata sunt, eatenus municipia sunt nuncupata? Cum autem suffragij ius vnā cum tribu obtinuerint, factum est, ut sepe tribus ipsas pro populis Italiae ciuitate donatis veteres vsurparint. ut Suetonius cum scripsit, *Cæsarem testamento suo legasse populo Rom. quadringentes. tribubus tricis quingies.* & Martialis, cum dixit,

*Dat populus, dat pratus eques, dat thura enatus,  
Et libant Latiae tertia dona tribus.*

Vterque enim distinguens populum à tribubus, populi nomine plebem Romanam videtur intelligere, tribuum vero Italiam. Quod si quis tribuum nomina, in quibus quæque aut colonia, aut præfectura, aut fœderata ciuitas post ciuitatem impetratam suffragium tulerit, requisierit, nã ille laborem inanem susceperit. Mihi enim ne hanc quidem inuestigandæ antiquitatis partem negligenti, contigit, ut veterum lapidum titulos perlegens, atque obseruans, paucarum tantum quarundam certas tribus inuenerim, Mutinæ quidem, patriæ meæ, Polliam, Veronæ Publiliam, Sutrij Velinam, Cæretis, & Tudertis Clustumnam, Florentiæ Scaptiam, Atestis Romiliam, Brixia Fabiam, Vicetiæ Meneniam, Clusij Arniensem, Tergestis Pupiniam, Aletrij Publikiam, Arretij Pomptinam. Nam Atinam in Terentina suffragium inisse, docet Cicero in Planciana. Eorum vero lapidum exempla, qualia ferme Onuphrius Panuinius Veronensis, homo in ista ipsa disciplina, quæ nunc dimissa reuocatur, in primis probatus, mihi tradidit, ne quem fallam, hoc loco subscribam:

## Mutinæ.

Q. AMBILIVS T. F.  
POL. TIRO MYTIN  
MILES COHORT. VII PRÆT.  
3 GRACINI. VIXIT ANN  
XXXII. MILITAVIT AN. XII

## Romæ.

M. APICIVS  
M. F. PVB.  
PV DENS  
VERONA  
MIL. COH. XII. PR.  
MIL. AN. XVI.  
VIXIT AN. XXXIIX.

## Romæ.

D. M.  
M. BALLONIO  
M. F. POL. PAVLLO  
MYTINA  
MIL. COH. X. PR. 3  
FRONTONIS MIL. ANN  
VIII. VIX. ANN. XXXVI.

## Brixia.

Q. MINICIO  
Q. F. FAB. POB.  
MACRO  
IIII VIR VERON  
Q. VERON. ET BRIX.  
MINICIA MATER

D. D.

Sutrij.

DIIS MANIBVS  
T. VALERIO T. F.  
VEL. VICTORI  
DECVRIONI SVTRI  
II VIR I. D. ITERVM  
QVINQVENNALI  
CVRATORI PECVNIAE  
PVBLICAE. PONTIFICI  
PATVLCIA EXOCHE  
CONIVX  
FECIT

Romæ.

Q. GARGENNIVS  
L. F. SCA  
CELER  
FLORENTIA MIL.  
COH. XI. PRAET.  
VIX. ANN. XXXV.  
MILIT. ANN. VI.

Romæ.

L. CASSIVS L. F.  
ROM. NIGER  
DOMO ATESTE  
MIL. COH. I. PR.  
MIL. ANN. XVII.  
VIX. ANN. XXXVII

Vicetia.

M. ENNIVS M. F.  
MEN. VICETINVS  
SCR. AED. CVRVLIUM  
ARMENTARIVS DECVRIAEQ  
DECVRIO VICETIAE

Feltria.

Q. CAEDIVS P. F.  
PVB. SEX VIR  
TERGESTAE V F.  
VINISSA Q. F. MAXV  
VXOR  
APRVSIDIA C. F. SE  
MATER  
CAEDIVS FRATER

Ceretæ.

TI. CLAVDIO DIVI AVG. F.  
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XX  
L. PAVLLVS L. F. CLV. ATTICVS  
PRAEFECTVS FABRVN CAER.  
&C.

In agro Tudertino.

L. IVLIO L. F.  
CLV. MARCIANO  
AED. II VIR. TVDER  
VICANI VICI MARTIS  
TVDERT. EX AERE COLL.  
OB MERITA EIVS L. D. D. D.

Florentia.

C. VMBRICIVS  
C. F. SCA. CANSO  
COION. ADLECT.  
D. D. FLORENT.  
SIBI ET  
VOLTVRNIAE  
C. FILIAE  
TERTVLLAE  
VXORI

Clusij.

Q. GAVIVS Q. F.  
ARN. CLEMENS  
CLVSII EVOC  
AVG.  
A QVestionIBVS

Feltria.

C. FIRMIO C. F.  
MENE V. RVFINO  
EQ. PVB. LAVREN  
LAV. DEC. FLAMIN  
PATRONO COLLE  
GIORVM FAB. CENT  
DENORVM FELTRIAE  
ITEMQVE BER. VENS.  
COLLEG. FABR. ALTI  
NATIVM PATRONO

Tiferni.

Ferentini.

C. IVLIO C. F. PVB. RVFONO  
CANINIVS C. F. POM. GALLVS  
VETERANO COH. VI. PR.  
DOMO ARRETIO EQ. LEG. IIII  
D. A QVILA MAXIMI  
SCYTH. MILITAVIT IN  
PRAETORIA AED. IIII VIRI D.  
PR. AN. XVII.  
EVOCAT. AN. II.  
EQ. IN LEG. SCYTHIC  
AN. XVIII

C. CIVLIVS C. F. RVFINVS ERATRE  
BENEMERENTI, ET SIBI  
POSTERISQ. SVIS

De colonis militaribus.

CAP. IIII.



ELIQVVM est, vt quoniam superiore libro colonias omnes à populo Rom. post urbem conditam vsque ad belli Italici tempo- ra deductas exposui, quæq; earum fuerit conditio, itaque ostendi, nunc, quod se facturum esse negavit Paterculus, vt militares persequeretur, ego, quæadmodum ante pollicitus sum, exequar. hoc autem eò studiosius, quod quas ille se prætermittere iccirco est professus, quia earum, vt ait, causæ, auctores, & nomina præfulgerent, ea nobis omnia hoc tempore obscurissimis sunt ex ignorantia tenebris educenda. Quamquam de causa militarium coloniarum non est, cur admodum laboremus, nisi ab earum sententiarum auctoritate recedamus, quas paullo ante ex certis veterum monumentis attulimus. Deduci enim militares coloniae iccirco sunt solitæ, vt veterani milites præliorum diuturnitate fessi præmium aliquod aliquando caperent laborum suorum. Auctorum autem nomina vere præfulgere dixit Velleius. quid enim L. Sulla, C. Cæsare dictatoribus, M. Antonio, M. Lepido, & C. Octaviano i i viris reip. & ipsomet imperatore Augusto potuit esse illustrius: quos omnes, patra- ciuili victoria, inimicorum suorum agros militibus, per quos vicerant, diuisisse, lit- teris proditum est? Huius autem consuetudinis à Sulla initium introductum post à Cæsare probatum esse, cum aliis argumentis multis ducor ad opinandum, tum præcipue verbis M. Bruti, eius, à quo Cæsar oppressus est, quæ sunt in concione eius ad veteranos, vt opinor, in Capitolio apud Appianum. Vos, inquit, pro rebus gestis aduersus Gallos, & Britannos premia, quæ olim dabat populus, referetis; qui nec suis, nec innocentibus hominibus agros adimebat, neque illis aliena donabat, neq; iniuria faciendæ gratiam referri oportere putabat. idemque hostes victos non omni agro, sed parte mutabat, in eamq; emeritos deducebat, vt essent quasi hostium, quos de- uicissent, custodes. cumq; sæpe agri armis parti non essent satis. publicos quoq; diuisit, aut alios emit. hoc pacto deducere populus solebat sine cuiusquam sollicitudine, ac molestia. Sylla vero, & Cæsar, quod patria armis occupata, custodiaibus, & satellitibus aduersus ea egerent, neque vos in ciuitates vestras dimiserunt, neq; vobis agrum emerunt, neque publicum diuiserunt, neque dominis pretia persoluerunt, sed Italiae innoxie, lege bel- li, agros, villas, sepulchra, & fana extorserrunt. quibus rebus nos ne alienigenas qui- dem hostes vnquam exuimus, sed decima solum fructuum multauimus. illi vero agros socium Latini nominis diuiserunt, & vos in eos frequentes sub signis & ordinibus de- duxerunt. Hæc eo loco Brutus. De Cæsare autem, & Augusto adeo perspicue lo- quitur Higinus, vt id reuocari in dubium nullo modo posse videatur. Verba au- tem eius, quibus hoc docet, hæc sunt: Multis legionibus contigit bellum feliciter transgere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrociniy gradu peruenire. nam cum signis, & aquila, & ordinibus, ac tribunis deducebantur. modus agri pro- portione officij dabatur. ferunt quidam, indictum postea modum belli, & expleta centesima hostium congressione ad colendum reductos terrarum agros. Diuus Iu- lius, vir acerrimus, & multarum gentium dominor tam frequentibus bellis militem exercuit, vt dum victorias numerat, congressione multitudinis oblitisceretur. nam

militēs ultra stipendia emerita detinuit recusantes, deinde veteranos dimisit, mox eisdem ipsos veniam cum militē rogātes recepit, & post aliquot bella facta in pace dimisit. eque D. Augustus in assignata orbi terrarum pace exercitūs, qui sub Antonio, aut Lepido militauerant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit; alio in Italia, alios in provincijs quibusdam deletis hostium ciuitatibus nouas vrbes constituit. quosdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominauit. Quin etiā M. Antonius consul apud Appianum in ea oratione, qua Cæsaris acta seruanda esse suafit, istud poluit, Cæsarem milites vna cum armis, quibus meruerant; atque hysdem ordinibus in agros deduxisse. Ex quo intelligi potest, quæ res Tacitum adduxerit, vt ita in libro XIII annalium suorum scriptum reliquerit, Nerone IIII, & Cosso consulibus: Veterani Tarentum, & Antium ascripti non tamen infrequentia locorum subuenere. non enim, vt olim, vniuersæ legiones deducebantur cum tribunis, & centurionibus, & suis cuiusque ordinis militibus sed ignoti inter se diuersis manipulis sine rectorē. Neque vero obscurum iam etiā alicui esse potest, quid in his versibus Lucanus voluerit:

*Quæ sedes erit emeritis, quæ rura dabuntur,*

*Quæ noster veteranus ariet, quæ mœnia fessis?*

Nimirum enim colonias militares intellexit, atque descripsit. in quas milites veteranos esse deductos, cum nomen ipsum est argumento, tum vero quod multæ etiam earum à nominibus legionum, quæ in iis essent collocatæ, sibi nomen pepererunt, vt Secundanorum, Sextanorum, Septuanorum, Octauanorum, Decumanorum, Vndecumanorum, & reliquarum generis eiusmodi.

Quod ergo, vt ad rem redeam, à Paterculo expectandū erat, qui & æqualis fere fuit eorum, de quibus loquimur, temporum, & rerum Rom. satis accuratus scriptor, ac diligens habitus est, vt militarium coloniarum nomina exequeretur, id nunc nos tam multis sæculis inferiores, dabimus operam, vt quoquo modo possimus, ad exitum perducamus. Is enim, cum duo coloniarum genera constituerit, vnum earum, quæ senatus iussu deductæ sint, alterum militarium, priores illas ita enumerat, vt post Eporœdian Mario VI, & Valerio consulibus deductam, nullam fere, nisi militarem, esse deductam scribat. quarum nos initium à Sylla sumendum esse existimamus.

Ab eo verò bis colonias esse deductas inuenimus, primum in priore consulatu postquam ex Campania cum exercitu in vrbe reuersus Marius senem, & Sulpicium, ceterosq; inimicos suos vrbe exterminauit, deinde postquam ex Asia victor regressus, republica ex manibus inimicorum recuperata, dictaturam inuafit. prioris deductionis in epitoma Liuianorum septuagesima fit mentio, quo loco scriptum est, L. Sullam ciuitatis statum ordinasse, colonias deduxisse; posterioris in octogesima nona, vbi Syllam XLVII legiones in agros captos deduxisse, & eos ijs dimisisse narratur. Hoc autem idem in Appiani græca historia est. qui centum viginti millia hominum à Sylla esse deducta prodidit. Quas deductiones M. Lepidus consul, Syllæ inimicus, in concione ita illudit, teste Sallustio: *Maximam mihi fiduciam inquit, parit victor exercitus, cui per tot vulnera, & labores nihil præter tyrannum quaesitum est. egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes, & siluas contumeliam, atque inuidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.* Quas tamen colonias, aut quàm multas ille deduxerit, non est memoriæ proditum. Verisimile vero videtur, ipsum, vt acerbissimus erat hostis inimicorum suorum, pleraq; oppida eorum qui aduersus se arma tulerant, ac pro inimicis suis steterant, esse acerrime persecutum. Ex his autem Etruriam fere totam contra eum venisse accepimus, Senam, Clusium, Saturniā, Arretium, Volaterras, Fæsulas; & ex Latio Prænestinos, Signinos, & Norbanos; ex Vmbris Spoletinos, & Interamnates; ex Pelignis Sulmonenses; ex Campania Capuanos, & Nolanos, Samnitum magnam partem, qui Nolam tenebant; & ex Gallis Cisalpinis Faentinos, & Rauennates. Quod in historiis

Appiani, Plutarchi, Strabonis, & Flori, per scriptum videmus. Qua ratione adductus Sallustius in coniuratione Catilinæ scripsit, *Sylla dominatione Etruriam agros, & bona omnia amisisse.* Quæ vero oppida suspicari possumus, à Sylla esse deducta (neque enim teste in agrariis Tullio omnes agros, quos publicauit, etiā assignauit,) in Etruria sunt, Fæsulæ, Arretium, Cortona, & Volaterræ. FÆSULÆ vestigia non dubia apparent in oratione tertia Ciceronis in Catilinam, cum inquit: *Ex ijs colonis, quos Fæsulæ Sylla deduxit.* & alio loco: *Hæ sunt homines ex ijs colonis, quos Fæsulæ Sylla constituit.* Quin etiā de ARRETINIS facilis est coniectura, ex eo, quod idem in defensione Murenæ posuit, *Catilinam circumfluentem colonorum Arretinorum, & Fæsulianorum exercitu alacrem incedere.* Quod si Arretium coloni sunt missi, profecto etiā CORTONAM, quæ ab Arretio non multum abest, cuius coloniæ meminit Dionysius libro primo. neque eam ante Sullæ tempora esse deductam, apud quenquam scriptum legimus. De VOLATERRIS traditum est in epitoma octogesima nona: *Sylla Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum in deditioem accepit.* & in oratione pro domo: *Sylla victor rep. recuperata, comitijs centuriatis, ciuitatem Volaterranis, cum etiā tum essent in armis, eripere non potuit.* & in primo epistolarum ad Atticum: *Syllanorum hominum possessiones confirmabam, Volaterranos, & Arretinos quorum agrum Sylla publicarat, neque diuiserat, in sua possessione retinebam.* & in tertio decimo epistolarum: *Volaterrani Syllani temporis acerbiter subterfugerunt.* Age vero exeamus è Tuscis, & veniamus in Latium. ecce in manibus PRÆNESTINIS, qua ciuitate nulla Syllæ causæ fuit infestior, nulli Sylla ipse acerbior. obsideri diu se ab eo passi sunt Prænestini. Itaque Prænesti capto, & C. Mario adolescente, qui oppidum tenuerat, iam extincto, quinque ille millia Prænestinorum, quod prodidit Valerius, extra mœnia municipij euocatos, acerbissima morte multauit. quattuor millia, & septingentos diræ proscriptionis edicto iugulatos in tabulas publicas rettulit. Agrum autem eorum diuisit, atque oppido, quantum augurari coniectura possum, colonos ascripsit. De agro significat Cicero in agrariis, *Cōment præterea nam si dicent, per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. at videmus agrum Prænestinum à paucis possideri.* De colonia loquitur idem in Catilinam: *Quid cum te Prænesti K. ijs Novembris occupaturum nocturno impetu esse consideres, sensitine illam coloniam meo iussu esse munitam?* Age vero, nonne de BOVILLIS etiā ex verbis Frontini in libro de coloniis licet aliquid opinari? *Bouilla, inquit, lege Sullana est circumductum. iter populo non debetur. agrū eius ex occupatione milites tenuerunt in sortem.* Nunc in Campaniam transeamus. Ex iis NOLA à Samnitibus magno conatu iam inde ab Italico bello occupata, summo tandem à Sylla labore recuperata Syllanos & ipsa colonos accepit. Id quod non obscure tradidit Frontinus, cum agrum Nolanum Syllæ militibus fuisse assignatum scripsit. Quod idem de SVESSULA iudicium faciendum est, de qua idem ille ita scriptum reliquit: *Suessula oppidum muro ductum, lege Sullana deducta. iter populo non debetur. ager eius veteranis militibus Syllanis in iugeribus est assignatus.* Possumus etiā in hunc numerum referre POMPEIOS, quippe cum in oratione Syllana à Cicerone eius rei admoneamur. *Disiunxit, inquit, P. Sylla Pompeianos à colonis, vt hoc dissidio, ac dissensione facta oppidum in sua potestate esset, & Pompeios haberet, cum ab hoc illa colonia deducta sit, & cum commoda colonorum à fortunis Pompeianorum pop. Rom. fortuna diuiserit, ita carus vtrisque est.* Postremo vero CAPVAM etiā colonos à Sylla esse ascriptos duobus, quod notarim, in locis prodit Frontinus, vno cum ait, *Capuæ agrum, antequam à Cæsare Capua deduceretur, lege Sullana fuisse assignatum* altero, cum inquit: *Calatia oppidum muro ductum iter populo debetur pedes decem, Colonia Capuensi cum territorio suo à Sylla Felice adiudicata olim ob hosticam pugnam.* Neque vero aliud quidquam voluisse Plinium puto, cum scripsit libro sexto: *Falernus ager à ponte Campano leua petentibus vrbaniam coloniam Syllanam nuper Capuæ*



puæ contributam incipit. Accedit, quod Cicero, cum in Rullam tribunum pleb. consul loqueretur, qui legem de Capua colonia deducenda promulgaret, quam postea Cæsar in consulu pertulit, ita loquitur, ut eam ab aliis antea parum bonis omnibus deductam ostendat. quo in loco Syllanam, credo, deductionem significauit. sic enim dixit: *Neque te P. Rulle omnia illa M. Bruti, atque auspicia à summi furore deterrent. nam & ipse, qui deduxit, & qui magistratum Capua ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, munera attigerunt, omnes acerbitas impiorum poenas pertulerunt.* & post de eadem re: *Cum venissem Capuam coloniam deductam. L. Considio, Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, pratoribus. nam cum ceteris in colonijs diuiri appellentur, hi se pratores appellari volebat.* Est autem verisimile, cum alia Syllæ acta post mortem eius rescinderentur, hanc quoque deductionem esse labefactam. idq; causam Rullo attulisse, ut in consulu Ciceronis de eadem deducenda cogitaret. cuius legem à plebe Rom. incredibilem consulis eloquentiam admirata esse repudiatam accepimus.

Ac de Syllanis quidem coloniis hætenus: nunc persequamur Cæsarianas. quarum primam esse inuenio CAPVAM, ab eo in primo consulu deductam. nam reliquas post ciuilem victoriam videtur constituisse. Hoc ex Paterculi historia aperte cognoscitur, in qua scribit, Cæsarem in consulu legem tulisse, ut ager Campanus plebei diuideretur, suafore legis Pompeio, atque ciuium circiter xx millia esse ascripta, & ius iis restitutum post annos circiter c. lxxi, quam bello Punico à Romanis Capua in præfecturæ formam erat redacta. Quod idem est etiam apud Ciceronem, Appianum, & Dionem. quamquam quo in hoc genere locupletiore utar teste, quam ipsomet Cæsare? Is autem ita scribit libro primo de bello ciuili: *Capua primum sese confirmant, & colligunt, delectumq; colonorum, qui lege Iulia Capuam deducti erant, habere instituunt.* Vnde illud est apud Frontinum: *Capua muro ducta colonia. Iulia Felix iussu imperatoris Cæsaris à xx viris est deducta. iter populo debetur pedes centum. ager eius lege Syllana fuerat assignatus.* Non esse autem hanc militarem deductam, satis ex eo apparet, quod plebi Romanæ diuisus est ager, ut priore libro demonstraui, non emeritis militibus assignatus. Post autem idem distaturam adeptus multas deduxit, & quidem omnes, ut arbitror, militares. quorum aliquot ex intimis antiquitatis penetralibus eductas, ut instituius, indicabimus. Vnã igitur CASILINVM. Hoc Ciceronis testimonio cognouimus in Antonium ita loquentis: *Deduxisti coloniam Casilinum, quod Cæsar ante deduxerat. omni auspicio iure turbato Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta.* Item: *Consulisti de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem posses ne, ubi colonia esset, eò coloniam nouam deducere. negaui in eam coloniam, quæ esset auspiciato deducta, dum esset incolumis, coloniam nouam iure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi.* Neque vero Casilini solum, sed CALATIAE quoq; veteranos Cæsarem constituisse intelligo, dum Paterculi, & Ciceronis verba considero. quorum ille ita scribit libro posteriore: *Octavius primum à Calatia, mox à Casilino veteranos exiuit paternos, hic vero libro extremo epistolarum ad Atticum hoc pacto: Octavius veteranos, qui Casilini, & Calatiae sunt, perduxit ad suam fruentiam nec mirum, quingenos denarios dat. cogitat reliquas colonias obire.* Quæ sunt præterea coloniae reliquæ? difficile est scire, suspicari procliue. vna est, credo, MINTURNÆ, de qua hoc extat apud Frontinum: *Minturnæ muro ducta colonia deducta à C. Cæsare. iter populo non debetur.* altera ANCON, cuius meminit quimo de bellis ciuilibus Appianus, cum ait, *legiones duas, quæ Anconenensium deductæ, cum essent Cæsari Octauiano patriæ, Antonio affuisse.* præterea vera LANUVIIVM. colonos à Cæsare fuisse ascriptos à Frontino accepimus. verba eius hæc sunt: *Lanuiam muro ductum colonia deducta à D. Iulio.* Quin etiam de VOLATERRANIS libet aliquid suspicari. cum agrum Volaterranum ab eò diuidi iussum significet in epistolis ad Q. Valerium Cicero. itemq; de VEIIS, &

CAPENA, cum idem scribat ad Pætum de agris, & municipiis, quæ à Cæsare diuidebantur: *Veientem agrum. & Capenam metiuntur.* & in libro Frontini sit: *Veij colonia ager eius militibus est assignatus ex lege Iulia.* Postremo vero opinari non nihil de iis etiam coloniis possumus, quæ Iulianæ nomen tulcrunt, ut de FANEO, quæ Iulia Fanestris, SVTRIO, quæ Iulia Surrina, HISPELLO, quæ Iulia Hispella, DERTHONA, quæ Iulia Derthona veterum testimonio lapidum sunt appellata. ut quemadmodum Cæsar Capuam, quam Iuliam Felicem à se appellauit, deduxit, sic reliquas etiam, quæ Iulio nomine sunt affectæ, ab eodem esse deductas putemus. Hæ sunt Cæsaris veteranorum coloniae, quibus peragratis M. Antonium consulem stipatum armis ad senatum rettulisse de actis Cæsaris in secunda aduersus Antonium Cicero dixit.

Deinceps sequuntur Antonianæ. Has Cæsare interfecto à M. Antonio consule deductas esse, non est dubium. Vestigia enim huius doctrinæ perspicua extant in libris Philippicis Ciceronis, in quibus ita de CASILINO disputat aduersus M. Antonium: *Casilinum coloniã deduxisti, quo erat paucis ante annis deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuæ pene perstrinxisti, ut florentis coloniæ territorium minueretur.* & alio loco: *Addit Antonius, quos ipse cum Dolabella dederit agros, teneant ij, quibus dati sunt. hic est Campanus ager, & Leontinus, quæ duo maiores nostri annonæ perfugia ducebant.* Huc accedit Plutarchus, qui in vita Antonij nos admonet de PISAVRO scribens: *Prodigium ante proelium Actiacum exitit. quod Pisaurum oppidum non longe ab Hadria, quod Antonius colonos ascripserat, terræ hiatu labefactatum est.* Nam quid illa trita commemorare, quæ Cicero contra M. & L. Antonios fratres incenso sæpe animo dixit: *Omnem Italiam L. Antonio diuidendam dedit.* Item: *Hic pecunias nostras aestimabat. possessiones notabat, & urbanas, & rusticas. diuidebat agros quibus, & quos volebat. tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat diuisor Antonius.* Itē: *Nucula, & Lento diuisores Italiae ea lege, quam senatus per vim latam iudicauit. & illa: Multi fuerunt multis in legionibus per tot annos. his quoque diuisit Semurium. campus Martius restabat. sed hæc agrorum assignatio paullo ante Quirites L. Cæsaris sententia dissoluta est. huic enim assenti septemuirum acta sustulimus.* Quo ex fonte querelæ illæ iam notæ manarunt M. Antonij, cum ad senatum scripsit: *Veteranorum colonias deductas lege, & senatusconsulto sustulisti. cui respondit in senatu Cicero: Nos sustulimus, an contra lege comitijs centuriatis lata sanximus? Vide ne tu veteranos, qui erant perdit, perdidideris. in eumq; locum deduxeris, ex quo ipsi iam sentiunt, se nunquam exituros.*

Relinquamus Antonianas, & ad triumuirales pergamus. Triumuirales appello, quæ triumuirum reip. decreto sunt deductæ. nam constituisse eos colonias, quæ non loquuntur historiæ? Illud autem inter antiquissimos rerum Romanarum auctores constat, negotium C. Cæsari Octauiano ab Antonio, & Lepido collegis esse datum, ut in coloniis milites emeritos collocaret, quorū opera Brutum, Cassiumq; deuicerant. vnde illa extiterunt, quæ sunt apud Suetonium: *Partiis post victoriã officijs, cum Antonius orientem ordinandum, Octavius veteranos in Italiam reducendos, & municipalibus agris collocandos recepisset, neque veteranorum, neque possessorum tenuit gratiam, alteris pelli se, alteris non pro spe meritorum tractari querentibus.* Cum autem Appianus xviii colonias tum decretas esse prodiderit, ac septem tantum nominarit, CAPVAM, REGIVM, VENVSIAM, BENEVENTVM, ARIMINVM, NVCERIAM, & HIPONEM, reliquas ex Frontini libro non incommode videmur posse colligere, Arretium, Aquinum, Faliscam, Florentiam, Fædaturas, Formias, Telesiam, Tuder, Venafrum, Volaterras, & Vlubras. de quibus video sic ascriptum esse: *ARRETIVM muro ducta lege triumvirali. iter populo non debetur. ager eius militibus est assignatus. AQUINVM muro ducta colonia. lege triumvirali deducta. iter populo debetur p. LXXX. ager eius*

eius perennis militibus est assignatus. Colonia Iunonia, quæ appellatur *FALISCA* a triumuiris est assignata. & modus iugerationis est datus, in qua limites intercessu sunt directi lege agraria. *C. Cæsaris auspicijs, & M. Antonij, & M. Lepidi pont. max.* colonia *FLORENTIA* deducta, à triumuiris assignata lege Iulia. centuriæ *Cæsarianæ* in iugera per *Kardines*, & *decumanos*, termini rotundi pedales, & distanti à se pedes *II CCCC.* Colonia *FOEDATVRAE* ea lege, qua ager Florentinus in centurijs singulis iugera *CC.* termini lapidei, alij sextantes, alij molares. *FORMIAS* oppidum triumuiris sine colonis deduxerunt. iter populo non debetur. ager eius in absoluto recedit. pro parte in lacineis est assignatus, finitur terminis siliceis, & *Tiburinis, TELESIA* muro ducta colonia, à triumuiris deducta. iter populo debetur *p. XXX.* ager eius limitibus *Augusteis* in nominibus est assignatus. *TVDER* fida colonia ea lege, qua & ager Florentinus, in centurijs singulis iugera *CC.* termini lapidei, alij saxei, alij molares. *VENAFRVM* oppidum triumuiris deduxerunt sine colonis. iter populo debetur pedes *XX.* ager eius in lacineis limitibus intercessu est assignatus, sed summa montium iure templi deæ ab *Augusto* sunt concessa. *VOLATERRAE* colonia lege triumvirali est assignata, in centurias singulas iugera *CC.* *decumanis Kardibus* est assignata, quam etiam veterani in portionibus diuisam pro parte habuerunt, in quos limites cepit interualla pedum *CD.* de quibus centurijs vnusquisque miles accepit iugera *XXV,* & *LXXXV.* *VLVBRAE* oppidum à triumuiris erat deductum, postea à *Drufo Cæsare* extinctum. ager eius in nominibus est assignatus. Iter populo non debetur. Hæ sunt *XVIII* coloniarum, quas à triumuiris decretas, ab *Octaui* deductas libet suspicari. alias quærent alij, quibus ultra præscriptam triumvirum legem tota fere ab *Octaui* occupata esse Italia dicitur. siquidem in eadem *Appiani* historia scriptum est: obiectum esse ab *Antonio Cæsari Octauiano*, quod cum *XVIII* oppida veteranis assignare debuisset, totam fere Italiam diuisisset, & cum *XVIII* legiones eò deducere debuisset, *XXIIII* deduxisset. quod neque *Dio* dissimulauit, qui inter eas *BONONIAM* rettulit.

Postremo colonias etiam alias duodeviginti ab *Octaui* post victum ad *Actium Antonium*, & præclara victoria pacem & vrbi, & orbi terrarum partam, tum cum iam *Augustus* diceretur, inuenio apud *Suetonium* his verbis scriptum: *Ad hunc modum vrbe, vrbaniq; rebus administratis Italiam duodeviginti coloniarum numero à se deductarum frequentauit, & vt Romam suffragia mitterent de magistratibus vrbicis, statuit.* & apud *Dionem* ita libro *LI:* *Cæsar Romam reuersus ad remp. constituendam militibus alijs pecunias distribuit, ijs vero, qui sub se perpetuo stipendia fecerant, agros etiam assignauit. populis enim, qui cum Antonio senserant, deletis, & oppida, & agros eorum militibus condonauit.* & apud *Higinum:* *D. Augustus in assignata orbi terrarum pace, exercitus qui sub Antonio, aut Lepido militauerant, pariter & suarum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in prouincijs, quibusdam deletis hostium ciuitatibus, nouas vrbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, & colonos nominauit. illas quoque vrbes, quæ deductæ à regibus, aut dictatoribus fuerant, quas bellorum ciuiliu interuentus exhauserat, dato iterum coloniarum nomine, numero ciuium ampliauit, quasdam & finibus. & apud *Fiaccum:* *Illarum vrbium maxima finium pars data est colonijs, quæ in remotiora loca, & longe à mari posite videbantur, vt numerus ciuium, quem multiplicare diuus Augustus conabatur, haberet spatia, in quæ subsistere posset.* Quæ autem hæ coloniarum *XXVIII* fuerint, parum explicata memoria est. ex his enim tantum *XII* apud *Frontinum* inueni, *Soram, Teanum Sidicinum, Puteolos, Acerras, Aletrium, Attellam, Cauidium, Beneuentum, Cumas, Grauiscas, Nuceriam;* alias apud alios, *Augustam Taurinorum, Bouianum, Capuam, & Ariminum.* *Frontini* hæc verba sunt: *SORA* muro ducta colonia, deducta iussu *Cæsaris Augusti.* iter populo debetur pedes *XV.* ager eius limitibus *Augusteis* veteranis est assignatus. *TEANVM*, quod est & *Sidicinum*, colonia deducta à *Cæsare Augusto.* iter populo debetur *p. LXXXV.* ager*

ciui

eius limitibus metricis omnibus est assignatus. *PUTEOLI* colonia *Augusta.* *Augustus* deduxit. iter vno latere populo debetur *p. XXX.* ager eius in iugeribus veteranis, & tribunis legionarijs est assignatus. *ACERRAE* muro ducta colonia. *D. Augustus* deduci iussit. iter populo debetur *p. LXXX.* ager eius in iugeribus est assignatus. *ALETRIVM* muro ducta colonia. *Augustus* deduxit. iter populo non debetur. ager eius per centurias, & strigas est assignatus. *ATTELLA* muro ducta colonia, deducta ab *Augusto.* iter populo debetur *p. CXXI.* ager eius in iugeribus est assignatus. *CAVDIVM* muro ductum. iter populo debetur *p. L.* à *Cæsare Augusto* colonia *Beneuentana* cum territorio suo est adiudicata. ager eius veteranis fuerat assignatus. postea mensuratus, limitibus est censitus. *CUMAÆ* muro ducta colonia, ab *Augusto* deducta. iter populo debetur pedes *LXXX.* ager eius in iugeribus veteranis pro merito est assignatus iussu *Claudij Cæsaris.* *GRAVISCÆ* colonia ab *Augusto* deduci iussa est. *NVCERIA* muro ducta colonia, deducta iussu imperatoris *Augusti.* iter populo debetur pedes *LX.* ager eius limitibus *Iulianis* lege *Augustana* militibus est assignatus. Hæc ex *Frontino*, *AVGVSTAM* porro *TAVRINORVM,* & *CAPVAM* ab *Augusto* deductas, significat *Plinius.* nam *Augusta* ab eo colonia nominatur, nomen autem *Augustæ,* à quo ipsa deducta sit, indicat. libro autem decimo octauo, cap. *XI.* de *Capua* ita scribit: *Extat diui Augusti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis numerari iussit à fisco suo, coloniam deducens Capuam.* De *BOVIANO* suspicari libet, quia à *Plinio* *Bouianum Vndecumanorum* vocatur, quod eò vndecumanæ legionis milites sunt ascripti. De *ARIMINO* admonet lapis ita inscriptus. *PATRONO COL. AVG. ARIMIN.* Ac de militaribus quidem colonis hæc accepimus.

De Istria ad Italiam adiuncta. CAP. V.



*VNC,* quoniam plerique eorum, qui de *Italiae* situ, regionibusq; scripserunt, *Italiam* non *Carnis*, sed *Istriae*, nec *Tergeste* oppido, sed *Pola*, nec *Formione* amne, sed *Arfia* circumscribunt, vt eorū, quibus hæc res aliquem iniicere dubitationis scrupulum possit, quæstioni occurrat, placet, quemadmodum *Italiae* à me definitæ *Istria* sit adiuncta, atque à *Formione* ad *Arfiam* propagata, ostendere. *Istria*, vt post demonstrabitur, in potestatem redacta tam diu cum *Illyrico* prouincia fuit coniuncta, dum ab imp. *Augusto* *Italiae* est attributa. Hoc autem *Mela*, *Plinij*, & *Strabonis* præclara litterarum monumenta docent. *Mela* enim in describendis *Italiae* partibus *Carnorum* tantum, & vltimi eorum oppidi *Tergestis* meminit, in *Illyrici* autem, *Istriae.* *Plinius* ita loquitur, vt *Formionē* primis temporibus *Italiae* finem esse significet, nouissimis autem *Arfiam.* sic enim ait: *Vltra Tergeste sex millia passuum Formio amnis, antiquus aucta Italiae terminus, nunc vero Istria.* & post: *Oppida Istriae ciuium Rom. Aegida, Parentium, colonia Pola, quæ nunc Pietas Iulia. abest à Tergeste centum millia passus. mox oppidum Nesactium, & nunc finis Italiae fluuius Arfia.* *Strabo* autem, qui *Augusti* fuit æqualis, *Istriam* *Italia* comprehensam ab *Augusto* videtur innuere, cum ait, *Italiam vsque ad Polam Istricum oppidum, qui nunc sunt principes, produxerunt.* Cuius rei omnem plane, vt video, sustulit dubitationem *Plinius*, qui cum *Italiam* ab *Augusto* in regiones vndecim distributam prodat, in decima *Venetos*, & *Carnos* cum *Istria*, vt iam ab *Augusto* *Italiae* attributis, enumerat.

De alpibus, ac federe, iureq; gentium alpinarum. CAP. VI.



*ATISFACTVM* officio, & muneri meo putarem, si hoc loco institutam disputationem deponerem. suscepi enim veterem *Italiam* illustrandam, quæ non *alpibus*, sed *intra alpes* includitur. quod me hæcenus pro opibus effecisse, nemo adeo alienæ industriæ inuidus erit, qui non facile fateatur. sed me & antiquitatis studium, & suscepti muneris amor longius aliquanto etiam prouehit, vt de populis

populis alpinis aliquid dicam, qui si non omnino Itali fuerunt, at certe aliquo modo Italiam attigerunt. Sunt ergo mihi primum alpes omnes quæ tuentur Italiam, describendæ, & populi earum notandi, deinde quando victi, quo fœdere donati, quo iure affecti fuerint, exponendum. Inuenio in commentariis rerum Italicarum Sempronianis, alpes tres in partes fuisse diuisas, vnam à Nicæa ad Penninū, eamq; à Liguribus esse infessam, alteram à Pennino ad Ocrum montem, tertiam Taurisanam vsque in Istriam. Narrat etiam ex Polybij auctoritate Strabo, per alpes in Italiam vias fuisse quattuor, vnam per Ligures proxime mare Tyrrhenum, alteram per Taurinos, qua vsus sit Annibal, tertiam per Salassos, quartam per Rhætos. Porro autem alpium multæ fuerunt partes, si multa earum, quæ in veteribus sunt monumentis, nomina intuemur. nam Maritimæ in primis Cotticæ, Graiæ, Rhæticiæ, & Carnicæ, alpes commemorantur.

Maritimæ siue à Nicæa, siue, vt ait Polybius, à Massilia vsque ad vada Sabatia peruaferunt, auctore Strabone, eaq; à Liguribus maxime Intemeliis, & Ingaunis sunt habitata, vnde oppida eorum nomen inuenerunt, Albiū Intemelium, & Albiū Ingaunum. Albia, vt inquit Strabo, quasi Alpia dicta. Easdem autem à Comatis Liguribus cultas, auctor est Dio libro LIIII. vnde illud est Plinij: *Capillatorum Ligurum plura esse genera ad confinium Ligustici maris.* Supra hos vero in alpiibus, vt opinor, fuerunt Ligures Vagienni, qui sunt ad fontes Padi, teste Plinio, qui è monte Vesulo manat. horum autem meminit quoque Silius, cum dixit: *Et pernix Ligus, & duri per saxa Vagenni.* Inde sunt Taurini Ligures, de quibus ita scriptum in Strabonis commentariis est: *Meduli imminent maxime Istri, & Rhodano confluentibus. ex altera vero parte, quæ spectat Italiam, & Taurini habitant, gens Ligustica, & alij Ligures. horum vero ager est, qui dicitur Ideonni, & Cottij.* Per hos autem populos Taurinorum alter fuit ex Gallia in Italiam transitus, quo, vt dixi, vsus est Annibal, quem ex Alpiibus in Taurinos degressum Polybius, & Liuius litteris prodiderunt.

Ex verbis autem Strabonis perspicuum est, alpes Cottias Taurinis populis esse finitimas, quod idem confirmare videtur Plinius, cum ait: *Cottianæ civitatis, Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures.* Ammianus quidem Marcellinus Cottias alpes à Segusione initium ducere scripsit. Segusionem autem oppidum non longe à Taurinis collocat Plinius, cum ita pergit: *Oppida Vibiformum, Segusio, colonie ab alpium radicibus Augusta Taurinorum inde nauigabili Pado.*

Post Taurinos, inquit Strabo, & Padum sunt Salassi. super quos in verticibus sunt Ceutrones, Caturiges, & Veragri, & Nantuates, & lacus Lemanus, per quem fertur Rhodanus, & fons fluuij. non longe vero ab his sunt fontes Rheni, & mons Adula, ex quo effluit Rhenus ad septentrionem, & ex altera parte Abdua, qui in Larium lacum influit, qui est ad Comum. in Alpiibus autem Medulorum duo fontes sunt, ex quorum altero Druentia amnis in Rhodanum præcipitat, ex altero Durias per Salassos in Padum. Salassos autem opinor tenuisse Graias, quæ dictæ sunt, alpes. siquidem inquit Plinius, *Augustam prætoriam Salassorum iuxta geminas alpium fauces Graias, atque Penninas fuisse.* Strabo autem Salassorum regionem magnam ait fuisse in profunda valle, locum vndiq; cingentibus montibus. iis autem, qui ex Italia traicere in Galliam vltiorē velint, per hanc vallem viam esse Lugdunum. hanc deinde in duas partes scindi. quarum alteram accliuem, per Penninum ducere, iumentis inuiam per Summas alpes, alteram vero per Ceutrones plaustris commodiorem. Quibus ex rebus satis intelligi posse opinor, Salassos à Duria flumine ad Abdiam peruenisse.

Supra Comum autem ad alpium radicem, vt inquit Strabo, ab vna parte sunt Rhæti orientem versus, & Vennonnes, ab altera vero Lepontij, & Tridentini, & Stoni, & alij modici populi Italiam obtinentes. & alio loco, *Rhæti*, inquit, *ad Italiā spectant supra Comum, & Veronam. ipsi vero vsque ad loca, per quæ Rhenus fertur, por-*

*riguntur. huius vero gentis sunt etiam Lepontij, & Camuni. Vindelici vero, & Norici exteriorem montium crepidinem tenent. Rhætorum ferocissimi Rucantij, & Cotuantij. de quibus omnibus ita etiam Plinius: Rhæti, & Vindelici omnes in multas ciuitates diuisi. verso deinde in Italiam pectore Alpiū Latini iuris Euganeæ gentes. ex ijs Triumpilini venalis cum agris suis populus, dein Camuni, compluresq; similes. Lepontios Tauriscæ gentis Cato arbitratur. ceteri Lepontios relictos ex comitatu Hercules ex interpretatione Græci nominis credunt. eiusdem & Graios fuisse positos in transitu Graiarum Alpium incolas, præstantesque genere Euganeos. caput eorum Stonos. Rhætorum Vennonnes, Serunetesque ortus Rheni amnis accolunt, Lepontiorum, qui Viberti vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu. Adde hoc etiā, Rhæticas alpes à valle Volturrena, cuius Cato meminit, exordium ducere, ac per eam in Larium lacum Abdiam annem deferri.*

Extremæ sunt Carnicæ alpes, quas deinceps his verbis complexus est Strabo: *Post Rhætos, & eorum populos, qui Adriatico sinui, in agro Aquileiensi proximi sunt, non nulli ex Noricis, & Carni insident. ex Noricis autem sunt etiam Taurisci.*

*Inde lapudes ab vtraque montium parte incolunt. eorum oppida Metulum, Arupenum, Monettium, Vendum. Ocræ vero humillima pars est alpium, qua cum Carnis iunguntur, & per quam onera ex Aquileia in Pamportum plaustris deferuntur. Nec longe aliter Plinius, qui inquit: Incolæ alpium à Pola ad Tergestis regionem Secusses, Subocrini, Attali, Menocaleni, iuxtaq; Carnos quondam Taurisci appellati, nunc Norici.*

Atque hæc quidem de alpium Italicarum descriptione, ac situ hætenus. nunc quo fœdere hi populi in amicitiam sint recepti, aperiamus. Jam igitur Gallia citerior omnis, & maxima Ligurum pars erat pacata, & legibus, ac prætori Rom. obediebat, cum alpines adhuc gentes à bello erant intactæ. Quod significauit Polybius, cum dixit, Gallos Padi accolos breui à Romanis spoliatos agris esse præter eos, qui sub alpiibus habitarent. Bellum autem hoc crebræ eorum in prouinciam R. excursiones excitarunt. primus, quantum ego compererim, alpinis Gallis arma intulit M. Claudius Marcellus anno D L X X V I I. à quo Alpinos Gallos subactos in epitomis Liuianis scriptum inuenio. Reperio etiam, L. Crassum consulem anno D C L V I I I. in citeriore Gallia cum alpinis populis decertasse. scriptum autem est hoc in Rhetoricis apud Ciceronem: *L. Crassus consul, inquit, quosdam in citeriore Gallia nullo illustri, neque certo duce, neque eo nomine, neque eo numero præditos, vt digni essent, qui hostes populi R. dicerentur, quod tamen excursionibus, & latrocinij infestam prouinciam redderent, consecutus est, & confecit.* Gessit etiam cum iis bellum Q. Metellus Celer prætor Gallie citerioris, Murena, & Silano cōsulibus, anno D C X C I. quod extat in epistola eius ad Ciceronem. Idem fecit post eū D. Brutus, cum prouinciam Galliam obtineret. quod ex eius epistola ad Ciceronem cognoscitur, in qua ita scribit: *Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, nomen captans imperatorium. rem autem & ipsum ibi bene gessisse, apparet ex triumpho, quem ei, vt inquit Cicero in Philippicis, senatus decreuerat è prouincia decedenti. Sed quinam potissimum hi hostes in alpiibus, cum plurimi esse possint, extiterint, pro certo proponere non auisim. De quibus autem comperti aliquid habemus, hi fere sunt.*

Maritimæ alpes à Capillatis Liguribus cultæ M. Crasso, Cn. Cornelio cos. an. D C C X X I X imp. Augusti auspiciis in seruitutē sunt redactæ, teste Dione, cum eò vsq; liberæ fuissent. De iure autem, & cōditione earum sub Augusto ita sentit Strabo, vt scribat, ex Liguribus, qui inter Varum, & Genuam sunt, Maritimos eosdem cum Italicis esse, ad Montanos præfectum quendam ex equestri ordine missum. at vero anno D C C X V, Nero imp. nationes alpium Maritimarum ad ius Latij redegit, quod voluit, credo, Plinius cum Capillatorum Ligurum multa genera Latio donata scripsit. Cum autem alpinas gentes omnes auspiciis Augusti domitas acceperimus, Vagiennos etiam & Taurinos Ligures ab eo in ditionem adductos pos-

sumus suspicari, præsertim vero cum is vtriusque victoriæ monumenta reliquerit, Augustam Vagiennorum, & Augustam Taurinorum, quarum Plinius meminit, qui idem Vagiennos, & Caturiges Latio donatos prodidit.

Cottias alpes Cottio regi suo obediens Augustus non attigit. Indicat hoc Marcellinus, cum ait: *Cottias alpes Cottius perdomitis Gallijs solus in angustijs latens, inuicq; locorum asperitate confusus, lenito tandem timore in amicitiam Octavianus principis receptus molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiaris, & diantibus opportunas medias inter alias alpes vetustas.* Vnde merito dixit Plinius, cum de trophæo Augusti de gentibus Alpinis erecto loqueretur, *non esse additas Cottianas ciuitates XII, quæ non fuerunt hostiles, sed item attributas municipijs lege Pompeia.* Suetonius autem auctor est, Cottias alpes defuncto Cottio post ab imp. Nerone in prouinciæ formam esse redactas. Quod autem proditum memoriæ est, Cn. Pompeium, cum in Sertorium iret, alpes alio itinere, quam Annibalem, traiecit, & bellum in alpibus inter Padi, & Rhodani fontes gessisse, quod & in epistola Pompeij est apud Sallustium, & apud Appianum libro primo, profecto intelligendum, non cum alijs, quam cum his populis ab eo decertatum esse.

Aduersus Salassos primus, ut opinor, exercitum adduxit Ap. Claudius Pulcher consul anno DCX. Hunc narrat Orosius, cum victus decem millia peditum amisisset, reparata pugna quinque millia hostium cæcidisse. Vnde anno DCXXXIII. Mario VI, & Flacco cos. Eporcediam coloniam deductam ad cohibendas Salassorum hostium incursiones scripsit Strabo, à quo eodem reliqua, quæ ad Salassorum bella pertinent, cognouimus, *Salassorum, inquit ille, magna regio est in profunda valle, cum undique cingant locum montes. habet autem aurifodinas, quas obtinebant Salassii, tum cum res eorum florebant, ut & eorum quoq; locorum aditum tenerent. quæ causa bella inter eos etiam sæpe accendit. Rerum autem potitis Romanis & aurificium, & agrum amiserunt. montium autem iuga tenentes, aqua publicanis, qui aurificium exercebant, venundabant, & cum ijs sæpe lucri cupiditate contendebant. Ut nunquam Romanis prætoribus, qui eò mitterentur, causa belli decissent. postremo partim bellis armati, partim conciliati opes tamen magnas habebant, & multa damna latrocinijs inferrebant ijs, qui per suos montes iter facerent. quippe à quibus D. Brutus Mutina fugiens data viritim drachma sese redemerit. Messalla etiam cum prope illos hibernaret, mercedem lignorum persoluit, quæ partim ad naues, partim ad hastas conficiendas rapuerat. postremo Cæsar Augustus eos funditus sustulit, & vniuersos sub corona vendidit in Eporcediam coloniam translatis. ibi autem breui resistere potuerunt, donec gens ipsa extincta est. Aliorum igitur capitum sex & triginta millia censa sunt, qui etate militari essent, octo millia: omnes autem Terentius Varro prætor sub hasta vendidit. tribus autem millibus Romanorum deductis Augustus oppidum Augustam constituit, quo in loco Varro castra prætorialia habuerat. & nunc finitima regio usque ad summa montium iuga pacata est.* Hæc Strabo, quæ eadem à Dione libro XLIX video confirmari, cum scribit, Salassos, aliosq; qui cum Salassis res nouas moliebantur, à Messalla, & Varrone esse deuictos. à Varrone autem eorum opes ita accitas, ut certam pecuniæ summam dare coegerit, & qui militarem ætatem haberent, vendiderit, cum eo, ut nemo intra viginti annos liberaretur, & opimum eorum agrum diuiserit, & Augustam prætoriam illis condiderit.

Sequuntur Rheti, & hos etiam cum Lepontijs, & ceteris finitimis populis ab Augusto perdomitos apud Strabonem inuenio. in eius enim commentarijs ita scriptum est: *Supra Comum ad Alpiam crepidinem sunt Rheti, & Venones, alia ex parte Lepontij, & Tridentini, & Stoni, & alij multi parui populi Italiam tenentes, qui prioribus temporibus latrocinia exercebant, & inopia laborabant. nunc vero alij delati sunt, alij vero omnino mansuesacti, ut cum antea transitus per eorum montes parci, & difficiles essent, nunc ex multis locis, & tuti ab ijs sint, & faciles. quorum causa una est custodia. addidit enim Cæsar Augustus, ad tollendos latrones, diuam custo-*


*des, quantum potuit. non enim ubiq; natura vim afferre per petras, & rupes præcipientes potuit, quarum alie viae imminet, alie vero decidunt.* Ex his autem Camuni, & Venij P. Sillio duce victi sunt teste lib. LIV. Dione, atque inde etiam reliqui. Nam cum sequenti, ut ille ait, anno M. Libone, Calpurnio Pisone cos. *Rheti, qui inter Noricum, & Galliam ad alpes Italiae Tridentinas incolunt, Galliam sibi finitimam incursarent, atque ex Italia prædas agerent, & Romanis socijsq; per agrum suum euntibus detrimenta inferrent, mares autem necarent non solum, qui apparerent, sed etiam, qui in ventribus essent, ea causa Augustus primum in eos Drusum misit, qui, hostibus in montibus Tridentinis primo impetu fuis, imperatoria ornamenta obtinuit. postea vero quam ex Italia pulsi in Galliam irruerunt, Tiberium misit, qui cum ex multis partibus ambo in eorum agrum infestis signis impetum fecissent, & ipsi, & legati sui cum illis terrorem incusserunt, ut dissipatos singulos facile deleuerint, reliquos vero rebus suis diffidentes in potestatem redegerint.*

Noricos inde, qui cum Pannoniis in Istriam inuaserant, P. Sillius idem in seruitum adduxit, ut ait Dio. Nam Strabo Noricos, in quibus & Taurisci sunt, incurstantes vna ætate à Tiberio, & Druso fratribus repressos narrat.

Extremi sunt Iapudes. Et hos viroborum robore præstantes, cum populationibus essent infesti, tandem omnino à Cæsare debellatos, idem tradit. Quod idem apud Dionem etiam in hanc sententiam scriptum esse inuenio: *Cæsar in Iapudas profectus, eos, qui citra montes haud procul à mari habitabant, nullo negotio in ditio- nem adduxit: qui vero iuga, & latera incolebant, eos non sine maximo labore perdomuit. Etenim cum Metulum oppidum suum maximum communissent, multos sæpe Romanorum impetus retulerunt, multas machinas incenderunt, & Cæsarem ipsum à lignea turri quadam murum conscendere conatum vulnerarunt. tandem vero, ubi nihilominus destitit, & exercitum aduocauit, de pace se agere velle simulantes præsidium in arcem acceptum nocte trucidarunt, & in ades igne illato alij se, alij uxores etiam, & liberos occiderunt, ut nihil prædæ inde ad Cæsarem peruenerit, cum etiam captiui haud ita multo post sponte sibi manus intulerint.* Hæc autem omnia cum aut Augusti auspicijs, aut ductu imperioq; eius sint gesta, propterea in trophæo Alpium ab eo deuictarum hæc, teste Plinio, fuerunt inscripta: IMP. CAESARI DIVI F. AVGVSTO, PONT. MAX. IMP. XIII. TRIBVNICIAE POT. S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV, AVSPICHSQ; GENTES ALPINAE OMNES. QVAE A MARI SYPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM POPVLI R. SVNT REDACTAE. GENTES ALPINAE DEVICTAE. TRIVM- PILINI, CAMVNI, VENNOTES, VENONETES, HISARCI, BREVNI, NAVNES, IOCVNATES, VIN- DELICORVM GENTES QVATTVOR, CONSVANETES, VIRVCINATES, LICATES, CATENA TES, ABISONTES, RVGVSCI, SVANETES, COLLYCONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTVATES, SEDVNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDVLLI, VCENI, CATVRIGES, BRIGIANI, SONTIONTH, EBRODVNTH, NEMALONI, EDENNATES, ESVBIANI, VEAMINI, GALLICAE, TRIVLATI, EGTINI, VERGVNNI, EGVITVRI, NEMENTVRI, ORATELLI, VERVSI, VELAVNI, SVETRI.

Expofui, quæ de Italia, atq; Italiae iure assiduo studio ex summa annalium vetustate eruere potui. lætorq; me tandem ad laboris vtiã tam gloriosi, quam, ut spero, utilis, optatum exitum peruenisse. Reliquum est, ut, posteaquam ciuitatem Romanam, Italiamque ipsam satis, ut his temporibus, atque hac opum imbecillitate potuit, explicuimus, deinceps Romanæ quosdam quasi per victoriæ gradus, prouinciarum populi Romani iura vetera, quæ huic maxime coniuncta disputatio est, eo, quo instituimus, ordine persequamur.






CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
PROVINCIA RV M  
LIBER PRIMVS.

Ad magnificum virum Io. Vin-  
centium Pinellum.



**L**ECI, Jo. Vincenti Pinelle, vir ma-  
gnifice, non inuitus, ut rerum Roma-  
narum studium non mediocri à me  
quondam diligentia cultum, sed varijs  
postea de causis intermissum hoc tem-  
pore reuocarem, quæq; de iure populi  
Roma. aliquot iam editis commenta-  
rijs scribere instituissem, ea nunc de-  
mum opera repetita perficerem. Me-  
vero, ut hoc facerem, cum res ipsa per se cognitione dignissima, tum  
tua in primis auctoritas impulit, quæ in omni re merito semper apud  
me plurimum valuit. quippe cum tu ita mecum, quæ tua est humani-  
tas, ageres; non debere me diuturniorem eius studij operam recusa-  
re, in quo summi quondam philosophi, ac summo ingenio, summaq;  
doctrina præditi, Aristoteles, & Heraclides industrie essent versati.  
à quibus studiose non Græcorum solum, sed etiam barbarorum respu-  
blica conquisita, atque earum mores, & instituta diligenter homi-  
num essent memoriæ consignata. immo vero eò me vehementius oport-  
tere in hanc unam cogitationem, incumbere, quòd illi tenuiorum,  
atque obscuriorū ferè gentium iura inuestigassent, ego unius omnium  
clarissima, ac potentissima statum exquirerem: illi florentium unum po-  
pulo

pulorum res omnibus exploratissimas tradidissent, ego iam pridem  
mortui, & vix paucissimis in litterarum monumentis spirantis insti-  
tuta obscurissima ab obliuione hominum, & silentio vindicarem.  
Quamobrem feci, ut dixi, libenter, ut ad eos libros, quos superioribus  
annis de antiquo iure ciuium Rom. atque Italia scripseram, tertios  
hos de vetere prouinciarum iure adiungerem, quæ una mihi disputa-  
tio desiderari posse videbatur ab ijs, qui perfectam veteris populi Ro-  
mani iuris notitiam requirebant, feci autem ita, ut, quod in superio-  
ribus etiam obseruavi, neque idoneum tantarum tradendarum, re-  
rum ordinem, qui mire tenere lectorem solet, prætermitterem, nec,  
quod auctoritatem doctrina summopere continet, quidquam interea  
non certo veterum testimonio confirmarem. ut omnes intelligere pos-  
sent, ad solidam huius laudem studij persequendam facultatem mi-  
hi potius aliquam defuisse, quam voluntatem. Quod autem mea  
sponte propter summum meum erga te studium, tuamq; constan-  
tem erga me voluntatem, eram factururus, ut aliquo te scriptorum  
meorum genere appellando, veterem nostram necessitudinem no-  
tam posteris facerem, id mihi multo iustiore ratione in hoc libro re-  
tinendum esse duxi, ut, quod te potissimum hortatore opus ad exitum  
perduxissem, idem etiam in manus hominū in tuo multo ornatissimo  
nomine darem. ut illud omittā, quod vere mihi videor posse dicere,  
eum esse te, quem ego cum propter veterem erga me animi propensio-  
nem unice diligam, tum propter variam præstantium multarum ar-  
tium cognitionem, & incredibile, ac constans virtutis ac scientiæ stu-  
dium omnibus istius ætatis, ac dignitatis hominibus antepo-  
nam. Ita-  
que cum in te omnia eluceant, quæ præclara videri hominibus, atque  
eximia solent, Genæ patriæ claritas, Pinellæ familiæ decus, Cosmi  
patris optimi, ac magnifici viri splendor, fortunarum amplitudo, tu  
hæc omnia perpetuo uno virtutis, ac doctrinæ, quo flores, studio ita  
obscurasti, ut, qui te laudant, hoc in maximis tuis ornamentis ponāt,  
quòd his omnibus, quæ vulgo homines suspiciunt, posthabitis, solam  
laudem ex beneficentia, comitate, multarumq;, atq; egregiarum disci-  
plinarum notitia cōsecteris. Quibus de rebus cū ego te, iam tum, cum  
in Patavino profiterer gymnasio, præsens cœpissim admirari, nunc de-  
mum, multis, ijsq; non leuissimis additis tui erga me amoris, ac be-  
neuolentiæ notis absens ita amo, ut quem aut propter virtutis opi-  
nionem colam magis, aut propter officiorum erga me magnitudi-  
nem diligam vehementius, profecto habeam neminem. Quæ causæ



*sa fecit, ut hoc prodi posteris, quanquam ad laudem fortasse tuam exiguum, tamen ad animi mei fructum, non leue, ut sentio, testimonium voluerim. ut & tu, & ceteri, si plura, aut maiora vel honoranda virtuti, vel alenda benevolentia tua prestare possem, studiosissime prestiturū me fuisse, cognoscerent. Sed de meo erga te officio aliās fortasse commodius nunc, quod suscepimus, quoniam, quibus in rebus iura ciuium Roma. Latinorum, atque Italicorum sita essent, superioribus libris ostendimus, deinceps eodem doctrina ordine iura prouinciarum inuestigemus, ac, te potissimum auspice, experiamur, quantum in hac etiam parte efficere industria, diligentiaq; possimus.*

*Quid prouincia fuerit, & quomodo confecta sit.* C A P. I.



**P**ROVINCIÆ nomen tribus modis populus Romanus totius huius rationis auctor accepit, vno, pro regione, quam aut armis deuictam, aut quocunque modo in potestatem adductam, ipse magistratui suo administrandam subiecit; altero pro quacunque regione, in qua bellū Romanus imperator administrarit; tertio pro quacunque publico muneris procuratione. Nos autem de prouinciis locuturi prouinciam prima, & quidem propria significatione sumemus. Quo circa, si certam prouinciæ, breuēque definitionem queramus, tanē vt Latium regionem iure Latij donatam, & Italiam regionem iure Italico affectam dicebamus, sic prouinciam definiemus, regionem, quæ ius prouinciale consecuta sit. Etenim ius ipsum singulis regionibus à populo Romano concessum, illud est potissimum, quo regio à regione distinguitur. Ius autem prouinciale, quod alio nomine Formula prouinciæ nuncupatur, vt etiam ius Latij, atque Italicum ex legibus percussis cum populo Romano fœderis emanauit. Itaq; vt fœderis leges æquiores, iniquioresq; fuerunt, sic diuersa, quemadmodum ante diximus, fœderum genera intulerunt. Quoniam autem leges, quæ prouinciis datæ sunt, iniquiores fuerant, quàm quæ Latio, atque Italiæ, propterea prouinciæ ius etiam deterius, quàm Latium, atque Italia, sunt adeptæ. Nam Italia vectigalis facta est illa quidem, sed tamen in vniuersum libertate donata. prouinciæ verò non solum vectigalibus, sed etiam seruitute mulctatæ sunt. quippe quæ legibus suis, ac magistratibus ius dicentibus spoliatae sint. Id vero argumento est, quod prouincia nulla fuit; quæ non Romanum prætorem, ac quæstorem habuerit; illum, qui ius diceret; hunc, qui vectigalia procuraret. Vnde scite scriptum illud est apud Strabonem, vniuersæ regionis, quæ Romanis pareret, vnam regibus subiectam fuisse, alteram ab ipsis possessam, in eamque prouinciam dictam, prætores cum quæstoribus missos, ex quo intelligi potest, vniuersam prouinciæ rationem fuisse, vt vectigalis esset, ac populi Romani magistratui obediret.

Quoniam autem vnius regionis populi, ac ciuitates non eodem modo se aduersus populum Romanum gesserant omnes, propterea neque eodem omnes pacto tractatæ sunt, verum pro suis cuiusque meritis leges acceperunt. Quo factum est, vt aliæ ciuitates vectigales, aliæ immunes relictæ, aliæ seruitute, aliæ libertate affectæ sint. Vectigales dictæ, quibus vectigal aliquod impositum est; immunes, quibus nullum. Seruitute affectæ, quas magistratui Rom. parere voluerunt; libertate, quas magistratus Ro. iurisdictione soluerunt. Vectigal porro ipsum aut certū fuit, aut incertum. certū definita ferè stipendij summa, & hoc tributū, siue stipendium, & qui hoc pependerit, tributarij, siue stipendiarij nominati sunt; incertum, quod

portubus, rebusq; venalibus, pascuis, agrisq; constitutum est, quod portorium, scriptura, & decuma dictum est. Tributum autem duplex fuit, vnum pecuniæ ordinarium, quod in caput, atque in solum impositum quotannis exigebatur, alterum extraordinarium, quod aut ex lege, aut ex senatus consulto pro vsu prouinciæ aliquando imperabatur. veluti cum naues, nautas, milites, ac sumptū in eos dare prouinciæ iuebantur. Portorium autem fuit vectigal, quod ex importatione, & exportatione rerum venalium capiebatur; scriptura, quod ex pastione pascuorum publicorum; decuma, quod ex agris, qui frumenti decumam, siue quantumvis aliam partem darent. Frumenti vero, quod ex prouinciis extrahebatur, tria genera extiterunt, decumanum, emptum, & æstimatum. decumanum erat decuma, quam quisque arator sine pretio dare cogebatur. quæ summa pro copia, inopiæ frumētū in singulos annos erat incerta. eaq; aut Romæ à censoribus, aut in prouincia à magistratu Romano vendebatur publicanis, qui ex eo decumani dicebantur, vt pro ea certam pecuniam populo Romano repræsentarēt. Emptum summa altera, quam aratores vendere accepto ex senatus consulto pretio cogebantur. quod frumentum Romam ad alendum populum à magistratu Romano mittebatur. Æstimatum summa alia, quam æstimabat magistratus in cellam suam in vsu familiæ suæ, cum interdum pro frumento pecuniam acciperet. Quin etiam emptum duplex fuit, vnum decumanum, quod ex alteris item decumis pretio persoluto aliquando accipiebatur; alterum imperatum, quod præter duas decumas æqualiter omnibus ciuitatibus pretio item soluto imperabatur. quemadmodū perspicue ex frumētaria cognoscitur. nam fuisse etiam quoddam, quod honorarium diceretur, Cicero in Pisonem ostendit, cum dixit: *Qui modus tibi fuit frumenti æstimati, qui honorarij? siquidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari.* Seruitus autem, quam dixi ciuitatum, tota in eo posita fuit, vt legibus, & magistratibus Romanis obtemperarent. Qua de causa in singulis prouinciis diuersæ diœceses, siue diuersi conuentus, ac diuersa fora constituebantur, eisq; suæ cuique ciuitates attribuebantur, quæ eò iuris à magistratu Romano poscendi causa conuenirent.

Vt autem earum ciuitatum, quæ seruitute oppressæ sunt, stipendiariæ proprie dictæ, quæ aliquid populo Romano pependerit; immunes, quæ nihil: sic earum, quæ libertate donatæ sunt, fœderatæ præcipue appellatæ, quæ aliquid ex fœdere debuerunt; liberæ, quæ omnino nihil. Quorum nominum, quarumq; conditionum omnium quæ ratio, quæq; formula fuerit, post singulis afferendis, quæ cuique ciuitati datæ sunt, legibus, apparebit.

Huius autem totius beneficij, atque honoris arbitrium ab initio penes senatum fuit vniuersum. Is enim acceptis ab imperatore de superatis hostibus, & regione in potestatem adducta litteris, secum de mulcta, ac præmiis eorum, qui victi essent, consulta, ac quid sibi fieri placeret, imperatorem admonuit, decem, aut quinque legatis senatoribus ad eum missis, vt ex eorum sententia de hostibus, & eorum regione statueret. Quibus mandatis acceptis imperator aut ex certa senatus, si ita præscriptum fuerat, voluntate, aut de communi decem legatorum sententia victis gentibus aut ignouit, aut in prouinciæ formam redegit. Ignouisse dictus est, cum liberas reliquit, ac suis vt legibus, suosq; creare more patrio magistratus permisit; in prouinciæ formam redigere, cum ademptis, aut immutatis legibus eos omnino magistratui Romano quotannis ab vrbe mittendo subiecit, ac vectigalia, conuentusq; constituit. Quo in genere illud humanitatis adhibuit, vt non omnes eiusdem prouinciæ ciuitates eodem modo tractaret, verum pro cuiusque meritis, aut maioribus aut minoribus, vt dixi, commodis ac detrimentis afficeret. Quæ vero cum de vniuersa regione, tum de singulis ciuitatibus, populisq; constituta erant, ea in concione silentio ante per præconem facta imperator ferè præconi pronuntianda mandabat, ac postremo Romam, relicto aliquo præfecto prouinciæ, decedebat. Atque hæc quidē omnia ita esse, ex iis, quæ proxime de sin-

gulis prouinciis dicentur, intelligetur.

Ex his autem perspicuum illud est, prouinciam, ut proposui, regionem fuisse, quæ tum vectigalia populo Romano pependit, tum magistratui populi Romani ex fœderis lege obtemperauit, exceptis ciuitatibus iis, quæ propter merita sua aut immunitate, aut libertate donatæ, atque in amicorum formulas relatæ essent: ac propterea ius prouinciale, quo magistratui Romano parere coacti sunt, multo, quàm aut Italicum, aut Latinum, incommodius, ac deterius fuisse. ciuitates autem, populos, homines, familiasq; eas excipio, quæ propter merita sua aut libertate, aut immunitate donatæ sunt, aut in amicorum, & lociorum formulam, numerumq; relatæ. Fuisse vero talem libertatis, immunitatis, atque amicitia formulam, licet ex vetere senatusconsulto anno DCLXV factò, eiusdemq; memoria plebiscito perspicere. senatusconsultum, prout è Græco conuersum, atque suppletum est, huiusmodi est:

COS. Q. LVTATIO. Q. F. CATVLO. M. ÆMILIO. Q. F. M. N. LEPIDO  
PR. VERO. VRBANO. ET. PEREGRINO. L. CORNELIO... F. SISENNA. MENSE. MAIO  
Q. LVTATIVS. Q. F. CATVLVS. COS. AD. SENATVM. RET TVLIT  
XI. KAL. IUNIAS. IN. COMITIO. SCRIBENDO. AFFVERVNT. L. FABERIVS. L. F. SERGIA  
C. .... L. F. POPLILIA. Q. PE TILLIVS. T. F. SERGIA  
QVOD. Q. LVTATIVS. Q. F. CATVLVS. COS. VERBA. FECIT  
ASCLEPIADEM. PHILINI. F. CLAZOMENIVM. POLYSTRATVM. POLYARCI. F. CARYSTIVM  
MENISCVM. IRENAEL. F. MENISCVM. THARGELII. F. MILESIVM  
IN. CLASSE. AFFVISSE. BELLO. ITALICO. INEVNTE. EOS. OPERAM. FORTEM. AC. FIDELIEM  
REIP. NOSTRAE. NAVASSE. EOS. EX. S. C. SE. SE. IN. PATRIAS. RECEPISSE  
VELLE. SEI. ELVIDEATVR. VTEI. PRO. REBVS. BENE. GESTEIS. AB. EIS  
ERGA. REMP. NOSTRAM. EORVM. COMMEMORATIO. FIAT. D. E. R. I. C  
ASCLEPIADEM. PHILINI. F. CLAZOMENIVM. POLYSTRATVM. POLYARCI. F. CARYSTIVM  
MENISCVM. IRENAEL. F. MILESIVM. MENISCVM. INDIDEM. TARGELII  
VIROS. BONOS. PROBOSQVE. ET. AMEICOS. DECLARARE. SENATVM  
POPVLVMQVE. ROMANVM. EXISTIMARE. EORVM. OPERAM. BONAM. ET. FORTEM  
ET. FIDELIEM. REIP. NOSTRAE. FVISSE. QVAM. OB. CAVSSAM. SENATVM. IVDICARE  
VTEI. EI. LEIBEREI. POSTEREIQVE. EORVM. IN. SVEIS. PATRIEIS. IMMVNES  
RERVVM. OMNIVM. ET. TRIBVTORVM. EXPERTES. SINT. SIQVAE. TRIBVTA  
EX. BONEIS. EORVM. EXACTA. SVNT. POSTEAQVAM. E. PATRIA. REIP. NOSTRAE  
CAVSSA. DISCESSERINT. VTEI. EA. OMNIA. EIS. IN. INTEGRVM. RESTITVANTVR  
ET. SEI. QVOD. VADIMONIVM. PRAETERIT. EX. QVO. EX. PATRIA. REIP. NOSTRAE  
CAVSSA. DISCESSERINT. NEI. EA. RES. EIS. FRAVDI. SIT. NEI. VE. QVID. EIS  
OB. HANC. CAVSSAM. MINVS. DEBEATVR. NEI. VE. QVID. MINVS. EIS. EMERE  
VENDERE. LICEAT. QVAEQVE. HEREDITATES. EIS. SEI. VE. LEIBEREIS. EORVM  
OBVENERVNT. VTEI. EAS. HABEANT. POSSIDEANT. FRVANTVRQVE  
QVAEQVE. IPSEI. LEIBEREI. POSTEREI. VXORESQVE. EORVM. AB. ALIO. EMERINT  
SEI. VE. QVID. AB. EIS. LEIBEREIS. POSTEREIS. VXORIBVSQVE. EORVM. ALII. EMERINT  
VTEI. EORVM. LIBERORVM. VXORVMQVE. EORVM. POTESTAS. ET. OPTIO. SIT  
SEI. VE. IN. PATRIEIS. LEGIBVS. SVEIS. VELINT. CERTARE. SEI. VE. APVD. MAGISTRATVS  
NOSTROS. APVD. IVDICES. ITALICOS. SEI. VE. IN. CIVITATE. LEIBERA. EARVM  
QVAE. VSQVE. AD. FINEM. IN. AMICITIA. POPVLEI. ROMANEI. MANSERVNT  
VBEI. VELINT. VTEI. IBEL. IVDICIVM. DE. EIS. REBVS. FIAT. SEIQVA. IVDICIA  
DE. EIS. ABSENTIBVS. POSTEAQVAM. E. PATRIA. DISCESSERINT. FACTA. SVNT  
EA. VTEI. IN. INTEGRVM. RESTITVANTVR. ET. DE. INTEGRO. IVDICIVM  
EX. S. C. FIAT. SEIQVAS. PECVNIAS. CIVITATES. EORVM. PVBLICE. DEBEANT  
NEIQVID. IN. HAS. PECVNIAS. DARE. DEBEANT. MAGISTRATVS. NOSTRI. QUIQVOMQVE  
ASIAM. EVBOEAM. LOCABVNT. VECTIGALVE. ASIAE. EVBOEAE. IMPONENT

CAVERENT

CAVERENT. NEI. DARE. DEBERENT. ET. VTEI. Q. LVTATIVS. M. ÆMILIVS. COS.  
A. A. S. E. V. EQS. IN. AMEICORVM. FORMVLAM. REFERVNDOS. CVRARENT  
EISQVE. AENEAS. TABVLAS. AMICITIAE. IN. CAPITOLIO. PONERE  
SACRIFICIVMQVE. FACERE. LICERET. MVNVSQVE. EIS. EX. FORMVLA  
LOCVM. LAVTIAQVE. Q. VRB. EIS. LOCARE. MITTEREQVE. IVBERENT  
SEIQVE. DE. REBVS. SVEIS. LEGATEI. VENIRE. VELLENT. VTEI. EIS. LEIBEREIS  
POSTEREISQVE. EORVM. LEGATOS. VENIRE. MITTEREQVE. LICERET  
VTEI. Q. LVTATIVS. M. ÆMILIVS. COS. A. A. SEI. EIS. V. E. LIT TERAS  
AD. MAGISTRATVS. NOSTROS. QVEI. ASIAM. MACEDONIAM. PROVINCIAS  
OPTINENT. ET. AD. MAGISTRATVS. EORVM. MITTERENT  
SENATVM. VELLE. ET. AEQVOM. CENSERE. EA. ITA. FIERI. I. V. E. R. P. F. S. V. E.

Plebiscitum vero post loco idoneo proferetur.

De colonijs, & municipijs, prouinciarum. CAP. II.



TAVTEM in Italia colonia deductæ, municipia constituta, sic etiam in prouinciis, verum & sero admodum, & pauca, sunt. Primum, qui in prouinciis colonias collocarit, inuenio C. Gracchum, qui Carthaginem deduxit in Africa. Vnde scribit Velleius: *In Legibus Gracchi inter perniciosissima numerauerim, quod extra Italiam colonias posuit. id maiores diligenter vitauerant, ut ciues Romanos ad censendum ex prouincijs in Italiam reuocauerint. prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est.* Appianus tamen scribit, cum Gracchi lege Carthago deduceretur, senatum infaustis omnibus commotum eam deductionem irritam reddidisse. Non multis inde post annis à Q. Marcio consule Narbonem in Gallia Velleius, in Corsica Marianam à Mario, Aleriam à Sylla dictatore deductas, Plinius prodidit. Quin etiam, cum Suetonius colonias Cæsaris alias transmarinas nominet, in quas ille dictator octoginta millia ciuium distribuerit, alias Gallicas, in quas veteranos deduxerit, sanè in prouinciis militares quoque colonias constitutas, intelligere possumus. Primus autem de ciuitate & Latinitate prouinciis danda Cn. Pompeius Strabo Magni pater tulit, qui consul, ut ante scripsi, cispadanis Gallis ciuitatem, transpadanis Latinitatem concessit. at qui primus exteris prouinciis hoc detulerit muneris, C. Cæsar dictator, ut opinor, fuit. quod Cicero innuit, cum ita queritur cum Attico: *Multa Siculis Cæsar. neque me inuito. etsi Latinitas erat non ferenda. Verumtamen. ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem à dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani. cuius rei viuo illo mentio nulla.* Itaque municipia in prouinciis florente populo aut nulla, aut certe perpauca fuerunt, exceptis iis, quæ in citeriore Gallia, id est Italia, facta sunt. In prouinciis tamen multos ciues Romanos versatos esse, partim aratores, & pecuarios, partim publicanos, & negociatores, testatur Cicero, scribens ad fratrem. *Constat Asia, inquit, primum ex eo genere sociorum, quod est ex omni genere hominum humanissimum, deinde ex eo genere ciuium, qui aut publicani sunt, aut ita negotiantur, ut locupletes sint.* Et pro Fonteio: *Referta est Gallia negotiatorum, plena ciuium Romanorum. vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.* Quin etiam Cæsar libro tertio, Lissum in Illyrico à se oppugnatum scribit, defendentibus ciuibus Romanis, qui eius conuentus erant. & Hirrius P. Sittium equitem Romanum de conuentu Vticensi in Africa prodiit, & alio loco, Salonam in Illyrico incoluisse fortissimos, fidelissimosq; ciues Romanos. At ab Augusto, & successoribus eius, ut multa alia, sic hoc, innouatum; ut prouinciæ coloniis frequentarentur, ut aliis oppidis ciuitas, alijs Latinitas, alijs ius Italicum tribueretur. cuius rei fidem facit Suetonius, cum de prouinciis

prouinciis eius scribit: *Vrbium quasdam foederatas, sed ad exitium licentia præcipites libertate priuauit. alias merita erga populū Romanum allegantes Latinitate, vel ciuitate donauit.* Quam ob rem, quæ à Plinio de tam multis coloniis, municipiis, Latini, & Italici iuris oppidis Hispaniæ, Galliæ, Illyrici, Africæq; traduntur, ea ad Augusti, & successorum eius tempora vsque ad D. Titum, cuius ipse æqualis fuit, referuntur. quorum instituta alio volumine sunt nobis enucleanda. nunc antiquam prouinciarum populi consuetudinem persequamur. ac primum quæ, & quando, & quibus finibus, & quibus ducibus confectæ, & quo iure relictae, deinde per quos, & quomodo administratae sint, demonstramus. ad hæc autem indaganda iisdem vestigiis contendamus, quibus ad ius Latij, Italicumq; accessimus. nempe vetere cuiusque regionis statu exposito, à bellis cum populo Rom. gestis ad foedera ieta, à foederibus ad iura ab eo accepta pergamus, ac de singulis quàm breuissime, & quàm planissime possumus, differamus.

## De Sicilia. CAP. III.



**C**ETERVM prouinciarum conficiendarum consuetudo populo Romano recens admodum fuit. neque enim, nisi post deuictam Italiam, atque adeo post Carthaginienfes bello primo Punico superatos, id est post annum ab vrbe condita quingentesimum, prouincia vlla est instituta. quo tempore Sicilia ipsa confecta est. Hæc insulam varie quondam possessam, postremo partim Syracusanum reges vetusto imperij iure iam inde à Gelone rege, qui post annum vrbe ducentiesimum sexagesimum regnavit, deducto, partim Carthaginienfes multis bellis in Sicilia iam inde à Gelonis temporibus gestis occupatam, præter Mamertinorum ciuitatem, tenebant. Itaque Romani insignia duo asciscendæ Siciliae causa gessere bella; vnum, quo Pœnorum; alterum, quo Syracusanorum regionem redegerunt in potestatem. Cum Pœnis autem hæc gerendæ rei est oblata occasio. Flagrabant iam pridem odio inter se Romanus, & Pœnus. Romanū maxime perpulerat, quod Pœnus Tarentinos aduersus se contra vetusti foederis leges auxilio adiuuisset, Pœnum, quod Romanus cum Hierone Syracusanum rege societatem inisset. Itaque merito alter alterum suspectum habebat, salutemq; suam in eo, si alterum sustulisset, reponeret. Quo vero tempore legio Campana D. Iubellio duce Rhegium oppidum in finibus Italiæ situm, cuius præsidio aduersus Pyrrhum regem in Italiam aduenientem præposita fuerat, occupauit, eodē etiam Campani, qui in Sicilia sub Agathocle Syracusanum rege meruerant, Messanam intra mœnia accepti, violata fide, in potestatem adduxerant. Post autem supplicio de legione Romana per Genucium consulem, anno vrbe quadringentesimo octagesimo secundo, sumpro, qui Messanam tenebant, metu perculsi, ac prælio aduersus Hieronem, qui post Agathoclem Syracusanum regnum obtinuit, fracti partim Pœnorum, partim Romanorum implorant auxilium. Ita Romani veriti, ne Carthaginienfes hac occasione tota insula potirentur, à Mamertinis acciti bellum cum Pœnis in annos tres, ac viginti susceperunt. quod bellum iniit Ap. Claudius Caudex consul anno quadringentesimo octogesimo nono, confecit Q. Lutatius Catulus anno DCLII, Amilcare Pœnorum duce Annibalis patre, deuicto. Romani decem legatis, vt scribit Polybius, missis, his legibus pacem cum Pœnis composuerunt: *Vt Pœni Sicilia, & omnibus insulis, quæ intra Italiam, & Africam sunt, excederent, duo milia, ac ducenta talenta Euboica in annos xx penderent, in præsens mille; captiuos Romanos sine precio redderent. Vtriusque populi socij apud vtrunque populū tui essent, alterius socios neuter in amicitiam acciperet, neuter in alieno imperio imperaret, ne de milites conduceret.* Tum vero Siciliae partem, quam Carthaginienfes possederant, in prouinciæ formam esse redactam, testatur Zonaras, cum scribit, Q.

Lutatium

*Lutatium Cerconem consulem in Siciliam profectum omnia cum Catulo composuisse, ac Sicilia arma ademisse; atque ita Siciliam à Romanis, excepto Hieronis regno, seruitute multatam.* Primam autem omnium prouinciam hanc à populo Romano esse factam, profitetur Cicero in oratione de iurisdictione: *Sicilia omnium nationum exterarum princeps se ad amicitiam, fidemq; populi Romani applicuit. prima omnium, id quod ornamentum imperij est, prouincia est appellata. prima docuit maiores nostros, quàm præclarum esset exteris gentibus imperare.* Itaque huius administrandæ causa ab hoc tempore prætor quotannis in Siciliam cum quæstore missus est. primus C. Flaminius prætor eam, Solino teste, sortitus est. Atque hæc quidē de primo bello.

Anno inde ab v. c. DXXXVIIII, ardente Punico bello secundo Italia, Hierone rege Syracusanum socio populi Romani constantissimo vita functo, Hieronymus nepos eius, re Syracusana ad Pœnos traducta non ita multo post à coniuratis est interfectus. Quare sequenti anno M. Marcellus consul in Siciliam Hieronymi morte tumultuantem, & ad Pœnos inclinantem profectus Syracusas à Romana amicitia alienatas, diu à se oppugnatas, tandem cepit. Quo tempore, vt verbis utar Liuij, *cum cetera tanta fide, atque integritate composuisset, vt non modo suam gloriam, sed etiam maiestatem populi Romani augetet, ornamenta, signa vrbe, tabulasq; quibus abundabant Syracusæ, Romam deuexit. Legationes omnium ferme Siciliae ciuitatum ad eum conuenerunt. dispar vt causa earum, ita conditio fuit. qui aut captas Syracusas aut non desciuerant, aut redierant in amicitiam, vt socij fideles accepti, cultiq; quos metus post captas Syracusas desiderat, vt victi à victore leges acceperunt.* Ceterum non à Marcello regnum Syracusanum in prouinciæ formam est redactum, verum à M. Valerio Læuino consule, qui, vt idem tradit, *reliquias belli sustulit, Agrigento de hostibus capto; & alijs quibusdam oppidis receptis, Pœnisq; prorsus ex insula eiectis, debellauit.* vnde in Senatu Romæ dixit; *cum annos propè sexaginta terra, mariq; magnis sæpe cladibus bellatum esset, se eam prouinciam confecisse, neminem Carthaginiensem in Sicilia esse, neminem Siculum; qui metu inde fugati abfuerint, esse omnes in vrbes, in agros suos redactos, arare, serere; desertam recoli terram tandem, frugiferam ipsis cultoribus, populoq; Romano paci, ac bello fidißimum annonæ subsidium.*

Ab hoc igitur tempore prætori vni ambæ prouinciæ sunt commissæ, vetus nimirum prouincia, & qua regnum Hieronis fuerat, Syracusæ. De prætore sic legatus Macedonum in senatu loquitur apud Liuium: *Romani, Messanæ vt auxilio essent, primo in Siciliam conscenderunt, iterum, vt Syracusas oppressas ab Carthaginienfibus in libertatem eximerent, & Messanam, & Syracusas, & totam Siciliam ipsi habent, vectigalemq; prouinciam securibus, & fascibus subiecerunt.* & alius alibi ita: *Cur Syracusas, atque in alia Siciliae Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio, & virgis, & securibus mittitis? nihil aliud profecto dicatis, quim armis superatis vos ipsas has leges imposuisse.* De duobus vero quæstoribus Lilybetano, & Syracusano testis optimus est in Diuinationem Asconius.

Inde seruitibus bellis duobus conflictata prouincia est, quorū alterum ab Euno quodam Syro, & Cleone seruis conflatū P. Rupilius consul anno DCCXXI confecit, prouinciaq; constituta leges Siculis dedit. vnde illa sunt apud Valerium: *A P. Rupilio consule leges vniuersi Siculi acceperunt, acerbissimæq; prædonum, ac fugitiuorum bello liberati sunt.* & apud Ciceronem in Verrem: *P. Rupilius ex decem legatorum sententia leges Siculis conscripsit.* Alterum ab Athenione seruo commotum à M. Aquillio consule anno DCLII est absolutum, & prouincia ordinata. Arque hunc quidem significauit idē, cum dixit in Verrem. *Post bellum, quod M. Aquillius confecit, nullum fugitiuorū in Sicilia bellum fuit: item: Post M. Aquillium omnium prætorum instituta, atque edicta fuerunt; ne quis cum telo seruus esset.* Ergo cum bellatū quater in Sicilia sit, bis cum Pœnis, bis item cum seruis, hinc quattuor etiā bellorum, ac prouinciæ confectores celebrati sunt, Q. Catulus, M. Læuinus, P. Rupilius,



Rupilius, & M. Aquilius. de quibus ferè eodem in libro Cicero: *Cum bellis Carthaginiensibus Sicilia vexata est, post nostram, patrumq; memoriam cum bis in ea prouincia magna fugitiuorum copia versata sint, tamen aratorum internecio facta nulla est, tum qui M. Læuino, aut P. Rupilio, aut M. Aquillio prætoribus in eam prouinciam successerant, aratores reliquos non colligebant.*

Quin etiam quater est constituta prouincia, legibus de vectigalibus exigendis, & iure dicendo datis, nisi si quæ ciuitates fœderatæ, aut immunes, aut liberè obseruatæ fidei præmiū fuerint relictæ. Ac de vectigalium quidē ratione hæc sunt apud eundem: *Inter Siciliam, ceterasq; prouincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmiū, ac pœna belli; aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiam fidemq; recepimus, ut eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerēt, qua suis antea paruissent. per pauca Siciliæ ciuitates sunt bello à maioribus nostris subactæ, quarum ager cum esset publicus populi Romani factus, tamen illis est redditus. fœderatæ ciuitates, ac liberæ Halesina, Segestana, Alyciensis, Panormitana. præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est: itemq; ante imperium populi Romani ipsorū Siculorum voluntate, ac institutis fuit. & alio loco: Maiores nostri cum Siciliam tam opportunum subsidium belli, & pacis ad remp. adiunxissent, tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt, ut non modo eorum agris vectigal nouum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumarum, ne de vendundis aut tempus, aut locum commutarent, ut certo tempore anni, ut ibidem, denique ut lege Hieronica venderent.* Quin etiam alio loco septemdecim fuisse populos ut aciores populi Romani hostes, sic deterius ab eo tractatos, ostendit, cum inquit: *An quod Tyndaritari libenter prædicent, nos in septemdecim Siciliæ populis non eramus, nos semper in omnibus Punicis, Siciliensibusq; bellis amicitiam, fidemq; populi Romani sequuti sumus. à nobis omnia populo Romano semper & belli adiumenta, & pacis ornamenta subministrata sunt.* Iam vero, ut Siculi sæpe naues, nautas, sumptusq; in nauarchos præbuerint, ostendit idem, cum prætori Siciliæ Verri obiicit, quod cum superiores prætores naues ciuitatibus, certumq; numerum nautarum, militumq; imperassent, Verres Mamertinæ ciuitati nihil horum imperasset, Taurominitanæ vero æque, atque illa, fœderatæ, imperasset, & addit: *Quid si eiusmodi esse hæc duo fœdera duorum populorum doceo; ut Taurominitanis nominatim cautum, & exceptum sit fœdere, ne nauem dare debeant, Mamertinis in ipso fœdere sanctum, ac scriptum sit, ut nauem dare necesse sit. istum autem contra fœdus & Taurominitanis imperasse, & Mamertinis remisisse? recitentur fœdera.* & paullo post: *At non hoc solum assecuti Mamertini, ne nauem darent; ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te prætor per triennium Mamertini dederunt? & post: Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisq; rebus nauarcho suo quæq; ciuitas semper dare solebat. is neque ut accusaretur à nautis committere audebat, & ciuibus sui rationem referre debebat. in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs, etiam in sociorum, ac Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperauit, ut ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur. ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfessisset.* Ac de vectigalibus quidem Siculorum hæc accepimus.

De iurisdictionibus autem satis constat, multos conuentus fuisse in prouincia constitutos, in iisq; prætores iuris dicendi causa versatos, ut Syracusanum, Lilybetanum, Panormitanum, & Mamertinum, quorum sæpe meminit idem in defensione Siciliæ. Quo eodem illa Liuij pertinent: *Siculorum ciuitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybæum indicitur concilium à prætore Romano. conuentus agitur. eo imperio euocati conueniunt. excelsa in suggestu superba iura reddentem, stipatum li-*

etoribus

*etoribus vident, virgæ tergo, secures cervicibus imminent, & quotannis alium, atque alium dominum sortiuntur.* Quin etiam Siculos in priuatis controuersijs præcipuo quodam iure fuisse, aperte ostendit Cicero, cum inquit: *Siculi hoc iure sunt, ut quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus, quod Siculus cum Siculo non eiusdem ciuitatis, ut de eo prætor iudices ex P. Rupilij decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem Siculi Rupiliam vocant, sortiatur. quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur, cum alterna ciuitates reiectæ sunt. quod ciuis Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur, quod Siculus à ciue Romano, ciuis Romanus datur. ceterarum rerum selecti iudices ex ciuium Romanorum conuentu proponi solent. inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt.* Atque hic quidem usq; ad Cæsarem dictatorem Siciliæ status fuit. Siculos inde à Cæsare Latinitate, & post mortem Cæsaris ab Antonio consule ciuitate donatos, queritur, ut dixi, cum Attico Cicero: *Multa Siculis Cæsar neque me inuito. etsi Latinitas erat non ferenda. veruntamen. ecce autem Antonius accepta grandi pecunia fixit legem, à dictatore comitijs latam, qua Siculi ciues Romani. cuius rei viuo illo mentio nulla.* Quarum tamen legum neutram post obseruatam esse, cum multa alia documento sunt, tum quod Plinius, qui Vespasianorum fuit æqualis, Mamertinos solos ciues Romanos appellat, Centuripinos autem, Nepinos, & Segestanos Latinæ conditionis.

De Sardinia, & Corsica.

CAP. IIII.



**D**OST Siciliam Sardinia, & Corsica, insulæ inter Italiam pariter, atq; Africam interiectæ, subactæ sunt. Anno enim D X V, Carthaginienses à Romanis incusati, quod naues mercatorum suorum dispoliaissent, Sardiniam iam pridem bello à se partam, impetrandæ pacis causa, (nam bello Africæ domestico vexabantur) Romanis tradiderant, quadriennio vero post cum Sardi instigantibus Pœnis arma cepissent, T. Manlio Torquato consule duce in potestatem redacti sunt.

Corsis arma inferendi quæ causa fuerit, nemo tradit. illud tantum est apud Zonaram, anno D X V I I, C. Licinium Varum consulem Corsicam petiturum Claudium Cliniam cum copiis præmisisse. Claudium terrore Corsis iniecto, quasi imperator esset, cum iis fœdus fecisse; Varum autem neglecto fœdere Claudiano Corsos adortum subegisse. Quin etiam biennio post à Sp. Caruilio cos. rem bene cum Corsis gestam, & post triennium eisdem à C. Papirio Mafone cos. in ditionem populi Romani adductos inuenio. Hic est autem Papirius ille, qui primus in monte Albano, & quidem de Corsis, triumphauit, ut Valerius, ac Plinius prodidere.

Vtramque autem insulam his victorijs in prouinciæ formam esse redactam, multi significant, Solinus, cum Siciliam, & Sardiniam *ijsdem temporibus prouinciam factam*; Velleius, cum Sardiniam *T. Manlij ductu certū accepisse imperium*, scribit: *Liuius, cum per hæc tempora duos additos prætores prodit; Pomponius cum eosdem adiectos, ut in nouas prouincias Sicilia, & Sardiniam mitterentur*, titulo de origine iuris interpretatur. Corsica vero iam tum, ut inquit Rufus, Sardinia attributa est, atq; ex duabus vna prouincia facta, atq; vno Sardinia nomine insignita. Itaq; ut C. Flaminius prætor Siciliam, sic M. Valerius Sardiniam, Solino teste, primus obtinuit. Rebellasse autem postea Corsos, ac multo etiam sæpius Sardos, eisdemq; armis ad imperium populi Romani redactos, reperio. verum quibus fœderibus, quibus ve legibus in fidem accepti sint, non inuenio. Suspiciari autem aliquid de C. Cicereij prætoris victoria libet: qui anno DLXXXI victis Corsis pacem dedit; & de Ti. Gracchi consulis, qui anno DLXXVII, Sardos rebellantes perdomuit, atque ut est scriptum in libro de viris illustribus, *inde tantum captiuorum abduxit; ut longa venditione in prouerbium venerint, Sardi venales*; postremo vero etiam

z

de M.

de M. Metello cos. à quo Sardos, Corfosq; subactos esse Rufus prodit. id quod anno DCXL factum opinor.

Notat præterea Strabo, Sardos in colendis agris suis negligentes, alienis diripiendis, & maxime Pisanis studuisse. idq; factum prætores Romanos neque omnino concessisse, neq; prorsus prohibuisse, quòd exercitum in pestilentibus locis alere, inutile videretur.

Corfica, vt refert Plinius, duas colonias habuit Marianam à C. Mario deductam, & Aleriam à L. Sylla dictatore; Sardinia vnâ, quæ vocata est ad turrim Libisonis. Cæsar demum ex Africano bello reuertens Sulcitanos, quòd Pompeianis præsto fuissent, hæc centum millibus multauit, & pro decumis octauas pendere iussit. vt Hirtius in libro de bello Africo memoriæ prodidit. Ceterum Sardinia Corficæq; stipendium frumentumque impositum elicitur ex verbis Liuij cum bello Actolico scribit, *L. Oppio prætori Sardinia à senatu imperatum, vt duas decumas frumenti exigeret. atque id frumentum Romam portandum curaret.* & bello Sardico Gracchi: *Ti. Gracchus in Sardinia multis prælijs Sardos perdomuit. xv millia hostium cæsa sunt. omnes Sadorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. stipendiarijs veteribus duplex vectigal imperatum exactumq; ceteri frumentum contulerunt.* denique Perficco: *Prætoribus Siciliæ, Sardiniaq; mandari placuit, vt alteras decumas Siculis, Sardiniaque imperarent.*

*De citeriore, atque vltiore Hispania.*

C. A. P. V.



ARDINIAM Hispania est sequuta. Hispaniam Romani vocant quidquid terrarum Pirenæis montibus, mari mediterraneo, atque oceano ipso est conclusum, Pirænæis quidem ab oriente, mediterraneo vero à meridie, à reliquis partibus oceano. Quantum autem ex Strabone, Plinio, & Ptolemæo cognosci potest, quorum alius hæc alio tractat vberius, meridionale littus à Pirenæo ad Iberum amnem coluerunt Indigetes, Lalætani, Ilergetes, Cossétani, & trans Iberum Ilercaones, trans Turiam Edetani, trans Sucronem Cõtestani, cis Bætium vsque ad fretum Herculeum, & vls Bætium vsque ad Anam flumen Bastetani, siue Bastuli. Iberus, Turia, & Sucro cis fretum in mediterraneum influunt; Bætis, & Anas vltra fretum, sed circa Sacrum promontorium in meridionalem oceanum. Littus autem huic oppositum, quod ad septentrionem vergit, tenuere Vascones, Barduli, Autrigones, Cantabri, & Astures. ad orientem Pirenæum inhabitant Cerretani, ad occidentem ab Ana flumine ad Durium Lusitani, à Durio vsque ad Astures Gallæci, interiora cis Iberum Iacetani, Suessetani, Aufetani, Bargusij, vltra Iberum cis Bætium Oretani, vltra Bætium Turduli, siue Turditani, supra Turditanos Carpetani, supra omnes Celtiberi, & Vectones Lusitanis finitimi. Celtiberorum autem gentes quattuor, teste Appiano, fuerunt, Titthi, Belli, Vaccæi, & Areuacci.

Inuadendæ porrò Hispaniæ Romanis eadem causa, quæ Siciliæ, fuit, nempe vt Pœnis occurrerent, qui maiorem ferè partem eius Amilcare primum, deinde Afrudrabale Amilcaris genero ducibus occuparant. Itaque cum multa alia amicitia fecerant cum Pœnis, testibus Polybio, & Liuius, tum hoc postremum cum Afrudrabale imperatore ierant, vt finis Punici imperij amnis Iberus esset, & Saguntinis trans Iberum populi Romani sociis libertas seruetur. Mortuo vero Afrudrabale cum Annibal Amilcaris filius imperium accepisset, tota ferme trans Iberum sub imperium adiuncta Hispania, cum Saguntum contra fœdus oppressit, tum exercitu Iberum traducto Ilergetes, Bargusios, Aufetanos, & Iacetaniam, quæ subiecta Pirenæis montibus est, subegit. Hac de causa Cn. Scipio procos. in Hispaniam missus, vt socios tueretur, aut vlcisceretur, orsus à Iacetanis vsque ad Iberum flumen partim renouandis societatibus, partim nouis instituendis, Romanæ ditionis omnia fecit, & post, cum ad Pœnos iterum defecissent, recepit. victo autem classe ad Iberum Afrudrabale, Annibalis fratre, populos amplius centum viginti ex vlti

ex vltima Hispania ad imperium Romanum adiunxit. atque vsque ad saltum Castulonensem peruenit. Inde Publio fratre adiuncto Carpetanos subegit, & Sagunto recepta, Turditanos, qui contraxerant eis cum Carthaginiensibus bellum, in potestatem redactos vendidit. Horum inde gloriam P. Scipio P. F. qui postea Africanus appellatus est, cumulauit. Hic enim Hispaniam, quæ patris, patruiq; continuatis cladibus tota ferme defecerat, recepit, Carthagine noua trans Sucronem, & Astapa trans Bætium expugnatis, atque Afrudrabale, & Magone ducibus hostium tota Hispania pulsus. Quo factum est vt Scipionis virtute imperium populi Rom. vsque ad Anam flumen propagatum sit, atque Hispania omnis præter Lusitaniam, & Callæciam ab occidente, & Cantabriam, Asturiamq; à septentrione, sub ditionem populi Romani concesserit. Hic autem annus fuit ab v. c. DXLII, quo anno Liuius *Hispaniam primam continentis prouinciam factam esse prodidit*, Appianus autem *annuos magistratus, qui pacis præsides essent, in Hispaniam mitti cœptos* notauit. Victoriæ priorum Scipionum monumentum cis Iberum fuit oppidum ad mare Tarraco, posterioris cis Bætium Italica, vt Plinius, & Appianus memoriæ prodiderunt. Decedenti vero Romam Scipioni L. Lentulus, & L. Acidinus procos. successerunt, Lentulus in citeriorem, Acidinus in vltiorem prouinciam. Citeriorem autem tum vocabant, quæ citra Iberum esset, vltiorem, quæ vltra. Lentulo inde post quinquennium C. Cethegus, Cethego C. Lentulus, eodemque anno Acidino L. Stertinius successere. Inde post biennium, nempe anno quingentesimo quinquagesimo sexto, sex prætores, vt inquit Liuius, *primum creati, crescentibus iam prouincijs, & latius patefcente imperio.* C. Sempronius Tuditanus citeriorem, M. Heluius Blasio vltiorem sortitus est. iidem terminare iussi, qua vltior, citeriorve prouincia esset. Ex quibus intelligitur, veterum prouinciarum terminos esse mutatos. cuius rei illud quoque esse documento potest, quòd Celtiberi posthac, cum trans Iberum essent, tamen inter citerioris Hispaniæ populos numerati sunt. Bienio post Hispani cis Iberum defecerunt, ac bellum suo nomine comouerunt, Sedetani, Aufetani, Suessetani, & Iacetani. quos M. Cato consul citeriorem prouinciam sortitus, muris omnium oppidorum dirutis, in potestatem redegit, & vt inquit Liuius, *pacata prouincia vectigalia magna instituit ex ferrarijs, argentarijsq; qui bus tum institutis locupletior in dies prouincia fuit.* Trans Iberum autem Turditani mouentes per Manlium proconsulem pacati sunt. Leuia inde bella fuerunt partim cum Celtiberis citeriorem prouinciam vastantibus, partim cum Lusitanis in vltiorem irrumpentibus, à variis ducibus gesta. ex quibus P. Scipio Nasica prætor vltioris Lusitanos peruastata vltiore prouincia cum ingenti præda domum redeuntes oppressit, C. Flaminius in citeriori oppidum Iluciam in Oretanis cepit, M. Fuluius apud Toletum oppidum cum Vaccæis, Vectonibusque, & Celtiberis signis collatis dimicauit. Flaminius fuis Vectonibus, qui subsidio venerant, Toletum in potestatem adduxit. C. Piso, & L. Quintus, cum copias in Bæturia (Turditanæ pars est vltra Bætium) iunxissent, in Carpetaniam, vbi hostium castra erant, progressi procul Hippone, & Toletum pugnarunt. vterque ex Lusitanis, & Celtiberis triumphauit. Anno vero DLXXIII magnum bellum coortum in citeriore prouincia. ad quinque & triginta millia hominum, quantum nunquam ferme ante, Celtiberi comparauerant. à Lusonibus initium motus ortum, qui circa Iberum sunt, narrat Appianus. Q. Fuluius Flaccus, qui citeriorem prouinciam obtinebat, exercitu in Carpetaniam ducto, & apud Eburiam castris locatis, cum Celtiberis prospere dimicauit. Inde Contrebiam profectus, cum tante hostium auxilio, cepit, atque inde Celtiberiam populatus maximam partem in ditionem accepit. agrum vltioris Celtiberiæ, vnde ad ditionem non venerant, vastauit. Flaccum autem Ti. Gracchus consequutus Celtiberos prælio victos, ad ditionem compulit, monumentumque operum suorum, Gracchurim oppidum ibi constituit. Polybius, teste Strabone, Gracchum centum Celtiberorum oppida subiit.

uertisse, Appianus, leges pacis, ac societatis Celtiberis dedisse scribit. Quietæ inde res in Celtiberia per annos xxv fuerunt. Anno vero ab v. c. sexcentesimo bellum renouatum, cum Segeda Areuaccum, vt inquit Strabo, Bellorum, vt Appianus, oppidum muros vrbis instaurasset, ac tributa Romanis denegasset. Neque vero à Lusitanis liberis eo tempore populis ocium, verum perpetua cum iis, qui vltiorem obtinebant Hispaniam, bella fuerunt. Hæc autem bella Celtibericum, & Lusitanicum per multos annos, multosque duces, sed maxime per M. Marcellum qui rerum à se gestarum monumentum Cordubam, teste Strabone, reliquit, L. Lucillum, & Ser. Galbam, qui Lusitanos contra fidem datam oppressit, administrata, ac profligata à Numantino, & Viriathino excepta sunt. Numantinum bellum Numantia Areuaccum ciuitas mouit, cum sola ceteris Celtiberis subactis arma teneret; Viriathinum Viriathus Pastor, & latro in Lusitania, qui vnus fuerat ex iis, qui ex Ser. Galbæ prætoris manibus euaserant, cum Lusitanos contra fidem publicam trucidauit. Numantinum diu parum prospere gestum tandem P. Scipio Aemilianus confecit. Viriathinum ipso redacto in potestatem Viriatho ad extremum absoluit Q. Cæpio. Lusitanos inde aliis atque aliis ducibus latrocinia exercentes D. Brutus latius est persecutus, qui vltra Durium amnem, vsque ad flumen Lethen, Miniumque penetrauit, & toto littore oceani peragrato Callæciam adhuc ab armis populi Romani integram, quod Lusitanos auxilio iuuerat, in potestatem adduxit, vnde ipse Callæci cognomen inuenit; Valentia oppido iis, qui sub Viriatho militauerant, vt tradit Liuius, assignato. Atque ita recepta Celtiberia, Lusitania, & Callæcia in potestatem venerunt. Vnde Rufus scripsit: *Rebellantes Lusitanos per D. Brutum obtinuimus, & vsque ad Gades ad Oceanum peruenimus.* & Strabo: *Callæci vltimi sunt montes incolentes, ac propterea qui subigantur, difficillimi; qui Bruto ei, qui Lusitanos debellauit, cognomen dederunt.* & alibi: *Minius amnis Bruti expeditionis terminus fuit.* Est autem Minius, quem Bænim vocat in Iberica Appianus, terminus Callæcorum, qui Bræcari dicti sunt. Quoniam autem scriptum est apud Appianum, Romanos de more decem ex fenatu legatos misisse, qui regiones à Scipione, & Bruto in ditionem adductas componerent, fit, vt credam, nouas leges hac victoria esse vtrique Hispaniæ datas. Neque vero aut Lusitania latrocinii, aut Celtiberia bello postea, teste Appiano, vacauit, cuius rei cum C. Marii res in Lusitania gestæ, tum T. Didij in Celtiberia testimonio sunt. Didius autem consul xx millia Areuaccum occidit, & Termestinatorum urbem captam mœnibus nudauit, & Colendam post nonum mensem obsessam cepit, aliosque populos in ditionem redactos ex decem legatorum sententia militibus necandos tradidit. Diuturnis inde bellis fessas Hispanias bellum Sertorianum excepit, cum Lusitaniam Sertorius exul Syllæ dictatoris inimicus obtinuisset, eamque contra Syllam, & eius factionem teneret. quo bello non Lusitania solum, sed etiam Celtiberia, & Vascones, & Ilargetes, & totus ille Sucronensis, ac Durienensis tractus exarsit. tandem per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompeium Magnum Sertorio occiso, & Perpenna in potestatem adducto receptæ Hispaniæ sunt. Pompeiopolis in Vasconibus, & Pompeij trophæa in Pirenæo ad mare, illustria Pompeij victoriæ monumenta relicta sunt. Plinius libro vii prodidit, *Pompeium solis occasum transgressum excitatis in Pirenæo trophæis oppida dcccclxxi ab alpiibus ad fines vltioris Hispaniæ redacta victoriæ suæ adscripsisse.* Postremo Cæsar, vt testis est Strabo, vltiore in prætura fortitus Hispaniam, non solum cum Lusitanis cis Durium latrocinia exercentibus pugnavit, sed etiam trans Durium cum Callæcis, vt Brigantium eorum etiam oppidum in potestatem redegerit. Appianus reliquum Hispaniæ ab eo domitum fuisse, scriptum reliquit. ipse etiam Cæsar apud Hirtium, se vltiore Hispaniam vectigalibus, quæ Metellus imposuisset, liberasse, cum à fenatu petisset, profiteretur. Bis deinde ab eodem in Hispania ciuilibus armis est decertatum, primum cum Afranio, Petreio, & Varrone Cn. Pompeij

peij legatis, deinde cum Cn. & Sex. Pōpeio Cn. filiis, Hispaniæque ex inimicorum potestate ereptæ.

Atque ex his quidem bellis omnibus apparet, vniuersam Hispaniam præter Cantabros, & Astures à populo Romano subactam in duas prouincias fuisse diuisam: quarum finis plerunque fuisse videtur saltus Castulonensis, vt Cæsar quoque significauit, cum scripsit, *Afranium citeriorem Hispaniam obtinuisse, Petreium à saltu Castulonensi ad Anam, Varronem Vectonum agrum, & Lusitaniam.* Strabo tamen prouinciarum harum terminos fixos negat fuisse, verum à fenatu modo productos, modo reductos in gratiam prætorum, quibus prouinciæ decernebantur. Quemadmodum autem Cantabri, & Astures post ab Augusto deleti, & in prouinciam relati sint, alibi ostendemus.

Neque vero insulæ Hispaniæ prætereundæ sunt, quarum Gades, Baliares, & Cassiterides claritate ceteris præstiterunt. Ac cum Gaditanis quidem bello Punico secundo L. Martius, qui post Scipiones interfectos rem Romanam labentem sustinuit, foedus fecit, *ea lege, vt Gaditani maiestatem populi Romani comiter conseruarent.* & ad eos præfectus est missus. Liuius bello Philippico: *Gaditanis petentibus remissum, ne præfectus Gadeis mitteretur, aduersus quod ijs in fidem populi Romani venientibus cum L. Marcio conuenisset.* foedus inde multis post annis Q. Catulo cos. à fenatu est renouatum, vt in Balbi defensione Cicero posuit. Sequuta inde sunt Cæsar in eam ciuitatem beneficia, in prætura, & dictatura. quorum illud in eadem oratione Cicero potuit his verbis. *Omitto quantis ornamentis populum Gaditanum C. Cæsar, cum esset in Hispania prætor, affecerit, controuersias sedarit, iura ipsorum permissu statuerit.* Alterum fuit eiusmodi, vt Afranio, Petreioque deletis ciuitatem Romanam eis communicarit, eamque largitionem post populus Romanus, teste Dione, ratam esse iusserit.

De Baliaribus autem scriptum est in hunc modum apud Strabonem: *Cum ex Baliaribus pauci quidam improbecum maris prædonibus conspirassent, vniuersos criminatus Metellus inuasit.* & apud Orosium: *Metellus Baliares insulas peruagatus edomuit, & piraticam infestationem, quæ ab ijs tunc exercebatur, plurima incolarum cæde compressit.*

Nam Cassiteridas insulas P. Crassus, teste Strabone, metallorū cupiditate, quæ ibi effodiebantur, adductus, ad imperium Romanum adiunxit.

Colonias autem alias à Metello in Baliaribus constitutas, testi Straboni assentior; alias in vltiore Hispania à Cæsare deductas, ex eo ducor ad opinandum, quod ille multa ibi oppida suo insignita nomine, Plinio teste, reliquit, Pacem Iuliam, Scalabim, siue præsidium Iulium, Atubi, siue Claritatem Iuliam, Ituci, siue Virtutem Iuliam, Olyssipponem, siue præsidium Iulium. Quocirca Hirtius scriptum reliquit, Cæsarem bello eo, quod vltimum in Hispania cum filiis Pompeij gessit, ad Cordubam legionem vnā ex coloniis, quæ fuerunt in iis regionibus, habuisse. confirmat Liuius, cum de M. Catonis rebus in Hispania gestis scribit: *Iam tunc Emporiæ duo oppida erant muro diuisa, vnum Greci habebant à Phocæa, alterum Hispani. tertium genus Romani coloni ab diuo Cæsare post deuictos Pompeij liberos adiecti.*

Hispaniis porro stipendiarium frumentariumque vectigal esse impositum, auctor est Cicero, primum in Verrem, cum inquit, *Hispanis certum vectigal impositum esse, quod stipendiarium dicitur;* deinde pro Balbo; *Hispanos agris, stipendiisque multatos.* Vnde vectigalium, & publicanorum Hispaniæ item in frumentaria meminit. Nā vt in Sicilia decumas, sic in Hispania vicesimas frumenti exactas, ostendit Liuius, qui scribit, P. Licinio & C. Cassio cos. anno vrbis quingentesimo octogesimo secundo, *questos de magistratuum Romanorum auaritia Hispanos imptasse, ne frumenti estimationem magistratus Romanus haberet, neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet, & ne præfecti in oppida sua ad pecunias cogendas*

*imponerentur.* Verum hoc totum Hispaniense priuilegium post breui exoleuisse, uisse, ex eo apparet, quod Cicero in frumentaria scribit, frumentariam æstimationem in cellam per prætorem esse in Hispania factitatum.

Iuridicos autem conuentus Hispaniæ multos enumerat Plinius, Cordubensem, Hispalensem, Astigitanum, Gaditanum, Tarraconensem, Saldubensem, qui etiam Cæsar Augustus, Carthaginensem, Cluniensem, & Lucensem; qui à populo ne omnes, an postea ab Augusto, qui totam perdomuit Hispaniam, instituti sint parum compertum est. Hispalensis certe ante Augustum meminit Cæsar, & Cordubensis Hirrius: cum Longinum vterioris Hispaniæ proprætorem ad ius dicendum Cordubam se recepisse, scribit; Gaditani vero Suetonius, cum Cæsarem quæstorem conuentus iussu prætoris obeuntem Gadibus ingemuisse super Alexandri conspecta imagine prodidit.

*De Narbonensi Gallia, & Comata.*

C A P. V I.



**H**ISPANIAE porrò adiuncta Gallia transalpina fuit. Hanc à Pirenaeis montibus ad Alpes, & flumen Rhenum pertinentem à septentrione oceanus, à meridie mare mediterraneum alluit. amnes in mare post Alpes præcipitarunt Rhodanus, & Atax, in oceanum post Pirenaeos Garumna, Liger, Sequana, Mosæ, & Rhenus. in Rhodanum ab oriente fluxit Druentia, & supra Druentiam Isara, à septentrione vero, ubi ipse se ab oriente in meridiem flectit, Arar, in Sequanam Martona, in Mosam Scaldes, in Rhenum Mosella. Quibus fluminibus partes ipsæ Gallie inter se antiquitus, Cæsaris auctoritate, sunt discrete, Celtica, Aquitania, & Belgica. Celtas ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Sequana disclusit. inter Celtas, & Aquitanos mons siue Cemmenus, siue Gebenna intercessit, qui Pireneo ex altera parte respondit. Atque hi singuli in multos populos distributi, alij domesticis regibus paruerunt, alij liberi remp. communibus armis, & communi consilio administrarunt.

Cum autem Celtæ, interprete Strabone, ab Alpibus ad Gebennam montem pertinerent, certe Salyes, Cauares, Vocontij, Allobroges, Volcæ, Ruteni, & Aruerni inter Celtas fuerunt. nam quin Heluetij, Sequani, Ædui; ex Celtico genere fuerint, qui his finitimi à septentrione fuerunt, nemo dubitat. Salyes autem, gæs Ligustica, à mari ad Druentiam habitauerunt; Cauares, & Vocontij à Druentia ad Isarâ; Allobroges ab Isara ad Rhodani partem eam, quæ ab ortu fertur in meridiem; trans Rhodanum autem ad occasum fuere Volcæ vsque ad montem Gebennam; quorum qui flumen accoluerunt, Aricomici, qui montem, Tectosages appellati sunt, supra Volcas vero Ruteni, & Aruerni sedes habuerunt; supra Allobroges Heluetij, Sequani, Segusiani, atque Aedui.

Primi è Gallis Romanorum socij Massilienses fuerunt, qui inter Salyas ad mare habitauerunt; secundi Ædui, qui Allobroges, ut dixi, contigerunt. quos Aeduos, teste Cæsare, senatus sæpe fratres, & consanguineos, nedum socios appellarat. Ut ergo hos socios defenderent, Massilienses quidè à Salybus, & Vocontijs, Aeduos vero ab Aruernis, & Rutenis, Romani, exemplo à maioribus tradito, bellum Gallie intulerunt, quod vno nomine Allobrogicum ab Allobrogibus vicinis populis, qui se quoque his armis immiscuerunt, est appellatum. atque hoc anno sexcentesimo vigesimo nono vrbis ad quinquennium, per M. Fuluium Flaccum, C. Sextium Calpurnium, Cn. Domitium Ahenobarbum, & Q. Fabium Maximum consules gesserunt. Flaccus, & Sextius Salyas, & Vocontios domuerunt. quorum Sextius subactis Salybus oppidum etiam à se conditum Aquas Sextias nominauit. Cum autem Allobroges Teutomalium Salyum regem receptum omni ope iuuissent, & vnà cum Aruernis agros Aeduorum populati essent, Domitius adducto aduersus eos exercitu ad Rhodani

dani, & Sulgæ confluentem deuicit, Aruernorum vero regem Betuitum acie iuxta Rhodanum profligauit. Neque vero ille finem bello imposuit, quanuis victoriæ monumentum viam Domitiæ reliquerit, cuius in Fonteiana Cicero meminit, sed qui ei successit, Q. Fabius, qui Allobrogibus, & Aruernis ad Isaram superatis, & gente in deditioem accepta, sibi cognomen Allobrogici peperit, atque omnes in prouinciam rettulit, præter Aruernos, atque Rutenos, quibus populus Romanus ignouit. Vnde apud Cæsarem dixit Critognatus Gallus inter suos: *Respicite finitimam Galliam, quæ in prouincia formam redacta, iure, legibus commutatis, securibus subiecta, perpetua premitur seruitute.* & alibi Cæsar ipse: *Aruernos, Rutenosque; Fabius superauit usque; populus Romanus ignouit, neque in prouincia formam redegit.* Atque ab hoc quidem tempore hæc regio, quæ, teste Plinio, Braccata Gallia à genere vestium dicebatur, Narbonensis Gallia est vocitata, nimirum à Narbone Tectosagum oppido, quo biennio post Q. Marcius cos. coloniam deduxit, ut Paterculus, & Eutropius memoriæ prodidere. Neque vero post aliud in hac prouincia bellum fuit vsque ad C. Marium, qui eam continuatis imperiis ab irruptione Teutonum, Ambronum, Cimbrorumque; Germaniæ populorum non minore virtute, quam felicitate seruauit, atque ibi monumentum victoriæ Fossas Marianas reliquit. Postremo Allobroges coniuratione Catilinæ, cuius participes fuerant, ad arma excitos C. Pontinius prætor aliquot oppidis expugnatis, atque hostibus acie fufis, teste Dione, perdomuit. Vnde illa sunt Ciceronis in oratione de prouinciis: *C. Pontinius fortissimus vir ortum repente bellum Allobrogum, atque scelerata coniuratione Catilinæ excitatum præliis fregit, eosque domuit, qui læcessuerunt, & ea victoria contentus, rep. metu liberata quicuit.*

Hanc igitur adepti prouinciam Romani facile post aliquot annos reliquã Galliam cognomento Comatam ad Imperium adiunxerunt. Hoc autem ductu, atque imperio C. Cæsaris, qui cum Narbonensem consul obtinuisset, eius à reliquis Gallis ex S. C. defendendæ prætextu reliquas omnes Gallie partes perpetuo nouem annorum imperio subegit, in prouinciamque; redegit: cum ab Heluetiis incæpisset, quos neque per prouinciam armatos iter facere, neque per Æduorum sociorum agrum in Santones, qui non longe à Tolosatibus habitabant, ire permisisset, atque ab Heluetiis ad Belgas, & Aquitanos, reliquosque; Celtas, nouis semper, ut ipse scribit, aut coniurationis, aut defectionis, aut hostibus dati, aut sibi negati auxilij criminibus obiectis, & ad singulos eorum populos, inter se, ut nominibus, sic imperiis discrepantes, arma circumtulisset. Quibus semel, atque iterum, ut res tulit, in potestatem adductis, totam Comatam Galliam præter socias, ac benemeritas ciuitates prouinciam fecit. Quod breuiter his verbis Suetonius prodidit: *Cæsar omnem Galliam, quæ à salu Pireneo, Alpibusque; & monte Gebenna fluminibus Rheno, & Rhodano continetur, patetque; circuitu ad bis, & tricies centum millia passuum, præter socias, ac benemeritas ciuitates in prouincia formam redegit.*

Ceterum ut in Narbonensem prouinciam Salyes, Cauares, Vocontij, Allobroges, & Volcæ tum Aricomici, tum Tectosages erant inclusi, ita ut Narbo, & Tolosa Tectosagum, & Nemausus Aricomiorum intra eam fuerint; vnde Cæsar prouinciales Volcas Aricomicos, & Tolosates dixit: sic in Comatam prouinciam reliqui populi.

In re autem vectigali diuersa Narbonensis, & Comatæ fuit conditio. Narbonensi agrarium potissimum vectigal est impositum, Comatæ vero stipendiarium. De Narbonensi sic Cicero pro Fonteio: *M. Fonteius prouinciæ Gallie præfuit, quæ constat ex ijs generibus hominum, & ciuitatum, qui partim nostra memoria bella cum populo Romano acerba, & diuturna gesserunt, partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphus, ac monumentis notati, modo ab senatu agris, vrbibusque; mulctati sunt.* Quin etiam in eadem sæpe colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorumque; qui in Gallia versarentur, meminit. addit tamen

Gallis, qui scircò magnis sæpe erant bellis superati, vt semper populo Romano parerent, magnos equitatus ad bella, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum à Fonteio prætorè esse imperatum. Comatæ autem Galliæ in singulos annos stipendij nomen impositum scribit Suetonius. Vnde Paterculus: *C. Cæsaris ductu, auspicijsq; infractæ Galliæ penè idem, quod totus terrarum orbis, ignauum conferunt stipendium.*

De Narbonensium porrò conditione oppidorum sic Cicero in ea, de qua dixi, oratione: *Est Narbo Marcius colonia nostrorum ciuium specula populi Romani, ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum. est vrbs Massilia fortissimorum, fidelissimorumque sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula populo Romano copijs, armisq; populsarunt.* Strabo etiam scribit, Allobrogas & Salyas Romanis prætoribus paruissè, Vocontios vero, vt & Volcas, qui Nemausum incolerent, priuatam remp. habuisse. Quod beneficium haud satis scio Cæsaris ne, an Augusti extiterit, Cæsarem quidem constat de Narbonense ita meritum, vt multos ex ea quoque senatores allegerit, vnde dictum illud emanauit: *Galli braccas in curia deposuerunt, latum clauum sumpserunt.* Quin etiam Forum Iulium, & Apta Iulia in his locis ab eo deducta videntur. scribit certe Suetonius, eundem post bellum Alexandrinum colonias in Galliam per Ti. Neronem Tiberij, qui postea imperator fuit, patrem deduxisse, in quibus Narbonem, & Arelate fuisse. Massilienses autem, cum ei bello ciuili portas clausissent, & se oppugnari passi essent, tamè ab eodem liberi sunt relicti. Narbo autem ipsa ab eo iterum deducta videtur. siquidem in vetere arq; inscriptione colonia Iulia Paterna Narbo Martius appellatur hoc modo.

PRO. COLONIS. INCOLISQVE. COL. IUL. PATERN. NARB. MART.

Vtranque autem prouinciam post Cæsarem L. Domitius Ahenobarbus, Cæsaris inimicus obtinuit. Cæsar mox rerum potitus Narbonensem quidem cum Hispania M. Lepido, Comatam vero D. Bruto, & post Brutum L. Planco concessit, qui Hirtio, & Pansa consulibus decreto senatus ad confluentem Araris, & Rhodani Lugdunum, ad Rhenum in Rauracis Rauracam, vt Dio auctor est, condidit. Eodemq; anno cum triumuiti reip. constituendæ Lepidus, Octavianus, & Antonius remp. inuasissent, Lepidus item cum Hispania Galliam Narbonensem obtinuit, Comatam Antonius; cui post Brutum, & Cassium in Macedonia profligatos etiam Narbonensem adiunxit, atque vtranque per Fusium Calenū, & P. Ventidium rexit. post autem tertia partitione Octavianus Gallias assequutus, in iis per M. Agrippam consulem rem gessit, qui post Cæsarem secundus Rhenum traiecit.

De Illyrico. CAP. VII.



ILLYRICVM autem (huc enim ex Gallia transeundum videtur) inter Italiam, quæ tum Formione amne terminabatur, ac Macedoniam, Epirum, Pannoniam, & mare superum situm gentes quidem plurimas est complexum, sed plerasq; obscuras, neque vlla sane re memorabili gesta insignes. qui vero ceteris præstiterunt, Istri fuerunt, Italiæ adiacentes, & post Istros Iapudes, Liburni, Delmata, Daorsei, Vardæi, Labeates, Daulantij, Dalfaretij, Parthini, Atintani, & Bulliones, partim domesticis regibus, partim legibus suis obtèperantes, præter quosdam, qui post Philippi Macedonis, Alexandri patris regnum, iam pridem in Macedonum imperium, moresq; concesserant. Istros à Iapudibus Arsia flumen discreuit, Iapudes à Liburnis Tendanius, Liburnos à Delmatis Titius. Insulæ nobiles Issa, Pharos, Melite, & Corcyra cognomento Nigra.

Cum Illyriis autem multa bella gesta sunt illa quidem, verum, vt apparet, non semper cum iisdem; atque hæc magna ex parte leuia, nec satis, vt innuit Appianus, scriptorum monumentis nobilitata. Primum bellum cum iis fuit, qui Ionium ma-

re, atque

re, atque Epirum, & Macedoniam attigerunt. quorum rex fuit Agron Pleurati filius, vt inquit Polybius, & post mortem eius Pineus infans cum matre Teutarelictus. Quæ Romanum in bellum hac de causa incurrit. Illyrij mercatores Romanos nauigantes adorti spoliauerant. ea de re cum Romani C. & L. Corucianos legatos ad Teutam misissent, factum est, vt cum alter eorum superbe se gerenti reginæ ferocius respondisset, iussu eius contra ius gentium sit occisus, vt refert Polybius. nam aliter aliquanto narrat Appianus. Hanc ergo vt persequerentur iniuriam, Romani L. Albinum, & Cn. Fuluium Centumalum consules, anno vrbs quingentesimo tricesimo quarto, aduersus Illyrios cum exercitu; & classe miserunt; quorum cum Fuluius Corcyram, quam Demetrius Pharo ab Agrone præfectus occuparat, venisset, atque insulam cum ipso Demetrio in potestatem adduxisset, Albinus autem pedestres copias Brundisium perduxisset, ambo coniunctis copiis Corcyram, Apolloniam, Epidamnium, & Issam liberas inter Illyrios ciuitates, ad amicitiam traduxerunt. Regina cum paucis Rhizonem oppidum confugit, ac legatis ad Romanos missis pacem his conditionibus impetrauit: *Vt Pineus rex certum quotannis stipendium persolueret, & Illyrico toto, præterquam paucis locis excederet, neque ultra Lissum, quod est trans Drilonem amnem oppidum, nisi cum duobus, ijsq; inermibus lembis nauigaret.* Corcyræ, & Apolloniæ libertas permessa est.

Secundo bello Istri petiti sunt, anno vrbs quingentesimo tricesimo secundo, eum naues & ipsi Romanorum cepissent, easq; diripissent. Quibus à P. Scipione, & M. Minucio cos. partim vi, partim voluntate ad deditonem adductis, facile fuit, vt sequentes consules C. Lutatius, & L. Veturius sine pugna vsque ad alpes penetrarent. quod in Eutropij, & Zonaræ commentariis inuenitur.

Tertium inde bellum Demetrio ipsi Phario postero anno est, Annibale Pæno in Italiam aduentante, illatum. causa belli fuit, quòd ille Illyricorum Romanis sociorum agros populatus esset, ac sollicitatis Atinranis ultra Lissum quinquaginta lembis prouectus esset. Aduersus eum L. Æmilius Paullus profectus expugnato Dimalo, quod ille muniuerat, ac Pharo ditionis suæ facta, rebusq; Illyrici ex arbitrio constitutis, vnà cum collega M. Liuius triumphauit. Demetrius ad Philippum Macedonia regem, Persei patrem profugit, vt narrat Polybius. quod confirmat Liuius, qui secundo anno belli Punici legatos ad Philippum missos scribit ad deprecandum Demetrium. qui bello victus ad eum fugerat, & ad Pineum quoque regem in Illyricum alios ad stipendium, cuius dies exierat, poscendum, aut si diem proferret, accipiendos obsides. Per bellum inde Annibalis, & Philippi populus Romanus Pleurato altero rege Illyriorū amico vsus est; vnde scripsit Liuius bello Philippico absoluto, *Caristo, & Pleurato Lingum, & Parthinos, quæ gentes Illyriorum sub ditione Philippi fuerant, datos.*

Deinde bellum cum Istris est renouatum. scribit enim Liuius anno quingentesimo septuagesimo secundo, L. Duronio prætori Apuliam decretam, & Istros adiectos, quòd Tarentini, Brundisiniq; nunciabant, maritimos agros infestos transmarinarum nauium latrociniis esse. Itaque triennio post A. Manlius consul decreto Istrico bello profectus ab Aquileia castra ad lacum Timai posuit, & collatis signis male pugnavit; post recuperata pugna Istrorum ad octo millia cæcidit. postero vero anno M. Iunius, & A. Manlius, cum Aquileiæ hibernassent, exercitum in fines Istrorum inducto, quattuor millia eorum in acie cæciderunt, eosq; ad pacem petendam datis obsidibus compulerunt. dumq; Nefactium oppidum, quò se principes Istrorum, & regulus ipse Æpulo receperat, summa vi oppugnabant, successor C. Claudius consul superueniens oppidum cepit, rex, ne in manus hostium perueniret, sibi mortem consciuit. duo deinde oppida Mutilam, & Faueriam vi capta deleuit. Atque ita Istria tota trium oppidorum excidio, & morte regis pacata, omnes vndiq; populi obsidibus datis in ditionem venerunt.

Quinto bello Gentium Pleurati filium, cum eum Perseus rex, Philippi Macedonia

donis

donis filius, magna mercede promissa in belli societatem traxisset, triginta diebus cum regno suo in potestatem adduxit L. Anicius prætor, anno urbis quingentesimo octogesimo sexto. Quo de bello hæc quasi ex quodam antiquitatis naufragio extant apud Liuium: *Gentius, inquit, audito, Anicium prætorem aduersus se proficisci, Lissum omnes copias contraxit. inde Carauantio fratre in Cauniorum gentem, aut terrore subigendam misso ipse ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso ducit. socij erant Romanorum; itaque obsidionem pati, quam se dedere maluerunt. Carauantium in Caunijs Burnium oppidum aduentantem benigne excepit, Carauantis altera urbs exclusit. Anicio se Rhizon, & Olcinium & ceteræ urbes regionis eius dederunt. Ad Scodram inde ventum est, tum quod Gentij regia esset, tum quod Labeatium regionis munitissima; eamque ac regem cum tota ipsius familia in potestatem adduxit. Inde Scodra, quo quinque legati ab Roma venerant, euocatis ex tota provincia principibus, conuentum habuit. ibi pro tribunali pronunciauit de sententia consilij, senatum, populumque Romanum Illyrios esse liberos iubere. præsidia ex omnibus oppidis, arcibus, & castellis sese deducturum; non solum liberos, sed etiam immunes fore Issenses, & Taulantios, Dassaretiorum Tirustaras, Inittas, Olcinitas, quod incolumi Gentio ad Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem dare, quod relicto Carauantio ad Romanos transissent. Scodrensibus, & Drassarensibus, & Selepitanis ceterisque Illyrijs decemgala dimidium eius quod regi pependissent, imponere. Inde in tres partes Illyricum diuisit. unam eam fecit, quæ supra dicta est, alteram Labeates omnes, tertiam Agrauonitas, Rhizonitas, & Olceratinos, accolasque eorum.*

Post Labeates subacti Delmatæ sunt, quorum caput erat Delminium. His crimini datum erat, quod Illyricos Romanorum socios diuexassent. Ergo à C. Marcio Figulo consule anno quingentesimo nonagesimo septimo, usque ad Naronem flumen fusi, Delminiumque compulsi sunt. à P. vero Nafica consule, Delminio ipso incenso, in potestatem adducti.

Vardæi inde, cum, ut scribit Appianus, Romanum Illyricum inuasissent, repentino bello oppressi, ac veniæ impetrandæ causa sumptus in bellum soluere iussi cum imperata detrectarent, à Ser. Fulvio Flacco consule, teste Liuius, sunt deleti, &, ut scribit Strabo, ab ora maritima in Illyrici interiora translati.

Istros inde, & Iapudibus arma illata sunt iis, qui cis montes ad mare habitabant. Istros, auctore Plinio, Iapudes, Liuius, C. Sempronius Tuditanus in consulatu subegit, ac de iis anno sexcentesimo vigesimo quarto triumphauit. Itaque quod Tuditanus, ut inquit Plinius, in statua sibi inscripserat, *Ab Aquileia ad Titium amnem stadia ducenta*, significare, credo, voluerat, se regionem ab Aquileia ad Titium amnem, quo Liburni terminabantur, populi Rom. imperio adiunxisse.

Sequitur inde alterum cum Delmatis bellum. scribit enim Appianus, anno sexcentesimo vicesimo sexto, L. Metellum consulem aduersus Delmatas nulla eorum culpa, triumphandi tantum libidine profectum, ab iis amice exceptum, Salone eorum oppido hibernasse, deportatoque exercitu, sine causa de iis triumphasse. cui viro vix possum assentiri, cum apud Liuium scriptum inueniam, Delmatas à L. Metello armis subactos, & apud Asconium, L. Metellum ædem Castoris de manubliis Delmatarum extruxisse, atque subactis iis cognomen Delmatici inuenisse. post aliquot autem annos C. Cosconium procos. magnam Delmatæ partem, Salone capta, subegisse, prodit Eutropius.

Atque his quidem bellis cum magna Illyrici pars ad provinciæ ius est redacta, rum ea maxime, quæ maritima erat. refert enim Appianus, Delmatas Liburnis Promonem oppidum ademisse, neque eos Cæsarem, cum ad eum Liburni confugissent, vlcisci bello ciuili imminere, potuisse. Extrema inde duo bella fuere, unum cum Delmatis, alterum cum Iapudibus, prius Cæsar bellis ciuilibus perfundus gessit; siquidem P. Vatinius misit, qui tributa imposuit, & obsides pacis accepit. quo tempore illa scripsit Cicero ad Vatinius: *Delmatis diu malefaciant, qui tibi molesti*

*molesti sunt; posterius, Octavianus; nam cum, Cæsare mortuo, Delmatæ Vatinius se quidquam duros negarent, atque Vatinius ipsum arma parantem acie superassent, Octavianus triumphans Iapudibus cismontanis, qui defecerant, receptis, cum transmontanos nondum populo Romano subiectos, Metulo eorum urbe expugnata, in potestatem redegit, postero anno in Delmatas Taulantiis proximos, qui post Vatinius victum tributum per decennium non dederant, arma conuertit, atque eos ægre, præsertim accepto vulnere, & magnis aliis affectus incommodis, tandem subegit, ut Dio prodidit.*

Non est autem prætermittendum, Romanos in describenda Illyrici provincia non omnem Illyrici regionem esse complexos, verum eam Lisso tantum oppido maritimo terminasse. reliquos autem inde usque ad Epirum Illyricos Macedoniae provinciæ attribuisse. Quod cum Plinij, & Ptolemæi testimonio confirmatur, tum etiam Dionis, qui scribit, Dyrrachium, quod Epidamnus antea vocabatur, cum Illyriorum esset, qui Parthini appellabantur, bello ciuili Pompeiano Macedoniae oppidum fuisse, idque sua etiam esse obseruatum ætate.

De iurisdictione vero in Illyrico constituta hæc habemus. Plinius tres in Illyrico conuentus nominat, Scardonam, Salonam, & Naronam. in quo quia auctore utitur Varrone, fit, ut ita Varrone quoque, id est rep. vigente, obseruatum esse existimem. Salonensis conuentus meminit etiam Cæsar libro tertio belli ciuilis. eadem cum in veteribus lapidibus Salona Iulia nominetur, à Cæsare videtur deducta, eò magis, quod Hirtius bello ciuili Cæsaris *Salonam ciues Romanos incoluisse*, scribit. Fuisse autem etiam colonias in Illyrico alias ostendit Cæsar, cum scribit, *Lissum se oppugnare conatum defendentibus ciuibus Romanis, qui eius erant conuentus*. siquidem extat vetus inscriptio aræ; his verbis: VTI SIS VOLENS PROPITIUS MIHI COLLEGISQ. MEIS, DECVRIONIBVS, COLONIS, INCOLIS, COLONIAE MARTIAE IVLIAE SALONAE.

*De Macedonia. CAP. VIII.*



ILLYRICO autem Macedonia proxima non iisdem semper circumscripta finibus fuit; quod alij nationis Macedonicæ termini fuerunt, alij regni Macedonici, alij provinciæ Macedonicæ. Nationi fines morum, ac linguæ similitudo dederunt, à Thracia quidem, ut notat Strabo, Strymonem amnem, à Thessalia vero Peneum. inter quos fluuij alij Haliacmon, Lydius, Erigon, Axius, Echedorus, & Chabrius, in mare Ægeum omnes influxerunt, præter Erigonem, qui in Axium. Hos autem fines produxere Macedoniae reges, in primisque Philippus Alexandri pater, cum ex finitimis gentibus quotidie aliquid Macedonico regno adiceret, nempe Thracibus, Pæonibus, Illyrijs, Epirotis, & Thessalis, ex quo fit, ut proximæ quæque Macedoniae gentes non iisdem terminis ab omnibus scriptoribus includantur. Strabo auctor est, partem Thraciæ, quæ ultra Strymonem est, usque ad Nessum amnem à Philippo domitam Macedoniae esse attributam. adiungit alio loco, propter claritatem, ac potentiam Thessalorum, & Macedonum factum esse, ut vicini eorum, præsertim Epirotæ, partim voluntate, partim vi in partes Thessalorum, Macedonumve transferint, ut Athamanes, Æthices, & Talaris in Thessalorum; Orestæ, Pelagones, & Elimiotæ in Macedonum. Quin etiam Pæones, Dolopes, Illyriosque; aliquot Macedoniae finitimos, ut Atintanas, postquam à Philippo subacti sint, Macedoniae attributos, legendo animaduertere possumus. Thessalia vero magna regio fuit, Peneo fere, & Sperchio amne inclusa. Hanc Herodotus in Polymania ita descripsit, ut quidquid inter montes Pelion, & Ossa ab oriente, Olympum à borea, Pindum ab occasu, Otrym à meridie fuerit, id totum Thessaliam vocarit, eamque à quinque fluminibus irrigatam Peneo, Apidano, Onochono,

Onochono, Enipeo, & Pamiso prodiderit. Strabo vero aliquanto vberius eam describens latus orientale à Thermopylis ad ostium Penei habuisse inquit Achaos Phtiotas, Magnetas, & Malienfes; à Pelio, & Penco partem mediterraneam vsque ad Pæoniam, & gentes Epiroticas; à septentrione accoluisse Macedonas; à meridie montes Oeteos, & Ætolicos cum Doribus, & Parnasso fuisse; ab occidente Ætolos, Acarnanes, Amphilochos, & Epirotarū Athamanes, ac Molossos; Thessalia vero populos prodit Magnetas, Malienfes, Pelasgiotas, Thessalios, Perræbos, & Estiæotas. Thessaliam autem, cum proprios tyrannos haberet, quorum Iason, & Alexander præ ceteris claruerunt, in potestatem Philippus adduxerat, eaq; Alexandro quoque filio eius paruerat. Mortuo vero Alexandro, qui regnum Macedoniae tenuerunt, iidem etiam Thessalis imperarunt. quare, quo primum tempore Romani cum Macedonibus bellarunt, Thessali Macedonibus erant subiecti.

Bellarunt autem cum Philippo Demetrii F. cum Perseo Philippi F. & cum Andrisco, qui se Philippi filium esse mentiebatur. primo bello finem imposuit T. Quinctius Flaminius, secundo L. Æmilius Paullus, tertio Q. Cæcilius Metellus, Macedonicus ex ea victoria nominatus. prima victoria Philippus Macedoniae rex relictus, Thessalia, & reliquis, quæ in ditione eius erant, gētibus ei ademptis, ac libertate donatis. secunda, Perseo capto, atque in carcere necato, Macedonia ordinata, sed libera relicta. tertia, Pseudophilippo sublato, Macedonia in prouinciæ formam redacta. Cum Philippo porrò bis dimicatum armis est, primum bello Punico, cum ille se Annibali socium ad inuadendam Italiam adiunxisset; iterum finito bello Punico, cum idem Athenienses populi Romani socios ab Acarnanibus impulsus bello vexaret. priore bello pax ita data est, vt foederi Thessalos quoque rex ascriberet; posteriore, cum ad Cynoscephalas in Thessalia T. Quinctio duce debellatum esset, in has condiciones, teste Liuius, iētum foedus est: *Vt captiuos, transfugasq; redderet Romanis, & naues omnes tectas traderet, ne plus quintingentis armatorum haberet, ne de elephantum vllum bellum extra Macedoniae fines ne inuissu senatus gereret. mille talentum daret populo Romano, dimidium præsens, dimidium pensionibus decem annorum. Orestis (Macedonum ea gens est) quod primi ab rege defecissent, suæ leges reddita. Magnetes, & Perræbi, & Dolopes, liberi quoque pronuntiati. Thessalorum genti præter libertatem concessam Phtiotæ dati, Thebæ Phtioticis, & Pharsalo excepto.*

Cum Perseo vero, quod contra foedus bellum pararet, & socios populi Romani Thraces, Thessalos, Græcos, aut bello tentaret, aut ad defectionem sollicitaret, summo proelio pugnatum est, L. Paulo imperatore ad Pidnam in Macedonia. Rege autem in Samothracia in potestatem redacto, res in hunc modum compositæ sunt: *Silentio, inquit Liuius, per præconem facto Paullus Latine, quæ senatus, quæ sibi ex consilij sententia visa essent, pronunciauit. ea Cn. Octavius prætor interpretata sermone Græco referebat. omnium primum liberos iubere esse Macedoniae habentes vrbes easdem, agrosq; vientes legibus suis, annuos creantes magistratus. tributum dimidium eius, quod pependissent regibus, pendere pop. Rom. deinde in quattuor regiones diuidi Macedoniae. vnam fore, & primam partem, quod agri inter Strymonem, & Nessum amnem sit; accessuram huic partem trans Nessum ad orientem versam, quam Perseus tenuisset, vicos, castella, oppida, præter Aenum, & Maronea, & Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticem appellant. secundam fore regionem, quam ab ortu Strymonis amplecteretur annis præter Sinticem Heraclea, & Bisaltas; ab occasu, quam Axius terminaret fluuius, additis Pæonis, qui propè Axium ad regionem oriētis colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Peneus amnis ab occasu cingunt. ad septentrionem Bora mons obijcitur. adiecta huic parti regio Pæonia, quæ ab occasu præter Axium amnem porrigitur. Edeffa quoque, & Berroea eodem concesserunt. Quarta regio trans*

Boram

*Boram montem vna parte confinis Illyrico, altera Spiro. capita regionum, vbi consilia fierent. primæ regionis Amphipolim, secundæ Thessalonicem, tertiæ Pellam, quartæ Pelagoniam fecit. eò concilia suæ cuiusque regionis iudici, pecuniam conferrî, ibi magistratus creari iussit. pronunciauit deinde, neque connubium, neq; commercium agrorum ædificiorumq; inter se placere cuiquam extra fines regionis suæ esse. metalla quoq; auri, atque argenti non exerceri; ferri, & æris permitti. vectigal exercentibus dimidiū eius impositum, quod pependissent regi. Et sale inuecto vti vetuit. Dardanis repetētibus Pæoniam, quod & sua fuisset, & continens esset finibus suis, omnibus dare libertatem pronunciauit, qui sub regno Persei fuissent. post non impetratam Pæoniam salis commercium dedit. tertiæ regioni imperauit, vt Stobos Pæoniae deueberent, pretiumq; statuit. naualem materiam & ipsos cedere, & alios pati vetuit. Regionibus, quæ affines barbaris essent (excepta autem tertia omnes erant) permisit, vt præsidia armata in finibus extremis haberent. Hæc pronuntiata primo die conuentus varie affecerunt animos. Libertas præter spem data arrexit, & leuatum annum vectigal. regionatim commercijs interruptis ita videri lacerata tanquam animalia in artus alterum alterius indigentis distraeta. adeo quanta Macedonia esset, quàm diuisu facilis, & se ipsa contenta quæque pars esset, Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet fortissimos viros, (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & oportunitatem Amphipolis, quæ obiecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniae aditus. Secunda pars celeberrimas Thessalonicem, & Cassandriam habet, ad hoc Palenem fertilem, ac frugiferam terram. maritimas quoque oportunitates ei præbent portus ad Toronem, ac montem Atho (Aeneæ vocant hunc) hunc alij ad insulam Eubœam, alij ad Hellespontum oportune versi. Tertia regio nobiles vrbes Edeffam, & Berroeam, & Pellam habet, & Vettiorum bellicosam gentem, incolas quoq; permultos Gallos, & Illyrios impigros cultores. Quartam regionem Eordæi, & Lincestæ, & Pelagones incolunt. iuncta his Atintania, & Stryphalis, & Elimiotis, frigida hæc omnis, duraque cultu, & aspera plaga est. cultorum quoque ingenia terra similia habet. ferocios eos & accolæ barbaris faciunt, nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Leges inde Macedonibus dedit cum tanta cura, vt non hostibus videtis, sed socijs benemeritis dare videretur, & quas ne vsus quidem longo tempore, qui vnus est legum corrector, experiendo argueret. Hæc Liuius. ex quibus neminem arbitror tam rudem esse, qui non intelligat, magno illum in errore versari, qui historiarum epitomem Liuianæ confecit, qui cum Liuius scribat, Macedoniae à Paulo liberam quidem, sed vectigalem esse pronunciatam, ipse in prouinciæ formam redactam esse, descripsit. quasi vero prouinciam facere sit idem, atque libertate donare.*

Tertium inde bellum cum Andrisco quodam est gestum, tum cum ad falsum Philippi nomen vniuersa propè Macedonia confurrexit, atq; hic quidem, anno DCV, à Q. Metello prætor, Macedonia recepta, deletus est. Hoc autem primum tempore Macedoniae prouinciam esse factam, sunt qui significant; primū Florus, qui hac victoria Macedoniae seruitute esse multatam, deinde Iornandes, qui Macedoniae à Metello superatam colla submississe, Romanamq; prouinciam factam, prodit. Tum vero Thessaliam Macedoniae formulæ esse ascriptam, facile existimarim. Nam eam ite hoc bello à Romanis defensam, in Liuianorū epitoma scriptum est, ex quo suspicari licet, eandem, quod cū Macedonia defecisset, pariter esse cum Macedonia constitutam. cui opinioni aperte Plinius, ac Ptolemæus fauent, cum Thessaliam in Macedoniae prouinciæ fines includunt. Neq; vero Thessalos solum tum Macedoniae prouinciæ adiunctos crediderim, sed Taulantios quoque, Parthinos, Dyrrachium, & Apolloniam, quæ eo vsque Illyrici fuerant; siquidem & Pilo Cæsar's focer Macedoniae proconsul Dyrrhachinis, Apolloniatis, Parthinis, & Bulliensibus præfuit, vt Cicero in Pisoniana testatur, & Dio, Plinius, ac Ptolemæus hos item Macedoniae fines ascribunt. Adijcit etiam Strabo, Lincestidem, Pelagonitum,

A Ore

Orestidem, & Elimiotim, quæ omnes ad mare Ionium sunt, superiorem Macedoniam appellatam, à posterioribus autem Liberam; fuisse etiam, qui omnem regionem vsque ad Corcyram Macedoniam dixerint, quòd eadem lingua, eodemque cultu omnes vterentur. Liberæ autem Macedoniæ meminit item Cæsar libro III belli ciuili. *Caluunum*, inquit, *in Macedoniam proficisci iubet; cuius prouinciæ ab ea parte, quæ Libera appellatur, Menedemus princeps earum regionum missis legatis omnium suorum excellens studium profitebatur.* Quin etiam ex eadem Pisoniana apparet, multos Thraciæ populos, Macedoniæ proconsuli paruissse. Hi vero fuerunt, partim qui postea ab Ap. Claudio, C. Curione, M. Lucullo imperatoribus victi sunt, qui omnes Macedoniam sortiti cum Thracibus populantibus propè quotidiana bella gesserunt: vnde in oratione de prouinciis consularibus Cicero viæ militaris meminit, quæ per Macedoniam ferret in Hellepontum; partim, qui cum Asiæ regibus donati fuissent, (vt Cherronenses, quorum idem meminit in Pisonem,) post Attali mortem ad populum Romanum reciderunt. vnde dixit idem in agrariis: *Iubet venire agros Attalicos in Cherroneso.* loquitur autem de Rullo, qui agros publicos vendere cogitabat. Sed de Thracia prouincia alias. neque enim à populo, sed ab imperatoribus est adiuncta.

His ergo finibus septa Macedonia prouincia & vectigalis fuit, & prætori ius dicenti obtemperauit. De vectigalibus testis est idem, vbi Pisonis Macedonicum proconsulatum exagitat. *Qui fuit, inquit, modus frumenti æstimati, qui honorarij? siquidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari. vnus tu dominus, vnus æstimator, vnus venditor tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti.* Et post: *De vectigalem prouinciã singulis rebus quacunque venirent, certo portorio imposto seruicis publicanis à te factam esse meministi.* item: *Mitto rationem exacti, imperatiquæ frumenti.*

De iurisdictione vero inde elicitur, cum ei vitio vertit, quòd contra legem liberis etiam populis ius dicere ausus sit. Hi vero præter ceteros erant, quos Cæsar primo suo consulatu libertate donarat; quemadmodum postea Thessalos, quòd prope contra Pompeium in acie Pharfalica stetitissent, in dictatura donauit, vt Appianus scriptum reliquit. Conuentum vnum Thessaloniciæ celeberrimum fuisse, non obscuris suspitionibus arbitror.

## De Achaia.

## CAP. IX.



**M**ACEDONIAE Achaia fuit & situ regionis, & reum gestarum ordine coniunctissima. Vt autem Macedonia Macedonas, & Thessalos est complexa; sic Achaia Epirotas, & Græcos. Epirus ab Acrocerauniis montibus Illyrico, Macedoniae finitimis vsque ad finem Ambracium pertinens populos habuit Chaonas, Molossos, Thesprotos, Amphilochos, & Athamanes. Chaones, & Thesproti, & Molossi, vetera nomina Romanis rem in Epiro gerentibus amiserant, atque vno ferè Epirotarum omnes nomine signabantur. Athamanes, cum regem haberet, in Thessalorum nomen transferant. soli celebratur Amphilochi. Græcia inde duplex sequuta, vna extra Isthmum, Achaia nomine. in qua fuerunt Acarnanes, Aetoli, Dores, Locri, Phocenses, Megaræses, Attici, Bœoti, & Eubœenses; altera intra Isthmum, Peloponnesum dictam habitauerunt Achæi, Elei, Messenij, Lacones, Argiui, Siconij, & in medio quodam modo omnium Arcades longe à mari. Quod ipsum cum ex ceteris, tum ex Liuiio ipso cognoscitur, apud quem Græciæ hæc descriptio legitur: *Thermopylarum iugum, sicut Apennini dorso Italia diuiditur, ita mediam Græciam dirimit. ante saltum Thermopylarum septentrionem versus Epirus, & Peræbia, & Magnesia, & Thessalia est, Phiotæ Achæi, & sinus Maliacus; intra fauces ad meridiem vergunt Aetoliæ pars maior, & Acarnania, & cum Locride Phocis, & Bœotia: adiunctaque insula Eubœa, & excurrente in altum velut promontorio*

Atii

*Attica terra sita ab tergo, & Peloponnesus.* Atque hi quidem populi omnes, sed aliis temporibus alij, gloria rei militaris excelluerunt. Lacedæmonij quidem & Athenienses, & Bœoti ante arma Macedonum, Philippi, inquam, & Alexandri Magni, qui vniuersam Græciam dicto sibi audientem esse coegerunt; Epirotæ vero, quo ad Pyrrho regi vita suppeditauit, qui Alexandro ipso minor aliquanto natu fuit. Alexandro vero, & Pyrrho mortuis, cum Macedonia imperium post varias eius regni procellas tandem ad Philippum Demetrii filium peruenisset, harum nationum ea conditio erat, vt aliæ seruirent, aliæ liberæ essent. quæ seruibant, aut externis regibus, aut domesticis tyrannis obtemperabant. Liberæ aut per se degebant, aut commune multarum ciuitatum concilium inibant, atque ex consilij decreto, & pacis, & belli tempora dispensabant. Inter omnes autem eminebant Achæi, & Aetoli. Achæi ad Isthmum incolentes, vt narrat Polybius, post mortem Alexandri inter se conspirauerant, & communem remp. constituerant, quattuor primum tantum ciuitatibus in vnum concilium conuenientibus, Dymis, Pharis, Patris, & Tritæa, & paucis post annis Aegio, Carynia, & Bura codè, tyrannis suis exactis, sese adiungentibus. Quin etiam cum Achæorum arma, duxq; Achæorum Aratus reliquæ in se Græciæ oculos conuertissent, vniuersa ferè Peloponnesus Achaico immisceri concilio voluit, Sicyonij, Corinthij, Argiui, Messenij, Elei, Arcades, & ad extremum etiam Lacedæmonij; cum libertatem suam, quam plerique deiectis tyrannis recuperauerant, nulla alia ratione se defensores arbitrentur, quàm si propriis abiectis legibus Achaici concilij instituta, morèque susciperent, atque communibus armis vim maxime regum Macedonum propullarent, qui deinceps quinque regnarunt, Antigonus, cognomento Gonatas, Demetrius Antigoni filius, Antigonus Philippi tutor, Philippus Demetrii filius, & Philippi filius Perseus. Achæorum autem exemplum reliqui, sed maxime Aetoli sequuti & commune gentis concilium habebant, atque ex communi sententia bella suscipiebant, gerebant, & deponebant, & fœdera cum vicinis inibant, & dimittebant. Bello autem Punico secundo, cum Philippus Demetrii filius, Annibali fœdere coniunctus Italiæ immineret, ab Aetolis primum cum Romanis societas, amicitiaque contracta est. siquidem, vt narrat Liuius, conscriptæ conditiones, quibus in amicitiam, societatemque populi Romani Aetoli venirent, additumque: *Vt, si placeret, vellèntque, eodem iure amicitia Elei, Lacedæmonique essent. bellum vt extemplo cum Philippo terra gererent. nauibus ne minus viginti quinquere milibus adiuuarent Romanos. Urbium Corcyra tenus ab Aetolia incipienti solum testaque, & muri cum agris Aetolorum, alia omnis præda populi Romani esset. darèntque operam Romani, vt Acarnaniam Aetoli haberent. si Aetoli pacem cum Philippo facerent, fœderi ascriberent, ita ratam eorum pacem, si Philippus arma ab Romanis sociisque, quiq; eorum ditionis essent, abstinisset. item, si populus Romanus fœdere iungeretur regi, vt caueret, ne ius ei belli inferendi Aetolis, sociisque eorum esset.* Neque vero multo post, cum Aetoli sine Romanorum auctoritate aduersus fœdus pacem cum Philippo fecissent, & Philippus ipse Epirotarum incommodis adductus cum Romanis fœdus percussit. ab rege fœderi ascripti Achæi, Bœoti, Acarnanes, Epirotæ, ab Romanis Nabes Lacedæmoniorum tyrannus, Elei, Messenij, Athenienses. Bello inde Punico perfuncti Romani arma Philippo intulerunt, vt Athenienses socios suos tuerentur, quos Acarnanes auxilio vsi Philippi bello aggressi erant, & vt omnino Græciam liberarent. Eo bello Aetoli ad Romanos redierunt, Bœoti, atq; Achæi cum iisdem societatem pepigerunt. Victo autè ad Cynoccephalas Philippo, pax à T. Quintio imperatore data est in has leges: *Omnes Græcorum, quæ in Europa, quæq; in Asia essent, ciuitates libertatem, & suas leges haberet. quæ sub ditione Philippi fuisset, præsidia ex his Philippus deduceret. vt Corinthus, quæ occupauerat Philippus, redderetur Achæis. Calcis, & Demetriæ à Romanis retineretur, donec cura de Antiocho Syria rege decessisset.* Itaque Ne-



meorum ludicro præco cum tubicine, ut mos est, in mediam arenam processit, ac tuba silentio facto ita pronunciauit: *Senatus R. & T. Quintius imperator Philippo rege, Macedonibusq; deuictis, liberos, immunes, suis legibus esse iubet Corinthios, Phocenses, Locresesq; & insulam Eubœam. Corinthus, & Triphylia, & Herea (Peloponnesi, & ipsa vrbs est) addita Achæis.* Inde Nabidi Lacedæmonio tyranno bellum illatum, & Argos, quod oppidum ille bello superiore interceperat, Achæis restituere coactus. Ita ipso relicto, præsiidiis Corintho, Calcide, & Demetriade deductis libertas vniuersæ Græciæ data est. Aetoli deinde ægre passi, se nullis à Romanis eo bello præmiis decoratos, cum Antiocho Syriæ rege in Græciam aduocato, Amphilochorum regionem occupassent, atq; Ambraciâ Epirotarum oppidum sibi adiunxissent, tandem à M. Fulvio Nobiliore victi pacem his conditionibus impetrarunt: *Imperium maiestatemq; populi Romani gens Aetolorum conseruato sine dolo malo. ne quem exercitum, qui aduersus socios amicosq; eorum ducetur, per fines suos transire sinito, ne de villa opiuuato: hostes eosdem habeto, quos populus R. armaq; in eos fert. bellumq; pariter gerito. perfugas, fugitiuos, captiuosque reddito Romanis, sociisque, præter quam si qui capti cum domos redissent, iterum capti sunt: aut si qui eo tempore ex ijs capti sunt, qui tum hostes erant Romanis, cum inter præsidia Romana Aetoli essent, aliorum qui comparebunt, intra dies centum, Corcyreorum magistratibus sine dolo malo tradantur. qui non comparebunt, quando quisque eorum primum inuentus fuerit, reddatur. obsides quadraginta arbitrata consulis Romani dato ne minores xlii annorum, neu maiores quadraginta, obses ne esto prætor, præfectus equitum, scriba publicus, neu quis, qui ante obses fuerit apud Romanos. De pecuniæ summa, quam penderet, pensionibusque eius nihil ex eo, quod cum consule conuenit, mutatū, dum pro argenteis decem aureus vnus valeret. Quæ vrbes, qui agri, qui homines Aetolorum iuris aliquando fuerunt, qui eorum T. Quintio, Cn. Domitio cos. post de eos consules aut armis subacti, aut voluntate in ditionem populi R. venerunt, neque eos Aetoli recepissent, vel in Aetolia essent, eæ vrbes, agrique Acarnanum sunt.* Quin etiam Cephallenij ab eodem M. Fulvio armis subacti sunt, & Lacedæmonij demum ab Achæis Nabidis tyrannide liberati propriis dimissis legibus Achaico se concilio aggregarunt. Bello autem Persei Macedonico vniuersa Græcia in fide Romanorum mansisse videtur, Epirotis, qui ad Perseum defecerunt, exceptis. quorum prædam cum senatus exercitui dedisset, L. Paullus imperator, omni viro, atq; argento tacita denunciatione vno die ex lxx oppidis extracto, vrbes ipsas diripi, murosque dirui iussit. præda vendita omnium, de ea summa militi numeratum est. Haftenus Liuius. Addit Pausanias, cum legati decem bello Persico confecto, ad Macedonicas res componendas essent missi, Callicratis Achæi impulsu omnes, qui bello Persico exercitibus præfuisent, tanquam Persei fautores Romam deduci iussos, atque in custodias coniectos, post aliquot annos alios dimissos, alios cum effugere conati essent, suppliciis affectos esse. Ergo cum soli in Græcia Achæi opibus, ac bellica laude florerent, merito Romanis suspecti esse cœperunt, eorumque concilium illi, quo ad potuerunt, labefactare conati sunt. Quamobrem cum Lacedæmonij fines suos ab Achæis veteribus inimicis suis vastari, Romæ questi essent, responsum est Lacedæmoniis, se legatos in Græciam ad rem cognoscendam, controuersiasq; dirimendas missuros. Legati cum venissent, & Corinthum ciuitatum principes euocassent, pronunciarunt, senatum censere Lacedæmonios, Corinthios, Argos, Heracleam, quæ ad Oetam est, & Orchomenios Arcades ab Achaico concilio segregandos; quod neque cum Achæis cognatione coniuncti essent, & sero se ad eorum concilium aggregassent. Qua sententia cognita Achæi in omnes Lacedæmonios, qui tum forte Corinthi erant, impetum fecerunt, & captos in carcerem coniecerunt. Plerique legatos etiam Romanorum violatos esse scripserunt. His Romæ cognitis, Achæos bello persequendos decernunt, ad idque bellum L. Mummius consulem mittunt. Neque vero Achæi interea, Critolao duce populos ad arma capienda hortante, &

Bœotis

Bœotis operam suam pollicentibus, quiescebant. Q. autem Metellus, qui Pseudophilippo victo Macedoniam pacarat, per nuncios Achæis edicebat, ut Lacedæmonios, & alias ciuitates, quæ se populi Romæ fidei tradidissent, ab Achaico concilio seiungi, æquò animo paterentur, atque adhibitæ in Romanos contumaciæ veniam promittebat. Quibus non auditis, cum Achæi Romanis occurrere ausi essent, funditus sunt euersti, Critolao à Metello ad Scarphiam fugato, atque occiso, Arcadibus ad Chæroncam profligatis, & Thebis Megarisque receptis, ac postremo Diazo duce à L. Mummius in fugam coniecto, & Corintho, ac tota Græcia in potestatem adducta. Hac autem victoria Græciam vna cum Epiro prouinciam factam, & Achaicam à principatu, quem tum Achæi inter Græcos obtinebant, Achaicam nominatam, Rufus, & Strabo prodidit, sed elegantissime omnium Pausanias his verbis: *Mummius deuictis ad Isthmum Achæis Corinthum patentibus portis ingressus funditus euertit, cremauitque. Viri omnes trucidati, feminae, & pueri sub corona venditi. ornamenta, & signa Romam asportata, aliarum urbium, quæ contra Romanos steterant, muri deiecti. arma ciuibus adempta. atque hæc omnia priusquam decem ab vrbe legati mitterentur, peracta. Vbi vero illi venerunt, omnem e ciuitatibus popularem administrationem sustulit. magistratus ex censu instituit. tributa vniuersæ Græciæ imposuit. Locupletibus extra fines suos agri possessione interdixit. concilia omnia singularum Achæi nationum, & Phocensium, aut Bœotorum, aut in alia parte Græciæ deleuit. Non multis autem post annis Romanos Græcorum misericordia cepit. Quare & antiqua sua concilia cuique genti restituta, & agros extra fines habere permissum. remissa etiam, quas Mummius constituerat, multa. Bœotos enim mille, & Eubœenses Heracleotis talenta centum, Achæos Lacedæmonij ducenta pendere iusserat. hæc Græcis pecunia omnis condonata. mea etiam ætate mittitur præses, quam Achæiæ, non Græciæ appellant, quod Græci subacti sint principatum Græciæ tenentibus Achæis. confectum est Achaicum bellum Archonte Athenis Antitheo, olympiade clix, anno ab vrbe condita dcvii. Haftenus, ut dixi, Pausanias.*

Ab hoc ergo tempore Græcia vestigialis facta, & legibus, ac magistratibus Romanis subiecta vsque ad bellum Mithridaticum in ocio fuit; cum interea multi populi, multaq; ciuitates libertate, ac legibus suis Romanorum beneficio fruerentur. ex quibus præcipui, teste Strabone, Athenienses fuerunt. Bello autem Mithridatico cum Achæi, Lacones, Bœoti, & Athenienses Aristionis tyrannide oppressi ad Archelaum Mithridatis præfectum se contulissent, haud ita multo post adueniente in Græciam Sylla omnes repente Mithridatem, exceptis Atheniensibus, reliquerunt, qui oppugnari se à Sylla passi, tamen recepti impetrata venia pristinam retinere libertatem. Etenim Sylla, ut inquit Appianus, leges Atheniensibus prioribus iis affines, quæ à Romanis capta Græcia datæ fuerant, dedit, sed Piræcum nulli parcens operi concremauit. Liberos autem alios fuisse in Achaia populos Cæsar ostendit, cum Pompeio obiicit, quod bello ciuili à liberis Achaicæ populis pecuniam exegisset. Quin etiam idem Cæsar, teste Appiano, & Dione, Atheniensibus, cum pro Pompeio aduersus se stetissent, victor ignouit, liberisque reliquit. Corinthum autem dictaturam adeptus non solum restituit, sed coloniam etiam deduxit.

Agri publici in Achaia meminit Cicero contra Rullum: *Deinde vendit, inquit, agrum optimum, & fructuosissimum Corinthium, qui L. Mummius imperio, ac felicitate ad vestigalia populi Romæ adiunctus est; iurisdictionis autem Ser. Sulpicius in epistola, quam ad Ciceronem prætor Achaicæ scripsit: Cum ab Epidauri Piræcum nauis aduectus essem, ibi Marcellum collegam nostrum conueni. postero die cum ab eo digressus essem, eo consilio ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamque iurisdictionem absoluerem. Athenis autem, quanquam liberis, conuentum fuisse constitutum opinor, non ut in Athenienses ius diceretur, sed ut honos ei ciuitati haberetur.*



**P**ROPOSITIS, quæ à populo in Europa sunt constitutæ, prouinciis, deinceps res admonet, vt in Asiam transeamus. Asia vero tribus modis accepta est; vno, tertia orbis terrarum pars, quæ Europæ, Africæq; respondet; altero, regio, quæ ab Ifsico sinu vsque in Pontum porrigitur, quæ Asia minor, & magna Chersonesus à Strabone, & Appiano appellatur; tertio, quam rex Pergami Attalus cognomento Philometor à maioribus suis acceptam populo Roma. testamento reliquit, quæ Mysiam, Phrygiam, Æolidem, Ioniam, Cariam, Doridē, Lydiam, Lycaoniam, & Pisidiam comprehendit. quæ regiones in magna quidē Chersoneso, sed cis Taurum, omnes fuerunt. Varro tamen in libris de lingua Latina duobus tantum modis Asiam dici tradidit; vno eam, quæ responderet Europæ, in qua Syriam prouinciam populi Roma. collocavit; altero magnam Chersonesum, in qua duas prouincias posuit, cis Taurum Ioniam, vltra Taurum Ciliciam. sic autem scriptum reliquit: *Asia dicitur duobus modis. nam & Asia, quæ non Europa, in qua est Syria; & Asia dicitur prioris pars Asiæ, in qua est Ionia, & prouincia nostra Cilicia.* Ioniam autem Varro posuit pro Asia, quam nos diximus Attali. Quod cum non intelligeret magnus hac ætate vir, asserere in Aduersariis suis non dubitauit, Ciliciæ nomen è Varronis libro delendum esse, quod in illa Asia non esset comprehensa Cilicia, cum Attalicam Asiam à Varrone, non minorem, significatam esse, falso arbitraretur. Verum, vt ad rē redeamus, Mysia, quæ fuit huius Attalicæ pars, vt etiam Phrygia duplex, sed finibus ad distinguendum obscurissimis, fuit. idq; vel ipso auctore Strabone, qui scribit: *Bithynis ad austrū finitimi sunt Phryges, ac Mysi, qui ad Olympum Mysiam incolunt. vtraque vero gens duplex est. etenim Phrygia vna maior vocatur, cuius Midas rex fuit, & cuius postea partem Galatæ occuparunt, altera vero minor ad Hellepontum, quæ ad Olympum est, & Epictetus, ac Troas dicitur. Mysia item vna Olympena est Bithyniæ, atque Epicteto finitima, altera ad Caicum amnem, & agrum Pergamenum vsque in Tetraniam, & fluminis ostium. Verum hæc adeo immutata sunt, vt etiam regionem circa Sipylum, quam antiqui Phrygiam nominant, maiorisne, an minoris Phrygiæ, pars sit, incertum sit. ac Mysorum quidem, & Phrygum fines diuersi sunt, verum eos distinguere operosum.* Ptolemæus autem minorem Mysiam ad Propontidem, & Hellepontum à Cizyco oppido vsque ad Sigeum promontorium prouehit; minorem vero Phrygiam deinceps ad Ægeum pelagus vsque ad Assum; maiorem Mysiam vsque ad amnem Caicum, Æolidem vsque ad Hermum; ab Hermo vero ad Mæandrum ad mare Ionium Ioniam; ad Myrtoum Cariam vsque ad Myndum oppidum; inde vsque ad Caunum in mari Rhodiaco Doridem. Ac reliquæ quidem omnes maritimæ, verum Lydia, Phrygia maior, Lycaonia, & Pisidia mediterraneæ.

Hæc igitur omnia post Alexandri Magni obitum, qui ea Persis eripuerat, duobus regibus subiecta fuerunt, Pergameno, & Syrio. Pergamum minoris Mysiæ oppidum, vt inquit Strabo, primus Philetærus, Lyfimachi Macedonis præfectus, mortuo Alexandro obtinuit. quem Eumenes fratris filius est consequutus. qui multorum circa locorū, Antiocho Seleuci filio rege apud Sardeis superato, potitus est. cui deinceps Attalus fratris filius successit, qui socius à populo Roma. & à senatu rex appellatus Romanis contra Philippum Macedoniæ regem auxilio fuit; eoque bello confecto Aeginam insulam, teste Liuiio, à senatu obtinuit. Attalum inde Eumenes alter excepit, cui, cum pro Romanis contra Antiochum Magnum Syriæ regem stetisset, regnum auctum est. sic enim victo Antiocho, ex senatus, & decem legatorum sententia, auctore Liuiio, est constitutum: *Vt cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur, præter Lyciam, Cariamq; vsque ad Mæandrum amnem. eæ ciuitates Rhodiorum essent. ceteræ ciuita-*

*tes Asiæ, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eadem Eumeni vectigal penderent; quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberae, atque immunes. Itaque Lycaonia omnis, & Phrygia vtraque, & Mysia Lydiæ, Ioniæq; extra oppida, quæ libera fuissent, quodie cum rege Antiocho pugnatum est, & nominatim Magnesia ad Sipylum, & Caria, quæ Hydrela appellatur, agerq; Hydreltanus ad Phrygiam vergens, & castella, viciq; ad Mæandrum amnem, & oppida, nisi quæ libera ante bellum fuissent, Telmessus item nominatim, & castra Telmessium, præter agrum, qui Ptolemæi Telmessij fuisset; hæc & ab Eumene & ab Rhodijs excepta. eæ quoque his pars data Caria, quæ prope Rhodum insulam trans Mæandrum amnem est, oppida, vici, castella, agri, qui ad Pisidiam vergunt, nisi quæ eorum oppida in libertate fuissent, pridie quam cum Antiocho rege in Asia pugnatum est. Bello vero, quod paullo post cum Galatis, qui veteris Phrygiæ partem tenebant, ac Galatiam appellabant, Cn. Manlio Vulfione duce gestum est, absoluto, eidem Eumeni præmia cumulata. Ciuitatum enim, vt inquit Liuius, cognitis causis decem legati aliam aliarum fecerunt conditionem. Quæ stipendiariæ regi Antiocho fuerant, & cum populo Rom. senserant, ijs immunitatem dederunt. quæ partium Antiochi fuerant, aut stipendiariæ Attali regis, eas omnes vectigal pendere Eumeni iusserunt. nominatim præterea Colophonijs, qui in Notio habitant, & Cumæis, & Milesijs immunitatem concesserunt, Clazomenijs super immunitatem, & Donissam insulam dono dederunt, & Milesijs, quem Sacrum appellant, agrum restituerunt, & Iliensibus Rhæteum, & Gergicum addiderunt, non tam ob recentia vlla merita, quam originum memoria. eadem & Dardanum liberandi causa fuit. Chios quoque, & Smyrneos, & Erythraeos pro singulari fide, quam eo bello præstiterant, & agro donarunt, & in omni præcipuo honore habuerunt. Phocæensibus & ager, quem ante bellum habuerant, redditus, & vt legibus antiquis vterentur, permissum. Rhodijs affirmata, quæ data priore decreto fuerant. Lycia, & Caria data, & vsque ad Mæandrum amnem præter Telmessum. Regi Eumeni Chersonesum in Europa, & Lyfimachiam, & castella, & vicos, & agros, quibus finibus tenuerat Antiochus, adiecerunt. in Asia Phrygiam vtranque, alteram ad Hellepontum, maiorem alteram vocant, & Mysiam, quam Prusias Bithyniæ rex ademerat, restituerunt, & Lycaoniam, & Milyadem, & Lydiam, & nominatim vrbes Tralles, Ephesum, & Telmessum. Huic ergo Eumeni tam multis beneficiis à Romanis ornato deinceps Attalus alter successit, is qui Romanos bello contra Pseudophilippum Macedonem adiuuit. quem nouis propterea beneficiis à populo Romano auctum, verisimile est. Post quem Attalus tertius regnavit, qui superiorum beneficiorum haud immemor, sine liberis decedens patrij regni populum Rom. heredem anno vrbis DCXX reliquit. populus Asiæ ciuitates liberas esse iussit. Verū cum Asia paucis post annis ab Aristonico Eumenis regis ex pelli-ce nato concitata defecisset, per tres deinceps consules P. Crassum, M. Perperna, & M. Aquillium in potestatem adducta, seruitute mulctata est. cuius rei hæc adhuc vestigia veterum extant monumentis impressa. Liuius libro LIX: *Aristonicus regis Eumenis filius Asiam occupauit cum testamento Attali regis libera esse deberet. quo loco non prætereundum, Liuium de Asiæ libertate non idem sentire, quod ceteri; qui non Attali testamento, sed Romanorum liberalitati acceptam eam referunt. Iustinus libro XL: In Crassi consulis occisi locum missus Perperna consul prima congressione Aristonicum superato in potestatem suam redegit, Attalicæq; gazas hereditarias populi Rom. nauibus impositas Romam deportauit. quod ægre ferens successor eius M. Aquillius consul ad eripiendum Aristonicum Perperna, perinde velut sui potius triumphum munus esse deberet, festinata velocitate contendit. sed contentionem consulum mors Perperna diremit. Strabo libro XIII. M. Perperna capto Aristonico, & Romam misso bellum confecit. Aristonicus in carcere mortuus est. Perperna morbo absumptus. postea M. Aquillius consul cum decem legatis missus prouinciam composuit in eam formam, quæ nunc est. & libro XIII: Attalus cognomento**

*Philometor, cum annos quinque regnasset, morbo extinctus est. reliquit autem Romanos heredes, qui regionem in formam prouinciæ redegerunt, atque Asiam eodem nomine, ac continentem, appellarunt. & Velleius: Aristonicus mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Rom. hereditate relicta erat, mentitus regis stirpis originem, armis eam occupatis victus à M. Perperna, ductusq; in triumpho à M. Aquillio, capite poenas dedit.*

Hac igitur victoria regiones cis Taurum omnes, & quas reges Pergami ipsante bello pepererant, & quas deinceps beneficij loco Syriæ regibus ereptas à populo Rom. acceperant, in vnam prouinciam esse redactas constat. nempe Mysiam, ac Phrygiam vtranque, Galatia, quam Gallogræci tenerent, excepta, Ioniam, Æolidem, Doridem, Cariam, Lydiam, Lycaoniam, & Pisidiam, eamq; esse vno Asiæ nomine insignitam. Quanquam enim scribit Iustinus, Lycaoniam Ariarathi Cappadociæ regi socio à senatu fuisse concessam; & Appianus in primo Ciuiliū, & in Mithridatico refert, Phrygiam Mithridati Ponti regi ab Aquillio imperatore pecunia accepta permissam, Aquillio vero eo nomine damnato, senatum Phrygiam liberam decreuisse, vtranque tamen non ita multo post prouinciæ Asiæ attributā, patet ex verbis his, quæ sunt apud Liuium epitoma LXX: *Mithridates Ponti rex Bithynia, & Cappadocia occupatis, & pulso Aquillio legato Phrygiam prouinciam populi Rom. cum ingenti exercitu intrauit. & Plinij his: Insident verticem Pisidæ, quorum colonia Casarea, eadem Antiochia appellata. oppida Oroanda, Sagaleffus, hos includit Lycaonia in Asiaticam iurisdictionem versa, cum qua conueniunt Philomelienses.*

Hanc autem prouinciam præclaris multorum legibus, atque institutis ornatam aliquandiu beatam fuisse comperio. Primus, qui huic leges dederit, M. Aquillius fuit, per quem primum ex decem legatorum sententia constituta est. Celebratur etiam Q. Mucij Scæuolæ memoria, qui anno vrbis DCXXXVII proconsul eam tam sancte & tam fortiter administravit, vt senatus, teste Valerio, deinceps in eam prouinciam ituris magistratibus exemplum, atque formam officij Scæuolæ decreto suo proponeret. Quo factum est, auctore Asconio, vt Asiani in eius honorem diem festum Mucia instituerint. Post autem, cum, ciuibus Rom. omnibus vno die tota prouincia trucidatis à Mithridate Ponti rege esset occupata, à L. Sulla recuperata, à L. Murena, L. Lucullo, Cn. Pompeio, qui deinceps eam omnes cum imperio obtinuerunt, conseruata, nouas aliquot leges, & noua instituta accepit. Vnde illa præcipue Ciceronis ad laudem Luculli manarunt: *In eodem tanta prudentia fuit in constituendis, temperandisq; ciuitatibus, tanta æquitas vt hodie stet Asia Luculli institutis seruandis, & quasi vestigijs persequendis.*

De vectigalibus autem Asiæ, quæ multa, eaq; magna fuerunt, tulit C. Sempronius Gracchus, qui anno DCXXX tribunatum gessit, triennio postquam Aquillius ordinata prouincia de Asia triumpharat: *Vt ea à censoribus Romæ publicanis locarentur.* quod significauit in Verrem Cicero, cum dixit: *Incertum vectigal constitutum est, vt Asiæ locatione censoria, lege Sempronia.* Totum autem vectigalium Asianorum negotium, quæ publicani exercebant, in decumis, portoriis, & scripturis versatum, aperte docet idem in Maniliana: *Ceterarum prouinciarum vectigalia tanta sunt, vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia tam fertilis est, vt vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine passionis, & multitudine rerum earum, quæ exportantur, facile omnibus antecellat.* Item: *Cum hostium copiarum non longe absint, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. itaque neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest.* Tributum ordinarium nullum Asiæ impositum est. extraordinarij vero hæc testimonia sint. Narrat Plutarchus, Asiam à Sylla XX millibus talentorum esse multatam, atque hoc idem videtur innuere Cicero, cum inquit: *Flaccus prætor Asiæ descripsit*

*scripsit pecuniam ad Pompeij rationem, quæ fuit accommodata L. Syllæ descriptioni. qui, cum omnes Asiæ ciuitates pro portione in prouincia descripsisset, illam rationem in imperando sumptu & Pompeius, & Flaccus sequutus est.* Sumptum autem, pecuniam in classem à prætore consumptam intelligit. Postremo Cæsar superato Pompeio in Asiam venit, ac publicanis, qui eam acerbissime habuerant, dimissis, quod redigebatur ex vectigalibus in tributum collationem transtulit, vt Dio scribit.

Iam vero de conuentibus in Asia constitutis multi loquuntur; primum Cicero in oratione pro Flacco, vbi Apameæ, Laodiceæ, Adramytti, Pergami ita meminit, vt earum ciuitatum, in quibus prætor ius dicere consueffet. vnde alio loco inquit: *Negotiari libet, cur non Pergami, Smyrnæ, Trallibus, vbi & multi ciues Rom. sunt, & ius à nostro magistratu dicitur?* deinde Strabo lib. XIII. *Phrygiæ, inquit, & Lydiæ, & Cariæ, & Mysiæ loca ægre distingui possunt, quod inter se coeant. ad eorum vero confusionem non parum attulere Romani, qui non ex gentibus eos diuiserunt, sed alio modo dioceses descripserunt, in quibus fora agunt, & ius dicunt.* item: *Cybra adiectis tribus ciuitatibus Bubone, Balbura, & Oenoandro concilium instituit, cum singule vrbes singula suffragia haberent, Cybra vero duo tyranno vero paruit vsque ad Murenam, qui eum sustulit, ac Balburam, & Bubonem Lyciæ attribuit. nihilominus Cibyrtica diocesis inter maximas Asiæ dioceses habetur.* Omnes autem Asiæ dioceses, quæ suo tempore erant, diligentissime omnium vnus collegit Plinius, Cibyrticam celeberrima vrbe Laodicea, Synnadensem, Apamensem, Alabandensem, Sardianam, Smyrnæam, Ephesinam, Adramyrtenam, & Pergamenam cum omnibus, qui eò conuenirent, populis insignioribus. Hellepontiam vero diocesim, cuius meminit in epistola ad Thermum Cicero, puto esse Adramyrtenam. *Si quid, inquit, Genucilius habebit cum aliquo Hellepontio controuersie, peto, vt in illam diuisionem reijcias.* vt autem ex his Asiaticis diocesibus tres aliquando Ciliciæ prouinciæ attributæ sint, Cibyrtica, Synnadenfis, & Apamenfis, mox in ipsa Cilicia demonstrabo.

Fuerunt præterea multæ etiam ciuitates in Asia liberæ. siquidem Sylla, vt scribit Appianus, Ilienses, Chios, Rhodios, Lycios, & Magnesium liberos reliquit. Quibus adiungere etiam Cyzicenos licet, de quibus ita Suetonius: *Cyzicenis in ciues Rom. quædam violentius ausis Tiberius publice libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant, eademq; ratione in Pisidia Thermesem, cognomēto maiores. duplex enim, auctore Stephano Thermesem in Pisidia fuit, maior, & minor. Maiores autem bello Mithridatico socij populi Rom. ac liberi, immunesq; lege facti sunt. Cuius legis exemplum, quale adhuc Romæ in antiqua ænea tabula extat, vt simul libertatis, immunitatisq; extero populo concessæ formula cognoscatur, huic loco, quemadmodum supra promissimus, libet attexere.*

C. ANTONIVS. M. F. CN. CORNELIVS. F. . . . .  
C. FVNDANIVS. C. F. TR. PL. DESS. PLEBEM. IVRE. ROGARVNT  
PLEBESQVE. IVRE. SCIVIT. PRO. TRIBV. . . . . PRIMVSSCIVIT.

QVEI. THERMESES. MAIORES. PEISIDAE. FVERVNT. QVEIQVE  
EORVM. LEGIBVS. THERMESIVM. MAIORVM. PISIDARVM  
ANTE. K. APRIL. QVAE. FVERVNT. L. GELLIO. CN. LENTVLO. COS  
THERMESES. MAIORES. PISIDAE. FACTI. SVNT. QVEIQVE  
AB . . . . IEIS. PROGNATI. SVNT. ERVNT. IEI. OMNES  
POSTEREIQVE. EORVM. THERMESES. MAIORES. PEISIDAE  
LEIBERI. AMICEI. SOCIEIQVE. POPVLI. ROMANI. SVNT O  
EIQVE. LEGIBVS. SVEIS. ITA. VT VNTO. ITAQVE. IEIS  
OMNIBVS. SVEIS. LEGIBVS. THERMENSIS. MAIORIBVS  
PISIDEIS. VTEI. LICE TO. QVOD. ADVORSVS. HANC. LEGEM. NON. FIAT

QVÆI. AGRI. QVÆ. LOCA. AEDIFICIA. PVBLICA. PRIVATA  
 THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. INTRA. FINEIS  
 EORVM. SVNT. FVERVNTVE. L. MARCIO. SEX. IVLIO. COS  
 QVÆQVE. INSVLAE. EORVM. SVNT. FVERVNTVE. IEIS  
 CONSOLIBVS. QVÆI. SVPTA. SCRIPTEI. SVNT. QVODQVE  
 EARVM. RERV. IEIS. CONSVLIBVS. IEI. HABVERVNT  
 POSSIDERVNT. VSEL. FRVCTEIVE. SVNT. QVÆ. DE. IEIS. REBVS  
 EO . . . ANO. VT . . . . . QVÆIQVE  
 DE. IEIS. REBVS. . . . . HAC. NE  
 LOCENTVR. . . . . AE. FACTA  
 EST. E . . . SIE . . . . . CA. OMNIA  
 THERMENSES. MAIORES. PEISIDAE. HABEANT. POSSEDEANT  
 IEISQVE. OMNIBVS. IEI . . . VTANTVR. FRVANTVR  
 ITA. VTEI. ANTE. BELLVM. MITRIDATIS. QUOD. PREIMVM  
 FVIT. HABVERVNT. POSSIDERUNT. VSEL. FRVCTEIVE. SVNT  
 QVÆ. THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. PVBLICA  
 PRIVATAVE. PRAETER. LOCA. AGROS. AEDIFICIA. SVNT  
 FVERVNTVE. ANTE. BELLVM. MITRIDATIS. QUOD. PREIMVM  
 FACTVM. EST. QVODQVE. EARVM. RERV. IEI. ANTEA  
 HABVERVNT. POSSEDERVNT. VSEL. FRVCTEIVE. SVNT  
 QVOD. EIVS. IPSEI. SVA. VOLVNTATE. AB. SE. NON. ABALIENARVNT  
 EA. OMNIA. THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. VTI. SVNT  
 FVERVNT. ITA. SVNT. O. ITEMQVE. IEIS. EA. OMNIA  
 HABERE. POSSIDERE. VTEI. FRVQVE. LICETO  
 QVOS. THERMENSES. MAIORES. PISIDAE. LIBEROS. SERVOSVE  
 BELLO. MITRIDATIS. AMEISERVNT. MAGISTRATVS. PROVE  
 MAGISTRATV. QVOIA. DE. EA. RE. IVRISDICTIONE. ERIT. QVIN  
 DE. EA. RE. IN. IOVS. ADITVM. ERIT. ITA. DE. EA. RE. IOVS  
 DEICVNT. O. IVDICIA. RECVPERATIONIS. DANTO. VTEI. IEI.  
 EOS. RECVPERARE. POSSINT  
 NEI. QVIS. MAGISTRATVS. PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS. NEV  
 QVIS. ALIVS. MEILITES. IN. OPPIDVM. THERMESVM. MAIORVM  
 PISIDARVM. AGRVMVE. THERMENSIVM. MAIORVM  
 PISIDARVM. HIEMANDI. CAVSSA. INTRODVCITO. NEIVE  
 FACITO. QVO. QVIS. EO. MEILITES. INTRODVCAT. QVOVE. IBEI  
 MEILITES. HIEMENT. NISEI. SENATVS. NOMINATIM. VTEI. THERMESVM  
 MAIORVM. PISIDARVM. IN. HIBERNACVLA. MEILITES  
 DEDVCANTVR. DECREVERIT. NEIVE. QVEIS. MAGISTRATVS  
 PROVE. MAGISTRATV. LEGATVS. NEV. QVIS. ALIVS. FACITO  
 NEIVE. IMPERATO. QVO. QVID. MAGIS. IEI. DENT. PRAEBEANT  
 AB. IEISVE. AVFERATVR. NISEI. QVOD. ED. S. EX. LEGE. PORTIA  
 DARE. PRAEBERE. OPORTET. OPORTEBIT  
 QVÆ. LEGES. QVODQVE. IOVS. QVÆQVE. CONSVETVDO. L. MARCIO  
 SEX. IVLIO. COS. INTER. CIVEIS. ROMANOS. ET. TERMENSES  
 MAIORES. PISIDAS. FVIT. EA. EDEM. LEGES. EIDEMQVE. IOVS  
 EADEMQVE. CONSVETVDO. INTER. CIVES. ROMANOS. ET  
 TERMENSES. MAIORES. PISIDAS. ESTO. QVODQVE. QVIBVSQVE  
 IN. REBVS. LOCEIS. AGREIS. AEDIFICIEIS. OPPIDIS. IOVRIS  
 THERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM. IEIS. CONSVLIBVS  
 QVÆI. SVPTA. SCRIPTEI. SVNT. FVIT. QVOD. EIVS. PRAETER  
 LOCA. AGROS. AEDIFICIA. IPSEI. SVA. VOLVNTATE. AB. SE. NON  
 ABALIENARVNT. IDEM. IN. EISDEM. REBVS. LOCEIS. AGREIS

AEDIFICIEIS. OPPIDEIS. TERMENSIVM. MAIORVM. PISIDARVM  
 IOVS. ESTO. ET. QVO. MINVS. EA. QVÆ. IN. HOC. CAPITE. SCRIPTA  
 SVNT. ITA. SINT. FIANTE. EIVS. HAC. LEGE. NIHILVM. ROGATVR  
 QVAM. LEGEM. PORTORIEIS. TERRESTRIBVS. MARITVMEISQVE  
 TERMENSES. MAIORES. PISIDAE. CAPIVNDIS. INTRA. SVOS  
 FINEIS. DIXERINT. EA. LEX. IEIS. PORTORIEIS. CAPIVNDIS  
 ESTO. DVM. NEIQVID. PORTORI. AB. IEIS. CAPIATVR. QVÆI. PVBLICA  
 POPVLI. ROMANI. VECTIGALIA. REDEMPITA. HABEBVNT. QVOS  
 PER. EORVM. FINEIS. PVBLICANEI. EX. EO. VECTIGALI. TRANSPORTAVNT

## De Cilicia. CAP. XI.



ARIAM inde trans Taurum Lycia, Pamphylia, ac Cilicia seque-  
 batur. Ptolemæus Lyciam à Cauno perducit ad Balburam. Strabo  
 à Phaselide Lyciæ oppido Pamphylia initium Olbiam statuit, Ci-  
 licia vero Celendrim. Ceterum, ut refert Marcellinus, *superatis*  
*Tauri montis verticibus, qui ad solis ortum sublimius attolluntur,*  
*Cilicia funditur. eiusq; lateri dextro adnexa Isauria. quam mediam Ca-*  
*licadnus flumen interfluit, in qua Seleucia opus Seleuci regis.* Eadem vero, ut prodit  
 Strabo, duplex fuit, *Trachea, siue Aspera, & Campestris. Aspera oram maritimam*  
*per angustiam habuit, & nullum, vel rarum locum planum. ei Taurus mons incubuit*  
*male habitatus usque ad latera Septentrionalia, quæ circa Isauriam sunt, & Mona-*  
*deas usque ad Pisidiam. Campestris autem à Solis, & Tarso oppidis usque ad Issum*  
*pertinuit. quibus à Septentrionali Tauri parte Cappadoces incubuerunt.* Plinius autē  
 Isauriam inter Pamphylia, ac Ciliciam collocat, queriturq; Ciliciæ Pamphylia  
 omnes, neglecta gente Isaurica, coniunxisse.

Has ergo regiones Lyciam, Pamphylia, Isauriam, & Ciliciam trans Taurum  
 sitas reges Syria post Alexandrum Magnum obtinuerunt. Lycia Antiocho regi  
 ademta, ac Rhodiis attributa ex fœdere, quod cum Antiocho primum, deinde  
 cum Galatis ictum est, post, teste Liuius, Rhodiis erepta, cum illi bello Persei du-  
 bios se gessissent, in posterum libera quidem, sed tamen vectigalis fuit. Pamphy-  
 liam autem, Isauriam, & Ciliciam piratæ Cilices occuparant, permittentibus, ut  
 inquit Strabo, Armenia regibus, qui tum Syria regnum armis partum tenebant.  
 Ergo Cilicibus ad latrocinia conuersis, maxime qui asperam Ciliciam incolebāt,  
 Romani eas ademerunt, atque prouincias per M. Antonium, P. Seruilius, &  
 Cn. Pompeium fecerunt. Antonij victoria non obscura extant monumenta. Nam  
 apud Obsequentem scriptum est, C. Mario, Q. Catulo cos. anno vrbs sexcente-  
 simo quinquagesimo primo, *piratas in Cilicia fuisse deletos*; in epitoma vero Liui-  
 norum, *M. Antonium prætorem eo tempore maritimos prædones esse in Ciliciam*  
*persecutum*; apud Tacitum libro XII, *M. Antonium bello piratico à Byzantijs*  
*esse adiutum.* nam eundem etiam Antonium de piratis triumphasse, satis constat.  
 Ab eo vero tempore Pamphylia, atque Cilicia partem in prouincia formam esse  
 redactam, facile adducor, ut credam; præsertim vero cum videam, L. Syllam, ut  
 scriptum est in libro de viris illustribus, & in Mithridatica Appiani, haud ita mul-  
 to post Ciliciam in prætura sortitum, Ariobarzanē Cappadocia regem à Mithri-  
 date Ponti rege eiectionem reducere, & in primo Ciuium Appiani, & in quinto  
 Athenæi, Q. Oppium Pamphylia proconsulari imperio vnā cum L. Cassio Asia  
 pro consule Mithridati regi in Asiam inuadenti occurrere; & in tertio accusatio-  
 nis, Cn. Dolabellam, cuius Verres legatus fuit, eandem Ciliciam proconsule gu-  
 bernare. P. autem Seruilius victoria aliquanto est hominum memoria commenda-  
 tor. Hic autem postea ex consulatu Pamphylia, atque Ciliciam adeptus nouo  
 bello cum piratis gesto. vtranque regionem latius domuit, eiq; adiunxit Isauriam.

Cuius

Cuius rei præter ceteros testes sunt Cicero contra Verrem: *Phaselis illa, quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum, atque prædonum. Lycij illam Græci homines incolebant, sed quòderat eiusmodi loco, atque ita proiecta in altum, ut ex eunte è Cilicia prædones sæpe ad eam necessario deuenirent; & cum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur, ascuerunt sibi illud oppidum piratæ primo commercio, deinde etiam societate.* Marcellinus libro XIII: *Cilicia, & Isauria prouinciæ bello piratico cateruis mixtæ prædonum à P. Seruilio missæ sub iugum factæ sunt* dectigales. Iustinus libro XL: *Cilicia bello piratico perdomita in formam prouinciæ redigitur.* Ut cognomen mittam, quod Seruilius, quoniã primus Isauros aggressus est, Isaurici ex ea victoria reportauit. Postremum fuit bellum, quod cum prædonibus Cn. Pompeio imperatore est gestum. quo bello Ciliciæ reliquum, quod Romanis non parebat, in potestatem adductum, prodit in Mithridatico Appianus. qui idem addit, Pompeium partes quasdam Ciliciæ à Tigrane, Armeniæ rege occupatas Romanæ fecisse ditionis, iisq; qui inopiæ causa piraticam exercuerant, in Malium, Adana, & Epiphaniam, aliaq; deserta Tracheæ Ciliciæ oppida redactis, Solos instaurasse, oppidum à Tigrane vastatum, eoq; piratis redactis Pompeiopolim appellasse. Neque vero Cicero est audiendus, qui in Manilianâ ad Pompeij laudem dixit, *Pompeium, ut à Brundisio profectus est, vnde quinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxisse.* neque enim Pompeij victoria tota Cilicia ad ius prouinciæ videtur redacta: siquidem Eleutherocilices, id est liberi quidam Cilices in monte Amano perpetui Romanorum hostes fuerunt, quorum oppida post ipse proconsul magnis operibus expugnauit.

Atque hæc quidem est Cilicia prouincia. quæ ut regiones tres, Pamphylia, Isauria, Ciliciam, sic tres conuentus, Pamphylum, Isaurium, & Ciliciensem, qui Tarfi agebatur, complexa est. Quod autem in aliis sæpe prouinciis factum est, ut ornandi præfidis causa, cui prouincia decernebatur, præcipue vero, si cum imperio proconsulari mitteretur, prouinciæ fines auerentur, idem in hac etiam obseruatum est. nempe ut qui Ciliciæ præfesset, non Pamphylicam solum, Isauricam & Ciliciensem diocesem in potestate haberet, sed etiam tres alias ex Asia prouincia finitima demptas, atque huic attributas. ut Cn. Dolabella, P. Lentulus, Ap. Claudius, M. Cicero, qui omnes cum proconsulari imperio Ciliciæ præfuerunt, interea dum prætores Asiam obtinebant. Fuerunt autem regiones, Phrygiæ pars, Pisidia, & Lycaonia; diocesem vero, Cibyratica, Synnadenis, & Apamensis. Hoc autem demonstrat Cicero primum in orationibus, cum inquit, *Verrem Cn. Dolabellæ Ciliciæ proconsulis quæstorem Pamphylia, Pisidiam, Phrygiamq; totam frumento imperando, æstimandoq; afflixisse;* deinde in epistolis, cum Appium Pulchrum Ciliciæ item proconsulem pariter Phrygiæ, & Lycaoniæ præfuisse significat. Nam de se proconsule, ex epistola ad P. Seruilium liquet. in qua scribit aperte, *prouinciæ suæ Ciliciensis tres diocesem Asiaticas fuisse attributas;* & ad Atticū, cum scribit, *Idibus Februarij se forum egisse Laodiceæ Cibyraticum, & Apamense, ex idibus Mart. ibidem Cynnadense, Pamphylum, Isauricum, ex idibus Maij in Ciliciam.* & alibi: *In prouinciam venimus Laodiceam pridie Kal. Sext. ibi morati biduum perillustres fuimus; honorificisq; verbis omnes iniurias reuelliimus superiores. dein Apameæ quinque dies, Synnadis triduum, Philomeli quinque dies, Iconij decem fecimus; nihil ea iurisdictione æquabilis.* Vbi, cum se Laodiceæ superiores iniurias reuelliisse dicat, atque Appium sine dubio notet, profecto Appium etiam ipsum Laodiceæ ius dixisse significat. Neque vero ego assentior iis, qui hoc primum M. Cicero tributum esse existimant, ut Asiaticis diocesibus tribus præfuerit, verum ausim affirmare, omnibus hoc Ciliciæ proconsulibus esse cōcessum. Itaque L. Flaccus, prætor Asiæ, quem Cicero de repetundis ab Asianis postulatū defendit, Pisidiæ, & Lycaoniæ, ut ex eius defensione cognoscitur, non præfuit. P. autē Seruilius, qui

qui Asiam proconsule post M. Ciceronem obtinuit, cum Laodiceæ ius dixerit, profecto Asiaticas has iurisdictiones in potestate habuit. ut Cicero in epistola ad eum demonstrat, cum rogat eum, ut Laodiceæ hospitio Andronis uti velit, cuius & ipse usus sit, dum Ciliciæ proconsul tres diocesem Asiaticas gubernauit.

Qui vero agri in prouincia Cilicia publici fuerint, indicat Cicero in agrariis, cum inquit: *Tubet venire, quæ Attalensium, quæ Phaselitum, quæ Olympenorū fuerint, agrumq; Agerensem, & Orindicum, & Gedusanum. hæc P. Seruiliij imperio, & victoria vestra facta sunt.*

Ac de Cilicia quidem, dominante populo, hæc inuenimus. nam partes eius, quæ Tarcondimoto, Archelao, Antiocho, & quidem ferè ante Augusti dominatum, concessæ sunt, quemadmodum post ab imperatoribus prouinciæ formæ ascriptæ sint, alio volumine ostendemus.

LYCIA vero, ut supra dixi, libera fuit. quod cum Liuius, tum Straboni credimus ita de illorum rep. differenti: *Lycij adeo ciuilitate, & continenter vixerunt, ut cum usque in Italiam mari dominarentur, tamen nullo turpi quæstu capti sint, sed in patria iurisdictione concilij Lyciaci permanserint. Sunt autem tres, ac viginti ciuitates, quæ suffragij participes sunt. conueniuntq; ex vnaquaque ciuitate in commune concilium, quam ipsi probarint. ciuitatum autem maximæ tribus suffragijs singula præditæ sunt, mediocres duobus, aliæ vno. pro portione vero tributa conferunt, aliæque munera obeunt. Sex autem maximas Artemidorus prodidit, Xanthum, Patara, Olympum, Myra, Tion. in concilio vero primum Lyciarcha deligitur, deinde alij concilij magistratus, & iudicia reddunt communiter. Cum autem hoc modo regerentur, factum est, ut permissu Romanorum liberi fuerint, & patrios mores coluerint, ac prædones deletos per Seruilium Isauricum viderint.* Neque vero ut Lycia libera, sic etiam immunis fuit, sed vetigalis vnà cum Pamphylia, & Pisidia, Phrygiæque, & Cilicia vniuersa. Hoc autem ex eo cognoscitur, quod obiicit Verri Ciliciæ quæstori Cicero. *Pro quæstore vero, inquit, quomodo commune Myliadum vexarit, quomodo Lyciæ, Pamphylia, Pisidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, æstimandoque affluerit, non est necesse demonstrare. hoc scitote, his nominibus, quæ res per eum gestæ sunt, cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabellæ tres ad tricies litem esse æstimatam.* Confirmatur etiam ex eo, quod Lycia à M. Antonio post in triumphatu immunitate donata proditur ab Appiano libro Ciuiliū quinto.

## De Syria. CAP. XII.



ILICIAM inde sequuta est Syria. Hæc ab occidente montem habuit Amanum, & mare Syriacum vsque in Aegyptum; ab oriente Eufratem, & Arabiam desertam; à septentrione Taurum; à meridie cum Arabia Petrea Aegyptum. Amanus autem ipsam à Cilicia, Taurus ab Armenia minore, Eufrates à Mesopotamia secreuit. Regiones insigniores, teste Strabone, fuerunt Comagene, Seleucia, Phœnicia, Cœlesyria, & Iudæa, quæ & Palæstina. Seleucia, quod quattuor nobilissimis ciuitatibus, Seleucia, Antiochia, Apamea, & Laodicea instructa fuerit, eadem Tetrapolis appellata. Hæc autem, ut etiam Phœnicia, ad mare fuit, reliquæ mediterraneæ. De Comagene, & Iudæa, quia propriis præditæ regibus non, nisi ab imperatoribus, prouinciæ factæ sunt, alio loco: de reliquis in præsentia. Huic regioni vniuersæ primum Persarum reges imperitarunt, post, eorum imperio deleto, Alexander Magnus. quo mortuo, cum aliquandiu de illius possessione inter Satrapas eius esset certatum, tandem Seleucus Antiochi filius cognomento Nicator regnum eius constituit, atque in ea multas ciuitates ædificauit, maxime autem Seleuciam, Antiochiam, Apameam, Laodiciam, atque Berrœam. Regnum inde posteri eius deinceps acceperunt, Antiochus Soter, Antiochus

Theus, Seleucus Callineus, Seleucus Ceraunus, Antiochus Magnus, qui Syriæ regno Ciliciam, Asiæq; cis Taurum, & Thraciæ partem adiunxit. Cum hoc Romani primum bellarunt, causam belli præferentes, quod Lysimachiam in Thracia ad se pertinentem occupasset. atque ei, L. Scipione Asiatico imperatore, prælio apud Sipylum montem ad Magnesiæm profligato, has, ut inquit Livijs, conditiones pacis dederunt: *Ut Europa abstineret, Asiæque omni, quæ cis Taurum est, dederet. pro impensis in bellum factis x v millia talentorum Euboicorum daret, mille talentum per xii annos penderet, Eumeni Pergami regi cccc talenta redderet.* Hunc deinceps Antiochus Philopater est cōsequutus, Philopatrem autem Epiphanes, qui, cum Ptolemæum Philometorem Aegypti regem inuasisset, missio à Romanis Popillio legato, incepto desistere est coactus. Inde Antiochus Eupater Epiphanis filius puer, Lyfia tutore, regnavit. ad quem cum Cn. Octavius legatus missus esset de elephantis, quos contra fœdus alebat, à Leptine quodam est interfectus. Post multas inde Seleucidarum inter se dissensiones, expulsiones, & neces regnum ad Antiochum cognomento Eusebē peruenit, qui fuerat Antiochi regis cognomento Cizyceni filius. quem quidem Tigranes rex Armeniæ regno eiecit, Syriamq; annis xiiii obtinuit. Cum autem Mithridatico bello conflato Lucullus Tigranem Mithridatis affinem persequeretur, Antiochus, qui Asiaticus appellatus est, Eusebis filius, Syriam, auctum quippe regnum, recepit, eamque postea permilla Luculli retinuit. Pompeius autē Luculli inimicus, & in eo bello successor, nequid ratum relinqueret, quod ab eo actum esset, Syriam Antiocho ademit, cum diceret, Seleucidis Syriæ possessione à Tigraue deiectis, iure eam ditionis Romanorum, qui Tigranem superassent, factam esse. atque ita totam Syriam, excepta Comagene, & Iudæa, quibus reges reliquit, in provinciæ formam redegit, & M. Scaurum decedens præfectum ibi reliquit. ut Appianus, Dio, Plutarchus, & Iosephus, vnde hæc hausimus, prodidere. Scauro inde L. Philippus, Philippo Cn. Lentulus ex prætura successerunt. deinde ex consulatu A. Gabinius, & post Gabinium M. Crassus. quo in Mesopotamia à Parthis, qui ultra Syriam tum omnia possidebant, ab ipso laceffitis, interfecto, C. Cassius Crassi quæstor provinciam tenuit, in eiusq; locum multis post consulatum annis M. Bibulus. sequutum est inde bellum civile, in quo P. Scipio Pompeij focer eam obtinuit. Pompeio vero profligato, cum Sex. Iulius à Cæsare victore ei præpositus à Cæcilio Basso Pompeianarū partium homine deletus fuisset, C. Antistius Cæsaris fautor imperium arripuit, ut se etiam à M. Crispo, & L. Statio Murco passus sit obsideri. Mortuo inde Cæsare senatus Syriam P. Dolabellæ consuli, cum ab eo Trebonium in Asia interfectum accepisset, ademit, atque eam ad C. Cassium, qui Bassi ad se exercitum traduxerat, transtulit. Cassio vero prælio Philippeni interfecto, M. Antonius triumphavit, cui oriens à collegis permissus fuerat, in Aegyptum decedens primum Decidium Saxam, deinde, eo à Labieno exule Romano deleto, P. Ventidium legatum præfecit.

Neque tamen quicquid Eufrate concluderetur ius à prætore Syriæ accepit, nam præter Comagenis, & Iudææ reges, multi alij dynastæ, ac, tyranni regiuncularum Syriæ fuerunt, quorum alios Romani imposuerunt, alios esse, cū ante essent, passi sunt, ut Chalcidicæ, Emesæ, Trachonitidis, Batanæ, & Abellinæ, vnde dixit Cicero de Gabinio Syriæ procos. in oratione de provinciis: *In Syria, imperatore Gabinio, nihil aliud actum est, nisi pactiones pecuniarum cum tyrannis.* & Cæsar libro tertio de P. Scipione: *Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum, acceptis se se imperatorem appellauerat. quo facto civitatibus, tyrannisq; magnas imperauerat pecunias.* de quibus tyrannis tum dicemus, cum de illorum regno in provinciam ab imperatoribus redacto agemus.

Quin etiam vectigalium, & iurisdictionis provinciæ Syriæ iidem auctores sunt. Cicero quidem de Gabinio: *Iam vero publicanos miseros tradidit in servitutem Iudæis, & Syrijs. statuit ab initio ius publicano non dicere. pactiones sine ulla iniuria factas.*

*Etas rescidit, custodias sustulit, vectigales multos, ac stipendiarios liberauit. quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicanum, aut publicani seruum esse vetuit.* Cæsar autem de Scipione: *A publicanis sua provincia debitam biennij pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuum præceperat, equitesque toti provinciæ imperauerat.* Antiochiæ vero conuentum celeberrimum fuisse præter ceteros, facile crediderim.

## De Bithynia, &amp; Ponto.

CAP. XIII.



ODEM vero tempore, quo Syria, etiam cum Ponto Bithynia est adiuncta. quarum regionum hos Romanum ante imperium fines, huncq; fuisse statum reperio. Bithyni ad Propontidem, & Pontum cognomento Euxinum vsque ad Sangarium amnem incoluerunt, post Bithynos vsq; ad Parthenium Mariandeni, post hos vsque ad Halym Paphlagonas, deinceps trans Halym Cappadoces vsque ad Tibarenos, & Colchos. Ut autem Bithynis reges Bithynici imperarunt, sic Mariandenis Heracleotæ, Paphlagonibus maritimis Pontici, Cappadocibus Cappadocici. Quam partē reges Bithyniæ tenuerunt, ea semper Bithyniæ nomine est. reliqua vero trans Halym amnē, aut Cappadocię, aut, quoniam Pontus aliquando Cappadocia Pontica dicta est, maioris Cappadocię nomē obtinuit. quemadmodum Strabo nostrę huic disputationi conuenientissime tradidit.

In Bithynia porrò multis ante Alexandrum Magnum sæculis regnari cœptum fuerat, si Memnoni, & Appiano auctoritatem tribuimus. Nam Dildafus, & Botiras ætatem Alexandri præcesserunt. Bas autem Botirę filius Alexandri fuit equalis; quippe qui Calanto Alexandri duci restiterit, & Macedonas à Bithynia, teste Memnone, propulsarit. Ban inde Zipætes est consequutus, qui cum Lysimacho, & Antiocho Seleuci filio decertauit, Zipætem Nicomedes, qui regnum Bithynię stabiluit, & urbem Nicomediam condidit, ac Galatas in Phrygiam aduocauit, vnde pars ea Galatię postea nomen inuenit. Nicomedem excepit Zielas, & Zielam Prusias, qui Prusiam ædificauit, & cum Attalo Pergameno rege armis contendit; cumq; se Persico bello Macedonico medium gessisset, Romanum pileatus, populi Romani libertum appellans, venit. primusq; quantum apparet, cum populo Romano societatem iniuit. Prusię inde nepos Nicomedes, cognomento Philopater, rex à senatu appellatus, & à Mithridate Eupatore Ponti rege per fratrem ipsius minorem Socratem, cognomento Chrestum, regno pulsus, à Romanis per legatos Aquilium, & Mancinum reductus, rursus presentibus legatis exactus, postea à L. Sulla pro cos. restitutus, ut refert Appianus. Quibus beneficiis prouocatus Nicomedes filius, moriens Bithyniæ regnum testamento populo Romano reliquit, L. Lucullo, M. Cotta cos. anno urbis sexcētesimo septuagesimo nono, ut scribit Eutropius. quod regnum Romani in provinciæ formam, teste Liuijs, redegerunt, atque per A. Pompeium Bithynicum Romanam supellectilem omnem regiam, ut inquit Festus, deuexerunt.

De Ponto autē utroq; hæc habemus in annalibus. Inter Mariandenos ut dixi, à Sangario vsq; ad Parthenium dominati Heracleotæ sunt. Hi primū liberi legibus suis, deinde tyrannorum imperio paruerunt, Clearchi, Satyri, Timothei, Dionysique, qui Alexandro magno mortuo Antigoni Asiæ regem auxilio iuuat, & postremo Clearchi, atq; Oxathris fratrum, quos Lysimachus successor Alexandri necauit. quo sublato ipsi iterū se vindicarunt in libertatem, fœdusq; cū Romanis, Paullo Aemilio bellum cum Perseo rege Macedoniae gerente, fecerunt. quęadmodum in Memnonis commentariis scriptum est. ad extremum autem in ditionē Mithridatis Eupatoris Ponti regis potentissimi concesserunt. Pontici vero reges regionem Paphlagoniæ maritimam à Parthenio vsque ad Halym, in eaq; oppida Amastrim, Cytorum in Synopen, & trans Halym Amisum, possederunt. Hanc autem

regionem, aut certe partem eius primus occuparat Mithridates Ariobarzani filius, regio Persarum genere oriundus, Laomedonte post mortem Alexandri Magni deleta. Pharnaces inde ab hoc sextus Synopen cepit. Cuius filius Mithridates Euergetes socium se populo Rom. aduersus Aristonicum Asiatico bello adiunxit. Omnes autem Põticos reges opum, ac gloriæ magnitudine vicit filius Mithridates Eupator, à primo, vt scribit Appianus, octauus. quippe qui ab oriente Cappadociam maiorem, & Colchos, & Bosphorum, ab occidente Heracleotarum regionem Pontico regno armis adiecerit. gloriosissimus omnium ac maximus ætatis suæ rex futurus, nisi Romanorum in se arma grauissimis inferendis iniuriis, conuertisset. Nam cum Nicomedem regem Bithynia expulisset, atque inde Asiam, trucidatis vno die ciuibus R. omnibus, ac deinceps Græciam, populi Rom. prouincias inuasisset, à L. Sylla. cedere coactus, rursus cum Bithyniam iam populi Rom. prouinciam occupasset, à L. Lucullo non Bithynia solum, sed etiam Ponto expulsus, tandem à Cn. Pompeio, & patrio regno, quod sub Luculli discessum recuperauerat, & vita ipsa exutus est. Quo facto Pompeius ex senatus sententia Pontum vtrumque à Sangario vsque ad Halym vnà cum Bithynia in prouinciæ formam redegit, vt Liuius, & Appianus auctores sunt, legemque Ponticis, ac Bithynis ex decem legatorum sententia dedit, cuius meminit in epistolis ad Traianum Bithyniæ prætor Plinius: cuius vnum caput fuit huiusmodi: *Ne quis caperet magistratum, ne ve esset in senatu minor annorum triginta. & vt, qui cepisset magistratum, esset in senatu. neque qui in bulen à censoribus legerentur, pecuniam darent. & vt scriberent sibi, quos vellent ciues, dum ciuitatis non essent alienæ, sed suarum quisque matrum ciuitatum, quæ essent in Bithynia.* eadem lege sancitum, quibus de causis à senatu censoribus eiiciantur, inter quas nihil de ciue alieno cautum est. Quod autem Appianus iusto volumine, cui Mithridatici nomen imposuit, est complexus, idem etiam inuenio scriptum apud Strabonem, meliorem multo, quam ille, scriptorè his verbis: *Mithridates Eupator Ponti rex fuit. regionem vero tenuit ab Halym flumine vsque ad Tibarenos, & Armenios, & eius regionis, quæ est intra Halym, loca vsq; ad Amastrim, & quasdam Paphlagoniæ partes; asciiuit etiã oram maritimam vsque ad Heracleam ab occidente, à contraria vero parte vsque ad Colchidem, & minorem Armeniam, quas item Ponto adiunxit. & Pompeius, qui illum euertit, cum his finibus regionem circumscriptam accepisset, Armeniam, & Colchidem regibus sociis dedit; reliqua vero in vndecim politias distribuit, & Bithyniæ addidit, ita vt ex ambabus vna efficeretur prouincia, & post: Sublatis regibus Romani eosdem terminos seruare, vt Heracleam Ponto concederent, vltiora Bithynis, & post: Regionem ab Halym vsque ad Bithyniam in maritimam, & mediterraneam diuisam tenuit Eupator; maritimam quidem vsque ad Heracleam, mediterraneam vero partem proximam, cuius etiam partes quasdam trans Halym protulit. nam Amisas trans Halym eius fuit. atque bithynus prouincia Pontica Romanis est terminata.* Vt autem Pompeij victoria Pontus imperio Romano accessit, sic, cum idem post bello ciuili à Pharnace Mithridatis filio Bospori rege capta Amiso, esset tentatus, facile per C. Cæsarem victorem ex Aegypto redeuntem aut recuperatus, aut retentus est. quam victoriam ille tanti fecit, vt de Ponto triumphaturus titulum illum victoriæ celeritatem indicantem prætulit, Veni, Vidi, Vici. De Heracleæ vero post hanc victoriam statu sic Strabo: *Heraclea prius libera, deinde tyrannis subiecta fuit. tum rursus se in libertatem vindicauit. postea, cum sub Romanis esset, regi paruit. accepit autem coloniam Romanorum in parte ciuitatis, & agrum; cum autem hanc partem ciuitatis ab Antonio Adiatorix Meneclij tetrarchæ Galatarum filius accepisset, quæ tenebant Romani, Heracleotæ paulo ante res Actiacas noctu in Romanos impetum fecerunt, eosq; iugularunt, iussu, vt ille dicebat, Antonij. post victoriam autem Actiacã in triumpho ductus vna cum filio iugulatus est. ciuitas autem Põtica prouinciæ est eius, quæ cum Bithynia constituta est.* De Amiso vero in hunc modum, *Amisum trans Halym Eupator ornauit. hanc Lucul-*

*lus primum, deinde traiccto Bosporo Pharnaces obsedit, Antonius autem regibus concessit à diuo Cæsare liberatam. Deinde à Stratone tyranno male tractata, rursus ab Augusto post res Actiacas liberata, nunc optime constituta est.*

Vt autem reliquis prouinciis, sic Bithyniæ vectigalia esse imposita, indicant societates publicanorum, quæ ibi fuerunt. de quibus admonet nos Cicero, scribès ad Crassipudem quæstorem; *Volo te scire, inquit, me in primis amicum esse huic Bithyniæ societati. te rogo, vt eius rem, & utilitatem, cuius rei quantam potestatem quæstor habeat, non sum ignarus per te defensam, & auctam velis.*

De Cypro.

CAP. XIII.



**C** Asiaticis autem prouinciis vltima fuit Cyprus. Hanc insulam Ciliciæ oppeditam modo propriis tyrannis, modo Persarum regibus olim subiectam, post Alexandrum Magnum, à Ptolemæis Aegypti regibus possessam, ad extremum Ptolemæus quidam Ptolemei Auletis Aegypti regis frater tenebat. De hoc igitur rege, qui (vt verbis Ciceronis in Sextiana vtar) *si nondum erat ipse à senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui cum esset in eadem causa, iam erat à senatu illum honorem cõsequutus. erat eodem genere, iisdemq; maioribus, eadem vetustate societatis, denique erat rex, si nondum socius, et non hostis; pacatus, quiescens, fretus imperio populi Rom. regno paterno, atque auito regali ocio perfruebatur; de hoc inquam rege, nihil cogitante, nihil suspicante, Pifone, Gabiniõque consulibus, P. Clodius tribunus plebis legem tulit, vt præconi publico subijceretur, ac nulla commemorata iniuria, nullis repetitis rebus cum bonis omnibus publicaretur, & ad id negotium M. Cato cū prætorio imperio mitteretur.* Rex autem, cū Catonem hac rogatione aduersus se armatū venire audisset, vim haud sibi expectandã ratus, veneno sibi mortem consciiuit. Cato in Cyprum nemine obsistente ingressus, insulam sine villo Cypriorum certamine, teste Dione, constituit, ac suppellectilem omnem regiam, quæ pretiosissima erat, Romã postero anno, Lentulo, & Metello cos. anno vrbis sexcentesimo nonagesimo septimo deportauit. Velleius Cyprum tum senatus consulto, ministerio Catonis, regis morte, prouinciam factam scribit, sed falsò. Nam Cicero aperte hoc lege Clodia confectum demonstrauit, in oratione, quam pro domo sua in Clodium inuectus ad pontifices dixit: *Tua vero quæ tanta impudentia est, inquit, vt audeas dicere extra ordinem dare cuiquam nihil oportere. qui cum lege nefaria Ptolemæum regem fratrem regis Alexandrini, eodem iure regnantem, causa incognita publicasses, populumq; Rom. scelere obligasses, cum in eius regnum bona, fortunas, latrocinium huius imperij immisisses, cuius cum patre, auo, maioribus societas nobis, & amicitia fuisset, huius pecuniæ deportandæ, & si quis suum ius defenderet, bello gerendo M. Catonem præfecisti.* Atque hoc quidem confirmatur etiam in epitoma Liuij centesima quarta, in qua est, lege lata de redigenda in prouinciæ formam Cypro, & publicanda pecunia regia, M. Catoni administrationem eius rei esse mandatam. Id autem à Clodio factum vlciscendæ iniuriæ causa, quod rex se olim à piratis captum neglexisset, adiicit cum Strabone Dio.

Quamquã autem Cyprus separata prouincia, vt inquit Strabo, est instituta, placuit tamè senatui, quo honos, credo, P. Lætulo, Ap. Claudio, & M. Ciceroni procõsulis haberetur, vt iidem cum Cilicia Cyprum quoq; tenerent, ita tamè vt ex insula Cyprios nõ possent euocare. De Lentulo testis est Cicero in epistolis, quas ad eum scripsit, de se in iis, quas ad Atticũ: *Q. Volusium, inquit, misi in Cyprum, ne ciues Romani, qui ibi negotiarentur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyprios non licet.* An vero Clodij tribuni plebis, an P. Lentuli consulis (nam & hæc commemoratur,) rogatione leges datæ Cypriis sint, parũ liquet. Post Ciceronis autem proconsulatũ, vt à Ciliciæ præside tres Asiaticæ dioceses, sic etiam Cypri administratio est ablata, ac proprius, vt ex lege debuit, prætor cum suo quæstore in eam missus est.

De prætoribus elicitur ex Strabone, qui Cyprum à Romanis prætoriam prouinciam per se factam scribit; de quæstore, ex ipsomet Cicerone, qui Sestilium Rufum quæstorem primum in eam insulam, & quidem post se proconsulem venisse asserit in epistola, quam ad eum scripsit. *Omnes tibi, inquit, cōmendo Cyprios, sed magis Paphios. quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. Eoque facio libentius, ut eos tibi commendem, quod & tuæ laudi, cuius ergo fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor veneris, ea te instituere, quæ sequantur alij: quæ, ut spero, facilius consequere, si P. Lentuli necessarij tui legem, & ea, quæ à me constituta sunt, sequi volueris.* Quæstor autem Sestilius primus propterea in Cyprum venit, quod Lentuli, & Appij, & Ciceronis quæstores aliis fortasse Ciliciæ prouinciæ curis distracti, in eam venire nequiverint. siquidem Cicero Q. Volusium misit hominem non quæstorem, sed priuatum. Venisse vero Sestilium post Ciliciense Ciceronis imperium, apparet ex iis verbis: *Si ea, quæ à me constituta sunt, sequi volueris.*

Eadem insula, cum postea à C. Cæsare dictatore, ut scribit Dio, à M. Antonio triumuiro, ut Strabo, Arsinoæ Cleopatrz sorori esset adiudicata, post mortem eorum, populo Ro. est restituta.

De Africa. C A P. X V.



**A** T Q V E has quidem prouincias in Asia populus Roma. confecit nunc, quas tandem in Africa constituerit, exquiramus. Ceterum Africa, tertie orbis terrarum partis, à freto Herculeo vsq; ad Aegyptum pertinentis, prima ab occidente regio Mauritania fuit, secunda Numidia, tertia Libya, vltima Aegypto finitima Cyrenaica. Mauritaniz, & Numidiz finis amnis Mulucha; Numidiz & Libyz Tusca; Libyz, & Cyrenaicæ Aræ Philænorum; Cyrenaicæ, & Aegypti Catabathmus. Ultra Mauros ad meridiem occidentales infederunt Aethiopes, vltra Numidas Gætuli. Numidiz partem vnam incoluere Masæfuli, alteram Massyli; Masæfuli propè Mauritaniam, Massyli propè Libyam, Apfaga flumine inter se diuisi.

Cum Romani bellum Africæ intulerunt, Mauritania reges suos Bocchi eius, qui postea amicitia populi R. floruit, proauos habebat, Masæfuli vero Syphacem, Massyli Galam Massinissæ patrem. Libya, quæ eadem & Africa dicta, Carthaginiensibus libero iam pridem, ac præpotenti populo obtemperabat. Cyrenas Ptolemæi Aegypti reges possidebant.

Cum Carthaginiensibus autem tria bella Romani gesserunt, nomine quidem pro sociis, re vero pro imperio, cuius vtraque gens præter ceteras auida fuit. Primum bellum pro Mamertinis susceptum in Sicilia cum multis Pænorum ducibus, sed ad extremum cum Amilcare gestum est, ut supra diximus. Secundum in Hispania, Italia, & Africa cum Annibale Amilcaris filio pro Saguntinis, idq; hac occasione: Post res priore bello compositas Romani extremum hoc cum Asdrubale, Amilcaris genero, Pænorum in Hispania duce foedus percusserant: *Ne Pæni armati Iberum flumen transirent, ne de Saguntinos trans Iberum populi R. socios diuexarent.* Cum autem, Asdrubale mortuo, Annibal Amilcaris filius imperium suscepisset, Romanos statim Sagunto expugnando, atque Ibero contra foedus cum exercitu traiciendo, bello omnium acerrimo, atque clarissimo prouocauit. cui postea per plures duces in Hispania, Italia, atque Africa varia fortuna, ac dubia spe victoriæ administrato, anno tandem septimo decimo, P. Cornelius Scipio, superato acie in Africa, quo bellum denique translatum erat, Annibale, finem imposuit, atque inde Africani cognomen rettulit. tum vero, teste Liuius, pax Carthaginiensibus his legibus data est: *Ut liberi legibus suis Carthaginienses vincerent, quas vrbes, quosq;*

*agros, quibusq; finibus ante bellum tenuissent, tenerent; perfugas, fugitiuosq; & captiuos omnes redderent Romanis, & naues rostratas præter triremes traderent, elephantosq; , quos haberent domitos, neque domarent alios. bellum ne de in Africa, ne de extra Africam iniussu populi Rom. gererent. Massinissæ res redderent, foedusq; cum eo facerent: decem millia talentum argenti descripta pensionibus æquis in annos quinquaginta soluerent. obsides centum arbitrato Scipionis darent.* Tertium inde bellum eo nomine iis indictum est, quod contra foedus naues haberent, & extra fines exercitum eduxissent, & Massinissæ socio arma intulissent. Quod bellum quarto anno, ductu, auspiciisq; P. Scipionis Æmiliani, Paulli Æmilij naturæ filij, ac P. Scipionis Africani adoptione nepotis, anno vrbs sexcentesimo quinto, confectum est. Quo bello vrbe capta, atque incensa, & solo consecrato, regio Africæ, quæ Carthaginiensibus erat subiecta, in prouinciam est relata. Atque hoc quidem prodidit in Libyca Appianus. *Capta vrbe, decem, inquit, ex suo ordine senatus lectissimos viros misit, qui Libyam cum Scipione re Romanorum componerent. qui quidquid reliqui erat Carthaginiensium exciderunt; eamq; incolæ detuerunt, sed consecrarunt. ciuitates Pænorum amicas deleuerunt. Romanorum socios parto agro donarunt, Vticenses in primis, qui se initio belli dederant, agro ab vna parte Carthaginem, ab altera Hipponem contingente, reliquis tributum imposuerunt agris & corporibus, viris æque, ac mulieribus. institueruntq; , ut quotannis eo prætor mitteretur.* Confirmant etiam alij. Nam de vrbs consecratione sic in agrariis Cicero: *Tum ipsam veterem Carthaginem vendunt. quam P. Africanus nudatam tectis, ac mœnibus suis ad notandam Carthaginiensium calamitatem, siue ad testificandam nostram victoriam, siue ad obtinendam aliquam religionem ad æternam hominum memoriam consecrauit.* De regione autem magistratui subiecta in hunc modum Sallustius: *Bello Iugurthino pleraque ex Punicis oppida, & fines Carthaginiensium, quos nouissime habuerant, populus Rom. per magistratus administrabat.* Neque vero hoc loco audiendus est Strabo, qui scribit regionem Carthaginiensium prouinciam quidem esse factam, verum Massinissæ, ac posteris eius traditam. neque enim tum prouinciâ fieri dicitur, cum socio regi, sed cum Romano magistratui administranda permittitur: aliquot tamen ex hac prouincia oppida Massinissæ permessa, crediderim; siquidem Leptim bello Iugurthino in Iugurthæ regis Numidiz, Massinissæ nepotis, potestate fuisse, scribit Sallustius.

Huic autem prouinciæ, ut etiam Hispaniis, tributum, & vectigal impositum est. Tributum quidem in capita, vectigal vero in agros Appianus interpretatur. atque hoc idem, credo, Cicero etiam voluit, cum in Balbi defensione, *Afros agris, stipendioq; multatos dixit, & in Verrem, cum plerisq; Pænorum impositum vectigal certum, quod stipendiarium dicitur, quasi victoriæ præmium, ac pœnam belli.* in oratione autem pro Pompeio Africam certè inter tria frumentaria Romæ præsidia numerauit. ex quo intelligere possumus, ut in aliis prouinciis, sic in Africa, vectigal frumentarium per publicanorum societates esse tractatum. vnde illud est ad Q. Valerium: *Cuspius fuit bis in Africa, cum maximis societatis negotijs præfesset.*

In eadem Carthago, quæ colonia à C. Graccho propter aduersa omina deduci non potuerat, post à C. Cæsare dictatore instaurata, atque deducta est, ut Strabo cum Dione testatur. Leptitani vero cum Iugurthæ regi parerent; initio belli Iugurthini ad Bestiam consulem, & postea Romam miserunt, amicitiam, societateq; rogatum. vbi ea impetrarunt, semper boni, ut inquit Sallustius, fidelesq; mansere.

Iam vero conuentus in Africa Vticensem, Thapsitanum, & Adrumetanum Hirtius celebrat in libro de bello Africo, vbi item liberam Accillam, Leptim liberam, & immunem, & P. Sittium equitem Rom. de conuentu Vticensi, & negotiatores Italicos, aratoresq; bello Africo permultos in Africa fuisse prodit.

Ex iis autem, qui hanc prouinciam cum imperio obtinuerunt, insignes fuisse



C. Adrianus, qui, testibus Liuiio, & Pediano, à prouincialibus propter crudelitatem, & auaritiam Vticæ in prætorio suo combustus est, & L. Catilina coniurationis auctor, qui ab iisdem de repetundis est postularus.

De Cyrenaica, & Creta. CAP. XVI.



AFRICAË vero affinis Cyrenaica Libya pars nimirum fuit Africa vniuersæ, à Cyrenis quidem, vrbe nobilissima Cyrenaicæ, Pentapolis vero à quinque insignibus vrbus Berenice, Arfinoë, Ptolemaide, Apollonia, & Cyrenis ipsis nomen adeptæ. Vltra quam pars porrecta fuit Ægypti, quæ Arida Libya dicta est, in qua, teste libro XXI Marcellino, oppida fuerunt Parætoniû, Cherecla, & Neapolis. His ergo duabus Libyis Cyrenaicæ, & Aridæ reges ex Ægyptiorum regum genere præfuerunt, atque ab his regibus hæ duæ regiones non vi, sed liberalitate deinceps ad Romanos peruenerunt. Fuêrunt autem, quantum ego intelligere possum, Ptolemæi duo, superior, qui moriens Cyrenas populo Rom. testamento reliquit, cum eo vt liberæ essent; posterior, cognomêto Apion, qui cum Cyrenaica Aridam etiam Libyam. Quæ quidem quoniam apud veteres scriptores parce admodum, obscureq; traduntur, verba eorum, ne quem fallam, mihi proferenda videntur, vt ea pro suo quisque iudicio interpretetur. Sic igitur Iornandes: *Libyam, id est Pentapolim totam à primo illo Ptolemæo Romanis sub libertate concessam, tamen resistentibus debinc Apionis consilium populo Ro. subdidit.* & Rufus: *Cyrenas cum ceteris ciuitatibus Libyæ Pentapoleos Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus, Libyam supremo Apionis regis arbitrio sumus assequuti.* & Marcellinus: *Aridam Libyam supremo Apionis regis consequuti sumus arbitrio, Cyrenas cum residuis ciuitatibus Libyæ Pentapoleos Ptolemæi liberalitate suscepimus.* Ex his ego elicio, Ptolemæum superiorem Cyrenaicam reliquisse Romanis veltigalem, sed tamen legibus, & magistratibus suis vtentem, Apionem autem & Cyrenaicam, & Libyam Aridam. hic autem mortuus est, C. Cassio, & Cn. Domitio cos. vt scribit Obsequens, id est anno vrbs sexcentesimo quinquagesimo septimo. Illud tamen habet dubitationem, quòd Iustinus Cyrenaicam statim post regis testamentum prouinciam factam significat, Liuius vero Cyrenæos à senatu libertate donatos scribit. Iustini verba sunt hæc: *Ptolemæus Ptolemæi Soteris Ægypti regis frater ex pellice natus, cui pater Cyrenas regnum testamento reliquerat, herede populo Rom. instituto decessit. atque ita ea Libyæ pars prouincia facta est.* Liuij vero hæc: *Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomen Apioni fuit, mortuus heredem populum Rom. reliquit. & eius regni ciuitates senatus liberas esse iussit.* Ego vero, vt meam hoc loco interponam sententiam, cum Liuius Cyrenæos liberos à senatu relictos, post à tyrannis oppressos, existimarim; atque inde populum Rom. Cyrenaicæ in prouinciam redigendæ occasionem arripuisse. Video enim, L. Syllam apud Plutarchum, cum bellum aduersus Mithridatem post in Asia gereret, indignatum, quòd Cyrenæi libertate, quam à senatu acceperant, spoliati male à tyrannis haberentur, per L. Lucillum quæstorem suum eo missum, Cyrenæorum remp. tyrannis sublatis constituere: itaque aut imperante Sylla, aut certe post domitos Cretenses Cyrenaicam cum Creta prouinciam factam, facile crediderim. De prouincia certe Cyrenarum per ea tempora testimonium extat Ciceronis in Planciana, in qua ad Iuuentium Laterensem, Cyrenarum, vt mihi videtur Ciceronis ipsius in consulatu, quæstorem populus Rom. in hunc modum loquitur: *Desiderarunt te oculi mei, dum esses Cyrenis. me enim, quam socios, tua virtute frui malebam. & quo mea plus intererat, te adesse, eo longius aberas.* item: *Cyrenis Laterensem liberalem in publicanos, iustum in socios fuisse, quis negat? sed ita multa Romæ gerantur, vt vix ea, quæ fiant in prouincijs, audiantur.* Nominat hic publicanos

canos, at vero alibi nominat agros publicos, vt in agrariis; cum inquit, P. Rullum tribunum plebis, se consule, tulisse, vt *agri Cyrenenses, qui regis Apionis fuerant, venderentur.* meminit eorum etiam Hygenus: *In prouincia Cyrenensi, inquit, agri sunt regij, id est illi, quos Ptolemæus rex populo Rom. reliquit.* & Tacitus: *Cyrenenses reum agebant Atilium Strabonem missum disceptatorem à Claudio agrorum, quos regis Apionis quondam habitos à populo Rom. cum regno relictos proximus quisque possessor inuaserat.* Cyrenis autem in primis conuentum vnum esse illius prouinciæ actum, ad opinionem mihi maxime persuaferim.

Creta vero insula Cyrenis opposita, cum opibus, armis, ac diuturna libertate floureret, prædonibus tum late maria omnia peruagantibus fauisse existimata, merito arma in se Romana conuertit. Anno, vt opinor, ab vrbe condita sexcentesimo octogesimo secundo, M. Antonius triumuir pater piratas in prætura persequens bellum Cretensibus intulit, atque eo parum prospere gesto in Creta mortuus Cretici cognomen inuenit; vt Asconius in Verrinas, Liuius libro nonagesimo septimo, Plutarchus in Antonio prodidere. Biennio post, cum Q. Hortensius consul Cretam, ac bellum cum Cretensibus gerendum fortitus, vrbe, ac foro deletatus, Q. Metello collegæ suo prouinciam exercitumq; auctore Dione, concessisset, Metellus multis præliis prospere factis, multisq; operibus insulæ vrbus expugnatis, totam ad imperium insulam triennij spatio redegit, ac Cretici cognomen inde vna cum triumpho reportauit, & vt apud plerosque scriptum est, Cretam prouinciam fecit. sunt autem Liuius, Velleius, Iustinus, & Rufus. Liuius quidem: *Q. Metellus domitis Cretensibus liberæ in id tempus insulæ leges dedit.* Velleius: *Creta Metelli ductu longissimæ libertatis sine mulctata est.* Iustinus: *Creta bello piratico perdomita in prouinciæ formam redacta.* Rufus: *Creta per Metellum consulem prouincia facta.* Hæc autem cum Cyrenis coniuncta, in vnam est prouinciã constituta. Vnde scripsit Appianus, post mortem Cæsaris Cassio prætori Cretam cum Cyrenis esse mandatam. quanquam ego malim Bruto, de quo ita secunda in Antonium Cicero: *Nuper fixa tabula est, qua ciuitates locupletissimæ Cretensium liberantur, statuiturq; ne post M. Brutum proconsulem sit Creta prouincia.* Id autem ego, vt multa alia ab Antonio ex actis Cæsaris falso prolata, post seruatum non esse, opinor.

De Numidia. CAP. XVII.



NUMIDIA vero, quam in Masæulos, & Massylos diuiseramus, Masæuli, superato à superiore Africano ipsorum rege Syphace, Massinissæ Massylorum regi cum parte Gætulorum dati fuerant, ita vt Numidiæ cunctæ à Mulucha vsque ad Tuscam imperaret. Is Micipsam filium, Micipsa Adherbalem, & Hiempsalem, & Iugurtham fratris filium reges reliquit. Adherbale autem, & Hiempsale per insidias à Iugurtha sublatis, solus Iugurtha Masæulis, & Massylis, id est vniuersæ Numidiæ præfuit. Iugurtham inde, quòd contra senatus auctoritatem aliena inuasisset, Romani bello multis ducibus persecuti sunt, in primis autem Q. Metello, qui Numidicus ex ea victoria nominatus est, & C. Mario, qui, Iugurtha capto, & in triumpho ducto, bellum absoluit. Quoniam vero Iugurtha à Boccho tum totius Mauritanie rege deditus fuerat, propterea Bocchus socius populi Rom. dictus, ac Numidiæ parte ea, quæ Mauritaniam attingit, quæq; olim Masæulorum fuerat, est donatus; vnde ipsa quoque Mauritanie nouæ nomen accepit. quæ vero Carthaginensium finibus continens Massylorum fuerat, ea regi Hiempsali, ex genere, vt puto, Massinissæ, videtur concessa. siquidem Hiempsalem regem Numidiæ apud Plutarchum inuenio, tum cum Marius vrbe à Sylla pulsus in Africam exul venit, ab eoq; Marius ipsum esse adiutum, ex quo intelligi potest,

gi potest, aut Hiempsalem hunc, aut patrem eius post Iugurtham regnum Numidiae obtinuisse. Hiempsali vero successit Hiarbas, quem, cum aliquot post annis Domitium, & Carbonem Marianae factionis duces contra Syllam armis suis foueret, Sylla per Cn. Pompeium ducem vicit, & cepit, regnumque Numidiae Hiempsali, cuius Cicero consul in agrariis meminit, cum Gætulorum regione permisit. Hiempsal inde Iuba filio regnum tradidit. Itaque bello post inter Caesarem, & Pompeium exorto, ac Pompeiana parte in Thessalia profligata, cum Scipio Pompeij focer bellum in Africa renouaret, Iubam Hiempsalis filium, ceterioris, ut dixi, Numidiae, & Gætulorum regem, socium aduersus Caesarem habuit. Scipione vero, & Iuba deletis, cum Gætuli ultro se ad Caesarem contulissent, Numidia à Caesare occupata prouincia facta est, ac noua Africa appellata, ut illa, quae Carthaginensium fuerat, vetus. & C. Sallustius historiarum scriptor: ei primus praefectus est. Atque haec quidem omnia apud hunc ipsum Sallustium, Velleium, Plutarchum, & Appianum scripta reperiuntur. Verum de Numidia à Caesare prouincia facta disertissime omnium Hirtius: *Caesar Zamæ, inquit, auctione facta, bonisque eorum venditis, qui ciues Rom. contra populum Rom. arma tulerant, praemijque Zamensibus, qui de rege excludendo consilium ceperant, tributis, vectigalibusque rebus irrogatis, ex regnoque prouincia facta, atque ibi Crispo Sallustio, populi Rom. proconsole, cum imperio relicto, ipse Zamam egressus, Vticam se recepit. & Dio: Caesar manitionibus Iuba fugiente potitus, atque omnibus urbibus nemine resistente recepti Numidiam in suam potestatem adduxit, eique Sallustium praefecit. Quibus rebus confectis ea pars Libya, quae circum Carthaginem sita, à Romanis Africa dicebatur, vetus prouincia appellata, quod iam olim subacta esset: Numidiae vero, quia nouissime uicta fuerat, nouae prouinciae nomen est inditum.* Quae cum ita sint, satis mirari non possum, cur quidam hac ætate scripserint, Numidiam à C. Mario, capto Iugurtha in prouinciae formam esse redactam. quod neque factum tradidit ex veteribus quicquam, nec fieri potuisse Hiempsale, Hiarba, Hiempsale, & Iuba deinceps ibi regnantibus, facile intelligere potuerunt. In Numidia Cirta colonia fuit, quae regni caput fuerat, quam Sittianorum vocatam scribit Plinius; credo, quod eod. Caesarem eos, qui cum P. Sittio in Mauritania exulante pro se aduersus Scipionem dimicauerant, deduxisset.

Ceterum post victoriam Caesaris, & C. Sallustij imperium, L. Sestius Numidiae praefuit, Q. Cornificius, & D. Laelius Africae. Post autem Octavianus in triumphu Africam vtranque adeptus Fufcium Fangonem legatum ei praefecit. Bruto inde, & Cassio in Macedonia superatis, Octavianus Numidiam, Antonius Africam secunda diuisione obtinuit. Tum vero Sestius dux Antonij, cum, Fangone Octavianus duce exacto, utriusque prouinciae praesesset, aduenienti Lepido (sic enim inter triumuiros conuenerat) ambas dedit. Ad extremum autem cum Octavianus Lepidum inimicum suum, qui ambas item in tertia partitione adeptus erat, in Sicilia comprehendisset, eas per T. Statilium Taurum in potestatem adduxit, ut Dio in primis memoriae prodidit.

*De Mauritania.* CAP. XVIII.




MAURITANIAS vero duas, veterem à freto ad Mulucham, & nouam à Mulucha ad Ampsagam, quae Syphaci primum Massafulorum regi, deinde Massinissae posteris paruit, Bocchus rex vnus, illam quidem iure hereditario, atque auito, hanc vero Iugurthae regis Romanis traditi beneficio, primus obtinuit: deinde alter, ut puto, Bocchus, de quo scriptum est in libro de viris illustribus:

*M. Drusus Magulsam Mauritaniae principem ob regis similitudinem profugam accepta pecunia Boccho prodidit; & post eum duo fratres, Bocchus alius, & Bogud; nouam quidem*

quidem Bocchus, veterem vero Bogud, ambo reges à Caesare victore, pro quo contra Pompeium pugnaverant, appellati. Mortuo vero Caesare Octavianus in triumphu Bogude, quod M. Antonium aduersus se iuuisset, auxiliis Boccho regno depulso, Bocchum ipsum utriusque Mauritaniae regem declarauit; Boccho vero vita functo, regnum totum in prouinciae formam rettulit, anno urbis septingentesimo vicesimo primo, se iterum, & L. Tullo consulibus, ut Dio scribit. Itaque idem post enumerans prouincias, quae ipsi Octauiano aduersus Antonium bello Aetiaco praesto fuerunt, affuisse inquit Africam, cum eam, quae antiquitus Romanis subiecta fuerat, excepta Cyrenaica, tum eam, quae Bogudi modo, & Boccho paruerat.

Atque haec quidem prouinciae fuerunt, quas populus Romanus liber, aut nondum omnino seruitute oppressus, usque ad victoriam Octauiani Aetiacam, id est ad annum urbis septingentesimum vicesimum tertium fecit; Sicilia, Sardinia, Hispania citerior, & vltior, Gallia citerior, de qua in libris de Italia disputauit: Gallia Narbonensis, & Comata, Illyricum, Macedonia, Achaia, Asia, Cilicia, Syria, Bithynia, Cyprus, Africa, Cyrenaica, Numidia, & Mauritania. Reliquae vero, quae praeter has memorantur, prouinciae, prouinciarumque diuisiones ab imperatoribus constitutae sunt omnes, Rhætia, Noricum, Pannonia, Moesia, Dacia, Britannia, iterum Mauritania Caesariensis iam, & Tingitanæ nomen adepta, Aegyptus, Capadocia, Galatia, Rhodus, Lycia, Comagene, Iudæa, Arabia, Mesopotamia, Armenia, & Assyria, de quibus alio volumine differemus.



CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
PROVINCIA RV M

LIBER SECVNDVS.

*Qui praesides prouinciarum essent, & quomodo legerentur.* CAP. I.



VO tempore, per quos duces, quibus finibus, quo iure singulae populi Rom. confectae, ac constitutae prouinciae sint, satis, ut opinor, superiore libro docuimus. reliquum est, ut hoc libro per quos, & quemadmodum ius eis redditum sit, sicut ab initio institutum, ostendamus. qua doctrina nihil esse potest aut ad usum vberius, aut ad cognoscendum nobilius. Quoniam autem ius in omnibus prouinciis duo magistratus, praeses, & quaestor cum suis utriusque ministris administrant, propterea hoc libro de praesidibus primum, eorumque ministris, quinam essent, & quomodo legerentur, deinde,

deinde de quæstoribus, postremo de vtriusque munere differemus.

Præsides igitur à principio præpositi prouinciis sunt prætores, vt & ius prouincialibus dicerent, & si res cogeret, bellum administrarent. Itaque prætorum numerus ob id creuit, quia prouinciarum numerus creuit. cum enim iam tum duo prætores essent, vnus, qui inter ciues, alter, qui inter ciues, & peregrinos ius diceret, ac prouinciæ duæ essent, vt dixi, Sicilia, atque Sardinia institutæ, visum est faciendum, vt prætores alij in eas duo adiicerentur. Inde duabus ad imperium adiunctis Hispaniis totidem alij accesserunt, qui quaterni quaternas in singulos annos prouincias gubernarent. Quoniam vero in ipsis prouinciis sæpe tumultus, ac bella grauiora excitabantur, quæ bella iam inde ab initio geri per consules erant solita, hinc etiam prouinciæ consulibus ordine sunt commissæ. Quare duo potissimum ordinarij fuerunt prouinciarum rectores: prætores, qui in prætura, & consules, qui, grauiore urgente bello, in consulatu prouinciis præfuerunt. Qui si prorogato post præturam, aut consulatum imperio in prouinciis remansissent, pro prætores sunt, ac pro consules appellati. Erant autem prætores à consulibus, & pro prætores à pro consulibus, vt dignitate, sic dignitatis insignibus separati. Etenim prætoribus, & pro prætoribus sex lictores, totidem secures, fascesq; præferentes apparuerunt, consulibus autem, ac pro consulibus duodecim. sic enim scribit in Syria historia Appianus: *Prætores ad exercitum Romani miserunt, quos ἑξαπλόκους, id est sex securium vocant. quia consules duodecim securibus, & fascibus regum more vtuntur. prætores autem, quia dimidium dignitatis habent, etiam dimidium insignium consecuti sunt.* & in Paulo Plutarchus: *Prætor in Hispaniam missus est non cum sex securibus, (tot enim habent prætores,) sed totidem alijs assumptis, vt imperij consularis dignitatem haberet.* Quare iure Cicero de Verre Siciliae prætor dixit: *Sex lictores circumstant valentissimi, & ad pulsandos, verberandosq; homines exercitatissimi.* & de Pifone Macedoniæ proconsule: *Ipse cum hominibus duodecim male vestitis ad portam Cælimontanam peruenit.*

Quoniam autem ad prouinciam cum dignitate, & vtilitate reip. obtinendam singuli præsidēs & potestate, & imperio, & quibusdam potestatis, atque imperij ornamentis afficiebantur, neque hæc vna ratione omnia assequerentur, videtur faciendum esse, vt primum de potestate, deinde de imperio, tum de reliquis disputemus. neque enim hac quæstione quidquam potest esse vt ad tractandum difficilius, sic ad cognoscendum ex tota Romana antiquitate iucundius. Itaque, quoniam non omnibus temporibus vno modo præsidibus prouincia, siue potestas in prouincia est commissæ, verum multæ eius rei rationes inductæ, vt omnia facilius & dicantur, & intelligantur, placet hanc consuetudinem vniuersam in quattuor tempora distribuere; vnum ab institutione prouinciarum vsque ad L. Pifonem tribunum pleb. alterum à Pifone ad L. Syllam dictatorem; tertium à Sylla ad C. Cæsarem dictatorem; postremum à Cæsare ad Augustum imperatorem. Dico igitur, tum cum primum institutæ prouinciæ sunt, vetere lege, cuius prorsus obliterata memoria est, sanctum esse, vt senatus prouincias in potestate haberet, id est, vt quas prætorias, quas consulares esse vellet, ipse quotannis pro iudicio suo statueret; illum autem, postquam consules, prætoresq; designati erant, aut certe simul ac magistratum inierant, cum ad se de prouinciis facta relatio esset, quas tumultuari, aut ab hostibus vicinis tentari intelligebat, eas ferè consulibus, reliquis prætoribus decreuisse. qua re administrata prætorias prætores sortiri, consules consulares, siue sortiri, siue, quod facile inter duos transigi poterat, inter se comparare, iussisse, aut certe ipsum, quod minus sæpe factum est, vtriusque pro suo iudicio nominatim singulas destinasse. cum autem hoc modo prouincias, siue potestatem in prouinciis à senatu obtinuissent, tum vero militare imperium lege curiata à populo accepisse. Atque hæc quidem omnia ex Liuianæ historiæ serie cognosci possunt eorum temporum, quæ à bello Punico secundo vsque ad Per-

cū pertinent. ex qua licet aliquot testimonia sumere. De ordinatione prouinciarum, bello Antiochino: *Comitijs perfectis, quas prouincias prætoribus esse placeret, rettulit ad senatū cōsul. decreuerūt duas Romæ iurisdicūdi causa; duas extra Italiā, Sicilia, atq; Sardinia; duas in Italia, Tarentū, & Gallia. & extēplo, priusquā iniret magistratū, sortiri iussi.* & bello Istrico: *Mummio prætori Sardinia euenit. Sed ea propter belli magnitudinem prouincia cōsularis facta. Gracchus cōsul eam sortitur.* & alibi: *Romæ principio anni cū de prouincijs cōsulū, & prætorū actū esset, cōsulibus Ligures, quia bellum nusquā alibi erat, decreti.* De sortitione vero, cōparatione ve hæc documēto sint. bello Punico: *Idibus Marijs, quo die cōsules magistratū inierunt, Italia ambobus prouincia decreta. prætores sortiti prouincias sunt.* bello Macedonico: *Consules, prætoresq; cum Idibus Martijs magistratū inissent, prouincias sortiti sunt. Lentulo Italia, Villio Macedonia. prætoribus Quinctio Urbana, Babio Gallia, Valerio Sicilia, Villio Sardinia euenit.* iterū Punico: *Cōsulatū inueunt Nero, & Liuius, qui quia iam designati prouincias sortiti erant, prætores sortiri iusserunt. itē: Decreuerunt patres, vt cōsules inter se cōpararent, sortirentur ve prouincias. itē: Scipio, & Crassus, vt cōsulatum inierunt, nominatæ cōsulibus prouinciæ sunt. Sicilia Scipioni extra sortem, cōcedente collega, Bruttij Crasso euenit.* iterū Macedonico: *Decreuerunt patres, vt prouincias Macedoniam, atq; Italiā cōsules cōpararent inter se, sortirentur ve. itē: Cum senatus aut sortiri, aut cōparare inter se prouincias cōsules, iussisset. De præcipua destinatione, quā raro vsurpata diximus; bello Antiochino: Tum de cōsulū C. Lælij, & L. Scipionis prouincijs cōceptū est agi: ambo Graciā cupiebāt. multū Lælius in senatu poterat. is, cum senatus aut sortiri, aut cōparare inter se prouincias consules iussisset, elegantius facturos dixit, si iudicio patrū, quā si sortieam rem permisissent. Scipio respondit, facturū se quod is censeret. cum res noua, aut vetustate exēplorū memoriæ iam exoletæ relata expectatione certaminis senatū erexisset, Africanus ait, si Lucio fratri suo prouinciā Graciā decreuissent, se legatū iturū. itaq; propē omnes Scipioni Graciā, Lælio Italiā decreuerunt.* & alibi: *Hispaniæ extra sortē prioris anni cōsulibus seruata. prætores ita sortiri iussi, vt flaminii diali vtique altera iurisdicūdi Romæ prouincia esset. peregrinā est sortitus.* De imperio vero militari lege curiata accepto, haud ita multo post disputabo. Ergo si ordinaria prouinciarum mandandarum ratio fuit, vt quotannis consulibus, & prætoribus à senatu decerneretur, à populo vero lege curiata imperium in iis traderetur, profecto extraordinaria fuit, quoties aut magistratibus, aut priuatis nominatim prouinciæ vnā cū imperio tributis comitiis datae sunt, aut in iisdem in plures annos prorogatum imperium est. Ac ex magistratibus quidē nescio, an primus hoc tētarit P. Scipio Africanus in cōsulatu. de quo ita Liuius. *Vulgatū erat, si apud senatū Scipio non obtinuisset, vt prouincia Africa sibi decerneretur, ad populū extēplo laturum. itaq; Q. Fuluius postulauit ab eo, vt palā in senatu diceret, permetteret ne patribus, vt de prouincijs decernerent, staturusq; eo esset, quod censuissent, an ad populū laturus. Cū Scipio respōdisset, se quod è rep. esset, facturū, tum Fuluius, non ego, inquit, ignarus, quid respōsurus, facturū ve esses, quæsiui, quippe cum præferas tentare magis, quam consulere senatum, & ni prouinciā tibi, quā volueris, extēplo decernamus, paratā rogationem habeas. itaq; à vobis tribuni pl. postulo, inquit, vt sententiā mihi ideo non dicenti, quod si in meam sententiā discedatur, nō sit ratum habiturus cōsul, auxilio sitis. inde altercatio orta, cum cōsul negaret, æquum esse tribunos intercedere, quominus suo quisq; loco senator rogatus sententiā diceret. Tribuni ita decreuerūt: si cōsul senatus de prouincijs permittit, stari eo, quod senatus censuerit, placet, nec de ea re ferri ad populū patiemur; si nō permittit, qui de ea re sententiā recusabit dicere, auxilio erimus. cōsul die ad colloquendum cū collega petijt postero die permissum senatui est.* Post biennium autē consules Seruilius, & Claudius senatu in Capitolium vocato de prouinciis rettulerūt: *Italiā, atq; Africam in sortē conijci, ambo Africam cupientes, volebant. ceterū Q. Metello maxime annitente neq; data, neq; negata est. Africa cōsules iussi cum tribunis pl. agere, vt si ijs videretur, populū rogarent, quem vellent in Africa bellum gerere, omnes tribus*

P. Scipionem iusserūt. nihilominus cōsules prouinciam Africam (ita enim senatus decreuerat) in sortem coniecerunt. Qui vero priuati primi iam constitutas prouincias à populo obtinuerunt, quos proconsules à consularibus partibus obeundis dixerunt, & Lentulus, & L. Manlius, ut opinor, fuerunt, qui Hispanias tum primum P. Scipione confectas prouincias duas obtinuerunt, & post eos C. Cornelius Lentulus, & L. Stertinius. de quibus ita Liuius: *Plebs Cornelio Lentulo, & L. Stertinius proconsulibus imperium esse in Hispania iussit.* Postremo vero imperiū ex S. C. in prouincia à populo, & quidē tributis comitiis prorogātū, illa nos admonēt, bello Punico: *Prorogatum Philoni imperiū est, ut propraetor Galliam eandem prouinciā obtineret cū iisdem legionibus, quibus praetor obtinisset. Quod L. Veturio, idē in C. Aurelii decretum ab senatu, latūque de prorogando imperio ad populum est.* item *Omnes tribus eisdē Lentulum, & Manliū proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas prouincias iusserunt.* Egregie. ius enim aut deferendi, aut prorogandi militaris imperij suum esse populus voluit, deferēdi quidem, ordine, & magistratibus, curiatis, ut post docebo, comitiis, utrunq; vero, extra ordinem, & priuatis, tributis.

His autē ita ultra annū vrbis D C obseruatis, tū demū noua prouinciarū est ordinatio instituta. Etenim, cum L. Calpurnius Piso, tribunus pl. Censorino, & Manilius. anno ipso D C I I I, teste in Bruto Tullio, primus de quæstione perpetua repetundarum tulisset, id est, ut ex praetoribus iis, qui prouincias sortiri soliti erāt, vna prouinciæ loco quæstionē repetundarū sortiretur, eiq; per annū in vrbe praesesset, eum idē postea in aliis etiā quæstionibus, ac praetoribus alij alia lege sanxissent, initium introductū est, ut praetores, qui quotannis adhuc senī tantū creabantur, iurisdictiones duas, quæstiones quattuor, aut plures ex legibus, quæ de quaq; quæstione lata erāt, in sortē conicerēt, easq; per annū in vrbe exercerēt, extremo autē anno ex S. C. prouincias in posterū sortirētur. Quin etiā eodem tēpore cū populus bi prouincias Africam, & Hispaniam extra ordinē sine sorte nominatim P. Scipione Emilianio consuli virtutis eius admiratione mandasset, easq; ipsi, itemq; post alij alias in multos annos prorogasset, in eoq; veterē senatus auctoritatē imminuisse, placitū est C. Sempronio Graccho, quanuis iuris populi studiosissimo, atq; retinentissimo, ius suum senatui totū aut restituere, aut conseruare. Itaq; legē potius veterem rettulit, quā nouā aliquā intulit: *Ut prouinciæ futuris praetoribus, ac consularibus quotannis a senatu decernerentur;* qua lege cum prouincias ad senatus potestatem redegit, tum imperij prorogationem sustulit. Illud autē adiecit, ut puto, de suo: *Prætoriarum decreto intercedi liceret, consularium non liceret.* Huius autem legis meminit Sallustius bello Iugurthino; *Lege Sempronia prouinciæ futuris cōsulibus decernuntur, Numidia atque Italia. cōsules declarati Scipio, & Bestia. Numidia Calpurnio, Scipioni Italia obuenuit.* & Cicero pro domo in Clodiū: *Tu prouincias cōsulares, quas C. Gracchus non modo non abstulit à senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per senatum, lege sanxit. eas lege Sempronia per senatum decretas rescidisti. extra ordinem, sine sorte nominatim dedisti consularibus.* & in oratione de prouinciis: *Decernende sunt nobis lege Sempronia prouinciæ duæ. & ex interuallo: Faciam, inquit, Syriam, & Macedoniam prætorias, ut Pisoni, & Gabinio succedatur statim, si hic senatum enim tribunus intercedere poterit, nunc nō potest. itaq; idem ego, qui nunc consularibus, qui designati erunt, Syriam Macedoniamq; decerno, decernam easdem prætorias, & ut prætores annuas prouincias habeāt, & ut Gabinium, Pisonemq; quam primum videamus. Sed mihi credite, nunquam succedatur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de prouincijs non licebit.* Ex quibus verbis apparet, Gracchum lege sua tulisse, ut prætorijs prouincijs à senatu decernendis intercedi posset, consularibus non item. Quāquā autem de prouincijs quotannis à senatu cōstitui, easq; consularibus, & prætoribus in annū mandari subsequente sorte, aut cōparatione, lex Sempronia sanxit, ex quā lege per hæc tempora C. Sempronius Tuditanus Illyricū, L. Aurelius Orestes Sardiniam, L. Crassus Galliam, Q. Scæuola Asiam in consulatu, C. Cat-

tem Marius, & L. Sylla, postquam insignem præturam Romæ gesserāt, ille Hispaniam vltiorem, hic Ciliciam, teste Plutarcho, sortiti, lege deinde curiata in iis imperium acceperunt; sæpe etiam à lege Sempronia iisdem temporibus esse recessum, ut in C. Mario, cui consuli Numidiam, & post etiam Galliam nominatim sine sorte populus non solum mandauit, sed etiam in iis imperium prorogauit, cuiq; priuato Asiam, & bellum Mithridaticum, quod Sylla consul senatus consulto, & sorte erat adeptus, commisit.

Tertia inde tempora successerunt à L. Sylla dictatore vsque ad C. Cæsare. quibus lege item Sempronia prouinciæ in senatus potestate manserunt. Indicant illa Ciceronis in oratione de prouincijs, quam multis post Syllæ dictaturam annis dixit: *Decernendæ sunt nobis lege Sempronia prouinciæ duæ.* & in epistolis ad Lentulum: *Stipendium Cæsari decretum est, & ne lege Sempronia succederetur.* Noui vero illud intulit Sylla, ut, quia tribunis plebis agendi cum populo potestatem ademerat, prorogatio imperij, quæ à populo fiebat, ipsius iniussu populi haberetur. tulit enim, ut qui prouinciam ex s. c. obtineret, is imperiū tandiu haberet, quoad in urbem redisset. quod Cicero scripsit ad Lentulum: *Appius dicitur, se, quoniam ex s. c. prouinciam habeat, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introcat.* Sic per hos annos lege Sempronia ex prætura C. Verres Siciliam sortitus est, L. Lucullus Africam, Q. Metellus Celer, & L. Murena Galliam, C. Cæsar vltiorem Hispaniam, ex consulatu vero L. Octavius Ciliciam, C. Cotta, & L. Lucullus Galliam, M. Cotta Bithyniam, M. Lucullus Macedoniam, Q. Hortensius Cretam. Vnde Cicero dixit in frumentaria: *Quid agis Q. Hortensi? consul es designatus, prouinciā sortitus es.* Vsque adeo vero consules, prætoresque in potestate senatus fuerunt, ut iis etiam senatus leuissimas, ac nullius laudis prouincias decreuerit. siquidem Suetonius in Cæsare scribit, *ab optimatibus datam operam esse, ut prouinciæ futuris consularibus minimi negotij, id est syluæ, callesq; decernerentur.* Cum autem lege Cornelia, qui prouinciam ex senatus consulto habebat, is imperium, quoad in urbem rediret, haberet, hinc factum est, ut per eadem tempora alij biennium, alij triennium, alij amplius prouincijs sine populi prorogatione præfuerint. quia, cum successor aut à senatu non esset decretus, aut decretus in prouinciam non esset profectus, tandiu imperium obtinuerunt, quoad domū redierunt; ut L. Lucullus, qui ex consulatu per septem annos Ciliciæ, & Asiæ præfuit, quia successor non est missus, & C. Verres, qui ex prætura per triennium Siciliæ, quia successor non est profectus, ut scribit Asconius. Quin etiam iisdem temporibus noui illud est illatum, ut prouincia à senatu tribueretur, ut Cn. Pompeio Hispania; credo, quia per populum, nondum potestate tribunicia restituta, dari non poterat. Itaque tradito exemplo, post tribuniciæ potestatis restitutionem idem quoque in Cn. Pisoni, & C. Cæsare Octauiano est factitatum. De quibus sic Cicero in Antonium; *Sertorianum bellum Cn. Pompeio priuato datum est à senatu, quia consules recusabant. cum L. Philippus proconsulibus secum mittere dixit, non pro consule.* & Suetonius in Cæsare: *Cn. Pisoni ob suspicionem coniurationis vrbane Hispania prouincia à senatu extra ordinem data est.* & Sallustius in Coniuratione: *Piso in citeriorem Hispaniam quaestor propraetore missus est.* iterum Cicero in Antonium: *C. Cæsari adolescenti imperium extraordinarium mea sententia dedi. ille enim mihi praesidium extraordinarium dederat.* Quin etiam, post quam Pompeius, & Crassus in primo consulatu tribuniciam potestatem restituerunt, prouinciæ rursus extra ordinē rogatione tribunicia à populo sæpe mandata, & magistratibus, & priuatis sunt; ut Gabinia quidem lege bellum piraticum; Manilia vero Asia, Bithynia, & Cilicia Pompeio priuato; Vatinia vero Gallia, & Illyricum consuli Cæsari in quinquennium data, & Trebonia in alterū quinquennium prorogata; Clodia vero Syria Gabinio, Macedonia Pisoni, cum ambo consules essent. Vnde illa Ciceronis in eadem oratione extitere: *De Cn. Pompeij imperijs extraordinarijs tribunicijs turbulenti tulerunt.* & in senatu post reditum: *A. Gabinius*

tribunus pl. nisi rogationē de piratico bello tulisset, profecto & egestate, & improbitate coactus piraticam ipse fecisset. & in Vatinius: Eripuisti senatui provincia decernende potestate, imperatoris diligendi iudiciū, ararij dispensationem; quæ nunquā sibi populum Romanus appetiuit; qui nunquā hæc à cōmuni cōsiliū gubernatione auferre conatus est. & pro domo sua in Clodium: Quis homini turpissimo Gabinio Syriā, quis bellum periculis gentibus, quis pecuniā ad emendos agros constitutam, ereptam vi ex Caesaris rebus actus, quis imperiū infinitū dedit? cui quidem cum Ciliciam dedisses, mutasti partitionem, & Ciliciam ad prætorem item extra ordinē translulisti. Gabinio pretio amplificato Syriā nominatim dedisti. quid? homini teterrimo L. Pisoni non ne nominatim liberos populos tradidisti? tu provincias consulares, quas C. Gracchus nō modo non abstulit à senatu, sed etiā, ut necesse esset quotannis cōstitui per senatū, lege sanxit, eas lege Semproniana per senatū decretas rescidisti, extra ordinē sine sorte nominatim dedisti consulibus. Possum etiā illud adiungere, provinciā aut non sortiri, aut post sortē deponere, atque in eā non ire, si nō lege, at certe exēplo licuisse, ut Ser. Sulpicij, qui in prætura sortiri noluit; Q. Arrij, qui C. Verri in Sicilia nō successit; Cn. Pompeij, qui in primo cōsulatu, se in provinciā nō iturū, iurauit, idq; seruauit; Q. Hortēsi, qui Cretam; M. Ciceronis, qui Galliā in concione deposuit. Vnde illa sunt pro Murena in Sulpiciū: Postremo tu ex prætura in provinciā ire noluisti. nō possum id in te reprehendere, quod in me ipso & prætor, & cōsul probaui. Eodē autē tēpore cum prouinciarum obtinendarū cupiditate plerique omnes præturā, & consulatū appetere, ac propterea arderet in ciuitate ambitus, ut huic malo occurreretur, Senatus consultum Pompeio tertiu cōsule factū est, teste Dione, Nequis prætorius, aut consulari intra quinquenniu in provinciā ire possit. quo S. C. senatus eos ire in provincias cōpulsit, qui in eas ex prætura, aut ex consulatu nō iuerāt, inter quos fuere M. Cicero, & M. Bibulus, quorū alter ex senatus cōsulto Ciliciā, alter Syriā est sortitus, ut scribit Plutarchus. eodemq; anno, Marcello, Sulpicioq; cos. senatus consultū alterum in eandem ferme sententiā factū scribit Cælius: placere senatui in Ciliciam provinciā, inq; octo reliquas provincias, quas prætorij pro prætoribus obtinerent, eos, qui prætores fuerāt, neque in provincia cū imperio fuerāt, quos eorum ex senatus consulto cum imperio in provinciā prætores mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti piacere; si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerū non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodq; collegiū primū prætorū fuisse, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. si ad numerū nō essent, tunc deinceps proximus quisq; collegij, qui prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortē conijcerentur, quoad is numerus effectus esset, quē ad numerū in provincias mitti oporteret. Quod autē octo prætoriarū provinciā in hoc S. C. nominatur, id ab instituto Syllæ profectū est, qui additis quæstionibus numerū quoque prætorum auxit usque ad decem. quanquam plerunque octo ex S. C. creati sunt. Postero vero anno Paullo, & Marcello cos. oriente ciuili bello, S. C. aliud eodem pertinet factū est, de quo sic Cæsar: Prouinciæ priuatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætorie. Scipioni Syriā, Domitio Gallia obuenit. Paullus, & Marcellus priuato consilio prætereuntur. neque eorū sortes deiiciuntur. in reliquas provincias prætores mittuntur. Quæ omnia, quam varia, ac secum discrepans fuerit eorum temporum in mandandis provinciis ratio, utpote iam labente vetere disciplina, declarant. Vnde Cæsar ipse eodem in loco queritur, in se noui generis imperia constituit, ut idem ad portas urbanis rebus præsideat, & duas provincias absens tot annos obtineat. in se iura magistratuum commutari, ne ex prætura, & ex consulatu, ut semper, seu per paucos probati, & electi in provincias mittantur. Significat autem Pompeium in primis, qui duas provincias Hispanias absens per legatos administrauerat, atque ipse ad urbem manens rebus urbanis præfederat.

Neque vero hoc loco res stetit, sed multo vehementius post victoriam Cæsaris fluctuauit. Primum enim ipse in dictatura legem tulit, qua (credo, ne quis exemplo suo

suo continuatione imperij, & diuturna prouinciarū possessione remp. occuparet,) cauit, ut nemo prætoriarū provinciā plus anno, consularem plus biennio possit obtinere: in quo aliquid de Sēpronia lege detraxit, quæ annuas ambas sanxerat prouincias, cui tamen legi ipse non paruit, quippe qui prouincias sine sorte pro arbitrio, iudicioq; suo mandarit, ut Ser. Sulpicio Achaia, M. Bruto Galliā citeriorē, Decimo vltiorē. Deinde vero occiso Cæsare, M. Anton. in cōsulatu ferri à tribunis pl. passus est, ut cōsulares prouinciæ sexennio obtinerētur, qua lege Iulii legē ipsam funditus sustulit, ut Cicero ei in maledictis obiecit: Quæ lex sæpius flagitata, inquit, quæ ne prætoriarū provinciæ plus, quàm annū, quàm bienniu cōsulares, obtinerētur? hac lege sublata videntur ne vobis Cæsaris acta seruari? & alibi: Tribuni pl. tulerūt de prouincijs contra acta Cæsaris, ille biennij, iste sexennij. Atque eodem etiam anno prouinciæ ex S. C. in sortē coniecte sunt, sed fraus per M. Antoniu cōsulē in fortiendo cōmissa, usque adeo ut plerique eorū, qui sortiti essent, ire noluerint. quo factū est, ut eam sortitionē Cicero his verbis in tertia in Antoniu concione irriserit: Præclara tum senatus consulta illo ipso die vespertina, prouinciarū religiosa sortitio. diuina vero oportunitas, ut quæ cuique apta esset, ea cuique obueniret. Ille autē quæ de se expectat iudicia grauiora? L. Lentulus, & P. Naso nullā se habere provinciā, nullā Antonij sortitionē fuisse iudicauerunt. quod idem fecit L. Philippus, M. Anturanus, P. Oppius. ipsi etiā, qui amicitia Antonij veriti plus ei tribuerūt, quàm fortasse vellent, M. Piso, & M. Vrbilius senatus auctoritati se obtēperaturos esse dixerūt. quid ego de L. Cinna loquar, qui omnino provinciā neglexit. quā item C. Cæsetius repudiavit. qui sunt igitur reliqui, quos fors diuina delectet? L. Annius, & M. Antonius. o felicē vtrunque. nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedonia. hunc quoque felicē. hanc enim semper habebat in ore provinciā. C. Calpurnius Africa. nihil felicius. modo ex Africa decesserat, & quasi diuinās se reductorū, duos legatos Vtica reliquerat. deinde L. Iccius Siciliā, Q. Cassius Hispaniā. non habeo, quid suspicer. duarū credo prouinciarū sortes minus diuinas fuisse. Quin etiā eodem anno, senatus consultū Antonio cōsule absente in ipsius Tullij sententiā factū est: Senatū arbitrari, ad summā reip. pertinere, à D. Bruto, & L. Plāco imperatore, cōsule designato, itēq; ceteris, qui provincias obtinent, obtineri ex lege Iulia, quoad ex S. C. cuique eorū successum sit. itē postero anno alterū: Vti C. Pansa, A. Hirtius cos. alter, ambo de, si eis videretur, recuperata rep. de prouincijs cōsularibus, prætorijs ad senatum referret. interea prouinciæ ab ijs, qui eas obtinerēt, obtinerentur, quoad cuiq; ex S. C. successum esset. Noui vero, & quidē pessimi exempli illud, quod cū senatus M. Antonio cōsuli Macedonia decreuisset, populus pro Macedonia Galliā citeriorem, quā D. Brutus ex S. C. obtinebat, teste Appiano, permutauit. & quod, cū Octavianus, Antonius, & Lepidus triumuii remp. occupassent, provincias sæpe, præterquā quæ armis inimicorū tenebatur, inter se sine S. C. pro libidine, partiuerunt, eaque per legatos à se lectos administrarunt. Ex quibus omnibus non solum varia legendorum præsidum consuetudo, sed varia etiam proconsulum, ac pro prætorum significatio perspici potest, cum proconsules, ac pro prætores dicti sint, qui quocunque modo in provinciis consulum, prætorūque munia, partēque obiuerint, siue ex consulatu, ac prætura prærogatum à populo in provincia imperium haberent, siue ex consulatu, ac prætura provincias ex S. C. sortiti essent, siue priuati à populo, aut à senatu cum imperio consulari, aut prætorio eas accepissent.

Ac de provinciis quidem, siue potestate in provinciis deferenda, hætenus. nunc de mandado præsidibus imperio dicamus, de quo subobscurè ante significauimus. Ceterū, ut potestas S. C. delata est, sic militare imperium lege. Legē autē intelligo eam, quæ, quod curiatīs comitiis lata esset, præcipue curiata nominabatur. Curjata enim comitia cū ad alia multa adhibuerūt, tum maxime ad imperiū militare mandandū. quod indicauit Camillus, cū in oratione, qua Veientanā commigrationem dissuadet, dixit apud Lium: Comititia centuriata, quibus consules, tribunosq; militum consulari potestate creatis, comitia curiata, quæ militare rem continēt, ubi auspiciato, nisi

ubi affolet, fieri possunt. egregie. Etenim cum illud requirebatur, ut imperium a populo acciperetur, tum vero, ut iustis comitiis acciperetur. sic enim iustum quoque fore imperium arbitrabatur. Vnde dixit in Ligariana Cicero: *Iusto cum imperio provincia profectus erat.* Iusta vero comitia fuerunt, quae auspiciato habita sunt: qualia sola centuriata, ac curiata fuerunt. quorum, ut inquit Camillus, illis magistratus, his imperium militare delatum. est ergo iustum imperium, quod a populo curiatis comitiis est transmissum. transmissum est autem non omnibus, sed iis duntaxat, qui, ut dixi, aut in magistratu, aut certe ex magistratu provincias adepti essent, ut dictatoribus, consulibus, & praetoribus, aut qui ex consulatu, & praetura fortiti provincias essent. De dictatoribus, consulibus, siue tribunis consularibus, significat Livius, cum scribit: *Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Samia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captae urbis, & Caudinae pacis. Maer Licinius tertia etiam clade, quae ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit.* significat autem, praeter dictatorem ad bellum iturum, etiam consulibus, & tribunis militaribus consulari potestate curiatam legem fuisse latam; quod clades, cuius meminit, ad Cremeram, & ad Caudinas furcas consulibus ducibus accepta sit: captae vero urbis, tribunis militaribus consulari potestate. De consulibus autem praecipue docet Cicero in agrariis, cum inquit: *Consuli si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* & in epist. ad Attic. *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus factionem in senatu recitauit, quam ipse & suus competitor fecisset, ut ambo festertium quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dissentissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quae lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset.* De praetoribus autem, aut qui ex praetura provincias fortiti erant, Caesar bello ciuili: *In reliquas provincias praetores a senatu mittuntur, neque, quod superioribus temporibus non acciderat, expectant, ut de eorum imperio ad populum referatur.* ad populum enim cum dicat, plebiscitum excludit. De iis autem qui quamuis multis annis post consulatum, tamen ex consulatu, & ex S. C. provincias, ut Cicero, obtinuerant, sic ipse ad Cassium: *Enitere, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & senatus & populus annuam esse voluit, temporis prorogetur.* Atque imperium quidem ordine iam inde a primis temporibus hoc modo mandatum est.

Iam vero subsidia siue ornamenta prouinciarum, quae quidem dari, atque adimmi, augeri, atque minui pro arbitrio potuerunt, eadem a senatu nouo, & quidem post legem curiatam latam, senatus consulto tributa sunt. In his autem ornamentis, atque subsidiis fuit latitudo prouinciae, magnitudo exercitus, stipendium in milites, viaticum in legatos, & cohortem, comitatus, & cetera generis eiusdem. quae quidem quoniam non omnibus eadem amplitudine, numeroque concessa sunt, propterea cum ea decernebat senatus, tum provincias, aut praesides ipsos prouinciarum ornare dicebatur. ut Livius, bello Antiochino: *Disceptionem inter praetorem, legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari provincias, priusquam de praetorio exercitu ageretur, equum censebant.* & Cicero ad fratrem: *Referebatur de provinciis quaestorum, & ornandis praetoribus.* Ceterum provincias ornatas esse a senatu post legem curiatam de imperio latam, apparet ex verbis eiusdem supra allatis: *Nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quae lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent, in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset.* Vnde alio loco idem queritur: *consulares provincias Lætuli, & Metelli a senatu esse ornatas mense Decembri, antequam noui tribuni inissent, & cum adhuc consules designati essent. idque grauius fert, quod tribuni dicerent, se causam ipsius voluisse sui potestate esse de consulibus ornandis, non ut eos impediret, sed ut ad causam sui exulantis adiungerent. additque, se non arbitrari, alias unquam ornatas provincias esse consulum designatorum.* itemque ex Suetonio, qui

qui scribit, *Caesarem Hispaniam vltiorem ex praetura sortitum, neque more, neque iure, antequam prouinciae ornarentur, esse profectum.* In ornamentis autem prouinciae, magnitudinem fuisse prouinciae, ostendunt ea, quae supra de finibus Hispaniarum pro praesidium honore productis, atque reductis, & de dioecibus Asiae Ciliciae ipsi attributis, atque ademptis diximus. Nam reliqua Cicero declarat in Pisoniana: *Ego, inquit, prouinciam Galliam senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam, atque ornata in concione deposui.* & alibi: *Tu prouinciam naetus, as ex s. c. attributum in quaestu Romae reliquisti* & in Antonianis: *Prouinciae Cassio, & Bruto a senatu datae, quaestores additi, legatorum numerus auctus.* & in epistolis ad Cassium: *Cetera cuiusmodi sint, ex hoc indica, quod legato tuo viaticum eripuerunt.* & Pedianus in Verri nas: *Legatis, & cohorti praetoriae alimenta de publico data sunt.* Viaticum autem a le natu obtinere non potuisse, nisi qui legem curiatam haberet, nescio, an satis Appius indicarit, cum legem curiatam ferre consuli opus esse, necesse non esse dixit. de quo Cicero ad Lentulum Ciliciae proconsulem: *Appius consul dicitur, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam: si lex curiata non esset, se paraturum cum collega, tibi que successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse, se, quoniam ex s. c. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quo ad in urbem introiisset. Sunt, qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur, sunt, qui, si decedas, a te relinqui posse, qui prouinciae praesit, & ad fratrem: Appius sine lege curiata confirmavit, se Lentulo nostro successurum.* & ad Atticum: *Appius sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat.* Horum enim verborum haec mihi videtur esse sententia: quoniam qui prouinciam ex S. C. habebat, is postremis reip. temporibus, ex lege, quam dixi, Cornelia imperium, quousque in urbem introiisset, habebat, propterea Appium interpretatum, legem curiatam de imperio, sibi, qui ex S. C. prouinciam haberet, vtilem potius esse, quam necessariam. quippe cum sine ea imperium haberet, ut viaticum a senatu, nisi curiata lege ante de imperio lata, obtinere non posset. ex quo efficiebatur, ut quia sine lege curiata ibat, suo sumptu iret. In lege autem Cornelia interpretanda deceptum Appium, satis liquet. quia non intelligebat, Syllam tollere voluisse plebiscitum, quo privato imperium prorogabatur, non autem curiatam legem, qua imperium magistratui mandabatur. Nam cum plebi, ut dixi, infensus tribuniciae potestatis ius imminuisset, ne quis rogationem tribuniciam in prorogatione imperij desideraret, tulit, ut qui prouinciam ex S. C. in annum obtinuissent, ij imperium in ea sine villa populi prorogatione haberent, quo ad domum redissent.

Iam vero de viatico, id est de ceteris prouincialibus ornamentis, ut vestibibus, vasibus, vehiculis, mulis, tabernaculis, & reliquis eiusdem generis, haec habemus, Zonaras magistratibus peregre proficiscentibus, cum alia necessaria, tum annulum de publico datum scribit. Cicero de signis. *Maiores, inquit, nostri neminem, qui cum potestate, aut legatione in prouinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: aut vestem; praebatur enim legibus. mancipium putauerunt, quo & omnes utimur, & non praebetur a populo. Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum.* Livius bello Persico: *Magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent socijs.* Vnde Suetonius Augustum instituisse refert, *ut ad mulos, & tabernacula, quae publice locari solebant, certa pecunia constitueretur.* recte. Locata enim eiusmodi instrumenta fuisse, indicio est P. Ventidius, qui, ut scribit Gellius, victum quae fuit comparandis mulis, & vehicula magistratibus, qui fortiti provincias forent, praebenda publice conduxit. Itaque Alexander Seuerus, ut tradit Capitolinus, *exemplo veterum, argento, & necessarijs, magistratus, quos in prouinciam mittebat, instruebat, ita ut praesides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas, fenas, mulis binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos singulos.*

Atque ordinaria quidem prouincialium præsidum deligendorum, ratio hæc, vt dixi, fuit, nempe vt magistratus, aut qui magistratu abiissent, ex S. C. prouinciam, id est potestatem in prouincia sorte, imperium militare lege curiata, ornamenta vero prouincialia deinceps nouo senatus consulto nanciscerentur. Quæret aliquis, quid? an vero qui aut in magistratu, aut priuati à populo nominatim extra ordinem prouincias accipiebant, eodem hæc omnia modo adipiscebantur? Equidem non arbitror, verum qua lege prouinciam à populo, eadem etiã imperium, & ornamenta consequutos. Lex autem, vt iam pridem significauimus, tributis lata comitiis, & quidem à tribunis pl. fuit. Atque hoc ostendit maxime Cicero, cum in Vatinium, qui tribunus pl. prouincias duas lege Cæsari consuli cum tribus legionibus dederat, sic dixit: *Eripuisti senatui prouinciæ decernendæ potestatem, imperatoris deligendi iudicium, ærarij dispensationem.* Significat enim nimirum, quæ à senatu decerni solebant, prouincia, imperium, & pecunia, eorum ius per Vatinium potissimum senatui ademptum populo esse tributum. siquidem imperium tum decerni quodam modo videbatur à senatu, cum lex curiata ex S. C. de imperio ferebatur. Declarauit etiam magis in Pisonem, qui lege Clodia Macedoniam consul acceperat: *Obtinuisti prouinciam consularem finibus ijs, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat. habebas exercitum tantum, quantum tibi non senatus, aut populus Rom. aederat, sed quantum tua libido conscripserat, ærarium exhauseras.* Lege porro Gabinia scimus Cn. Pompeio priuato bellum piraticum cum quindecim legatis, & Manilia Mithridaticum cum omni apparatu belli piratici, ac Mithridatici, itemque Asiam: Bithyniam, & Ciliciam prouincias esse commissas. Hi enim omnes, quibus legibus prouincias, iisdem etiam imperium in prouinciis cum ipsis ornamentis imperij acceperunt, neque legem curiatam vllam præterea desiderarunt. Huius autem rei hæc esse causa potuit, in magistratibus quidem, quia satis id imperium videretur, quod semel comitiis tributis à plebe cum prouinciis obtinissent, in priuatis autem, quia priuatis lex curiata non ferretur, sed magistratibus tantum, credo, quod priuati carerent auspiciis, quæ solis, vt alias dixi, patebant magistratibus. Sic enim scripsit bello Punico Liuius: *In senatu, cum Cn. Seruilius cos. de republica retulisset, redintegrata in C. Flaminiu inuidia est. duos se consules creasse, vnum habere. quod enim illi iustum imperium, quod auspiciu esset magistratus, id à domo, publicis, priuatisque penatibus, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre, nec priuatum auspicia sequi, nec sine auspicijs profectum in externo ea solo noua atque integra concipere posse.* & alibi: *Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solemne auspicatorum comitiorum in castra, & prouincias procul ab legibus, magistratibusque, ad militarem temeritatem transferri.* Quo circa in castris Pompeij Macedonicis, teste Dione, in quibus magna ciuitatis Romanæ pars bello ciuili domo profecta confidebat, magistratus noui, quibus prouinciæ in insequentem annum committerentur, ob eam rem non sunt creati, quia lex curiata de imperio magistratum in castris ferri non potuit. at magistratibus iisdem imperia in alterum annum sunt prorogata, quod id tributis comitiis sine lege curiata perfici potuit. curiata vero comitia idcirco in Macedonia non potuerunt haberi, quia auspicia, quæ ipsa comitia præcedebant, in externo concipi solo, si Liuius credimus, non licebat, & comitia curiata auspiciato, vt dixit Camillus, nisi vbi affolebat, haberi non poterant. tributa vero licuit haberi, quia ipsa auspiciis iis, quibus curiata, non erant obstricta.

Postremo vero eorum, qui priuati extra ordinem à senatu prouinciam acceperunt, eandem quoque fuisse rationem opinor, vt quo senatus consulto prouinciam, eodem etiam imperium atque ornamenta adepti sint. si modo tam multa senatus nominatim alicui detulit. cuius rei documento est Cn. Pompeius à senatu in Hispaniam missus, & C. Cæsar Octavianus in Galliam: sic enim Pompeius scribit ad senatum apud Sallustium: *Equidem fateor, me ad hoc bellum maiore studio, quam consilio profectum; quippe qui, nomine modo imperij à vobis accepto, diebus quadra-*

ginta

*ginta exercitum parauit.* queriturque inde, se à senatu stipendium, quod ad bellum opus sit, non accepisse. & Cicero in senatus consulto de Octauiano: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest, sit pro prætore eo iure, quo qui optimo.* Neque vero iis lex curiata est lata, quod priuati essent, & eo imperio, quo nominatim à senatu affecti fuerant, contenti essent. Ac de potestate quidem, imperio, & ornamentis præsidibus prouincialibus deferendis hæc hactenus.

*De comitatu præsidum, legatis, tribunis mil. præfectis, reliquisque ministris.* C A P. I I.



**Q**UEM vero in præsidibus, ornamentisque prouinciarum comitatum præsidum reposuimus, hic adiutores, ministros, comitesque omnes eorum amplexus est, quos cum vsus, ratioque prouinciæ, tum dignitas ipsa magistratum, ac reip. postulauit, fuerunt autem legati, tribuni militum, centuriones, præfecti, decuriones, alique militarium operum, rationumque adiutores, atque ministri, præterea vero scribæ, accensi, præcones, lictores, interpretes, tabellarij, aruspices, cubicularij, medici, & qui quotidianæ vitæ prope socij fuerunt, quæ cohors prætorij, & quasi prætorij dicta est. inter quos referendi quoque contubernales sunt. Qui singuli quemadmodum lecti sint, exponamus; nam cui vsui præsidibus, atque ipsi omnino reip. fuerint, post dicemus.

Legatorum nomen multis modis acceperunt, sed qui in prouinciis versarentur duobus; primum, qui senatus voluntatem ad alios detulerunt; deinde, qui præsidibus operam quacunque ratione nauarunt. Quos ambos intellexisse Varro mihi videtur, cum in libris de lingua Latina scripsit: *Legatis, qui publice lecti, quorum opera, consilioque vterentur peregre magistratus, qui de nuntij senatus, ac populi essent.* & Cicero in interrogatione in Vatinium, cum eos appellauit *nuntios pacis, ac belli, curatores, interpretes, bellici consilij auctores, muneris prouincialis ministros.* significat enim vnum genus legatorum, qui decem, aut quinque à senatu, & ex senatu ad ordinandam prouinciam, parta ab imperatore victoria, mittebantur, de quibus initio diximus; item alterum, qui præsidibus in omni prouinciali, ac bellico munere adiutores dabantur, vt ad arbitrium se illorum accommodarent, de quibus Appianus libro primo Ciuiliu: *Legatos Romani appellant, quos prouinciarum rectoribus addunt, vt ijs subsidio sint;* & Cæsar libro tertio eorundem: *Alia sunt legati partes, alia imperatoris; alter omnia agere ad præscriptum, alter libere ad summam rerum consulere debet.* & libro secundo: *Officium legati, fiduciarium operam obtinere.* De his igitur legatis illud hoc loco videmur posse præcipere, eos aut à senatu datos, aut permissu senatus à præsidibus esse ascitos, aut certe lege aliqua extra ordinem esse delectos; atque hoc potissimum ex ea, quam dixi, in Vatinium interrogatione: *Audire de te cupio, quo tandem S. C. legatus sis. tua lege dicis? ne hoc quidem senatui relinquas, quod nemo vnquam ademit, vt legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeo ne tibi sordidum consilium publicum visum est, vt non nuncios pacis, ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilij auctores, non ministros muneris prouincialis senatus more maiorum deligere posset? quis legatos vnquam audiuit sine senatus consulto? ante te nemo. post continuo fecit idem in duobus prodigijs reip. Clodius.* & ex oratione pro Sextio: *Quos legatos non modo nullo S. C. sed etiam repugnantie senature tibi legasti.* & ex Manilianâ, in qua queritur, impedimentum afferri, ne A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti legaretur; & addidit, *se sperare de eo legando ad senatum consules relatuos.* Nam quod dixi, præsidem pro arbitrio aliquando sibi legasse, id ostendit in libro de prætura, cum inquit: *Verrum, postquam Cilicia Dola-*

Nepos

Nepos cum scribit, *Atticum ne cum Q. quidem Cicerone sororis suae viro in Asiam ire voluisse, cum apud eum legati locum obtinere posset, quia decere se non arbitraretur, tum praturam gerere nolisset, asseclam esse praetoris.* Iam vero numerus legatorum, qui minimus, triū, ut opinor, fuit. sic enim scripsit Liuius: *Decernant frequentes, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos.* Quin etiam Q. Cicero praetor tres tantum in Asiam secum legatos duxit. Habitam tamen esse rationem praetorij gradus, & consularis, & prouinciae, & belli, & ipsius denique hominis arbitror à senatu. siquidem Bruto, & Cassio legatorum numerum auctum scribit Cicero, & ipse in Cilicia proconsul secum legatos quattuor habuit, & Cn. Pompeio lege Gabinia quindecim datos, satis constat. Quin etiam observatum illud est, ut legatos libenter sibi quisque legaret, qui rei militaris periti essent, atque ipsi prouinciis alias cum imperio praefuissent. itaque consulares consulibus, praetorij praetoribus legatos se poscentibus aliquando adiunxerunt, & frater fratrem, filius patrem sibi legauit: neque id iniuria. intelligebant enim, totum iurisdicendi, rei que gerendae munus in consilio, fide, opera, vsuque legati, legatorum ve consistere. Quoniam autem praesides legatis potestatis, atque imperij sui partem communicabant, hinc factum est, ut & ipsi legati licitoribus, ac fascibus vterentur. Quod ostendit Liuius de Plemio P. Scipionis imperatoris legato scribens: *Sine respectu non maiestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum, licitoribus prius indignum in modum mulctatis, faciunt.* & Cicero de Verre Dolabellae proconsulis legato: *In Achaia sumptu publico & legationis nomine cum imperio, & securibus missus est.*

De tribunis autem militaribus, ceterisque, qui sequuntur, praefectis antequam dicam, illud repetere oportet, exercitum Romanum, cui hi omnes aliqua ex parte praefuerunt, ex legionibus, & auxiliis fuisse confectum, legionem certum numerum peditum, equitumque Romanorum fuisse, auxilia vero certum socialium copiarum. atque his singulis, ut inter se erant diuersi, sic varios etiam duces praepositos. Quoniam autem legiones scribi quotannis quattuor erant solitae, quae consulibus ad bella propè quotidiana proficiscentibus traderentur, factum est, ut quem admodum quattuor legiones primae ceteris, quae post ad eas adiunctae sunt, clariores fuerunt, sic qui his legionibus praefuerunt, omnes aliarum duces honore antecesserint. Hi vero tribuni militum quattuor legionibus primis sunt appellati. Tribuni quidem, auctore Varrone, quod ab initio terni essent, tum cum legio ex tribus milibus conficiebatur, ex ternis, quae tum erant, tribubus Ramnium, Lucerum, & Tatiensium sumpti, militares autem, quod militibus, id est peditibus, imperarent. Siquidem tribuni militum peditibus tantum legionis, non item equitibus, praefuerunt. Itaque ut numerus peditum in legione auctus est, sic etiam tribunorum militarium, ita ut à tribus ad quattuor, atque ab his ad sex peruenirent. Quin etiam ut numerus eorum, sic etiam lectio procedente tempore immutata est. Primis enim temporibus omnes ab imperatoribus legebantur, in singulas quaternas legiones terni, ut essent duodecim. Post autem anno vrbis trecentesimo nonagesimo primo, institutum, ut pars eorum populi suffragiis, pars imperatorum arbitrio crearentur. sic enim scribit Liuius: *Cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri: (nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant.) Torquatus secundum in sex locis tenuit: lex quippe locos vocans eorum, qui suffragio crearentur, quod sex alteri iis, qui ab imperatoribus fierent, relinquerentur. deinde anno quadringentesimo quadragesimo altero latum est, ut quaterni in singulas legiones legerentur, ut essent sexdecim, & ut, quod intermissum erat, iidem populari suffragio fierent. Vnde ille idem, Tulerunt, inquit, tribuni pl. L. Atilius, C. Marcius, ut tribuni militum seni deni in quattuor legiones à populo crearentur. quae ante per quam paucis suffragio populi relicta locis dictatorum, & consulum ferme fuerunt beneficia.* Interiectis inde temporibus cum legio ex quinque millibus conscribi iam esset coepta, ut sua factum aetate

scribit Polybius, & postremo, cum ex sex millibus, tribuni militum ad quattuor legiones viginti quattuor, in singulas seni, lecti sunt. Bello autem Persico cum tribuni à populo crearentur, consules propter belli Macedonici magnitudinem ex senatus consulto ad populum, ut refert Liuius, tulerunt, *ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum, praetorumque in iis faciendis iudicium, arbitriumque esset.* quod quidem haud diu seruatum, idem indicat, cum sequenti anno scribit, *non permissum ut tribunos militum consules facerent, populum creasse.* Post haec autem cum Rutilius Rufus legem tulisset de iure tribunorum, qui à consulibus essent facti, accidit, ut tribuni ab imperatoribus in exercitu lecti, Rufuli, à populo in comitiis creati, comitiati dicti sint. quod cum Pediano Liuius, & Festus disertissime prodidere. Quocirca nouissimis etiam reip. temporibus alios tribunos à populo, alios ab imperatoribus creatos videmus. nam & C. Marius, teste Sallustio, & C. Caesar Suetonio, & M. Cato Plutarcho tribunatum militum à populo & petierunt, & obtinuerunt. & proconsul Cicero tribunatum militum alteri dedit, & pro altero petiit, ut ipse scribit ad Atticum: *Scaptius cum à me tribunatum accepisset, quem ego ex Bruti litteris ei detulissem, postea scripsit ad me, se uti nolle eo tribunatu. & ad Caesarem: Huic ego neque tribunatum, neque praefecturam peto, benevolentiam tuam peto.* Ceterum de tribunis militum viginti quattuor ad primas quattuor legiones creandis haec prodit lib. vi Polybius: *Declaratis consulibus tribunos militum creant, quattuordecim quidem ex iis, qui quinque stipendia annua habeant, decem vero ad hos ex iis, qui decem, equites quidem, qui decem, pedites vero, qui sex. Tum vero die delectus tribunos militum natu minores in quattuor partes consules tribuunt, ac qui primi quattuor lecti sunt, primae legioni praeficiunt, tres, qui deinceps, secundae, quattuor subsequentes tertiae, tres ultimos quartae. ex iis autem, qui maiores sunt, duos primos primae praeposunt, tres secundos secundae, duos subsequentes tertiae, tres postremos quartae.* Hi vero tribuni militum legionibus quattuor primis propterea praeter ceteris celebrantur, quia maiori, quam ceteri, non quidem potestate, sed, ut puto, dignitate fuerunt. Vnde in legibus, in quibus ceteri magistratus nominantur, & hi praecipue nominantur, hoc modo: *QVI. TR. PL. Q. III VIR. CAPITALIS. TR. MIL. L. III. PRIMIS.* Quod in veteribus quibusdam aeneis legum tabulis, & in lege Cornelia de falso scriptum ex Cluentiana cognoui. Reliquorum autem tribunorum, qui praetoriis legionibus attributi sunt, eandem fuisse in legendo rationem, ex verbis Liuianis supra prolatis apparet: *Consules ex S. C. ad populum tulerunt, ne tribuni mil. eo anno suffragiis crearentur, sed consulum, praetorumque in iis faciendis iudicium, arbitriumque esset.* Tribunos autem fasces non praetulisse, ostendit Liuius in seditione militari Scipionis apud Sucronem: *Fugatis ex castris tribunis, ad milites gregarios duos delatum omnium consensu imperium. qui nequaquam tribunicijs contenti ornamentis insignia etiam summi imperij fasces, securisque attrectare ausi.* Appianus etià in Libyca tribunos militares aureo annulo vfos scribit, cum ceteri ferreo vterentur.

Qui vero centuriones fuerint, ac quo numero, quaque ratione lecti sint, quamquam ut in ceteris, sic in hoc saepe variatum opinor, illustris in primis ex eodem sexto historiarum Polybij locus demonstrat. quem locum primum proponam, deinde aliorum scriptorum auctoritate firmabo. ut intelligatur si quando ab hac ratione recessum est, id extra ordinem, & nouo exemplo factum fuisse. *Vbi milites, inquit, ad constitutam à consulibus diem conuenerunt, tum minimum quengue natu, ac pauperrimum in velites legunt, qui vero his proximi sunt, in hastatos, aetate praestantes in principes, grauissimos vero in triarios. diuidunt autem eos in hunc modum, ut triarij sexcenti sint, principes mille ac ducenti, totidemque hastati, reliqui vero velites. quod si plures quattuor millibus sint, eos pro portione distribuunt, exceptis triarijs, qui eodem semper numero manent. ex singulis autem generibus, praeterquam ex natu minimis, deligunt duces decem. ac post eos alteros item decem, atque omnes centuriones*



appellant. qui vero primus electus est, is particeps cōsiliij est. deinde vero vna cum centurionibus singulas atates præterquam velut in decem partes diuidunt, atque vnicuique parti ex selectis viris duos duces præficiunt, velites vero pro multitudine aptantes æqualiter in omnes partes distribuunt, duos vero duces in vno quoque manipulo cōstituant, qui si ambo adsint, qui primus electus est, dextrum cornu manipuli regit; qui posterior, sinistram. si nō adsint, qui relinquitur, omnibus præest. Ex his ergo apparet, velitis remotis, tres acies fuisse, hastatos, principes, & triarios, ex singulisque denos, atque iterum denos duces esse delectos, qui vnicuique parti (quæ in singulis aciebus essent denæ) præessent, eosque centuriones esse dictos, quorum qui primus electus sit, particeps etiam cōsiliij fuerit. Quod autem ille de hastatis, principibus, & triariis assert, idem etiam est apud Varronem: *Hastati*, inquit, *dicti, qui primum hastis pugnabant, pilani, qui pilis principes, qui à principio gladijs, post commutata re militari minus illustres sumuntur. Pilani triarij quoque dicti, quod in acie tertio ordine extremis subsidio deponebantur.* Varroni autem adiungere possumus Liuium, libro xii. in quo est: *Noua de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes, hastatosq; ac triarios, nec vt pro signis antesignanus, post signa alia pugnaret acies, nec vt in sua legione miles, aut cohorte, aut manipulo esset. fors conglobabat.* Idem hastatos, & principes, quos in prima, & secunda acie pugnasse scribit, Antepilanos vocat, quod ante triariorum aciem tertiam, quorum ordo vnus Primus pilus diceretur, præliarentur. Quod autem singulæ acies in denas partes distributæ fuerint, confirmat item Ouidius libro Fastorum tertio: qui de Romulo rege loquens inquit, *Hastatos instituitq; decem, Et totidem princeps, totidem pilanus habebat Corpora.* siquidem pro decem corporibus decem siue ordines, siue manipulos intellexit. confirmat Liuius, qui libro xlii, primi, & decimi ordinis hastati, & primi principis; & Cicero, qui in epistolis ad Brutum octaui principis meminit. nam de primo pilo loquuntur omnes. Quod autem singulæ denæ partes, quæ Manipuli sunt appellatæ, binos centuriones habuerint, haudquaquam alienum est ab eo, quod ex Cincij auctoritate prodidit Gellius, *Legionem cohortes decem habuisse, manipulos triginta, centurias sexaginta.* ita vt cohors pars decima fuerit legionis, manipulus tertia cohortis, centuria altera manipuli. Nomina vero partium, quæ Polybius prætermittit, hæc videntur fuisse: Primus, & secundus hastatus, primus & secundus princeps, primus & secundus pilus, atque ita in singulis vsque ad decimum. Hos autem ordines ab imperatoribus assignatos, docet Liuius libro xlii, primum cum scribit: *Consul deprecatus est tribunos pl. ne prohibeant se, quem cuique ordinem assignari e rep. esset, eum assignare;* deinde cum Sp. Ligustinum ita loquentem inducit: *In eo exercitu, qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius sui aduersus Philippum regem. tertio anno virtutis causa mihi T. Quinctius decimum hastatum assignauit. Inde miles voluntarius cum M. Porcio cos. in Hispaniam sum profectus. hic me imperator dignum iudicauit, cui primum hastatum prioris centuriæ assignaret, tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum, qui aduersus Aetolos & Antiochū missus est. à M. Acilio mihi primus princeps prioris centuriæ est assignatus. quater post intra paucos annos primū pilum duxi.* Et Cæsar libro tertio belli ciuili: *Omnibus primæ cohortis centurionibus interfectis, præter priorē principem.* & libro xxvi: *secundi hastati signum ademptū signifero in hostes infert.* Cum autem ordines ab imperatoribus assignatos legimus, sanè per tribunos militares assignatos, intelligere debemus. siquidem eodem in loco apud Liuium inquit Ligustinus: *Ordinem, quo me dignum iudicent tribuni militum, ipsorum potestatis est.* & post Liuius: *Tribuni militares in legione prima primum pilum virtutis causa ei assignarunt.* Vnde Cicero Pisoni obiecit, quod pro cōsul Macedoniæ centuriatus palam vendidisset, ordinesq; per seruulum assignasset. Atq; hæc quidē satis mihi multa ad Polybij sententiā aut enucleandā, aut cōfirmandā videntur. Addo nunc, vt ordines alij alijs superiores fuerūt, sic ordinū ductores alios alios

fuisse honestiores. Honestissimus autem omnium fuit ordo, atque centurio primipili, qui & primipilus, & primus quoque centurio dictus est. atque hoc præclara Cæsar, ac Liuij multis in locis auctoritas comprobatur. Cæsar bello Gallico: *Nonnulli centuriones ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum causa virtutis in superiores erant ordines huius legionis traducti.* & bello ciuili: *Q. Fulgius vulneratur ex primo hastato legionis quartæ decimæ, qui propter eximiam virtutem ex inferioribus ordinibus in eū locum peruenerat.* & alibi: *Scæuam ab octauis ordinibus ad primipilum se traducere pronunciauit.* Ac superiores quidem sunt ordines, primus hastatus, primus princeps, & primus pilus, si reliquos deinceps vsque ad decimum locos respiciamus. at primipilus omnium, etiā primi hastati, & primi principis, erat supremus. quippe quem, vt inquit Dionysius libro nono, sexaginta legionis centuriones sequerentur, ac mandata eius peragerent. Vnde Liuius bello Perfico: *Tres & viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, petierunt, ne inferiores ijs ordines, quàm quos, cum militassent, habuissent, attribuerentur.* & postea: *Placuit, tribunum militum primipilo legionis secretum edere imperium, illum & dein singulos proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus factū esset.* & bello Samnitico: *Lex militaris lata est, ne quis, vbi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset.* Id propter Salonium postulatū est, qui alternis prope annis tribunus militum, & primus centurio erat, quem nunc primipili appellant. & Vegetius: *Vetus consuetudo tenuit, vt ex primo principe legionis promoueretur centurio primipili, qui non solum aquilæ præerat, verum etiam quattuor centurias, hoc est quadringentos milites, in prima acie gubernabat. hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur, & commoda.* Quod autem aquilæ præfuisse ait, idem est, ac toti legionis, siue, vt dixit Polybius, sexaginta centuriis. Vnde Valerius libro primo: *Aquilarum altera vix cōuelli à primipilo potuit.* Vt autem primipilus ceteris centurionibus erat honestior, sic primæ legionis primipilus reliquis aliarum legionum primipilis. vt Liuius supra significauit, cum Sp. Ligustino primum pilum in legione prima virtutis causa assignatum scripsit. Neque vero lateat nos oportet, centurionum insigne vitim fuisse, eaque minus promptos ad parendum milites castigari consueuisse. declarat hoc Plinius lib. xlii: *Centurionum in manu vitis opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas, atque etiam in delictis poenam ipsam honorat.* Tacitus libro primo: *Centurio Lucilius in seditione interficitur, cui militaribus facerijs vocabulum: Cedo alteram, indiderant, quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.* Vnde Iuuenalis etiam de Mario dixit,

*Nodosam post hæc frangebat vertice vitem,  
Si lentus pigra muniret castra dolabra.* & Silius libro xlii:

*Miscebat primus acies, Latiaq; superbum  
Vitis adornabat dextra decus.*

Adiicit Polybius, singulos centuriones adiutores sibi singulos asciuisse. Eos ille Græce ὑπαγῆς, id est, extremi agminis ductores, vocat. ego vero eos accensos primum, deinde optiones à Romanis appellatos crediderim. idq; auctore Festo, qui scribit: *Optio, qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. is adiutor dabatur centurioni à tribuno militum, vt quem vellet, eligeret, vnde nomen sortitus est.* Atque hoc idem etiam est apud Varronem tum in libris de lingua Latina, tum in iis, quos scripsit de vita populi Rom. teste Notio: *Referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, vt plena essent legiones, à quo optiones in turmis decurionum, & cohortibus centurionū appellati.* Vegetius autem optiones fuisse, qui antecedentibus ægritudine impeditis, tanquam adoptati eorum, atque vicarij solerent vniuersa procurare.

Iam vero vt totius legionis vexillum, nempe aquilam ferebat is, qui aquilifer dicebatur, sic manipulorum cuiusque cohortis signa ij, qui signiferi vocabantur, qui, vt inquit Polybius, ex vnoquoque manipulo ætate, & manu præstantissimi à centurionibus eius manipuli legebantur. vnde illud est apud Ciceronem de di-

uatione: *Cum signifer primi hastati signum non posset mouere loco.*

Fuisse præterea alios etiam in legione militaris promotionis gradus, vt accensum, commentariensem, & cornicularium, indicat Aconius, qui in commentatio Verrinæ actionis ita scribit: *Accensus nomen est ordinis, & promotionis in militia, vt nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. hæc enim nomina omnia de legionaria militia sumpta sunt.* siquidem accensos duobus modis accensos tradit, vno pro nomine ordinis, altero pro nomine promotionis; ordinis quidem, pro militibus quibusdam, qui vnà cum rorariis post triarios confederunt, quorum meminit Liuius libro v r r r, & Varro de lingua Latina, & ante eos Plautus in Friuolaria: *Vbi rorarij estis? en sunt. Vbi sunt accensi? ecce.* promotionis vero, pro militibus ministrantibus. de quibus sic idem Varro: *Accensos ministrantibus Cato esse scribit. potest id ab arbitrio. nam inde ad arbitrium eius, cuius minister, & Vegetius libro primo: Nullis milites instituti deputabantur obsequijs, nec priuata ipsorum negotia mandabantur; siquidem incongruum videretur, imperatori militem, qui veste, & annona publica pascebatur, vtilitatibus vacare priuatis. ad obsequia tamen iudicum, vel tribunorum, nec non etiam principum deputabantur milites, qui vocabantur accensi, hoc est postea additi, quam fuisset legio completa, quos nunc supernumerarios vocant.*

Quem vero vigente rep. commentariensem appellet, satis adhuc expiscari nequiui. sub imperatoribus autem commentarius principis celebratur, nimirum libellus, in quo princeps nomina omnium perscribebat, quibus aliqua erat reip. administratio tradita. vnde commentarienses scribæ fuerunt, qui commentarium principis conficiebant. in castris commētariensis erit, qui obsequia militum, excubias, comeatufq; perscripserit. nam talem in exercitu fuisse curam, scribit eodem in loco Vegetius.

Cornicularius autem qui fuerit, nemo tradidit. ego tribuni militaris ministrum fuisse, facile duxerim, ex verbis Valerij, capite de pudicitia: *M. Lætorio tribuno militum Cominius tribunus pl. diem ad populum dixit, quod cornicularium suum stupri causa appellasset.* & Frontini libro i i i: *Tanquam tribuni cornicularius vigilias excitauit.* Quasi vero cornicularius vigilias tribuni loco circumierit, atq; eius imperia corniculo ediderit. vnde cornicularij ipsi merere corniculo dicti sunt à Suetonio in libro de claris grammaticis: *Orbilius primo apparituram fecit magistratibus, deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit.* & de viris illustribus: *M. Scæurus primo in Hispania corniculo meruit, sub Oreste in Sardinia stipendia fecit.*

Ac pedestribus quidem copiis hi præfuerunt. equitibus autem, qui singulis legionibus modo duceni, modo treceni, (vt in libris de iure ciuium Rom. ostendimus,) affuerunt, præpositi sunt ij, qui præfecti equitum, ac decuriones vocati sunt. quorum illi tribunis militum, hi centurionibus responderunt. cum præfecti alas equitum ducerent, decuriones vero turmarum decurias. De quibus legendis in hunc modum Polybius: *Equitatus partes decem dictæ sunt alæ. ex vnaquaque autem consules tres præfectos selegerunt. ij; sibi tres ἑτάρας, (id est, vt ego interpretor, tres optiones) ascuerunt. qui vero primus alæ præfectus lectus erat, is alam ducebat. duo vero decuriones dicebantur. absente vero primo rursus secundus præfecti alæ vires sustinebat.* Hinc Cicero, cum scribit ad Atticum: *Appius turmas aliquot huic dederat, & præfectum habuerat,* significat decuriatum, ac præfecturam ei assignasse. præfectorum autem alarum ita frequens est mentio, vt testimonio non videantur egere. Frontinus: *Corbulo in Armenia Ruso præfecto equitum, quia parum instructam armis alam habebat, vestimenta per licitorem scidit.*

De decurionibus autem, & eorum optionibus sic Varro: *Turma terma est, quod terdeni equites ex tribus tribubus Tatiensium, Ramnium, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ab eo in singulis turmis etiam nunc sunt terni. quos hi primo ministros ipsi sibi adoptabant, optiones vocari cepti. quos*

nunc

nunc propter ambitionem tribuni faciunt. & Festus: *Optio in re militari appellatur is, quem decurio. aut centurio optat sibi rerum priuatarum ministrum, quo facilius obeat officia publica.* Ergo cum pedites centuriarentur, equites autem decuriarentur, iure dixit Liuius: *Vbi ad decuriatum, aut centuriatum conuenissent, inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant.* Ac de peditatus quidem, & equitatus Romani ductoribus hætenus.

Erant præterea auxilia, id est copiarum sociorum, tum pedestres, tum equestres. quibus item duces ab imperatoribus Romanis præpositi, iij; præfecti socium dicti sunt. De quibus ad hunc modum Polybius: *Vbi socij conuenerant, eos distribuiebant ij, qui à consulibus constituti, præfecti vocabantur, numero duodecim. qui primum ex omni numero sociorum, qui venerant consulibus, equites, & pedites maxime idoneos seligebant eos, qui vocabantur extraordinarij. numerus autem sociorum plerumque Romanorum numero æqualis, equitum vero duplex fuit. extraordinarios ascisciebant tertiam equitum partem, peditum vero quintam.* Horum vero meminit etiam Liuius, vt libro x x v: *Nuncius venit, non sustinere extraordinarios impetum Gallorum.* & libro x l i: *C. Oppius præfectus socium hostes inuisit inuadere.*

Erant præterea præfecturæ in exercitu aliarum multarum; siquidem præfecti castrorum, præfecti euocatorum, præfecti fabrum memoria celebratur. Atque has quidem omnes ab imperatore delatas, existimarim. Declarauit Nepos cum scripsit: *Atticus multorum consulum, prætorumq; præfecturas delatas sic accepit, vt neminem in prouinciam sit sequutus, honore fuerit contentus.* & Cicero ad Cæsarem: *Trebatio neque tribunatum, neque præfecturam, neque vllius beneficij certum nomen peto.* & ad Atticum: *Ego quas per te Brute promiseram præfecturas, Scaptio, & Gauius detuli.* Ex quo fonte insigne illud dictum Africani, teste in Verrem eodem manauit, à quo cum quidam vetus affectator ex numero amicorum non impetraret, vt se præfectum in Africam duceret, & id moleste ferret, noli, inquit, Africanus, mirari, si hoc à me non impetras, ego iam pridem ab eo, cui meam exsultationem fore caram arbitror, peto, vt mecum proficiscatur, & adhuc impetrare non possum. scite ille quidem. Etenim, vt ibi idem addit, multo magis est petendum ab hominibus si salui esse volumus, vt eant nobiscum in prouinciam, quam hoc illis in beneficij loco deferendum.

Ex ministris autem humilioribus fuere scribæ, accensi, præcones, & reliqui. qui quid sint, ipsi ferme nomine suo declarant; scribæ, qui tabulas publicarum rationum confecerunt, accensi, qui præfidi in tribunali ius dicenti apparuerunt; ita vt accensi & in castris, & in iure magistratibus operam quocunque modo nauarint. quare inter reliquos præfidum apparitores accensi etiam numerantur. vt in Verrem: *Comites illi tui delecti manus erant tuæ. præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones, manus erant tuæ. quo quisque maxime te cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua patabatur.* Atque hic item accensus à prætore videtur fuisse ascitus, ex verbis, quæ sunt in epistola ad fratrem: *Quos autem ex domesticis conuictoribus, aut ex necessarijs apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda sunt nobis. accensus sit eo numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficij loco, sed in laboris, ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant, sit libertor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor, maioraq; præferant fasces illi, ac securæ dignitatis insignia, quam potestatis.*

Prætoria vero cohors comitatus intimus fuit prætoris meliorum militum, qui ab eo non discedebat, à P. Africano quondam institutus. hic enim primus, vt scribit Festus fortissimum quemque delegit, qui ab se in bello non discederet, & cetero munere militia vacarent, & sexquiplez stipendium acciperent. cuius sententiæ etiam illa in Verrem loca accommodata maxime sunt: *Cohors tota illa tua, tua manus sine controuersia fuit. item: Dedi stipendio cohorti prætorie.* & ad Atticum: *Ingemuit nostra cohors, omne illud putans distribui sibi oportere.* Ex quibus intelligitur, quod etiam notat

Asconius, cohortem prætoriam comites fuisse prætoris, quibus stipendium vberius à prætore per quæstorem annuum erogatum sit. ceteri vero, quos modo dixi, quasi ex cohorte prætoris appellabantur.

Contubernales autem adolescentes fuerunt, qui rei militaris percipiendæ, & provinciæ cognoscendæ gratia magistratus in provinciam sequuti sunt, & propterea familiariter cum iis vixerunt, neque ab eorum lateribus discesserunt. ut Cicero ostendit in Cœliana: *Cum paullum iam accessisset ætati, in Africam profectus est. Q. Pompeio proconsuli contubernalis. in qua provincia cum res erant, & possessiones paternæ, tum etiã vsus quidam provincialis non sine causa à maioribus huic ætati tributus.* & in Planciana; *Hic adolescētulus cum A. Torquato profectus in Africam sic ab illo sanctissimo viro dilectus est, ut & contubernij necessitudo, & adolescentuli modestissimi pudor postulauit.* Neque vero præsides solum, sed etiam quæstores, & tribuni militum contubernales, ut post apparebit, habuerunt. quin etiam patri filium fuisse contubernalem, admonet nos in Stratagematis Frontinus. *Q. Metellus consul, inquit, quanuis nulla lege impediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen eum in ordine merere. P. Rutilius consul, cum secundum leges in contubernio suo filium posset habere, in legione militem fecit.* Cæsar autem in dictatura, teste Suetonio, sanxit, *ne quis senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes magistratus, peregre proficisceretur.*

Finem huic disputationi faciam, si hoc addidero, ex toto provinciali comitatu, libera rep. feminas in primis remotas videri, ex verbis, quæ sunt apud Tacitum libro tertio: *Imperante Tiberio Seuerus Cæcina censuit, ne quem magistratum, cui provincia obuennisset, vxor comitaretur haud enim frustra placitum olim, ne femine in socios, aut gentes externas traherentur. inesse mulierum comitatu, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur.* Ex his enim apparet, Augusto demum imperante, vxores duci in provinciam cœptas.

De quæstoribus prouinciarum, & eorum ministris. CAP. III.



**H**ACTENVS de præsidibus, & eorum comitibus dictum sit, nunc de quæstore, qui alter fuit provinciæ magistratus, dicamus. Neque enim quæstor eo iure in provincia versatus est, quo legatus. ille enim potestatem à prætore, hic à populo accepit; ille eam, quæ fuit prætoris, hic longe à prætoria separatam, nactus est; ille apud prætorem asseclæ, hic filij locum obtinuit. In singulas enim provincias singuli quæstores mittebantur, præterquam in Siciliam. quæ, cum duplex fuit illæ provincia, vetus, & noua, duos etiam habuit quæstores, ut dixi; vnum, qui Lilybei curabat, alterum, qui Syracusis. Legebantur autem eo modo, quo præsides. nam cum legitimus in annum quæstorum numerus populi suffragiis esset creatus, iubebat senatus, ut provincias in fortē conicerent. provinciæ vero duæ erant urbana eorum, qui ærario populi Ro. præssent, reliquæ ferè provinciales, eorum, qui cum consulibus, aut cum prætoribus in provincias irent. Quod Cicero declarat scribens ad fratrem: *Referebatur de provincijs quæstorum, & ornandis prætoribus,* & in Verrem: *Quæstor ex S. C. provinciam sortitus es. obtigit tibi consularis.* iterum ad fratrem: *Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum, quæ fors dedit.* Quemadmodum autem præsides non semper provincias ex S. C. & sorte, sed aliquando lege obtinuerunt, sic eas nō semper quæstores ex S. C. sortiti sunt, sed aut S. C. aut lege aliqua extra ordinē nominatim adepti sunt. Atque hoc docuit Liuius libro x x x, cum Scipionem Lælij quæstoris extra sortem ex S. C. vsus opera in Africa, scripsit, significauit in orationibus in Antonium Cicero, cum dixit: *Quæstor es factus, deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucuristi;* & in epistolis ad Atticum: *Pompeius Q. Cassium quæstorem sine sorte delegit, Cæsar Antonium, ego Cælium*

*Cælium forte datum offenderem?* Ut autem quæstor à populo declaratus provinciam aut à senatu, aut à populo accepit, sic proquæstor eiusmodi procuracionem neque senatui, neque populo, sed vni præsidi, à quo ascitus est, debuit. Qui enim mortuo quæstore præsidi ipsi quæstoris loco esse cœpit, is proquæstor appellatus est, ut Verres Dolabellæ Ciliciæ proconsuli. de quo Cicero: *C. Malleolo, quæstore Dolabellæ, occiso Verres à Dolabella statim proquæstore iussus est esse.* Inuenio etiam in provincia Gallia citeriore Cn. Carbonem consulem non solum quæstorem, sed etiam proquæstorem habuisse; idq; in libro de iurisdictione. in quo scriptum est, Verrem Carbonis quæstorem retulisse, *se pecuniam dedisse. stipendio, frumento, legatis. proquæstori, cohorti prætorie.* atque eam quoque lectionem probatus. in primis interpret agnoscit Asconius, cum *legatis, & proquæstori alimenta de publico data* inquit, ex quo apparet, proquæstorium gradum, maxime præsentem quæstore, multo, quàm quæstorius fuerit, fuisse inferiorem, cum proquæstor à quæstore ipso alimenta acceperit.

Iam vero separatam fuisse quæstoris, ac præsidis potestatem, tum cognoscetur, cum præsidem priuatas, ac publicas controuersias, quæ aut à iure ciuili, aut à legibus proficiscerentur, diiudicasse, quæstorem vero propria administratione pecuniam, prædamq; publicam curasse, ac tabulas publicas confecisse, probabimus.

Nam filij, quam dixi, necessitudinem quæstori cum suo præside intercessisse, multis in locis testatus est Cicero. quorum tres non grauabor afferre. In diuinatione in Cæciliam: *Sic à maioribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere. nullam neque iustiorē, neque grauiorē causam necessitudinis posse reperiri, quàm coniunctionem sortis, quàm provincie, quàm officij, quàm publici muneris societatem. quamobrem si iure eum possis accusare; tamen, cum is tibi parētis numero fuisset, id pie facere non posses.* & de iurisdictione: *Tu, cum quæstor ad exercitum missus sis, custos non solum pecunie, sed etiam consulis, particeps omnium rerum, consiliorumq; fueris, habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorū ferebat, repente relinquant.* in epistolis: *Cum ad te tuus quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere non putabam. satis enim commendatum eum tibi arbitrabar ab ipso more maiorū, qui hanc quæstura coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.*

Cum ergo talis quæstor esset, propterea & scribis erat, & licitoribus insignitus, scribis ad conficiendas tabulas publicas, licitoribus ad maiestatem magistratus tuendam. De vtrifq; auctor est Cicero in orationibus in Verrem: *Nuper Hortensi quæstor fuisti. quid tui scribæ fecerint, tu potes dicere. ego de meis hoc dico. cum in eadem ista Sicilia pro frumento ciuitatibus pecuniam soluerem, mecum duos scribas haberem, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum cuiquam esse deductum.* item: *Quæstores vtriusque provincie, qui isto prætore fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt.* & in Planciana: *Plancius quæstor, simul ac Dyrrhachium me tetigisse audiuit. statim ad me licitoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata profectus est, ac Thessalonicam me, in Quæstoriumq; perduxit.* Atque hæc quidem de præsidibus, & quæstoribus, eorumque ministris, tum qui ipsi essent, tum quemadmodum legerentur, dicta sint. Nunc reliquum est, ut eos, posteaquam instruximus, aliquando in provinciam deducamus, ac, quonam modo se ibi gesserint, exponamus.

De profectioe præsidum, & quæstorum in provinciam. CAP. IIII.



**V**I ergo provinciam senatusconsulto, atque in ea imperium lege præsides obtinuerant, tum vero aut sponte sua, aut senatusconsulto paludati exhibant. Verum ante, quàm id facerent, in Capitolium venientes ibi solemnia pro rep. vota nuncupabant, atque inde paludamento, licitoribus, insignibusque imperij ceteris assumptis, recta ad portam urbis ibant, ad quam veteri instituto sal-

lutati, inde aut continuo amicis officij causa aliquanto via spatio prosequenti-  
bus, ac bene ominantibus, in prouinciam iter ingrediebantur, aut, si quid ne-  
gotij in vrbe haberent, ad urbem per aliquot dies, aut menses manebant, quod  
cum imperio in vrbe esse non possent. Ac senatusconsulti quidem, quo ire iu-  
bebantur, admonet nos Cœlius: *Consules, quia verentur, ne S. C. illud fiat, ut palu-  
dati exeant, omnino senatum haberi nolunt.* De soleinni vero votorum nuncupa-  
tione, & illustri eorum ex vrbe egressione docet Liuius, maxime bello Persico: *Per  
eos dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab vrbe est profe-  
ctus. Semper ea quidem res magna cum dignitate, ac maiestate geritur. præcipue con-  
uertit oculos, animosque, cum ad magnum, nobilemque aut virtute, aut fortuna bo-  
stem euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officij modo cura, sed etiam  
studium spectaculi, ut videant ducem suum, cuius imperio, consilioque summam resp-  
tuendam permiserunt.* & alibi in eodem: *Consul proficiscens, prætor de paludatis li-  
ctoribus in prouinciam, & ad bellum vota in Capitolio nuncupat.* & libro xli: *Cum  
is more maiorum secundum vota in Capitolio nuncupata lictoribus paludatis profectus  
ab vrbe esset.* Cicero de Verre prætor Siciliæ: *Cum paludatus exisset, vota que pro  
imperio suo, communique populi Rom. nuncupasset, noctu stupri causa lectica in vr-  
bem introferri solitus est ad mulierem, contra fas, contra auspicia, contra omnes diui-  
nas, atque humanas religiones.* & in Pisonem: *Cum proficisceremini paludati in prou-  
incias, consules vos quisquam putauit? itaque, credo, si minus frequentia sua vestrum  
egressum ornando, atque celebrando, at ominibus saltem bonis, ut consules, non tristissi-  
mis, ut hostes, prosequerentur.* & aliquanto vberius etiam Cæsar: *In reliquis prouin-  
ciis prætores mittuntur, neque expectant, quod superioribus annis non acciderat, ut de  
eorum imperio ad populum referatur. paludatique, votis nuncupatis exeunt. consules,  
quod ante id tempus acciderat nunquam, ex vrbe proficiscuntur, lictoresque habent in  
vrbe ex Capitolio priuatim, contra omnia vetustatis exempla.* Itaque paludamentum  
Cæsar vestem imperatoriam, Plutarchus prætoriam, Dio militarem vocauit, cum  
de Pompeio Pharsalico prælio excedente loquuti sunt. Ac purpureum quidem  
ipsum fuisse, etiam Plutarchus ostendit, cum scripsit: *Fertur eo die Crassus, non pur-  
purea, ut prætorum Romanorum mos est, sed pulla veste ad milites processisse.* & Silius,  
cum de Scipione dixit: *At contra ardenti radiabat Scipio cocco.* Vnde merito Pli-  
nius quoque libro xxvii: *coccum imperatoris paludamentis dicatum fuisse* prodit.  
Varro lib. v. de ling. lat. *Paludamenta sunt insignia, & ornamenta militaria. ideo ad  
bellum cum exit imperator, ac lictores mutant vestem, & signa incinuerunt, paludatus  
dicitur proficisci, quæ propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam,  
paludamenta dicta.* Paludamentum autem, quo consules, ac prætores in prouin-  
ciam exeuntes amicti fuere, pallium, teste Isidoro, fuit imperatorium, cocco, purpure,  
& auro distinctum. dictum, quod eo indutus palam faceret imperator, se ad bellum  
exire. Hinc prætextam, aut togam paludamento mutare; fuit ex magistratu, aut  
ex priuato ad bellum, & in prouinciam ire, quorum illud usurpauit Plinius in Pa-  
negyrico: *Gestus est consularis non in hoc urbis otio, sed iuxta barbaras gentes, ut illi  
solebant, quibus erat moris, paludamento mutare prætextam;* hoc vero Sallustius,  
teste Isidoro: *Togam paludamento mutauit.* Quod autem dixi, præsidem ad por-  
tam salutatos, id apud Festum his verbis scriptum repperi: *Prætor ad portam nunc  
salutatur is, qui in prouinciam pro prætore, aut pro consule exit. cuius rei morem ait fuisse  
Cincius in libro de consulum potestate talem.* Albanos rerum potitos vsque ad Tullum  
regem. Alba deinde diruta vsque ad P. Decium Murem, consulem populos Latinos ad  
caput Ferentinæ, quod est sub monte Albano, consulere solitos, & imperium commu-  
ni consilio administrare. itaque quo anno Romanos imperatores ad exercitum mittere  
oporteret, iussu nominis Latini, complures nostros in Capitolio a sole oriente auspicijs  
operam dare solitos. Vbi aues addixissent, militem illum, qui a communi Latio missus esset,  
illum, quem aues addixerant, prætorem salutare solitum, qui eam prouinciam obtineret

prætoris

*prætoris nomine.* Eundem autem præsidem ad portam, atque ad urbem per plu-  
res, si placuisset, dies esse potuisse, testatur Aconius, cum scribit: *Ad urbem disci  
solet, de ijs, qui cum potestate prouinciali nondum in prouinciam profecti essent, & ali-  
bi: Horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant. inter quos Pompeius quo-  
que: nam, quod erat pro consule, extra urbem morabatur.* Significat autem tempus,  
cum Pompeius Hispanias ex consulatu secundo adeptus per legatos administra-  
bat, atque ipse ad urbem manebat. qua de re in hunc modum Dio: *Pompeius, po-  
pulo extra pomerium euocato, (neque enim pro consulare iam habens imperium pote-  
rat urbem ingredi) multa pro Gabinio locutus est.* vnde Cicero in Sextiana: *Erat Cæ-  
sar ad portas, erat cum imperio: & de Verre prætor Siciliæ: Verres simul atque ei for-  
te prouincia Sicilia euenit, statim Romæ, & ad urbem, antequam proficisceretur.* Neque  
vero illud hoc loco prætereundum videtur, ut senatus consulto exire consules  
iussi sunt, sic, ne irent, tribunorum pl. edicto, aut dirarum obnunciatione prohi-  
beri potuisse. Itaque M. Crassus, cum P. Atteio primum edicenti, deinde obnun-  
ciantem non paruisset, ipse post, ac filius cum Parthis dimicans iustas dedisse pœnas  
existimatus est.

Verum ubi iter in prouinciam iam præses erat ingressus, moris fuit, ut præsi-  
dem, cui succedebat, de aduentu suo faceret certiores; scilicet, ut cum eo congre-  
diens de statu cognoscere prouinciæ posset. atque hoc lege potissimum Cornelia  
à Sylla dictatore relatum existimo, cum verba Ciceronis Appium, cui in prouin-  
cia succedebat, de itinere tuo admonentis intueor. Vnde illa ex itinere: *Ut habe-  
re rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia conuenias, in prouinciam veni pri-  
die Kal. Sext.* Quod eleganter non ad suorum magis, quam ad veterum tem-  
porum rationem descripsit Vlpianus titulo de officio proconsulis. *Antequam pro  
consul, inquit, fines prouinciæ decretæ sibi ingressus sit, edictum debet de aduentu suo  
mittere, continens commendationem aliquam sui, si qua ei familiaritas sit cum prou-  
incialibus, vel coniunctio, & maxime excusans, ne publice, vel priuatim occurrant  
ei. esse enim congruens, ut vnus quisque in sua patria exciperet. Recte autem, & ordi-  
ne faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque, quo die sit ingressurus. plerumque  
enim incerta hæc, & inopinata turbant prouinciales, & actus impediunt.* Quo vero  
die in prouinciam accedebat, eodem prouincialis muneris, imperiique initium ca-  
piebat. Vnde Cicero tam sæpe diem pridie K. Sextil. usurpat, quo die in prouin-  
ciam venisset, & sibi ex S. C. decedendum esset. Quod autem dixi de præside,  
idem etiam in quæstore seruatum esse, apparet. Quoniam autem non semper quæ-  
stor cum suo præside in prouinciam profectus est, verum sæpe, aut multo ante,  
aut multo post eum in prouinciam venit, fieri potuit, ut non idem semper quæsto-  
rij muneris ineundi dies fuerit, ac prætorij, quod ubi euenit, simul illud etiam con-  
tingere potuit, ut duos quæstores præses vnus eodem anno deinceps habuerit, ut  
Cicero Rufum, & Cœlium, & duos præsidem quæstor vnus, ut qui in Sicilia Verre,  
ac Metello prætoribus quæstores fuerunt. Quod declarauit Cicero, cum de Me-  
tello post Verrem Siciliam obtinente loquitur: *Quæstores vtriusque prouinciæ, quæ  
Verre prætor fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt.*

De potestate præsidum, &amp; in primis de iurisdictione. CAP. V.



**P**OST QUAM ergo prouinciam præsidem suam attigerant, tum  
demum prouinciale officium, cuius causa venerat, ingrediebantur. officium autem eorum in duas partes fuit, ut diximus, distri-  
butum, potestatem, & imperium. Potestas fuit facultas cognoscen-  
di, imperium exercitui imperandi, bellumque gerendi. quorum  
alterum pacis, alterum belli temporibus congruit. Hæc autem  
duo munera longe inter se, ut sine, sic tractatione diuersa ita coluerunt, ut æstatem

ferre rei militari, hiemem prætoris cognitioni, quæ in iurisdictione potissimum est versata, dicarent. Atque hoc cum aperte in Institutionibus docuit non contemnendus auctor Theopilus, tunc significauit etiam non obscure Hirtius, cum scripsit, *Cæsarem proconsulem, legatis hibernis præpositis, ipsum in citeriorem Galliam ad conuentus agendos contendisse, & Longinũ Hispaniæ vltioris pro prætore relictum legionibus in hiberna dispositis ad ius dicendum se Cordubam contulisse.* Quo factum est, ut Cicero Ciliciam proconsule administrans, & in eodem item instituto permanens, sic ad Atticum scripserit: *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, æstiuos menses reliquos rei militari dare, hibernos iurisdictioni.* & ad Cœlium: *Miserat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, proficisci in Ciliciam Nonis Maij, & cum primum æstiuam attigissem, militaremque rem collocassem, decedere.*

Quoniam autem horum officiorum neutrum tueri, nisi variis itineribus per prouinciam faciendis, non potuerunt, (siquidem neque ius omnibus reddere, neque rem frumentariam tractare, neque rei militari seruire, nisi prouinciam obeundo licuit,) primum de itineribus præsidum prouincialibus, deinde de potestate, postremo de imperio disputabimus. Primis ergo temporibus iter facere præfides Roma: ita per prouinciam consueverunt, ut nihil fociis aduentus sui causa imperarent, neque vllis aut oneri, aut sumptui essent; verum in omnibus rebus modeste, atque abstinenter se gererent; quippe qui hospites etiam priuatim haberent, ad quos plerumque diuerterent, post autem gliscente libidine fociis vsque adeo incommodi esse cœperunt, ut multorum aduentus parum ab hostili impressione differret. quocirca multis legibus eorum constringenda libido fuit. quæ quid cuique prætori à fociis, & prouincialibus dandum, quidve à prætore imperandum esset, præscriberent, ut tectum, lecti, ligna, sal, scœnum, & cetera eiusmodi, quæ repente adueniente prætore commode parari ab ipsius comitatu non poterant. Huius autem rei primam memoriam inuenio apud Liuium, anno vrbs quingentesimo quinquagesimo sexto, Cornelio, Minucioque consulibus. *Sardiniam*, inquit, *M. Porcius Cato obtinebat fugati ex insula freneratorum, & sumptus, quos in cultum prætorum socij facere soliti erant, circumcisi, aut sublatis;* altera vero anno quingentesimo octogesimo, Postumio, Popillioque consulibus, *Postumius*, inquit, *iratus Præneste, priusquam ab Roma proficisceretur, litteras Præneste misit, ut sibi magistratus obuiam exiret, locum publice pararet, ubi diuerteretur, iumentaque, cum exiret inde, præsto essent. Ante hunc consulem nemo vnquam socijs in vlla re oneri, aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent socijs. priuata hospitia habebant apud quos ipsi diuertere mos esset. Legati, qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant. Inturia consulis, & silentium nimis aut modestum, aut timidum Prænestinos ius, velut probato exemplo, magistratibus fecit, grauiorum in dies talis generis imperiorum. Ut autem postea huic malo in dies ingrauescenti remedium aliquod afferrent, leges inde multæ de repetundis sunt pro fociis aduersus prouinciarum præfides latae. quarum primam tulit L. Calpurnius Piso in tribunatu, anno D CIII, ut scribit in Bruto Cicero. Inde sequuntur alia, Iunia, Seruilia, Acilia, Cornelia, & vltima Iulia; quæ singulæ vel poenam grauiorem, vel caput aliquod superioribus adiecerunt. Lex autem Iulia, quam Cæsar in primo consulatu tulit, præter cetera, quid dari, quid accipi oporteret, præcepit. Quam quidem se Cicero seruasse in proconsulatu Ciliciæ, cum Attico gloriatus est: *sed tu aliquid, inquit, de me scire fortasse manus; hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim, nec in quenquam comitum. nihil accipitur lege Iulia. nihil ab hospite. persuasum est omnibus meis, seruendum esse famæ meæ. item: Leuantur misere ciuitates, quod nullus sumptus sit in nos; neque in legatos, neque in quæstorem, neque in quenquam. Scito non modo nos scœnum, aut quod lege Iulia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem, nec præter**

*quattuor lectos, & tectum quenquam accipere quidquam, multis locis ne tectum quidem; & in tabernaculo manere plerumque. & alibi: Caue putes, quidquam homines magis vnquam esse miratos, quam nullum teruncium, me obtinente prouinciam, sumptus esse factum nec in remp. nec in quenquam meorum.* Quin etiam alio loco se Laodiceæ Andronem Artemonis filium hospitem habuisse scribit, rogatque P. Seruiliam Asiæ proconsulem, ut & ipse eum dignum hospitio suo iudicet. Nam quid dicam, ut prætoribus, si quo nauigandum esset, publice etiam nauigia data sint ostendunt illa in Verrem: *Quid tibi nauis opus fuit? qui, si quo publice proficisceris, & præsidij, & vecturae causa sumptu publico nauigia præberentur? priuatim autem nec proficisci quoquam potes, nec accersere res transmarinas ex ijs locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet.* significat autem id, quod alio loco posuit, *prætori in prouincia nihil emere, nisi mancipium in demortui locum, licuisse.* Vnde merito laudauit idem fratrem suum Quinctum, quod in Asia commodum se fociis prætor præberet. *Quid tam eximium esse potest, inquit, quam non itineribus tuis perterreris homines, non sumptu exhauriri, non aduentu commoueri, esse, quocumque veneris, & publice, & priuatim maximam lætitiã, cum vrbs custodem, non tyrannum, domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur?* Atque etiam propterea instituti ministri quidam erant, qui, quæ lege continebantur, præberent, græco vocabulo Parochi nominati, quorum meminit Horatius;

*Proxima Campano ponti quæ villula lectum,*

*Præbuit, & parochi quæ debent, ligna, salæmque:*

Itinerum ratione perspecta, sequitur, ut de potestate agamus, quæ cognitionem, & curationem amplexa est. Prætoria vero cognitio vna domestica fuit, altera popularis; domestica intra prætorium, & in cubiculo querelis prouincialium audientis, ministrante, atque admittente cubiculario, est consumpta; popularis in basilica, atque in tribunali, scribis, accensis, præconibus, & licetoribus apparentibus. Vtriusque vero meminit Cicero, scribens ad fratrem: *Constare inter omnes video facillimos esse aditus ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam, ac solitudinem non modo illo populari accessu, ac tribunali, sed ne domo quidem tua, ac cubiculo esse exclusam.* & de se ad Atticum: *Aditus ad me minime prouinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* Atque hoc idem sine dubio voluit Hirtius, cum de Longino pro prætore Hispaniæ scripsit: *Nullum genus quæstus prætermittebatur, quo domus, & tribunal imperatoris vacaret.* Vtranque autem potestatem non ante, quam prouinciam suam attigissent, neque alibi quam in prouincia sua, exercere poterant. Vnde illud est Vlpiani titulo de off. proconsulis: *Proconsul vbique quidem proconsularia insignia habet statim, atque urbem egressus est, potestatem autem non exercet, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est.*

Ut autem hanc potestatem exercere commode possent, institutum erat, ut præfides, postea quam in prouinciam venerat, in aliquam ciuitatem, aut in plures ex iis, in quibus conuentus agi solebat, conuentum, siue forum in certam diem edicto indiceret, eoque prouinciales homines euocaret. atque ita aut vno in oppido plures conuentus, aut in singulis singulos agebat, atque omnes percurrebat. Indictos autem ante fuisse à prætore conuentus, indicat Liuius, cum bello Mæcedonico de Sicilia ita quendam loquentem inducit: *Siculorum ciuitatibus Syracusas, aut Messanam, aut Lilybeum indicitur concilium à prætore Romano, conuentus agitur. eò imperio euocati conueniunt.* quo eodem respexit quoque Virgilius hoc versu: *Indiciteque forum, & patribus dat iura vocatis.* Iam vero in vno oppido plures, aut in singulis singulos actos, docet Cicero; qui cum per annum in Cilicia fuisset, primum se in singulis ferè conuentibus ius dixisse, deinde Laodiceæ quinque conuentus egisse, scripsit. Nam in prouinciam accedens ita scribit: *Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus. ibi morati triduum perillustres fuimus. dein Apameæ quinque dies, Synnada-*

dis triduum, Philomeli quinque dies, Iconij decem fecimus. nihil ea iurisdictione aequabilis. Post autem cum foro Tarfi in Cilicia paracto, in Asiam ad secundos conuentus agendos rediret, ita scribit: *Ego aestiuis confectis & fratrem hibernis, & Ciliciae praefecti, ipse in Asiam profectus sum Tarso Nonis Ianuarij maxima admiratione Ciliciae ciuitatum, maximeq; Tarsensium. postquam vero Taurum transgressus sum, mirifica expectatio nostrarum Asiae dioeceseum, quae sex mensibus imperij mei nullas meas acceperant litteras. Idibus Februar. forum institueram agere Laodicea Cibyrenicum, & Apamense; ex idibus Martijs ibidem Synnadense, Pamphylum, Isauricum.* Ex his enim apparet, ipsum primo Laodiceae, Apameae, Synnadis, Philomeli, & Iconij, sigillatim conuentus egisse, (vnde questus est etiam cum Appio decessore suo, iisdem diebus Appium conuentum Tarfi egisse, quibus ipse suum Apameae, Synnadis, & Philomeli, peregerit.) post autem harum quinque dioeceseum conuentum in vno oppido egisse Laodiceae. Quod confirmauit magis, cum scripsit alibi ad Atticum, *forū se egisse ex Idibus Februarijs Laodiceae ad Kal. Maij omnium dioeceseum praeter Ciliciae.* Frequentius tamen singulos conuentus a praetore perstratos fuisse existimo, atque id quoque fuisse ad prouinciae rationes accommodatius. Hoc autem ex Hirtio colligo, qui ita scriptum reliquit: *Cesar in Gallia citeriore ius dixit, ac paucos ibi dies moratus, cum celeriter omnes conuentus percurrisset, publicas controuersias cognouisset, in Belgium se recepit: & ex Sulpicio Achaiae praetore, qui de se ad Ciceronem ita: Cum Athenis in Bœotiam irem, ut reliquam iurisdictionem absoluerem, & ex ipso Cicerone in Verrem: Nullum oppidum in Sicilia sum ex ijs oppidis, in quibus praetores consistere, & conuentum agere solent, quo in oppido non Verri delecta ad libidinem mulier esset.* Vnde idem scripsit ad Thermum Asiae praetorem: *Peto a te, ut si quid habebit Genucilius cum aliquo Hellepontio controuersiae, in illam διοίκησιν rejicias.*

Cum autem conuentibus indictis, & conuocatis, alia domi, alia in foro cognoscerent, quae quidem domi transigebantur, ea ferè per diplomata annulo obligata perficiebantur. Vnde dixit Cicero in Pisonem: *Mitto diplomata tota in prouincia passim data.* & Plinius praetor Bithyniae ad Traianum: *Vsq; in hoc tempus domine nemini diplomata commodauit.* Ex quo diuinitus illa Q. fratri de annulo sunt praecipua: *Sit annulus tuus non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu, non minister alienae voluntatis, sed testis tuae.* Quae vero in foro cognita sunt, ea totam iurisdictionem complexa sunt. Iurisdictione autem nihil aliud fuit, quam potestas iuris eius reddendi, quod legibus contineretur, de priuatis controuersis, & criminibus publicis, aut prouincialibus hominibus, aut ciuibus Romanis in prouincia ipsa versantibus, quoties existeret, qui illud posceret. Ac quae quidem priuatae controuersiae fuerint, (de his enim prius agemus, quia in his potissimum collocata iurisdictione fuit) ex longa veterum iuriconsultorum in hac potissimum re laborantium disputatione repetendum videtur, quorum ingenio constitutum est, earum alias ad personas, alias ad res, & earum acquisitiones, alias ad obligationes pertinere. Leges autem fuerunt, aut quas imperator ab initio ex decem legatorum sententia dederat, aut postea è re nata consules, aut tribuni pl. tulerant. quibus etiam attextenda senatus consulta sunt, ut lex Rupilia de iudiciis apud Siculos, quam P. Rupilius ex decem legatorum sententia tulit, & Terentia Cassia de emendo in Sicilia frumento, quae à consulibus Terentio, Cassio post in gratiam Siculorum est lata. ut senatus consultum illud Lentulo, Philippoq; consulibus, *ut qui Ciliciam obtineret, de centesimis usuris ex syngrapha diceret.* quorum omnium Cicero meminit. Quod autem scripsi, ius dictum esse prouincialibus, ex eo numero liberos populos eximi oportet, quibus ius dici non licuit, quod ex Pisoniana cognoscitur. *Omitto, inquit, iurisdictionem in liberam ciuitatem contra leges, senatusq; consulta.* item: *Tu emisti grandi pecunia, ut tibi de pecunijs creditis ius in liberos populos contra senatus consulta, & contra legem generi tui dicere liceret.* Quos vero ciues in prouinciis versantes

tos dixi, ij ferè, ut supra scripsi, aut aratores, aut publicani, aut negociatores fuerunt, quibus non minus, ac sociis ipsis, ius dictum est. Vnde illud in Verrem: *Præclara clausula edicti, quod omnium controuersiarum, quae essent inter aratorem, & decumanum, edicit se recuperatores daturum.*

Cum ergo iurisdictione reddendi iuris potestas fuerit, quod in legibus contineretur, legibus autem omnia comprehendi non potuissent, factum est, ut multa edictis ipsis praetoriis sint permilla. siquidem ut praetores urbani Romae magistratum ineuntes edicta proposuerunt, ex quibus ius se dicturos esse, professi sunt, sic praesides in prouincias ingressi & ipsi sua edicta singulis de rebus diligenter scripta ediderunt, ad eaq; postea totam iurisdictionem suam accommodarunt. Atque haec quidem si ex urbanis aut prouincialibus edictis sumpsissent, translata, sin minus noua dicebantur. Hanc autem doctrinam huic disputationi intelligendae apprime necessariam elicere potissimum ex Ciceronis epistolis possumus, ubi ipse proconsul de suis Ciliciensibus edictis agit cum Attico. *De Bibuli,* inquit, (hic erat Syriae proconsul) *edicto nihil noui, praeter illam exceptionem, de qua tu ad me scripseras, nimis grauis praedictio in ordinem nostrum. ego tamen habeo ἰσὸς νόμος, sed tecltorem ex Q. Mucij edicto Asiatico: EXTRA QUAM si ita negotium gestum est, ut eo stari non oporteat, ex fide bona. multaq; sum sequutus Scaeuolae. in ijs illud, in quo sibi libertatem Graeci censent datam, ut Graeci inter se disceptent suis legibus. breue autem edictum est propter hanc meam διοίκησιν, quod duobus generibus edicendum putauit. quorum vnum est prouinciale, in quo est de rationibus ciuitatum, de aere alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis; alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciendis, bonis vendendis, quae ex edicto & postulari, & fieri solent, tertium de reliquo iure dicendo, ἀγοράων reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum. & ex epistolis ad Appium, de iisdem: *Romae composui edictum. nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, ut de tuo edicto totidem verbis transferrere in meum. diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum. quo in capite sunt quaedam noua, salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisuisse aliquid, in quo te offenderem, translaticium est. item: Interim cum ego in edicto translaticio, centesimas me obseruaturum, haberem, cum anatocismi anniuersario. Quin etiam in edictis non illa solum comprehensa sunt, quibus de rebus praetor cogniturus esset, sed etiam de quibus iudicium daturus, & quo modo. Vnde illa extiterunt in Verrem: *Edictum hominis cognoscite. si quis perperam iudicasset, se cogniturum, cum cognosset, animaduersurum.* item: *Dicit, se in decumanum, si plura sustulerit, quam debitum sit, in octuplum iudicium daturum esse.* item: *Qui in decumanos octupli iudicium sedaturus edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum.* item: *Ille vero praecleara clausula edicti, quod omnium controuersiarum, quae essent inter decumanum & aratorem, si vter velit, edicit se recuperatores daturum.* Neque vero praetereundum illud est, improbe factum iudicatum esse, si quis aliqua de re aliter in prouincia, atq; in vrbe edixisset, aut aliquod edictum contra leges prouinciae fecisset, aut contra edictum suum ius dixisset. Nam ni ita esset, profecto nunquam Cicero in Accusatione Verri posuisset, quod praetor urbanus de hereditatibus aliquid scripsisset in urbano edicto, quod postea de prouinciali demisset, & quod contra leges Siculis datas edixisset. aut certe non ita de se ad Atticum scripsisset: *Cum ego in edicto translaticio, centesimas me obseruaturum, haberem, cum anatocismi anniuersario, ille ex syngrapha postulabat quattuor. quid ais? inquam. possum ne contra meum edictum?***

Cum ergo iurisdictione ab edicto vniuersa penderet, nunc quo modo, proposito edicto, eam exercuerint, disseramus. Exercuerunt autem aut coercendo, aut statuendo, de coercitione cum iurisdictione coniuncta intellexit etiam Paulus titulo

de officio eius, cum scripsit: *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est.* Coërcuisse autem dicti sunt, vel cum citari, vel cum prehendi iusserunt. Itaque cōercitionis insignia, ac propè instrumenta fuerunt, accensus, & licitor, ille ad citandum, hic ad summouendum, &prehendendum tributus. De quibus noster ille ad fratrem: *Nuper C. Octavius in Macedonia incundissimus fuit. apud quem primus licitor quieuit, tacuit accensus, quoties quisque voluit, dixit, & quam voluit, diu.* Recte: fuit enim accensi officium, accire, qui ius poscerent, aut diutius, quàm oporteret, loquentibus silentium imponere; licitoris non prehendere solum, ac dūcere, sed etiam summouere, atque aliquando etiam loquentem cohibere. Vnde illa Liuij extitere de Paulo Æmilio in Macedonia: *Vbi is dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes ciuitatum iusserat, cum decem legatis in tribunali consedit. Assuetis regio impero, tamen nouam formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia oculis, auribusq;.* & illud Suetonij in libro de claris dicēdi magistris: *Albutius Silus in cognitione cædis Mediolani apud L. Pisonem proconsulem defendens reum, cum cohiberent lictores nimias laudantium voces, ita excauit, vt Italia statum deploraret, quasi iterum in formam prouinciæ redigeretur.*

Statuendi vero locus fuit Basilica, & tribunal; ministri scribæ, præcones, & lictores. de Basilica Hirtius in Alexandrino: *Longinus ex concione se Cordubam recepit, eoq; ipso die meridiana hora cum in Basilicam iret, interfectus est.* Tribunal fuggestus editior erat, vnde conspici magistratus ab omnibus poterat, in quo sella curulis, iurisdictionis insigne, locata erat, vbi sedens prætor cognoscebat, & pronuntiabat. Vnde apud Liuium dixit Minio: *Siculi in conuentu imperio prætoris euocati prætozem excelso in suo gestu superba iura reddentem, stipatum licitoribus vident, virgæ tergo, secures ceruicibus imminenti.* & Cicero in Verrem: *Satis ne vobis prætori improbo circumdati cancelli videntur in sua prouincia, immo vero in sella, ac tribunali.* Item: *Contentus hac iniquitate prætor non fuit. palam de sella, ac tribunali pronūciat.* item: *Quamobrem scriba deducat, ac non potius mulio, qui adduxerunt tabellarius, cuius aduentu certiores facti petiuerunt? præco, qui adesse iussit? viator, ac Venerius, qui fiscum sustulit? quæ pars operæ, atque oportunitatis in scriba est, cur ei tanta merces detur? ordo est honestus, quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaq; magistratuum committuntur.* Ex quibus item, quæ scribarum, que præconum, quæ tabellariorum partes apud prætozem prouinciæ fuerint, declaratur.

Porro autem statuendi partes duæ fuerunt, decretum vna, iudicij datio altera. Decreta sententiæ præsidum fuerunt sine iudicij consilio singulis de rebus interpositæ. decernere autem dicebatur prætor, cum manumitti, emancipari apud se permittēbat, cum possessionem ex edicto dabat, cum tutorem dicebat, cum bona addicebat, cum interdicebat, & omnino cum ipse sine iudice rem & cognoscebat, & de ea pro suo iudicio statuebat. talem autem præsidis fuisse cognitionem, & vt sine iudice statueret, & iudicibus rem statuendam permetteret, ostendit Callistratus aperte, cum inquit: *Quoties princeps ad præsides prouinciarum remittit negotia per rescriptiones, veluti: Eum, qui prouinciæ præst, adire poteris; vel cum hac adiectione: Is æstimabit, quid sit suarum partium, is æstimare debet, vtrum ipse cognoscat, an iudicem dare debeat.* Atque hoc idem etiam florente populo obseruatum apparet ex iis, quæ Cicero scribit in Verrem: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit. & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavianum ob ius dicendum poposcerit.* Atqui ille M. Octauio bonorum possessionem ademerat. item: *Verris decreta eiusmodi. Si non accepit, quod te debere dicis, accuses, si petit, ducas.* item: *Controuersia secreto deferebantur, paulo post decreta auferēbantur.* item: *Abs te iudicium postulatur, quid decernis? recuperatores discio te daturum.* & pro Flacco: *Prætor Asia pro sua æquitate, prudentiaq; decreuit. vt si iudicatum negaret, in duplum iret, si metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores.*

res. item ad Atticum de se proconsule: *Si Brutus putabit, me quaternas centesimas oportuisse decernere, qui in tota prouincia singulas obseruarem, itaque edixissem, accipiam dolorem.* & ad Thermum Asiæ prætozem: *Peto à te, si intellexeris, eos neque ex edicto, neque ex decreto pecuniam depositam habuisse, des operam, vt vsura Clunio instituto tuo conseruentur.* Decreta vero Latino sermone pronuntiabantur. Itaque ob ea causam interpretes habebant, vt Verres A. Valentinum in Sicilia, vt Cicero in quinta in Verrem scripsit.

Iudicia vero sententiæ fuerunt, quas iudices à prætoze litigatoribus iudicium postulantes dati re cognita tulerunt. quod docuisse videtur is, qui Herenniana Rhetorica scripsit, cum dixit, *iudicatum esse id, de quo aut sententiā lata, aut decretum interpositum esset.* neque enim dubium est, quin his verbis & prætoris, & iudicij cognitionē exprimere voluerit. Dabatur autem iudicium à præside eo modo, quo postulabatur, id est aut ex lege prouinciæ, aut ex edicto prætoris, si quid, quod abesset à lege, commodi contineret. Ac ex lege quidē, vt Rupilia apud Siculos, in qua scriptū fuit, *Vt quod ciuis cum ciue ageret, domi certaret suis legibus. quod Siculus cum Siculo nō eiusdē ciuitatis, vt de eo prætor iudices ex lege Rupilia sortiretur, quod priuatus à populo peteret, aut populus à priuato, senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicaret, daretur, cum alternæ ciuitates reiectæ essent. ceterarum rerum selecti iudices ex ciuium Romanorum conuentu proponi solebant. inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellabant, iudicia fiebant.* Moris autem fuit, vt cum res ex lege Rupilia gereretur, dicæ scriptio præcederet, inde citatis litigatoribus vna sortitio post triginta dies, inde altera, & quidem ex voluntate litigatorum, fieret. dicæ vero Græcorū more, (nam Siculi Græci erant, & Græce loquebantur,) scribi tum dicebatur, cum lis intēdebat, id est iudicium postulabatur. sortiri vero dicæ erant iudices ipsos ex lege sortiri, non autem, vt Budæus existimauit, litem intendere. Hæc autem omnia ex iudicio Heraclij hominis Siculi cognoscuntur. de quo Cicero: *Scribitur Heraclio dicæ dies aduenit, quo die Verres se ex instituto, ac lege Rupilia dicæ sortiturum Syracusis edixerat. paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. tum eum docet Heraclius, nō posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret, diebus triginta sortiri dicam, quibus scripta esset. dies triginta nondum fuerant. sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium successurum. iste omnibus iudicij diem distulit, vt hanc Heraclij dicam sortiri post dies triginta ex lege posset. posteaquam ea dies venit, iste incipit simulare se velle sortiri. Heraclius cum auocatus adesset, & postularet, vt sibi cum palastritis æquo iure disceptare liceat. aduersarij postulantes, vt in eam rem iudices dentur ex ijs ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent. electi qui Verri viderentur. Heraclius contra, vt iudices ex lege Rupilia dentur, negauit. Verres, se iudices ex lege Rupilia sortiturum. quinque iudices, quos commodum ipsi fuit, dedit: eo die nihil actum est. adesse iubentur postridie. Heraclius interea consilium capit, non adesse ad iudicium. atque Syracusis illa nocte profugit. Verres postero die mane iudices citari iubet. vbi comperit, Heraclium non adesse, cogere incipit eos, vt absentem condemnent. illi eum commonefaciunt, vt. si ei videatur, vtatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente secundum præsentem iudicare. Tum Verres illis quinque iudicibus vt se negat. iubet, id, quod initio è lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, & eos, qui dicam scripserant; atq; iudices è lege Rupilia velle sortiri. educit ex vrna tres. ijs, vt absentem Heraclium condemnent, imperat. itaq; condemnat. Hæc quanquam peruerse omnia, neque ex lege facta sunt, tamen facile quid fieri ex lege debuerit, ostendunt. Quocirca in Verrem paulo post ita Cicero inuehitur: *Profecto negare non potes, te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse, cum præsertim Heraclius id postularet. deinde cur tu post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, vtriusque dederas voluntate? deinde ceteras dicæ omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est, hanc solam tu illo conuentu reperire sortitus.**

Ex edicto vero iudicium postulabatur, cum more Romano postulabatur; id est,

E vt sibi

vt sibi aut iudex vnus, aut tres recuperatores, darentur. sic enim cum prætor quæque vrmano agebatur. Hoc autem erat ex edicto, quia prætor hoc in edicto postulerat, se de illis, aut illis rebus iudicem, aut recuperatores daturū. Vnde illis Verrina: *Præclara clausula edicti, quod omnium controuersiarum, quæ essent inter aratorem, & decumanum, si vter velit, edicit, se recuperatores daturum.* item: *Cæpit Scandilius postulare recuperatores. tum iste recuperatores dicit se de cohorte sua daturum.* item: *Postulat arator ex edicto iudicium in octuplum. Apronius non recusat.*

Præterea vero in quæ verba iudicium postulabatur, in eadem quoque dabatur, hac formula: *Si pateret, aut, si appareret. vt: Dabat iste iudiciū, si pateret, iugera eiusmodi fundi esset plura, quam colonus esset professus, tum Xenodamnaretur.* item: *Quærebant, in quæ verba recuperatores daret, respondebat, si pateret, aduersus edictum fuisse.* item: *Si vero illud quoque accederet, vt prætor in ea verba iudicium det, vt vel Octavianus Balbus iudex non possit aliter iudicare, sit eiusmodi L. Octavianus iudex. esto, si appareret, fundum Capenatem, quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij esse, is fundus Q. Catulo restituetur, nõ necesse erit L. Octauio iudici cogere P. Seruilium Q. Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quem non oportet.*

Quos autem iudices, aut recuperatores dabant, eos ex conuentu, & foro illo, in quo res agebatur, dabāt, id est ex iis ciuibus Rom. focis ve, qui in iis oppidis, quæ ad id forum conuenirent, versarentur. Itaq; inter cetera hoc quoq; criuini verit Cicero Verri, quod non de conuentu, sed de cohorte sua recuperatores dedisset. Vnde illa manarunt: *Scandilius postulare de conuentu recuperatores. Tum Verres negat, se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commissurum.* item: *De conuentu nullum vnquam iudicem, nec recuperatorem dedit. iniquos decumanis omnes dicebat esse.* item: *Instat Scandilius postulare recuperatores: tum iste recuperatores dicit se de cohorte sua daturum.* & alibi: *Selecti de conuentu, aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli hæc copia iudicium, cohors non Q. Scæuola, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verri.* item: *Habebat in consilio homines honestos de conuentu Syracusanos, qui sacerdotis prætoris quoq; in consilio fuerant.* L. autem Crassus cos. in Gallia citeriore, vt scribit Valerius, Cn. Carbonem, inimicum suum, ad speculanda acta sua profectum, non solum inde non summouit, sed insuper ei locum in tribunali assignauit, nec vlla de re, nisi eo in consilium adhibito, cognouit. Quanquam ne si litigator quidem iudiciū in eam formulam accepisset, iudices quicumque ex conuentu dari poterant, verum ij demum, de quibus litigatores inter ipsos conuenisset. Quocirca, vt in vrbe, sic in prouincia reiectio iudicium, quos sibi vterque incommodos arbitraretur fore, concedebatur. Atque hoc ex iis verbis elicitur: *Cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, vtriusque dederas voluntate?* item ex iis: *Postulat arator ex edicto iudicium in octuplum. Apronius non recusat. prætor iubet recuperatorum reijcere decurias. Scribamus quas decurias? tu de mea cohorte reijcies? inquit. & post: Si mehercule ex omni copia conuentus Syracusani splendidissimorum hominum faceres potestatem aratori non modo reijciendi, sed etiam sumendi recuperatores, tamen hoc nouum genus iniuriæ ferre nemo posset.*

Quod si non recuperatores tres, sed iudex vnus datus esset, tum, vt Romæ, sic in prouincia, ille peritū aliquem sibi in consilium aduocabat, atque ex eius sententia iudicabat; quod his verbis perspicue admonemur: *M. Petilium Verres iubet operam dare, quod rei priuata iudex esset, Petilius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret.*

In ceteris autem eadem in prouinciis agendi ratio fuisse videtur, ac Romæ, ante iudicium quidem Vadationum, Compromissorū, Sponsionum, Satisfactionū, post iudicium autem Additionum, Abductionum, & reliquorum eiusmodi, de quibus latius alio à nobis loco, & quidem magis idoneo, disputabitur. Ac Vadationis quidem testimonio sunt illa: *Iam vero illud contra omnia iura Siculorū, quæ habent à senatu populoq; Romano, ne extra forū suum vadimonium promittere cogantur.* Statim

*iste, vt arator decumano vadimonij promitteret. vt hic quoq; decumano, cum ex Leonino Lilybæum vsq; aliquē vadaretur, ex miseris aratoribus calumniandi quæstus accederet.* Vadationis vero cū sponsione hæc: *Iubet Verres, Seruilij Lilybæum vadimonij Venerio seruo suo promittere. Lilybæi venit. cogere eū cæpit, cū ageret nemo, nemo postularet, sestertij duobus millibus sponsionē facere cū lictore suo, ni furtis quæstum faceret; recuperatores de cohorte sua dicit daturum. Seruilij recusare, & deprecari, ne iniquis iudicibus, nullo aduersario, iudiciū capitis in se cōstitueretur.* Satisfactionis vero illa: *Amici, si quis quid peteret, iudicio secum agi passuros, iudicatum solui satisfacturos esse, dicebant.* Nam arbitrij etiam, & compromissi rationem obseruatam esse, ex eo loco apparet: *Quod iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod ciuis Centuripinus inter duos ciues iudicasset, id irritum iussit esse.* at post rem iudicatam abductos esse, ex oratione pro Flacco: *Hunc iudicio ille persequitur. à recuperatoribus causa cognoscitur. recuperatores cōtra istam rem minime dubiam prima actione iudicauerunt. cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est.*

Atque hoc quidem modo priuatarum controuersiarum cognitionem administrarunt, quam proprie iurisdictionem appellarunt. nunc quemadmodum iudicia publica, quas quæstiones dixerunt, exercuerint, demonstramus. Neq; enim, vt Romæ alij ius inter ciues, & inter peregrinos dixerūt, alij iudicia publica exercuerūt, sic in prouinciis; verum vtraque cognitio præfidi prouinciæ à populo Rom. commissa est, priuatarum quidem litium ex ea lege, quæ ex decem legatorū sententia data fuerat, publicorum vero criminum ex ea, quæ de quoq; crimine cognoscendo, ac vindicando lata fuit. Vnde illa sunt Ciceronis in Pisonem Macedoniae proconsulem: *Quid ego rerum capitalium quæstiones, reorū pacationes, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidinosissimas liberationes proferam?* & illa apud Hirtium de Longino proprætore Hispaniæ: *Nemo erat, qui modo iacturā aliquam facere posset, quin aut vadimonio teneretur, aut in reos referretur.* id est qui nõ aut priuata lite, aut publico iudicio apud prætorē prouinciæ irretiretur. & S. Lucas dixit in Actis: *Quod si Demetrius, & qui cū eo sunt artifices, causam aduersus aliquē habent, aguntur foras; & proconsules sunt: accusent inuicem.* Ceterum publicarū quæstionum, vt vis, peculatus, falsi, maiestatis, exercendarū eadem in prouinciis ratio, ac Romæ; fuit. Deferebatur enim rei nomen ab accusatore apud prætorē; prætor autē, si id recepisset, diem iudicij constituebat. atq; vbi aduenerat, per præconem accusatorem, reum, & testes citari iubebat; interrogatione vero testium absoluta, fortiebatur ex lege, quæ de eo crimine lata fuerat, iudices, & quidē de conuentu. inde sequebatur more Romano reiectio. quibus absolutis, sedente in tribunali, ac sella prætoris, iudicibus in subelliis causa ab vtraq; parte agebatur, id est ab accusatoribus, & patronis rei; prætor cum consilio cognoscebat, atq; ex eorum sententia, vbi ab vtraq; parte peroratum erat, reum aut cōperēdinabat, aut condemnabat, aut absoluebat, aut Amplius pronunciabat. si cōperēdinatus reus, aut ampliata causa fuisset, secunda actio instituebatur, & si necesse fuisset, tertia. tum de integro aut absoluebat, aut cōdemnabat, atq; in condemnatū animaduertebat. Sunt autem in Verrinis tria huius generis iudicia, vnum de Philodamo, Nerone Asiæ prætoris iudiciū exercente, alterum de Sopatro, tertium de Sthenio, Verre Siciliae prætoris quærente. quæ quanquam à Cicero vt perperam facta afferuntur, tamen, quia eiusmodi sunt, vt veterē publicorum in prouincia iudiciorum consuetudinem illustrare possint, ea breuissime perstringemus. neq; enim aliunde huius rei notitiam haurire, nisi concepta ex urbanis iudiciis coniectura, possumus. de Philodamo res acta in hūc modum est: *Occlusus erat Lampaci lictor Verris Cornelius à Philodamo, tum cum legatus Verres erat Dolabellæ in Cilicia proconsulis. cuius cædis cognitio ad Neronē Asiæ prætorem pertinebat. sic ergo ille narrat: Decessit de prouincia sua Dolabella, vt in alienā proficisceretur. cōtendit à Nerone, vt Philodami causam cognosceret. venerat ipse, qui esset in consilio, & primus sententiam diceret. adduxerat etiam præfectos, & tribunos*



militares suos, quos Nero omnes in consilium vocauit. erat in consilio etiā iudex Verres. erant nonnulli togati creditores Græcorū. accusator apponitur ciuis Rom. de creditoribus Lampfacenorū. cum Dolabella cum suis præfectis pugnaret in cōsilio, Verres fortunam suas agi diceret, idem testimoniū diceret, idem esset in consilio, idem accusatorē parasset, & cum hominem cōstaret occisum, tamen de Philodamo Amplius pronunciatū. altera actione condemnatur per paucis sententijs Philodamus, & eius filius. Urget Dolabella, ut quamprimum securi feriatur. In Sopatri autē iudicio ita actū est: Cum Sopater Elabciensis ab inimicis suis apud C. Sacerdotem prætorem rei capitalis accusatus eo iudicio liberatus esset, huic eidem Sopatro idem inimici ad C. Verrem, cum Sacerdoti successisset, eiusdem rei nomen detulerunt. citatus reus. caussa agitur Syracusis. crimina tractantur ab accusatore. caussam Sopatri defendebat Q. Minucius eques Rom. postquam ad caussam dicendam ventum est, omnes sine metu. res illo die non peroratur. dimittitur iudicium. bene sperare Sopater, quod prætor quoquo modo se in ea quæstione præbebat, tamen in cōsilio habebat homines honestos e conuentu Syracusano, qui Sacerdotis quoque in consilio fuerāt, tunc cum esset hic idem Sopater absolutus. cum in consilium frequentes conuenissent idem, prætor M. Petilium equitem Rom. quem habet in consilio, iubet operā dare, quod rei priuatæ iudex esset. Petilius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in cōsilio esse vellet, ipse Verres retineret. Verres dimittit omnes. & solus cū sua cohorte relinquitur. Minucius iubetur dicere. negat, quia non adsint, qui caussam cognorāt. Petilius, ne dicere cogeretur, à subellijs abire cœpit. mināti illi caussam se se, dimisso, atq; ablegato cōsilio, defensurū negauit, à subellijs discessit. Verres iubet, Sopatrū dicere. idem orare, ut cum consilio cognosceret. tum repente Verres testes citari iubet. dicit vnus, & alter breuiter. nihil interrogatur. prætor dixisse pronunciat. prætor de sella exiit. hominem à Sacerdote absolutum indicta caussa de sententia scribæ, medici, aruspiscisq; condemnauit. Iudicium vero tertium Sthenij huiusmodi fuit: Verres prætor palam de sella, ac tribunali pronunciat, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum. & simul, ut nomen deferret, Agathinū hortari, negauit Agathinus. tum repente Pacilius quidam ait. si liceret, nomen absentis deferre se velle. iste vero. & licere, & fieri solere, & se recepturum. itaque defertur. edicit statim, ut Kal. Decemb. adsit Sthenius Syracusis. Kal. Dec. mane, ut edixerat, Sthenium reum citari iubet. non respondit, non affuit: Verres, quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat. neque enim, si præsens Sthenius reus factus esset, tamen, cum accusator non adesset, condemnari oportuit. His tribus iudicijs addere possumus etiam quartum, veterū litteris in primis celebratum, de muliere Smyrnæa. de qua præter Valerium, ac Gellium, sic Marcellinus prodidit: Apud proconsulem Asiæ Dolabellam Smyrnæa materfamilias filium proprium & maritū venenis necasse confessā, quod filium ex priore viro ab eis occisum comperisset, & comperendinata, cū consilium, ad quod ex more delata est, anceps, quid inter vltionem, & scelus statui debeat, hæstaret, ad Areopagitas missa est Athenienses iudices tristiores, qui caussa cognita centesimo post anno cum accusatore mulierē adesse iusserūt, ne aut absoluereut veneficā, aut vltrix necessitudinum puniretur. Horum igitur iudiciorum partes si quis singulas attente considerauerit, facile intelliget, eandem fuisse quæstionum in prouincia exercendarum consuetudinem, ac Romæ erat. Quæ caussa facit, ut nos in his explicandis minus laboremus, quod alio loco hoc de genere disputaturi sumus.

Atq; hæc quidē de prouinciali priuatarū, & publicarū caussarū cognitione inuenimus. Illud autē vtriq; cōmune fuit, ut in magna caussæ obscuritate prætores caussam alio reicere possent. Quod video elici posse ex epist. Cic. ad Sulpiciū Græciæ prætorem, cum scribit: Pergratum mihi feceris, si eos, quando cum senatore res est, Romam reieceris. & accusatione Verris: Si ex prouincia Sicilia tota statuas idoneum iudicem, aut recuperatorem nullum posse reperiri, postulat à te, ut Romam reijcias. & ex iudicio Dolabellæ, qui veneficæ caussam dubiam ad Areopagitas Athenas reiecit.

Quæret fortasse aliquis: an vero cū in vna prouincia ac sæpe duabus, aut tribus præses

præses vnus iuredicundo præset, ipse in tantis occupationibus tāta esse diligētia potuit, ut præsens omnibus ius poscentibus satisfaceret: minime vero. verū vicariis ad eam rē vsus est multis, legatis quidē suis in primis, aliquādo etiā quæstore, non nunquā etiā alijs, quibus ipse partem suæ iurisdictionis mādauit. Ac de legatis qui dem non est dubiū, quippe qui vicariā præsidis operā in omni prouinciali munere sustinerent. confirmatur tamē etiā testimonio Ciceronis in Flacciana: Gratidius legatus, ad quem est aditū, actionē se daturum negauit. re iudicata stari ostendit placere. De quæstore autē liquet ex Suetonio: Cæsari quæstore Hispania vltior abuenit. vbi cum mandato prætoris iure dicundo conuentus circumiret, Gadibus ingemuit. & ex diuinatione in Cæciliū: Quæstor ad se vocari Agonidem iubet, iudicium dat statim: Si pateret, eam, se, & sua Veneris esse dixisse. iudicant recuperatores, id quod necesse erat. iste in possessionem bonorū mulieris mittit. ipsam Veneri in seruitutē adiudicat. deinde bona vendit. pecuniā redigit. & alibi in Verrē: Ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quæstor sortitus est, hanc solam tu illo conuentu reperire sortitus. De alijs idem Cicero testis est, cum procōsul Ciliciæ scribit ad Att. Q. Volusium nisi in Cyprum, ne ciues Romani, qui ibi negociarentur, ius sibi dictum negarent. nam euocari ex insula Cyrios non licet. & ad fratrem: Parui refert, abs te ipso ius dici aquabiliter, & diligenter, nisi idem ab ijs fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris.

Hoc autem in loco illud prætereundum nō est, quod ignoratū miras huic quæstioni offundere tenebras posset, præfides cum legatis iurisdictionem mandarunt, non publicarū quæstionū exercitorem mandasse, sed priuatarū controuersiarum cognitionē, quæ proprie iurisdictione dicta est. quæ quoniā à magistratu tota profecta est, neq; cum quæstione, id est publicarū caussarum cognitione, coniuncta fuit, quæ à lege tota pependit, sane intelligendum est, præsidem, ne si voluisset quidem, quæstionē mandare potuisse, nisi forte lege, quæ de quæstione illa scripta esset, nominatim cautū esset, ut is, cui exercitio eius quæstionis obtigisset, posset eam mandare. Erant enim de singulis, ut alibi docebimus, criminibus latæ leges, ut de adulterijs, vi, falso, peculatu, quibus quid cuique obseruandū esset, qui aut Romæ quæreret, aut prouinciā obtineret, sciscabatur, ex quo intelligi potest, cum iurisdictione mandabatur, priuati tantū iuris cognitionē esse mandatā, publici vero iudicij exercitorem nec mandatā esse, nec mandari licuisse, nisi nominatim id scriptum esset in lege. Atque hoc mihi videtur voluisse Papinianus titulo de officio eius, cui mandata est iurisdictione. quem locum iurifconsultos torquere plerosque audio: Quæcunque specialiter lege, vel senatus consulto, vel constitutione principum tribuantur, mandata iurisdictione non transferuntur. quæ vero iure magistratus competunt, mandari possunt. & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicij habeant exercitorem lege, vel senatus consulto delegatam, veluti legis Iulie de adulterijs, & si quæ sunt aliæ similes, iurisdictionem suam mandant. Huius rei fortissimum argumentum, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si profiscatur, mandare. non aliter itaq; mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias iurisdictione etiam à præse mandetur. Et si à familia dominus occisus esse dicetur, cognitionem prætor, quam ex S. C. habet, mandare non poterit. Qui mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet. sed & eius, qui mandauit, iurisdictione vitur. Verius est enim more maiorum iurisdictionem quidem transferri, sed merum imperium, quod lege datur, non posse transire. quare nemo dicit, animaduersionem legatum proconsulis habere mandata iurisdictione. item eodem in titulo Paullus: Legati proconsulis nihil proprium habent, nisi à proconsule eis fuerit mandata iurisdictione.

Ac de priore quidem potestatis prætoris parte, quā in iurisdictionem, & quæstionem diuisimus, hætenus. nunc de altera disseramus, quæ tota ceteris in rebus curandis, atque prouinciæ imperandis versata est, ut in re frumentaria, tributaria, vectigali, & viaria. Quid igitur ad hæc? quid aliud nisi omnia à præsidibus per edita esse administrata? edita vero non perpetua fuisse, sed repentina, & peculiaria,

id est de singulis, ut cuiusque postulauit occasio, interposita. unde hoc? unde, nisi in ipso huius disputationis fonte, Siciliensi prætura Verris? *Apronio affirmante, se plebem decumam non daturum, exoritur peculiare edictum repentinum: Ne quis frumentum in area tolleret. item: Edictum repente nascitur, ut ante Kal. Sext. omnes decumas ad aquam deportatas haberent. item: Duriora edicta interposuit, omnium superiorum prætorum auctoritatem repudiavit.* Agamus autem de singulis, atque, ut quæque prætor curauerit, exquiramus. Frumentum, ut ab initio dixi, in prouinciis aliud vendebatur, ut decumanum in Sicilia, (nam aliarum prouinciarum decumæ Romæ à censoribus vendebantur.) aliud emebatur, aliud in cellam prætoris æstimabatur, aliud imperabatur, aliud honoris causa accipiebatur. Ergo ex legibus, aut senatusconsultis, aut veteribus, aut recentibus omnia hæc prætor curauit, totumque ius vendendi, emendi, imperandi, imperandique; frumenti habuit. Ac de venditione quidē quid ea proferat, quæ plurima Cicero obiecit Verri in frumentaria, quod decumas in Sicilia plures vendidisset, quæ per legem oportuisset, atque pecuniā auertisset? Nam æstimationem eius potestate sitā fuisse, illa declarat: *Cum ex S. C. legibus frumentum ei in cellam sumere liceret, idque frumentum senatus ita æstimasset, quaternis sestertijs tritici modium, denarijs ternis hordei, iste numero ad summam tritici adiecto tritici modios singulos cum aratoribus denarijs ternis æstimauit. & post: Totus quæstus hic æstimationis ex annonæ naturæ varietate: hoc enim magistratus in prouincia assequi potest, ut ibi accipiat, ubi est carissimum. ideo valet ista ratio æstimationis in Asia, valet in Hispania, valet in ijs prouincijs, in quibus vnum pretium frumento esse non solet. Eadē vero etiā ratione frumentum emendi, & imperandi auctoritatē prætoris totā fuisse, ostendit idem, cum inquit, Verrem prætorē frumentum in Sicilia emere debuisse ex S. C. lege Terentia, Cassia; emendi duo genera fuisse, vnum alterarum decumarum, alterum, quod præterea ciuitatibus æquale esset distributum; illius decumani tatum, quantum ex primis decumis fuisset, huius tritici modium octoginta millia; pretium autē constitutum decumano in modios singulos sestertios ternos, imperato sestertios quaternos. atque ita in frumentum imperatum sestertium duodeuicies in annos singulos Verri decretum, quod aratoribus solueret in alteras decumas ferme ad nonagies. Verrem eam pecuniā suā auertisse. Iam vero, ut vinum quoddam fuit honorarium, quod prætori honoris causa, teste Isidoro, dabatur, sic etiā frumentum honorarium. vini meminit Cato in oratione de innocentia sua: *Cum essem in prouincia legatus, cum plures ad prætores, & consules vinum honorarium dabat, nunquam accepit ne priuatus quidem. frumenti, ut dixi, Cicero in Pisonē: Qui modus tibi fuit frumenti æstimati, qui honorarij? siquidem potest ut, ac metu extortum honorarium nominari. vnus tu dominus, vnus æstimator, vnus venditor tota in prouincia per triennium frumenti omnis fuisti.* Honorarium vero vinum, atque frumentum vectigalis, credo, prætorij pars fuit eius, quod se remisisse Ciliciæ Cicero gloriatur cum Attico: *Dixi, me coacturum, homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me soluere. quod enim prætori dare consueverant, quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare, atque etiam minus esse aliquanto in Scaptij nomine, quam in vectigali prætorio.* Ac rem quidem vectigalem frumentariam ordine ita curarunt.*

Extra ordinem autem vectigalia noua instituerunt, ac tributa imperarunt, verum non sine crimine. De vectigalibus testimonio sunt illa Ciceronis in Fonteiana: *Crimen à Platorio ita constitutum est; Fonteio, non in Gallia primum venisse in mentem, ut portorium vini institueret. & in Pisoniana: Vectigalem prouinciam singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito seruis tuis publicanis à te factam esse meministi?* Tributa vero prouincijs à prætoribus aliquando esse siue ex fœdere, siue ex Senatusconsulto, siue ex ipsorum libidine imperata, multorum præturæ ostendunt, ut Verris, Appij, & Scipionis. Ac de Verre quidem sic Cicero: *Imacharenses iam omni frumento ablato; iam omnibus iniurijs tuis eximatos tributum ferre miseros coegisti. recita decretum de tributis.* Quin etiam alio loco prætores sæpe naues, nautas, militesque; prouinciæ ciuitatibus ex fœdere imperasse inquit,

inquit; sumptum autem ex ordine nauarcho à sua quaque ciuitate suppeditatum extra ordinem prætori adnumeratum, & quidem ipsius iussu prætoris esse. unde illa: *sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque; rebus nauarcho suo quæque; ciuitas semper dare solebat. is neque ut accusaretur à nautis, committere audebat, & ciuibus suis rationem referre debebat. in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. erat hoc ut iudicio factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs, etiam in sociorum ac Latinorum stipendio, ac sumptu, tum cum illorum auxilijs uti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperauit, ut ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur, ut is eam pecuniam tractaret, quem ipse præfecisset.* de Appio vero Ciliciæ proconsuli sic cum Attico: *Audiuimus nihil aliud, nisi imperata epiképhαια eos soluere non posse, possessiones omnium venditas, ciuitatum gemitus, ploratus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis.* Imperata vero epiképhαια vocat tributa, quæ in capita, aut in ostia imposuerat Appius. quorum etiam scribens ad ipsum Appium meminit, his verbis: *Principes ciuitatum à me postularunt, ne in venditionem tributorum, & illam acerbissimam exactiōem capitum atque ostiorum inducerentur sumptus minime necessarij.* De Scipione vero Syriæ proconsule Cæsar in hunc modum: *Ciuitatibus, tyrannisque; magnas imperauerat pecunias. item à publicanis suæ prouinciæ debitam biennij pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat, equitesque toti prouinciæ imperauerat. & paullo post: Interim acerbissime imperatæ pecuniæ tota prouincia exigebantur. in capita singula seruorum, ac liberorum tributum imponebatur. columnaria, ostiaria. frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, veteræ imperabantur. cuius modo rei nomen reperiri poterat, hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur.* Quod autem dixi de portorijs, & tributis; idem etiam de curatione viarum adiungo. cuius Fonteiana prætura illustre præbet documentum: *M. Fonteius, cum maioribus reip. curis impediretur, & cum ad remp. pertineret, viam Domitiam munire, legatis suis negotium dedit. itaque præfuerunt, imperauerunt pro dignitate sua quod visum est, & probauerunt.* Ex his autem coniecturam de alijs quoque rebus facere possumus, ut quæcunque aut ordine, aut extra ordinem imperanda prouinciæ fuerint, ea per edicta repentina à prætoribus esse imperata, dicamus.

Ut autem præfides multi libidine atque avaritia obcæcati noua vectigalia, ac noua tributa prouincijs imposuerunt, aliisque ad perniciem earum plurimæ imperarunt, sic nonnulli tanta caritate, atque abstinentia fuerunt, ut non solum publica vectigalia sustulerint, sed etiam prætorium ipsum vectigal, in quo præcipue Cicero gloriatur, remiserint, neque vlli alij rei, quam commodis, ornamentisque; sociorum, studuerint. unde honores summos ab ipsa prouincia retulerunt, legationes, statuas, fana, dies festos. Ac de legationibus quidem Romam honoris causa mittendis & monumento quodam extruendo, extat aliquid in epistolis Appianis. de die vero festo indicio sunt Marcellea, & Mucia, quæ Siculi M. Marcello, & Asia ni Q. Mucio instituerunt, quorum Cicero, & Asconius meminere. Eiusmodi vero se affici ornamentis, ipse in Cilicia Cicero, qua erat animi moderatione, prohibuit. sic enim scripsit ad Atticum: *Ob hæc beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi nisi verborum, decerni sino, statuas, fana, & ἄβριπτα prohibeo.*

De imperio Præsidum, siue administratione rei militaris. CAP. VI.



ACTENVS de potestate prætoris dictum sit, quæ pars maxima officij præfidis fuit. reliquum est, ut de imperio, id est de rei militaris tractandæ iure, ac ratione breuiter, quod huius loci sit, disseramus. huic enim rei Romani præfides non minus, ac iurisdictioni, operam dederunt. neque id iniuria. hac enim cum socios in fide continuerunt, exercitus terrorem, bellique minas, si defi-

cerēt, ostentantes, tum prouinciam à finitimorum hostium incurfionibus, aut latronum populationibus tutam præstiterunt. Itaque, vt potestatis administratio integritatem, æquitatem, & humanitatem præsidis desiderauit, sic imperij tractatio rei militaris prudentia, seueritate, & fortitudine eguit. Imperium autem hoc loco nihil aliud est, quàm ius, vt dixi, habendi exercitus, belli gerendi, & rei totius bellicæ capeffendæ. quo modo accepit Cicero tum, cum dixit: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest, & alibi: Deceui imperium exercitum habenti. quid est enim sine imperio exercitus?* quibus verbis significatur, præfidi, qui habeat imperium, ius esse permissum exercitui imperandi, bellum auspiciis suis gerendi, & totius rei militaris suo consilio, atque arbitrio in sua prouincia gubernandæ. de quibus videtur esse faciendum vt sigillatim dicamus, quemadmodum ante de iurisdictione fecimus.

Primum ergo omnium exercitum Romanum ex legionibus, vt diximus, auxiliisq; sociorum confectum, aut præses ipse ex S. C. nouum in vrbe conscripsit, aut veterem à decessore suo in prouincia accepit. Ac nouum quidem conscripserunt eo modo, quo supra diximus, cum iura Romanæ militiæ inuestigauimus. acceperunt autem veterem aut ab ipso præfide decedente, aut à legato eius. acceptum vero lustrarunt. & concione apud eum habita, ad tempus nimirum accommodata, si qua corrigenda in eo, aut immutanda visa sunt, proposito edicto emendarunt & immutarunt. sic enim cum ceteros fecisse video, tum Cn. Manlium, bello Gallo græco, de quo Liuius: *Vere primo Epbesum consul venit, acceptisq; copijs à L. Scipione, & exercitu lustrato, concionem apud milites habuit;* & L. Paullum bello Perfico, prout ipse in concione Romæ dixit: *Quinto die Delphis Appollini pro me, exercitibus, & classibus vestris sacrificauit. Delphis quinto die in castra perueni. Vbi exercitu accepto mutauit quædam, quæ magna impedimenta victoriæ erant.* Quem eundem locum explicauit Plutarchus his verbis: *Paullus quinto die cum Delphos venisset, post totidem alios exercitum accepit in Macedonia, & solemnem eius peregrinacionem.* postremo vero sic etiam fecisse animaduerto in Cilicia M. Tullium, quippe qui scribat: *In castra veni A. D. VII. exercitum lustrauit apud Iconium.*

Erat autem Lustratio solemne sacrificium, quod faciebant sub dio ad lustrandum, id est expiandum, exercitum, censorio non absimile, quo populus Romanus in campo Martio lustrabatur. quemadmodum innuit Plutarchus, & Cicero; Plutarchus quidem in Bruto: *Cæsar in castris lustrato exercitu paullum frumenti, & quinque drachmas viritim ad sacrificium distribuerat. Brutus autem eius egestate damnata, primum sub dio exercitum, vt mos fuit, lustrauit, deinde hostijs multis centuriatim, ac denarijs quinquagenis distributis alacriores milites reddidit. tum ostentum Cæsario in lustratione est factum, quod coronam inuersam ei licitor porrexerat;* Cicero vero in libris de diuinatione: *Cum imperator exercitum, censor populum lustrat, bonis nominibus, qui hostias ducant, deliguntur.*

Iam vero qualis militaris disciplinæ in castris emendatio fuerit, P. Scipionis imperatoris ad Numantiam, & Q. Metelli in Numidia nota seueritas satis esse documento possunt. de quibus Appianus in Iberica, Sallustius in Iugurthina copiose, eleganterque scripserunt.

Ceterum tantum imperatori in exercitum suum imperium est permissum, vt non priuatas solum controuersias, sed etiam publicas cum consilio, ac sine consilio cognouerit, ac demum suramam vitæ, necisq; cuiusque potestatem habuerit. iuris ab eo in castris dicti hæc argumento sunt. *Scipio*, vt scribit Gellius, *quodam die ius in castris sedens dicebat. tum è militibus, qui in iure apud eum stabant, interrogauit quispiam ex more, in quem diem, locumq; vadimonij promitti iuberet. & perrendie, inquit, se se sistant in illo loco, oppidum, quod oppugnabat, ostendens. die tertio in quem vadari iusserat, oppidum captum. eo die in arce eius oppidi ius dixit.* Idem vt tradit Liuius, *tres recuperatores cum se daturum pronunciaisset, qui cognita causa, te-*

stibus

*stibusq; auditis iudicarent, vter prior in oppidum transcendisset, C. Lælio, & M. Sempronio aduocatis partis vtriusq; P. Cornelium Caudinum de medio adiecit, eosq; tres recuperatores confidere, & causam cognoscere iussit.* Quin etiam ad Cæsarem imperatorem, bello ciuili, *quascunque controuersias inter se milites habuerant, sua sponte, vt ipse scribit, introduxerunt.* At vero capitalium rerum cognitionem imperatores in castris exercuisse, atque vsque ad extremum supplicium ciuium Roma. nedum sociorum progressos esse, & ego ostendi, cum de iure ciuium Roma. disputaui, & Valerius plurima nobis, eaq; nobilissima exempla suppeditat, vbi militaris disciplinæ monumenta pertractat. vnde loci illius in Rhetoricis Herenianis sententia elucescit, vbi scribitur, *deprecationis statum in iudicium non venire, sed in senatum, aut ante imperatorem, & in consilium.* nimirum enim hoc ille voluit, imperatorem sine consilio, absoluere pro arbitrio reum deprecantem potuisse. Nam quòd cum consilio capitalia cognouerit, seditio militaris ad Sucronem Scipione imperatore discussa testimonio est. de qua Liuius: *Consilium de ijs Carthagine erat, certabatürque sententijs, vtrum in auctores tantum seditionis animaduertetur, an plurium supplicio vindicanda seditio esset. vicit sententia lenior, vt, vnde culpa esset orta, ibi pœna consisteret. Præconis audita vox, citantis nomina damnatorum in consilio. nudi in medium protraherentur. & simul omnis apparatus supplicij expromebatur. deligati ad palum virgisque cæsi, & securi percussi sunt.*

Neque vero imperatores ipsi solum hoc ius habuerunt, sed eorum etiam legati tribuni militum, & præfecti, vt ius dicerent, ac delicta pro suæ quisque auctoritatis modo castigarent. quod cum scripsit Macer libro primo de re militari, tum Liuius significat in seditione, de qua dixi, Sucronensi. *Forma tamen Romanorum castrorum, inquit, constabat ea vna spe, quòd tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis rati fore, & iura reddere in principijs sinebant. & signa ab eis petebant, & in stationem, ac vigilias in ordinem ibant.* & post: *Citati: ominatim omnes apud tribunos militum in verba P. Scipionis iurauerunt.* Erant autem Principia locus in castris post prætorium, & quæstorium, nobilissimus, nepe in quo legati, tribuni militum, ac primorum maxime ordinum ductores non aliter, ac imperator in prætorio, quæstor in quæstorio, tendebant, ac ius dicebant. Vnde multæ plerunque de militibus in principijs sumptæ leguntur. quarum aliquot apud Frontinum extant exempla, vbi agit de disciplina, & Florus de bello Gallico. *Itaq; tantus gentis nouæ terror in castris, vt testamenta passim in principijs scriberentur.* & Liuius lib. vii: *Milites non in circulis modo fremere, sed iam in principijs, ac prætorio in vnum sermones confundi.*

Quod autem dixi de auspiciis imperatoris, id fuit huiusmodi. Institutum quippe ab initio fuerat, vt nihil neque domi, neque militiæ, nisi auspiciato, gereretur. quippe quòd, vt inquit apud Liuium Cn. Manlius, *nullius calumnie subijcerentur ea, quæ dij comprobaussent.* Auspicia vero in exercitu vnus tantum fuerunt imperatoris, cui ea prouincia euenisset. ceteri auspiciis eius pugnare, ipse bellum, vt ductu, sic auspiciis suis gerere dicebatur. vnde dixit Scipio ad seditionem exercitum: *Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentia progressi sitis; quid facinoris in me patriamque vestram, quid in deos sacramenti testes, quid a tuersus auspicia, sub quibus militatis, quid aduersus morem militiæ, disciplinamque maiorum, quid aduersus summi imperij maiestatem ausi sitis.* Itaque nec Imperatoris nomen, nec supplicatio, nec triumphus dabatur aut legato, aut vlii alij exercitus præfecto, ne si eorum quidem opera, atque virtute imperator absens, aut ægrotus victoriam adeptus esset; quòd non eorum auspiciis res esset gesta, sed ipsius imperatoris.

Ceterum in castris auspicia duo adhibuerunt, vnum coactum, alterum ex acuminibus. Coactum autem appellarunt, tripudium; cuius hæc fuit consuetudo. singulis quippe magistratibus, qui imperium haberent, pullarij præsto erant, qui

iussu

iussu eorum, esurientibus pullis, quos è cauea emittebant, cibum obiciebant, atque rei euentum ex eorum pastu coniciebant; nam, si offa obiecta, aliquid è pullorum pascentium ore in terram cecidisset, tripudium solistimum dicebatur, ac prosperum habebatur, sin minus, infaustum. Ac magistratus quidem, qui in consulatu, & prætura prouinciam obtinuissent, non nisi addicentibus pullis, rem vllam aggrediebantur. at proconsules, & pro prætores, vt qui sine magistratu essent, ea non obseruabant. Atque harum quidem rerū auctor est Cicero in libris de diuinatione: *Nostris magistratus auspicijs vtuntur coactis. necesse est enim offa obiecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur.* item: *Bellicam rem maiores nostri administrari nisi auspicijs, noluerunt. quam multi anni sunt, cū bella à prætoribus & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicijs, nec tripudium auspicijs.* ite: *Sed quia cū pulli pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pauire, terripauium primo, post tripudium dictum est. hoc quidem iam tripudium dicitur. cum igitur offa iam cecidit ex ore pulli, tum auspicijs tripudium solistimum nunciat.* item: *Hoc quoque, quod dixi, coactum, tripudium solistimum dicitis.* Vnde Liuius bello Samnitico: *Tertia vigilia noctis Papius silentio surgit, & pullarium in auspicijs mittit. cum pulli non pascerentur, auspicijs mentiri ausus, tripudium solistimum consuli nunciauit. consul letus auspicijs egregium esse, ac deis auctoribus rem gesturos pronunciat, signumque pugnae proponit.* & bello Punico: *Paullus consul, cum ex sua sponte cunctanti pulli quoque auspicio non addixissent, obnunciari iam efferenti porta signa collegæ insit.* Auspicijs autem ex acuminibus cuiusmodi fuerit, incomperum, eius Cicero tantummodo meminit primum loco prolato, cum dixit: *Ex acuminibus, quod totum auspicijs militare est, M. Marcellus totum omisit;* deinde in secundo de natura deorum: *Negligentia nobilitatis auguriorum disciplina omissa, veritas auspicijs sprete est, species tantum retenta. itaque maximæ reipartes, in his bella, quibus reip salus continetur, nullis auspicijs administrantur, nulla perennia seruantur, nulla ex acuminibus.*

Neque vero solum auspicia, sed etiam omina obseruabant. Fuerunt autem omina, dicta, factaque, quæ audita, ac visa ad imperatorem rem agredientem pertinere possent, quæ cum temere essent oblata, propterea ab eo accipi, & non accipi poterant: factum, vt illud C. Flamini, de quo Cicero: *Flaminius exercitu lustrato, cum contra Annibalem legiones duceret, ipse, & equus eius concidit, nec eam rem religioni habuit.* & alterum Cæsaris, de quo Suetonius: *Cæsar prolapsus ingressu nauis cum in Africam aduersus Iubam tenderet, verso ad melius omine, Teneo te, inquit, Africa.* Dictum, quale illud Paulli Aemilij, cui paranti expeditionem aduersus Perseum regem Macedoniæ, cum filiola mœsta occurrisset, dicens, *Perse perijt,* respondit, *Accipio omen.* erat autem catella mortua eo nomine; & alterum consulum Romanorum, de quo Liuius: *Samnites vociferari, se in auctoritate Tarentinorum manere, nec descendere in aciem. Accipere se omen consules aiunt, & eam precari mentem hostibus, vt ne vallum quidem defendant.*

An vero res auspicijs tantum aggrediebantur? non sed etiam litato. ostendit multis in locis Liuius, vt bello Samnitico: *Auspicijs secunda esse pullarius nunciat. litatum præterea egregie est. auctoribus dijs ad rem gerendam proficiscimur.* & prælio Allieni: *Nec auspicijs, nec litato instruant aciem.* & bello Gallogræco: *Consul cum auspicio operam dedisset, deinde immolasset, in quattuor partes diuisas copias educit.* Erat autem litare pacem immolando hostiis impetrare. id autem fiebat, cum cælia hostia aruspices exta diligenter aperientes, atque inspicientes ex quibusdam aruspicijs præceptis propitios, aut infestos deos interpretabantur. In extis autem vt iecore, pulmone, & corde caput, & fissum obseruabant, in primis an aucta, an imminuta essent, cum in iis partem familiarem, atque hostilem, sic enim vocabant, constituisent. Itaque, si caput in iocinore non fuisset, auspicijs pestifera esse, si auctum esset, læta portendi omnia, existimabant. Vnde Liuius bello Istro: *Consulibus*

*bus immolantibus Ioni singulis bubus, vti solet, in ea hostia, qua Q. Petilius sacrificauit, in iocinore caput non inuentum. id cum ad senatum retulisset, boue perlitare iussus. & bello Samnitico: Consules priusquam educerent in aciem, immolarunt. Decio caput iocinoris à familiari parte cæsum aruspex dicitur ostendisse. alioquin acceptam dijs hostiam esse. Manlium egregie litasse. atqui bene habet, inquit Detius, si ab collega prospere litatum est. & bello Punico: Fabio auspicijs, priusquam egrederetur ab Tarento, aues semel, atque iterum non addixerunt. hostia quoque cæsa consulenti deos aruspex cauendum à fraude hostili, & ab insidijs prædixit. & alibi: Immolasse eo die quidam memoriæ prodidere consulem Marcellum, & prima hostia cæsa iecur sine capite inuentum, in secunda omnia comparuisse, quæ assolent. auctum etiam visum esse in capite. nec id sanè aruspici placuisse, quod secundum trunca, & turpia exta nimis læta apparuissent. & Cicero de diuinatione: *Fissum familiare tractant, & vitale caput iecoris ex omni parte diligentissime considerant.* Quæ omnia Lucanus disertissime videtur complexus, his versibus:*

*Sacris tunc admouet aris  
Electa ceruice marem. iam fundere Bacchum  
Cæperat, obliquoque molas inducere cultro.  
Impatiensque diu non grati victima sacri,  
Cornua succincti premerent cum torua ministri,  
Deposito victum præbebat poplite collum.  
Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere largo  
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus.  
Palluit attonitus sacris feralibus Aruns.  
Atque iram superum raptis quasiuit in extis.  
Terruit ipse color vatem. nam pallida tetris  
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore,  
Plurimus asperso variabat sanguine liuor.  
Cernit tabe iecur madidum, venasque minaces  
Hostili de parte videt. pulmonis anheli  
Fibra latet, paruasque secat vitalia limes.  
Cor iacet, & saniem per hiantes viscera rimas  
Emittunt, produuntque suas omenta latebras.  
Quodque nefas, nullis impune apparuit extis,  
Ecce videt capiti fibrarum increfcere molem.  
Alterius capitis, pars agra, & marcida pendet.  
Pars micat, & ceteri venas mouet improba pulsu  
His ubi concepit magnorum facta malorum,  
Exclamat: vix fas superi, quæcumque moueris,  
Proderc me populis. neque enim tibi summe litauit  
Iuppiter hoc sacrum, cæsique in viscera tauri,  
Inferni venere dei. non fanda timemus.  
Sed venient maiora metu. Dijs visa secudent,  
Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis  
Finxerunt ista Tages.*

Quæ vero exta valde aucta erant, ea Magmenta dicta esse arbitror, cuius v. l. a. crificalis vocis mentio est apud Varronem, Festum, & Arnobium libro aduersus gentes septimo, & in vetere aræ inscriptione, quæ Narbone, & Patau legitur, in qua est: *Si quis hic hostia sacrum faxit, quod magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto.* Vouet enim aram ille, cum ea conditione, vt etiam si sacrificium magmentum, id est exta aucta, non ostendat, nihil tamen triste portendat, vnde magmentaria vasa esse quidam putarunt, in quibus ipsa magmenta reponerentur.

Ac de auspiciis quidem imperatoris hæc dicta sint. De ratione vero rei gerendæ, satis constat, qui prouinciam cum imperio obtineret, eum aut per se cum consilio de summa belli ita decreuisse, vt penes eum ius ipsum fuerit dimicandi, oppugnandi, obsidendi, insidias struendi, signum pugnæ, ac receptui dandi, castra locandi, muniendi, mouendi, præterea milites in æstiuâ, atque hiberna deducendi, obsides hostibus dandi, & accipiendi. ad hæc autem agenda legatorum, & quæstorum in primis opera esse vsum, quibus imperium committere consuevit, præterea tribunorum, præfectorum, centurionum, & decurionum, prout res, atque eorum auctoritas tulit. Quarum rerum variam, ac multiplicem disciplinam Paulus Æmilius in Macedonia in concione militari breui complexus est, de qua Liuius *Hæc cum ita fieri placere, concione aduocata, pronunciaisset, adiecit vrbana concione conuenientem orationem. Vnum imperatorem in exercitu prouidere, & cōsulere, quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum ijs, quos aduocauerit in consilium, qui non sint aduocati, eos nec palam, nec secreto iactare consilia sua, militem hæc tria curare debere: corpus vt quàm validissimum & perniciosissimum habeat, arma apta, animum paratum ad subita imperia: cetera scire de se dijs immortalibus, & imperatori suo curæ esse, in quo exercitu miles, & imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare esse, se quod sit officium imperatoris, prouidendum, vt bene gerendæ rei occasionem eis præbeat, illos nihil, quid futurum sit, querere; vbi datum signum sit, tum militarem operam nauare, ab his præceptis concionem dimisit, vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primum die, tanquam tirones, quid agendum esset in re militari, didicisse.* multoque apertius Cicero, cum in libris de oratore hæc omnia ad imperatoris definitionem dixit pertinere: *Nam si forte quereretur, inquit, quæ esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator, qui cum esset constitutus administrator belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de comœatu, de insidijs faciendis, atque vitandis, de reliquis rebus, quæ essent propriæ belli administrandi, quarum qui essent animo, & scientia compotes, eos esse imperatores dicerem.*

Quod autem dictum est, imperatorem aut per se, aut cum consilio statuisse, id fuit eiusmodi, vt imperatores, quemadmodum in rebus capitalibus cognoscendis, sic in militaribus consultandis consilium adhiberent. Erat autem consilium castrensium quasi quidam senatus ex senatoribus, si qui forte in castris aderant, & alijs idoneis hominibus constitutus, vt ostendit Sallustius, qui inquit: *Metellus prope cunctos senatorij ordinis ex hibernis accersiri iubet, eorum, & aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. ita more maiorum ex consilij decreto per legatos Iugurtha imperat argenti pondo ducenta millia.* & Polybius, qui primum centurionem consilij fuisse participem scribit, & Cicero, qui ad senatum: *Existimaui, me iudicium vestrum ad regem deferre debere, eiq; præsidium meum, & fidem, & diligentiam polliceri, quacunque essem in consilio meo cum rege locutus.* & Liuius, qui bello Ætolicō: *Acilius, priusquam prætorium dimitteret, denunciauit, vt ante lucem armati essent.*

Quanquam autem summū ius penes imperatores omnia pro suo iudicio peragendi fuit, multis tamen legibus eorum etiam compressa potestas ita fuit, vt neque exercitum aduersus quoscunque vellent hostes adducere, neque apud quoscunque

cunque socios vellent hibernare liceret. Ac de hostibus quidem extra prouinciam persequendis, video cum alijs legibus, tum Cornelia maiestatis, & Iulia repetundarum postremo esse sancitum. vt Cicero ostēdit inuehens in Gabinium: *Exercitum eduxit e Syria, qui licuit extra prouinciam, tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino, in Aegyptum venit, signa contulit hic, si mentis sanæ esset, ausus esset, mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi, aut senatus accedere, quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecunijs repetundis, planissime vetant.* De fociis autem legibus erat cautum, apud quos milites in statiuâ deduci, ac non deduci liceret. Hæc autem statiuâ duo fuerunt, æstiuâ, & hiberna. Æstiuorum meminit Sallustius Iugurthino: *Albinus, quantum temporis æstiuorum in imperio fuit, plerunq; milites in statiuis castris habebat, & Liuius Samnitico: Consul educto in æstiuâ milite, dum quietos Samnites habebat, exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit.* & Cicero in Verrem: *Ac primo ad illa æstiuâ prætoris accedunt, ipsam illam ad partem littoris, vbi iste per eos dies tabernaculis positus castra luxuriæ collocarat.* Cum autem milites per hyemem aut sub tabernaculis pellibus contactis, aut sub tectis ædificiorum haberentur, hinc hibernacula, atq; hiberna fluxerūt. quod significauit Liuius lib. xxxviii: *Aut sub pellibus habendos milites esse; aut, si concedere in hiberna vellent, differendum esse in æstatem bellum;* & Cæsar lib. iiii: *Eiusmodi tempestates sunt cōsecutæ, vt continuatione imbrium diutius sub pellibus milites contineri non possent. itaq; exercitum Cæsar in hibernis collocauit.* Ac de hibernaculis quidem, quæ ad continuandum hie me bellum Veienti primum bello facta sunt, scriptum est apud Liuium lib. iiii. & in lege vetere Thermensium supra scripta. De hibernis autem Cicero pro Pompeio: *Iam vero quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones, ac literæ perferuntur, non modo vt sumptū faciat in militem, nemini vis affertur, sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur, hiemis enim, non auaritiæ perfugium maiores nostri in sociorum atq; amicorum tectis esse voluerunt.* Addo etiam imperatorem exercitum pro arbitrio non potuisse dimittere. atq; hoc quidem ex auctoritate Ciceronis, qui inquit in Pisonem: *Cum tibi ad pristinas clades accessio fuisset Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimisisti, neque vllam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quàm numerum tuorum militum, reliquiasq; cognoscere. dimittendi vero exercitus quam potes asferre caussam? quam potestatem habuisti, quæ legem, quod senatus consultum, quod ius, quod exemplum?* Ac quemadmodum quidem aut imperator, aut præfecti eius sigillatim sua quisq; munera imperij, potestatis ve expleuerit, satis, quantum ad præsentem disputationem attinuit, nobis expositum sit, qui non de re militari administranda, sed de iure prouinciali tuendo scribere instituimus.

*De nomine imperatoris, & supplicatione imperatori decretis. CAP. VII.*



**Q**VI vero imperium recte, ac feliciter administrarunt, iis hæc, quæ maxima apud eos habita sunt, decora patuerunt, absenti nomen imperatoris, & supplicatio, præsentī triumphus. Sed de triumpho postorius, nunc de imperatoris nomine, ac supplicatione dicamus. Imperatoris nomen appellatio fuit militaris, qua præsens re bene gesta primum militum acclamatione in castris, deinde sententia senatus in vrbe ornatus est. Etenim imperatoris vocabulo duobus modis vsi sunt, vno pro quocunque exercitus duce, qui suis auspicijs rem gereret, & qui imperium, id est ius belli gerendi, haberet; altero, qui hostibus magno prælio fuis, ac profligatis, eo nomine, militum acclamatione affectus esset. Scribit autem Appianus libro i. Ciuilium, obseruatum esse antiquitus, vt non, nisi magnis rebus gestis, acclamaretur. at sua ætate (fuit autem Hadriani æqualis) decē millibus occisus acclamatum esse. Addit Dio libro l. x, non, nisi semel, de vno bello aliquem appellari imperatorem

ratores licuisse. Ex hoc autem fonte illa Ciceronis fluxerunt: *Magnum numerum hostium cecidimus. castella munitissima cepimus, incendimus, imperatores appellati sumus, & Scipionis illud apud Liuium: Sibi maximum nomen imperatoris esse, quo se milites sui appellarent, regium nomen alibi magnū, Romæ intolerabile esse. & D. Brutus: Progressus sum ad Inalpinos, nomen captans imperatorium.* Neque vero solum, si ipsi, sed, si legati, & quæstores, quibus imperium commisissent, rem bene se absente gessissent, iidem hoc etiam honoris adipiscerentur, ut ex legatorum, quæstorumque secundo prælio imperatores appellarentur. testis est Cicero in Pisonem: *Scio, & Marcium, quorum tu legatorum prælio imperator appellatus eras, cum lōge abfuisses, aduentu isto tuo domi fuisse ociosum.* Testis Varro de rustica: *Trebellius, cum esset quæstor Licinio Nerua prætor in Macedonia provincia relictus, qui præfesset exercitui, dum prætor rediret, prælio hostes ita fudit, ac fugauit, ut eo Nerua prætor imperator appellatus sit.*

Supplicatio vero fuit honos, qui vna cum imperatoris nomine præfidi decernebatur victori, nempe cum senatus populo deum templa aperiri, ac gratias diis imperatoris nomine agi, iubebat. Erat enim moris, ut præfides, postquam à militibus appellati imperatores fuerant, lictores laureatos præferrent, litterasque ad senatum laureatas de re gesta mitterent, quibus imperatoris nomen, ac supplicationes à senatu postularēt. Quarum rerum certa ex antiquitate eruenda testimonia sunt, quo, ut certior, sic vberior ad alios ex his fructus permanet. Cicero in Pisonem: *Appellatus est hic illius provincie imperator. ne tum quidem tabellas Romam cum laurea mittere audebas?* item: *Primum, qua veneris cum laureatis tuis licitoribus, quis scit?* item: *Ex qua provincia L. Torquatus magnis rebus gestis me referente absens imperator appellatus est, ex ea te imperatore nuncius ad senatum allatus est nullus.* & in Antonium: *Augebo omnino numerum dierum, præsertim cum communiter tribus diebus sunt decernenda supplicationes. sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute maximis periculis liberati sumus. etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis? quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit, aut si status bonos, peruulgatusque; tribuendus ijs, quibus etiam noui, & singulares debentur. an, si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quæ increbuit, imperatorem appellaret senatus?* & in ea, quæ de provinciis *Statuit senatus, cum Gabinio supplicationem denegauit, primum homini scelerato credendum non esse, deinde à proditore rem bene geri non potuisse. postremo, ne deos quidem velle aperiri sua templa, & supplicari hominis impurissimi nomine.* Cum autem primis temporibus in vnum, alterumve diem supplicatio ægre decerneretur, tamen ad postremum eo progressa res est, ut etiam in quinquaginta decretæ sint. siquidem M. Valerio, & M. Horatio consulibus, anno urbis cccclxxv, deuictis Sabinis supplicatio in vnum diem decretæ est, Camillo Veis captis in quattuoriduum, quot dierum nullo ante bello decretæ erant. at vero Cn. Pompeio, Mithridatico bello confecto, duodecim, Cæsari bello Gallico, primum xv, post xx, Hirtio, Pansæ, & Cæsari, Mutina colonia liberata, quinquaginta dierum decretæ sunt. in quo decernendo cum magnitudinis victoriæ, tum dignitatis hominis habuisse rationem videntur.

De potestate quæstorum. CAP. VIII.



**P**RAESIDIUM officio, quoad licuit, explicato, deinceps sequitur, ut de Quæstorum munere disputetur, atque ita de altero, quem proposui, provinciali magistratu dicatur. Sic igitur statuendum est, ut prætores urbani Romæ pecuniam publicam curarunt, custodiuerunt, atque in tabulas rettulerunt, quam ipsi aut aliunde accepissent, aut alio erogassent, sic quæstores provinciales pecuniam publicam curasse, quæ aut ex ærario deprompta, in usum esset provincie expendenda, aut à provincia exacta, esset in ærarium referenda. Quare provincialis pecunia

pecunia duplex fuit. A tributa, & Vestigialis; illa ex ærario hauriebatur, hæc ex vestigialibus, & tributis colligebatur. Atributa vero erat huiusmodi. Cum unicuique præfidi stipendium, ac viaticum esset decretum: *stipendium in exercitum, viaticum in sumptum prætoris, legatorum, & cohortis prætorie;* institutum erat, ut quæstor, qui prætori obtigerat, hanc pecuniæ summam à tribunis ærariis, tribuni à quæstore urbano acciperent. Atque hoc tradit Varro in libris de lingua Latina: *Atributa pecunia dicebatur, inquit, quæ assignata erat. Unde tribuni ærarij dicti, quibus attributa erat pecunia, quæ militibus redderetur. nam id, quod attributum erat, æ militare dicebatur.* & Asconius in Verrinas: *Atributa pecunia est, quæ in stipendium militum de ærario à tribunis ærarijs adnumerari quæstori solet.* Unde Cicero proconsul ad Caninium scripsit: *De drachmis centum millibus nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare. omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda à præfedis, quæ autem mihi attributa est, à quæstore curetur.* & in Verrem: *Quæstor ex S. C. provinciam consularem sortitus est. pecunia attributa numerata est. profectus est quæstor in provinciam. venit in Galliam expectatus ad exercitum consularem cum pecunia.* & in Pisonem: *Nonne sestertium centies, & octogies ex ærario tibi attributum Romæ in quæstu reliquisti?* & pro Pompeio: *Quem possumus imperatorem eum existimare, qui pecuniam ex ærario depromptam, aut propter cupiditatem provincie magistratibus diuiserit, aut propter auaritiam Romæ in quæstu reliquerit?* Quo factum est, ut, cum idem dixisset, *Verrem quæstorem rettulisse in rationibus ad ærarium, se accepisse vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos, dedisse stipendio frumento, legatis, pro quæstori mille sexcenta triginta quinque millia.* Asconius interpres notarit: *ea omnia nomina esse erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisset, aut frumentum coemisset in annonam exercitus, aut legatis, & pro quæstori, & cohorti prætorie in sumptum dedisset, eis enim de publico alimenta data esse.* Ut omittam, quod scribit libro sexto Polybius: *frumentum, vestes, arma sæpe militibus esse de publico data, detracta tamen à quæstore ex diurna mercede rata pecuniæ summa.* & Ciceronem ad Messinium quæstorem suum scribentem: *Tu de sestertium centum æquo animo ferre debes, & existimare eo minus ad te vel de tuis cibarijs, vel de mea liberalitate peruenisse.*

Vestigialis autem pecunia fuit, tum quæ ex re frumentaria, tum quæ ex portorii, ceterisque, quæ publicani exercent, vestigialibus, exigebatur. Ac frumentaria quidem pecunia fuit primum, quam aratores aliquando pro frumento in cellam æstimato dabant, deinde, quæ pro frumento emendo ab ærario dabatur. vtraque autem quæstoris fuisse curam, vnus ex Cæcilianæ locus aperte demonstrat: *Queritur Sicilia, C. Verrem prætorem ab aratoribus, cum frumentum sibi in cellam imperauisset, & cum esset tritici modius sestertijs binis, pro frumento in modios singulos duodecim sestertios exegisse. id ne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eadem provincia tu ipse quæstor fecisti? Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis Verre prætore. pro quo frumento pecunia omnis soluta non est, te accusante nullum crimen. eras enim tu quæstor. pecuniam publicam tu tractabas ex qua, etiam si cuperet prætor, tamen ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. quid? hoc Verre prætore factum est solum? non. sed etiam quæstore Cæcilio. quid igitur? daturus es huic crimini quod & potuisti prohibere, ne fieret, & debuisti?* & alibi: *Cum ego in eadem ista Sicilia quæstor pro frumento ciuitatibus pecuniam soluerem, non modo istas duas quinquagesimas, sed omnino nummum nullum dico cuiquam esse deductum.* De reliqua pecunia à publicanis exigenda extat eiusdem in epistola ad Crassipedem testimonium, in qua rei, & utilitatis publicanorum sociorum defendendæ, atque augendæ cum maximam potestatem habere quæstorem dicat, eam à quæstore quoque curatam pecuniam indicat. vnde P. Rutilium etiam damnatum ab equitibus Rom. scimus, quod quæstor, ut inquit Peditanus: *publicanos in provincia sua Asia nihil agere, cum prætore suo Q. Mucio consenserit.* Atque hoc iudicium

de præda quoque facere possumus, quando P. Scipio Æmilianus in Hispania muna sibi ab Antiocho rege Syria missa quæstorem referre in tabulas iussit, & M. Cato captiuos Vergistanos in Hispania quæstori vt venderet, imperauit, vt Liuius prodidit. Nam T. Antistium quæstorem signandæ etiam pecuniæ Apolloniæ præfuisse, Cicero scripsit ad L. Plancum.

Vt autem prætores quæstoribus iurisdictionem sæpe, imperiumq; suum mandarunt, sic sæpe etiam rei totius frumentariæ administratione commiserunt. quod eiusdem testimonio cognoscitur, cum inquit in Verrem: *Tibi Cn. Carbo consul quando improbus esse cepit? posteaquam tibi pecuniam rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumque commisit.* Itaq; post paullo subiungit: *Pro quæstore vero quo modo Phrygiam frumento imperando, æstimandoque affluerit, non est necesse demonstrare. Scitote, his nominibus, cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret, his nominibus solis Cn. Dolabella prætori sestertium ad tricenis litem esse æstimatam. quæ omnia nisi voluntate Dolabellæ fiebant, per istum omnia tamen gerebantur.* Alioq; loco addit, ante Verrem prætorem vini, & olei decumas, & frugum minutarum à quæstoribus in Sicilia venditas esse. & se quæstorem in Planciana frumenti Romam mittendi curam habuisse profiteri, inquit: *Non vereor, nequis audeat dicere, vilius in Sicilia quæsturam aut gratiorem, aut clariorem fuisse. frumenti in summa caritate maximum numerum miseram, negotiatoribus comis, mercatoribus iustus, municipibus liberalis, socijs abstinentis, omnibus etiam visus sum in omni officio diligentissimus.*

De imperio vero quæstorum neminem puto expectare, dum scribam: quòd vt legatos, sic quæstores, aut imperio caruisse, aut auspicijs præsidis, & imperio ab eo accepto rem gessisse, ex proxima disputatione satis perspicuum sit. Vnde illa Cæsaris sunt bello Gallico: *Cæsar partitis copijs cum Fabio legato, & Crasso quæstore, hostes adiit tripartito.* & alibi: *Antonium quæstorem præfecit hibernis.*

## De decessione præsidum, &amp; quæstorum.

CAP. IX.



**S**ANE restat, vt, quando ius vniuersum in prouincia præsidum, quæstorumq; aperuimus, ad extremum etiã, quemadmodum ambo de prouincia decesserint, exequamur. siquidem vt non temere in prouinciam venerunt, sic neq; ex ea temere decesserunt. Moris ergo fuit, vt præses, annuo prouincialis imperij munere terminato, successorem, si mature venturus erat, in prouincia expectaret, atq; ei aduenienti obuiam prodiret, ac præsentem præsentem prouinciam atq; exercitum traderet, deinde intra triginta dies (tot enim lex Cornelia Syllæ dedit,) decederet, verum interea nihil in prouincia, quod ad administrationem attineret, attingeret. Quocirca Cn. Pompeius ægre tulisse fertur, quòd L. Lucullus ex Asia, colloquio, conspectuq; suo vitato, decesserit, & Appius, quòd cum Lentulus sibi, ipse Lentulo processisset in Cilicia obuiã, Cicero sibi decedenti noluerit. quod Cicero ita purgauit, vt omnem eius rei culpam in Appium ipsum reiecerit; quippe quem se iam pridem in prouincia versante, ius quoque dixisse Tarfi arguerit. Quod si decessor ante successoris aduentum decessisset, tum vero aliquem, qui prouinciæ præesset, vt quæstorem, aut legatum, cum imperio relinquere est coactus. vnde anceps illa Ciceronis deliberatio nata est, de qua cum Attico: *Obrepsit dies, vt vides. mihi enim ante diem tertium Kal. Sext. de prouincia decedendum est. nec succeditur. quem relinquam, qui prouinciæ præsit? ratio quidem, & opinio hominum postulat legatum fratrem. primum quòd videtur esse bonus; deinde quòd solum habeo prætorium. quæstorem nemo dignum putat.* & ex interuallo: *Mihi difficilis ratio administrandi, quòd paucos dies habebam reliquos annui muneris. illud autem difficillimum. relinquendus erat ex S. C. qui præesset. nihil minus probari poterat, quàm quæstor Messinius, nam de Cælio*

de Cælio nihil audiebamus, rectissimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere. in quo multa molesta. & ad Cælium: *Ego prouincia decedens, quæstorem Cælium præposui. puerum, inquis. at quæstorem, & nobilem adolescentem. at omnium ferme exemplo. neq; erat superiore honore vllus, quem præficerem.* Qui vero ex quæstore, aut ex legato prouinciæ præponebatur, is deinde aut prætoris, aut proconsulis nomen ferebat, prout ab hoc, aut ab illo imperium acceperat. atq; aut huius, aut illius vices sustinebat. Atque de decessione quidem præsidum hæc inuenimus.

Quæstorum autem haud sanè multo simplicior fuit ratio decedendi. Hi enim vt non semper cum suis prætoribus in prouinciam perrexerunt, sic neque semper cum iis, verum sæpe aut ante, aut post eos decesserunt. C. quidem Gracchus per triennium in Sardinia quæstor Orestis proconsulis fuit, L. Lucullus L. Murenæ in Asia per multos annos. Eundem etiã Gracchum non expectato successore decessisse inuenio, atq; hoc idem postea fecisse Cæsarem in Hispania. Fuit etiam, qui, quia sibi successum nõ esset in prouincia vltra tempus annum remãlerit, vt Antistius, de quo Cicero ad Plancum: *T. Antistius cum sorte quæstor prouinciam Macedoniam obtineret, neq; ei successum esset, Pompeius cum exercitu in eam prouinciam venit.* Ex quo intelligi potest, quàm varia quoque, & inconstans decessione quæstoriarum ratio, atque obseruatio fuerit. Redeo ad præsidis. Hi vero successore, aut vicario imperij constituto, Romam decedebant, si ante, quod C. Julius in primo consulatu fanciuit, rationes pecuniæ confectas apud duas prouinciæ ciuitates reliquissent. Vnde Cicero ad Rufum: *Illud certe factum est, quod lex iubebat, vt apud duas ciuitates Laodicensem, & Apamensem, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, & consolidatas deponeremus.* His rebus actis inde è prouincia decesserunt, ac Romam venerunt, & nisi triumphum petere in animo habuissent, licitoribus dimissis, & paludamento deposito urbem priuati ingressi sunt. quemadmodum Cicero in Pisonem ostendit, cum inquit præter cetera, *Togula licitoribus ad portam præsto fuere. quibus illi acceptis sagula reiecerunt, & cateruam imperatori suo nouam fecerunt.*

## De triumpho Imperatorum.

CAP. X.



**S**IN autem de triumpho postulando cogitarent, aliquandiu ad urbem manebant, & lictores, fascesq; laureatos, quandiu triumpharent, habebant, ac senatu in ædem Bellonæ euocato res à se gestas exponebant, ac triumphum petebant. Hinc Asconius: *Ad urbem esse dicebatur de ijs, qui cum prouinciali potestate nuper è prouincia reuertissent.* & Sallustius: *Marcus, & Metellus ad urbem imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum.* Cicero etiam reuersus è Cilicia, cum triumphum postulare vellet, atque in ipsam belli ciuilibus flammam incidisset, diu fasces, & lictores laureatos habuit, vt ipse scribit. De postulatione triumphum multa suppetunt exempla. verum duobus ego ero contentus. Liuius lib. xxxi: *L. Furius Gallico triumpho imminens Romam cum venisset, senatum in æde Bellonæ habuit, expositis rebus gestis, vt triumphanti sibi in urbem inuehi liceret. petit. item: M. Fuluius procos. ex Aetolia reuersus ad ædem Apollinis, cum de rebus à se gestis disse-ruisset, petijt à patribus, vt æquum censerent, ob rem bene, ac feliciter gestam, & dijs immortalibus honorem haberi iubere, & sibi triumphum decernere.* Decreto inde à senatu triumpho, lex ei ferebatur ad plebem, vt quo die urbem inisset, imperium haberet. Liuius: *Tribuni pl. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, vt M. Marcello, quo die urbem ouans iniret, imperium esset.* item: *L. Paullo, L. Anicio, & Cn. Octauius decretus est ab senatu triumphus. mandatumq; Q. Cassio prætori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogatione ad plebem ferrent, vt ijs, quo die triumphantes urbem inueherentur, imperium esset.* Cicero ad Atticum. *Pontinius vult ante diem IIII. Nonas Nouembris triumphare. huic obuiam Cato, & Seruilius prætores aperte, negant enim latum de imperio. & est hercle latum insulse.* Ingressus autem ea pompa,

quæ exponetur, in Capitolium ascendebat, ac sacrificio facto conuiuium ibi celebrabat. atque ad vesperam positus imperij insignibus domum omnino priuatus se referebat. Ceterum triumphus omnium honorum, qui suffragio, aut studio ciuium deferrentur, amplissimus, à Romulo institutus vsque ad extrema non solum reip. sed etiam imperij tempora permanuit. Pompa vero quanquam alia aliis temporibus pro rerum, ac victoriarum conditione fuit, tamen in hoc fere fuit semper eadem, ut senatus, qui ad portam obuiam prodierat, anteciret, tum spolia de hostibus capta, & præda omnis auri, atque argenti, & oppidorum captorum simulachra, & captiuorum hostium duces uincti sublequerentur, imperator autem ipse auratis quadrigis, laurea coronatus, dextra rami laurum tenens, os minio illitus, bulla ornatus, & toga tunicaque triumphali indutus uheretur. currum vero legati, & tribuni militum in equis, & pedibus exercitus omnis victor laureatus cum cantu, & clamore affectaretur, quousque in Capitolium perueniret. De ornatu sic Festus: *Picta quæ nunc toga dicitur, purpurea antea uocitata est, eaque erat sine pictura. eius rei argumentum est duplex pictura in æde Vertumni, & Consi. quarum in altera M. Fuluius Flaccus, in altera L. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt.* Liuius: *Scipio Massinissam toga picta, & palmata tunica donat. addit uerbis honorem. neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorum ornatu esse.* Plinius lib. x x x i i i. triumphantium oraminio illini solita scribit. sic Camillum triumphasse, idemque est apud Isidorum. Macrobius primo Saturnalium bullam triumphantibus additam fuisse auctor est. nam de laurea, notissimum est. De ordine pompæ sic Cicero in Pisonem: *Differis de triumpho? Quid tandem habet iste currus? quid uincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati, & tribuni in equis? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid tibi per urbem?* Verum multo pluribus, atque illustrius hanc pompam descripsit Zonaras libro secundo: *Re bene gesta, inquit, iustaque uictoria parata dux statim à militibus imperator appellabatur, & laureatas litteras per tabellarios uictoriæ nuncios in urbem mittebat. ipse uero domum reuersus senatu habito triumphum postulabat, quem si à senatu, aut populo obtinuisset, nomen imperatoris confirmabat. Quod si adhuc in eo magistratu esset, quo uictoriam peperisset, eo etiam in celebritate utebatur. sin tempus magistratus abierat, aliud nomen ei accommodatum assumebat. neque enim priuato triumphare licebat. Triumphali uero habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens populum conuocabat, & militibus suis alijs communibus, alijs proprijs laudibus oneratis pecuniam, & ornamenta diuidebat, cum armillas alijs, alijs hastas puras, alijs coronas aureas, alijs argenteas expressum uiri nomen ac facinus ferentes largiretur. Nam si quis murum primus ascenderat, muris; si castellum aliquod expugnarat, castelli speciem corona gerebat, si nauali proelio uicerat, rostris corona exornabatur; si equestri, equestre aliquid præ se ferebat. Qui autem ciuem in acie, aut in obsidione, aut in alio periculo conseruasset, cum summam laudem assequeretur, tum quernam coronam accipiebat, cuius honos argenteis, & aureis omnibus excellebat. Neque uero hæc dona singulis tantum uirtutis causa dabantur, sed & cubertibus, & exercitibus uniuersis: spoliorum autem magna pars militibus distribuabatur. Quin etiam quidam uniuersum populum donarunt, & sumptus in ludorum publicorum apparatus fecerunt. & si quid reliquerat, in porticus, tepla, aut alia eiusmodi opera publica consumpserunt. His rebus perfectis triumphans currum conscendebat. currus autem neque bellicarum, neque ludicarum quadrigarum, sed turris rotundæ instar erat constructus. Quo non ipse solus uehebatur, sed si liberos, aut cognatos aliquos habebat, etiam illorum uirgines, & pueros asciscibat; natu uero grandiores in equis iugalibus imponebat. Si autem plures erant, equis singularibus uincti ipsum prosequerentur. reliquorum uero ciuium nemo uehebatur, sed laureati omnes pedibus ingrediebantur. Quin etiam minister publicus in ipso curru aduehebatur, qui pone coronam auream gemmis distinctam sustinens, admonebat eum, ut respiceret ad eam, ut reliquum uicæ spatium prouideret,*

ret, nec eo honore elatus superbiret. Appensum quoque erat curru tinnabulum, & flagellum, quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cederetur, & capite damneretur. Nam qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur tinnabula gestare solebant, ne quis inter eundem contactu illorum piaculo se obstringeret. Hoc autem ornatu urbem inibant. spolijs, & trophæis, & simulachris castellorum, urbium, fluminum, montium, portuum, marium, & reliquorum omnium, que in ditionem redegerant, prælatis. Quod si dies unus ad hanc pompam transferendam non esset satis, secundus etiam, & tertius assumebatur. Illis autem præcedentibus triumphans in forum Romanum delatus, ac captiuus inde aliquot in carcerem duci, atque necari iussus, in Capitolium ascendebat, ibique sacrificio facto, & donis consecratis, in ijs porticibus cœnatus, ad uesperam domum, tibijs, & fistulis præcinentibus se recipiebat. Hæc Zonaras. quæ quanquam adeo certa sunt, ut alia confirmatione non egeant, placet tamen instituti tenendi causa, locis etiam aliquot Liuij insignioribus comprobare. sic loquitur ille de T. Flaminij triumpho Macedonico: *Triduum triumphauit. die primo arma, tela, signaque ærea, & marmorea transtulit. secundo aurum argentumque, factum, infectumque, & signatum. tertio die coronæ aureæ, dona ciuitatum translata c x i i i i, & hostiæ ductæ, & ante currum multi nobiles captiuus, obsidisque, inter quos Demetrius, regis Philippi filius fuit. ipse deinde Quirælius in urbem est inuictus: milites secuti currum frequentes, ut ex omni prouincia exercitu deportato. his ducenti quinquageni æris in pedites diuisi, duplex centurioni, triplex equiti. & in concione M. Seruilius de triumpho L. Paulli Macedonico, qui antiquabatur: *Militum quidem propria est causa, qui & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient, suas, & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. & post: Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & nauales socij, Macedoniae legiones suo abrogato triumpho alienos spectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ uictoriæ spolijs fiet? quoniam abducentur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium, an in Macedonia remittentur? Quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulae pictæ, textilia, tantum argenti calati, tantum auri, tanta pecunia regia, an noctu tanquam furtiua in ærarium deportabuntur? quid illud spectaculum maximum, nobilissimum opulentissimumque; rex captus ubi uictori populo ostendetur? & infra: Pars non minima triumphi est uictoriæ præcedentes, ut appareat, dijs grates agentem imperatorem ob remp. bene gestam redire; omnes illas uictimas, quas traducendas in triumpho iudicauit, alias alio cædente mactare. illas quidem epulas senatus, quæ nec priuato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum uoluptatis causa, an decorum, hominumque turbaturi estis? L. Paulli triumpho portæ clauduntur? rex Macedonum Perseus cum liberis & turba alia captiuorum, spolia Macedonum circa flumen relinquuntur? L. Paullus priuatus tanquam ruere rediens à porta domum ibit? & deinde ubi de pompa triumphi agitur: Ipse postremo Paullus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senectæ ipsa maiestatem præ se ferens. post currum inter alios illustres uiros filij duo Q. Maximus, & P. Scipio. deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti. Postremo quod scriptum est apud Zonaram de captiuus necandis iussu imperatoris in Capitolium ascendens, idem est etiam apud Ciceronem in oratione de supplicijs contra Verrem: *At etiam, inquit, qui triumphant, eoque diutius hostium duces seruant, ut his per triumphum ductis pulcherrimum spectaculum, fructumque uictoriæ populus Ro. percipere possit, tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent, idemque dies & uictoribus imperij, & uictis uitæ finem facit.***

Hic autem, de quo dixi, honos fuit, ut ego quidem uideo, duplex, unus triumphus, alter ouatio dictus: maior ille, hic minor: ille ob insignem uictoriam, hic etiam ob leuem concessus. Qui enim, auctore Gellio libro v i, bellum aut non rite indictum, aut non cum iustis hostibus, aut cum humilibus, aut non idoneis, aut ser-



uis, & piratis gessisset, aut deditioe repente facta, incruenta victoria negotium confecisset, aut, vt addit in Marcello Plutarchus, verbis, non armis rem peregisset, aut, vt sæpe Liuius, qui sine magistratu aut alienis auspiciis, aut in aliena provincia rem gessisset, aut exercitum non deportasset, ei concedebatur, vt ouans urbem ingrederetur. quod erat nihil aliud, nisi vt non quadrigis, sed vel pedibus, vel, vt aliis placuit, equo vectus, non senatu, sed equitibus Romanis præeuntibus, non tubis, sed tibiis præcinentibus, non laurea sed myrtea corona redimitus iniret, neque taurum, sed ouem in Capitolio immolaret. quod ex Dionysio, Plutarcho, Gelio, & Dione, quorum verba in fastorum consularium commentario recitauimus, cognoscitur. vnde Plinius lib. xv. scribit: *Triumphās de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu, (qui primus omnium ouans urbem ingressus est, quod rem leuiter sine cruore gessisset,) myrto Veneris genitricis coronatus incesit. hæc postea ouantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitiuis, & Spartaco laurea coronatus incesit.* Triumphauit autem hic anno urbis ducentesimo quinquagesimo primo. quanquam Dionysius hunc ei leuiorem honorem habitum esse ait, quia male ante rem gesserat, ac prope in fuga cum ceteris captus fuerat.

Vt autem imperium mandatum est consulibus, prætoribus, dictatoribus, & priuatis hominibus, iisq; item omnibus prorogatum est, sic consules, dictatores, prætores primum, deinde etiam reliqui triumpharunt. primus consul prorogato imperio triumphauit Q. Publilius Philo de Palæpolitaneis. prætor primus Q. Valerius Falto de Siculeis. P. Scipioni, qui priuatus in Hispaniam cum imperio fuerat missus, triumphus est negatus. at non multis post annis L. Lentulo, vt ouans in urbem rediret, permissum est. postremo vero maior etiam triumphus iis, qui sine magistratu rem gessissent, tributus, vt Cn. Pompeio ex Africa, Hispania, & Asia. de P. Scipione sic Liuius: *Ob res gestas magis est tētata triumphi spes, quam petita peritaciter, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.* de Lentulo vero ita: *Lentulus cum in senatu res ab se per multos annos fortiter felicitèq; gestas exposuisset, postulassetque, vt triumphanti sibi urbem inuehi liceret, res triumpho dignas esse censebat senatus, sed exemplum à maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet.* pro consule illum provinciam Hispaniam, non consulem, aut prætorem obtinuisse. decurrebatur tamen eo, vt ouans urbem iniret. intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno pl. qui nibilo magis id more maiorum, aut vlllo exemplo futurum dicebat, postremo victus consensu patrum tribunus cessit ex S. C. Lentulus ouans urbem est inuectus. Ex iis, qui cum magistratu, atque adeo etiam cum imperio summo fuerunt soli decemviri, & tribuni militum consulares triumphum nullum egerunt.

Fuerunt etiam alia præclara triumphantium iura, de quibus scriptum extat apud Valerium. vt illud: *Ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostiū vna acie cecidisset.* Vnde lex extitit, quā L. Marius, & M. Cato tribuni plebis tulerunt, qua penā imperatoribus minati sunt, qui aut hostiū occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum ad senatum scripserunt, & iusserunt, eos quamprimum ad urbem accessissent apud quæstores urbanos iurare, de vtroque numero vere se ad senatum scripserunt. item illud: *Ne qui pro altero rem gessisset, sed is, cuius auspiciis res gesta esset, triumpharet.* Quod exemplo Q. Valerij prætoris, & Q. Lutatij consulis, bello Punico primo confirmatur. & illud quod more potius retentū, quam lege obseruatum videtur: *Ne pro recuperato sed pro aucto imperio triumpharetur:* vt Q. Fuluij consuli de Capua recepta, & L. Opimio prætori de Fregellis, in ditionem redactis, negatus est. Itē: *Vt de externis hostibus, non de ciuibus triumphus ageretur.* quo factum est, vt neque L. Sulla de inimicis suis, neque Q. Catulus consul de M. Lepido, neque C. Antonius de L. Catilina, quanquam illi aduersus remp. steterat, atque arma tulerant, triumpharint.

Hic autem honos primum à senatu, post etiam repugnante senatu à populo da-

tus

tus est. primum sine senatus consulto, collega intercedente, triumphasse P. Seruilium Priscum consulem de Volscis anno urbis c c l v i i, testis est Dionysius. Primi vero patribus inuitis, iubente populo, de Sabinis M. Horatius, de Æqueis L. Valerius anno c c c i i i i.

Quin etiam illud est obseruatum, vt aut ex terrestri victoria, aut ex nauali, item que aut in vrbe, aut cum id non daretur, in monte Albano triumpharetur. primus naualem triumphū egit C. Duilius bello Punico primo. in monte Albano triumphauit primus C. Papirius Maso consul de Corseis. de quo ita Valerius: *Papirius Maso cum bene gesta rep. triumphum à senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & ceteris postea exemplum præbuit, proque laurea corona quum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.* Cuius vestigia M. Marcellus bello secundo Punico persecutus de Syracusanis in monte Albano triumphauit.

De relictis ad ærarium rationibus. CAP. XI.



BI vero siue triumphantes, siue priuati urbem introierant, tum alio die rationes referre ad ærarium cogebantur, nec multo post centuriones, ceterosq; prouincialis curæ socios ad ærarium in beneficiis, si liberet, deferre. Ac ante legem quidem Iuliam liberior referendi ratio fuit. lege autem Iulia cautum est, vt rationes, quas in prouincia apud duas ciuitates reliquissent, ea statim, atq; urbem inissent, ad ærarium totidem verbis referret, atque triginta diebus, quibus rationes retulissent, comites in beneficiis deferrent. Hoc tamen non prætorum proprium, sed quæstorum commune fuit. Ac rationum quidem à proconsule, & à quæstore ante legem Iuliam relatarum Verris prætura, & quæstura testes erunt. de quibus Cicero: *Prætura, quam ex S. C. statim referre debuit, vsque ad hoc tempus non retulit. quæstorem se in senatu expectare dixit. perinde quasi non, vt quæstor sine prætore posset referre, eodem modo sine quæstore prætor. dixi idem Dolabellam impetrasse. item: Videamus, rationes quemadmodum retulerit. Accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos. dedi stipendio frumento, legatis, pro quæstore, cohorti prætorie sestertium mille sexcenta triginta quinque millia quadringentos septemdecim nummos. reliqui Arimini sestertium sexcenta millia. hoc est rationes referre? hoc modo quiquam hominum rettulit? item: Rationes ad ærarium antequam Dolabella condemnatus est, non audeat referre. impetrat à senatu, vt dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret, perinde quasi exscribendi potestatem non haberet. audistis quæstoriam rationem tribus versiculis relatarum. Qualis autem post legem Iuliam rationum referendarum ratio fuerit, Pisonis, Ciceronis, & Bibuli proconsulatus ostendunt. nam de Pifone sic Cicero in oratione aduersus eum: *Rationes ad ærarium rettulit continuo, sicut lex iubeat. neque alia vlla in re ei legi paruit.* De se ad Rufum quæstorem suum: *Existimes velim, si rationum referendarum ius vetus, & antiquus mos maneret, me relaturum, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis contulisset, confecissemq; non fuisse. quod igitur fecissem ad urbem. si consuetudo pristina maneret, id quando lege Iulia relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdemque totidem verbis referre ad ærarium, feci in prouincia. neque ita feci, vt te ad meum arbitrium adducerem, sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse nunquam penitebit. totum enim scribam meum tibi tradidi, tu ei M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum. ad quas ego adhibui nihil præter lectionem. & post: Illud certe factum est, quod lex iubeat, vt apud duas ciuitates Laodicensem, & Apamensem, quoniam ita necesse erat, rationes confectas, & consolidatas deponeremus. itaque huic loquor primum respondeo, me quanquam iustis de causis rationes deferre properarim, ta-**

men

men me expectaturum fuisse, nisi in prouincia rationes pro latis haberem. De Bibulo autem ad Caninium quæstorem Bibuli: *De rationibus referendis non erat incommo- dum, te nullam referre. quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatem. sed id mihi dix- deris per legem Iuliam facere posse, quam Bibulus certa quadam ratione non seruat, tibi magnopere seruandam censeo.*


Iam vero comitum, quos dixi, in beneficiis deferendorum duo ante legem Iu- liam testimonia extant, vnum in oratione pro Archia, in qua Archiam, vt ciuem Roma. in beneficiis ad ærarium delatum esse à L. Lucullo prætorè, & consule inquit; alterum in oratione pro Balbo, vbi Cæsarem in prætura, & in consulatu Balbum præfectum fabrum ait detulisse. Post legem autem Iuliam, quæ triginta dies post rationes relatas deferri iussit, illud est eiusdem in epistola ad Messinium Rufum, quæstorem suum: *Quod scribis de beneficijs. scito à me & tribunos militum, & præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse. in quo quidem ratio me fessellit. liberum enim mihi tempus ad eos deferēdos existimabam dari. postea certior fa- ctus sum triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissim. Sane molestetu- li, non illa beneficia tuæ potius ambitioni reseruata esse, quam meæ, qui ambitione ni- hil vterer. de centurionibus tamen, & de tribunorum militum contubernalibus res est integra. genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.*

Neque vero præfides solum, & quæstores, sed etiam legatos rationes reddere coactos inuenio. siquidem de P. Scipione Africano L. Scipionis fratris sui in Asia legato ita scribit Gellius: *Tribuni pl. in senatu instabant, vt pecuniæ Antiochine, prædæq; quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. fuerat enim L. Scipioni Asia- tico fratri suo imperatori in ea prouincia legatus. ibi Scipio exurgit, & prolato è sinu roga libro rationes in eo scriptas esse dixit omnis pecuniæ, omnisque prædæ. illi tum, vt palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id iam non faciam, inquit, nec me ipse afficiam contumelia. cumque librum statim discidit suis manibus, ac concepsit, ægre passus, quod, cui salus imperij, ac reip. accepta ferri deberet, ab eo ratio pecuniæ prædaticæ posceretur. & de Verre Dolabellæ legato Cicero: *Legationis rationes non retulit, nisi condemnato, & eieccto Dolabella prætorè, & qui posset repre- bendere.**

*De iudicijs præsidibus, & eorum comitibus constitutis. CAP. XII.*

**V**T autem præsidibus, qui se optime gessissent, magni, vt dixi, & in prouincia, & in vrbe honores habiti, sic contra, si quid deliquis- sent, atq; à legibus de quibus dixi, recessissent, multis iudiciorum laqueis irretiti sunt. In primis autem tribus obnoxij legibus, ac quæstionibus fuerūt, peculatus, maiestatis, & repetundarum; pe- culatus, si prædam, aut pecuniam publicam auertissent, quo iudi- cio etiam quæstores, legati, & scribæ eorum obstricti fuerunt; maiestatis, si aut exercitum, aut prouinciam hosti prodidissent, aut vltro exercitum è prouincia eduxissent, aut bellum sine S. C. intulissent; repetundarum, si se in socios aut auare, aut superbe, aut libidinosè, aut crudeliter, aut iniuste gessissent. quæ lex maxime socialis fuit, & prouinciarum salutem continuit. quo iudicio postulati plurimi, damnati multi, nonnulli etiam absoluti sunt. Sed de his legibus, & quæstionibus mox in libro de iudicijs disputabimus. si prius iis responderimus, qui à nobis in hac prouinciali disputatione dissentiant. Hic est autem Nicolaus, vt dixi, Gru- chius, qui longe aliam magistratuum, imperatorumq; rationem esse contendit, ac nos tradidimus. Quamobrem faciamus, vt separatim, quantum in eius sententia ad veritatem momenti sit, ostēdamus, eamq; disputationem quasi tertium librum proposito prouinciarum commentario subtexamus.

CAROLI



CAROLI SIGONII  
DE ANTIQVO IVRE  
PROVINCIA RV M LI-  
BER TERTIVS.



Ad illustrem iuuenem Ioannem  
Riccium Politianum.



**H**omnibus quæstionibus, quæ his tem- poribus doctorum hominum ingenijs excitata in aliqua politiorum littera- rum tractatione versantur, haud scio, an vlla alia aut genere ipso nobilior, aut usu fructuosior sit, quam quæ iam- diu inter me, & Nicolauū Gruchium agitur. quippe quæ sit, vt te optime nosse puto, de re non solum in antiquita- tis sed etiam in philosophia studio maxima. Nam verbo quidem de antiquo usu legis curiata contendimus, at re vera de iure senatus, populiq; Roma. de iure magistratuum, atq; imperatorum, de obscu- rissimis probatissimorum scriptorum locis disputamus. Neque tritas iam pridem in scholis quæstiones aliquot cum eorum, qui audiant, molestia retractamus, sed nouas, atque huic sæculo inauditas con- trouersias edimus. vnde non Romanarum solum rerum, sed ciuilibus etiam disciplina studio dediti utilitatis, atque adeò etiam voluptatis capere non minimum possint. Huius autem concertationis initium inductum est à me. qui cum breuiter quid ab eo in hac tota ratione dissentirem, non refellendi hominis gratia, sed indagandæ veritatis causa annos abhinc decem exposuissem, eruditum hominem, atque acutum studio responsionis vsque adeò incendi, vt ipse quasi legiti- mo

mo aliquo huius rei iudicio constituto ac reo comperendinato, una atque altera actione totam causam sibi sumpserit peroranda. Quorum actionum quando ego uni paucis ante annis respondi, putavi mihi faciendum, ut nunc quoque alteri responderem, totamque causam nouo quasi suscepto patrocinio retractarem. Quamobrem te hortor adolescentem praesertim ut opibus, & fortuna, sic ingenio, studioque florentem, ut partem aliquam temporis de honestissimis tuis studijs demas, atque ad huius questionis cognitionem traducas. nam eodem tempore cum vetustissima, eademque pulcherrima populi Romani iura cognosces, tum difficillimos illustrium auctorum locos, eosque nostris adhuc parum hominibus notos intelliges. Qua notitia neque liberalius atque honestius, neque aetati, fortunaue tuae quidquam esse conuenientius potest. Atque ut hoc ipse acriore tibi studio faciendum existimares, cepi hoc tibi opus dicandi consilium. Quod ut facerem primum praecipuo quodam meo erga te studio, deinde excellenti Jacobi Falconij iuuenis eruditissimi praedicatione impulsus sum. Nam & ego te, cum Bonia ad me audiendum accederes, ac non dubia praestantis tuae erga me voluntatis testimonia dares, ita iam tum amare institui, ut omnia officia me propterea tibi debere putem, & Falconius ipse, qua est humanitate praeclatus, ea mihi de admirandis tuis ad omnem dignitatem, laudemque progressibus retulit, ut te hoc potissimum honoris genere, qui non nisi egregijs adhibetur hominibus, decorandum existimem, scilicet ut nomen tuum domesticis multis apud nos laudibus, virtutibusque clarissimum latius mea quantulacunque commendatione propagem, ac bonis quasi auspicijs praeclearam augetentis in te virtutis indolem apud homines non obscuro hoc monumento commendem. sed ad rem veniamus.

De lege curiata magistratuum Gruchij opinio.

CAP. I.



VM legissem libros nuper à te de comitijs Romanorum in lucem editos, Nicolae Gruchii, cum aliis rebus multum, tum illustri quadam eximia, ac minime vulgaris ingenuitatis tuae significatione plurimum sum affectus. qui cum multa praecclare de antiquissima illa consuetudine praecipisses, ea tamen haud quaquam ita te amplectari diceres, ut pro oraculis habenda censes, immo vero maximam te habiturum esse doctis hominibus gratiam praedicares, qui non modo tua refutarent, sed veriora etiam in vulgus emitterent. Quibus ego vocibus, ut vere dicam, impulsus, cum forte eodem tempore de antiquo ciuium Romani iure perscriberem, atque à te in quaestione omnium, quae in tuo tractantur libro, grauiissima, ac difficillima dissentirem, eò facile me adduci sum passus, ut tua exposita senten-

sententia meam & ipse quasi aliud agens ascriberem; non ut tibi contradicerem, sed, quemadmodum tum testatus sum, ut litterarum studia nobilissima explicanda, quaestione & ipse pro virili parte mea iuuarem. Hunc tu locum cum legis, ad eum tibi respondendum duxisti, ac praecipuum ea de re librum aduersus me divulgasti. in quo cum causam tuam accuratissime agis, tum me ad respondendum doctorum hominum quasi iudicio quodam constituto laceffis. Quid quaeris? quamquam ut nec opinata, sic non iucunda admodum illa mihi prouocatio accidit, ut qui omnem curam iam meam alio, cogitationemque conuerteram, respondi tamen, sed paucis, ne omnino eruditum hominem, & me honestissimo certamine prouocantem viderer contemnere. Verum qua me ratione molestia liberasse existimaui, ea mihi magis fuit aduersaria. ecce enim post annum, non exiguum, ut ante, libellum, sed iustum prope volumen edidisti. in eoque cum multis verbis eadem omnia reperis, quae superiore disputatione tractaras, tum praeter rem multa alia infers, ac sophistica quadam ratione concludis, & quod magis mihi mirum accidit, sauo adeo, atque impotenti animo interdum aduersus me loqueris, ut quodam etiam in loco pro summo mihi beneficio tribuas, quod non me asperius, ac contumeliosius appellaris. Bone deus, tu ne ille Gruchius es, qui paullo ante maximam te doctis hominibus gratiam habiturum esse, qui tua refutarent scripta, scripsisti? Nam si ego opinionem tuam aliquando inuito fortasse te improbaui, tua illa tota culpa est, qui me, ut id facerem, inuitasti; si ceteros omnes praeter unum me ad hoc officium aduocasti, nam ego posthac diligentius de ista contumelia videro. Neque enim ea te res perturbare potest, quod ego in te aut in disputando acrior, aut in scribendo contumeliosior fuerim, cum tertio quoque verbo tanta te cum laude appellem, ut tu ipse scripseris, magnas te mihi eo nomine habere gratias. quod ea modestia usus sum in te reprehendendo, ut cum honorifica laudis tuae praefatione nec gloria, nec contentionis studio ductus, sed veritatis tantum amore ad hanc dissensionem verus, quam reprehensionem pertractus videar. Cum autem hanc, quam tu vocas, modestiam non solum in libris de iure ciuium Romani. sed etiam in responsione mea seruarim, ita ut semper tibi plus, quam mihi, tribuerim, & me tantum aliter, quam te de rebus iis, quae tum agerentur, sentire dixerim, satis mirari non possum, cur tu ab illa, quam tu in aliis tantopere laudas, animi moderatione discesseris, atque in disputando acerbior me interdum, quam acutior esse malueris. neque seuera interea hominum iudicia exhorueris, qui te fictam, ac simulatam illam moderati hominis personam oportune deposuisse, existimaturi sunt, ut ceteros ab eiusmodi auctoritatis tuae laudanda cogitatione auerteres. qua de re tu quodam in loco videris non mediocriter laborare. Sed his omissis, feci non inuitus, ut tuae voluntati obtemperarem, ac tibi iterum responderem, sed feci fortasse breuius, quam voluminis magnitudo, cui respondeo, postulabat neque enim quae ab utroque nostrum in superiore disputatione dicta sunt, ea mihi nisi necessario repetenda duxi. & si qua res noua incidit, eam vero, quam potui, breuissime sum complexus. inciderunt autem praeclearae nonnullae, quod tu, credo, ut, quam valeres ingenio, demonstrares, omnia prope decreta mea figillatim tibi aggredienda sumpseris, quasi opima quaedam de me spolia relaturus, si te mihi insultare copia ingenij tui perterritus permisisses. verum re aggrediamur.

Omnis nostra ex eo fonte ducta est controuersia, quanam sit lex curiata, cuius meminit Cicero in secunda agraria, cum inquit: *Maiores de omnibus magistratibus vos iudicare voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patricijs magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, ut esset reprehendendi potestas si populum beneficij sui poeniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. hic autem tribunus plebis quia videbat, potestatem neminem iniussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitijs, quae vos non sinitis, confirmauit, tributa, quae vestra erant, sustulit. ita enim maiores binis comitijs voluerint vos de singulis magistratibus iudicare, hic homo populi-*

ris ne vnam quidem populo comitorum potestatem reliquit. Sed videte hominis religionem, & diligentiam. vidit, & perspexit. sine curiata lege decemuiros habere potestatem non posse, quoniam per nouem tribus essent constituti, iubet ferre de his legem curiatam, prætorē qui primus factus sit, si lex lata non erit, Decemuiros eo iure esse iubet, quo qui optima lege. & post: Consulibus legem curiatam ferētibz sæpe intercessum est. item: Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet. postremo: Sine igitur Decemuiros neq; veris comitijs, hoc est populi suffragijs, neq; illis ad speciem, atq; usurpationem vetustatis per triginta lictores auspicioꝝ causa adumbratis cōstituti. omnis, inquam, nostra in hoc est posita cōtrouersia, quæ sit lex curiata, cuius in his locis Cicero meminit. neque enim idem nostrum vterque sentit. Afferam primum opinionē tuam, deinde meam. Tua vero his à te verbis est in secunda Actiōne exposita. *Iam inde ab exactis regibus maiores magistratus, qui à populo crearentur, lege curiata ita fuisse ornatos, vt postquam centuriatis creati essent, ad confirmandum illis quadam auspicioꝝ religione magistratum curiata etiam adhiberentur: minores vero nunquam binis comitijs creatos, nisi postquam ceperunt tributis comitijs creati, idque propter eandem auspicioꝝ religionem.* Addis inde: *Ciceronis aetate non curijs triginta, vt olim, conuocatis, sed lictoribus curiarum triginta tantum legem curiatam latam esse.* Atque hæc ita esse confirmas non his solum, quæ recitata sunt ex Agraria locis, sed etiam altero Messallæ, tertioq; ex secunda Philippica Ciceronis. Quid igitur mihi à te in tota hac ratione dissentienti faciendū est? nimirum illa duo, vnum, vt incommoda istius opinionis ostendam, alterum, vt peruersitatem interpretatio nis horum locorum, quibus ipsa fulcitur, aperiam. Quamobrem aggrediamur. In tua ergo opinione illa quattuor reprehendo, vnum quod magistratus patricios, plebeiosq; noua significatione accipis; alterum, quod curiata comitia ad auspicia magistratibus iam designatis mandanda esse adiuncta scribis; tertium, quod legem curiatam Ciceronis etiam tempore ad hunc usum obseruatam scribis; quartū, quod eam non à triginta curiis, sed à triginta curiarum lictoribus esse iussam, contendis. De nomine patriciorum magistratuum, & plebeiorū, quod Cicero in eo loco vltur pat, vnde hæc disputatio emanauit, tuque in libris de comitijs, & in prima Actiōne adhibuisti, idem, quod alias ante, repeto, absurdum esse dictū, patricios magistratus centuriatis comitijs designatos, plebeios vero tributis. Nam cum patricij magistratus sint, qui primum patuere patricijs; plebeij vero, qui solis plebeijs; profecto, qui centuriatis comitijs creabuntur, omnes erunt patricij; qui tributis, omnes plebeij. quod est falsum; quia ædiles curules, & quæstores tributis comitijs, temet doctore, creabuntur, & tamen erant patricij. quare non omnes patricij centuriatis, nec soli plebeij tributis. Respondes, te cepisse patricios magistratus pro maioribus, plebeios pro minoribus. neque aliud adhuc sentis incommodum. Neque enim recte concludi potest, quia aliquot magistratus patricij, vt consul, prætor, censor, dictator, maiores sunt magistratus, propterea plebeios esse minores. patricij enim recte in maiores, & minores diuiduntur. maioresq; sunt, quorum maiora sunt auspicia, vt eorum, quos dixi, minores, quorum minora, vt ædiliū curulium & quæstorum. plebeiorum nulla est eiusmodi differentia, quia carebant auspicijs. Quamobrem si patricius est magistratus, intelligo, quid sequatur, nempe aut maiorem esse, aut minorem. si plebeius, nihil tale. Quare multo minus efficietur, patricij magistratus sunt maiores magistratus, ergo plebeij sunt minores. neque enim quicquam vnquam aut quæsturam, aut ædilitatem curulem magistratus patricios, quia minores essent, plebeios vocauit, vt tu, quod te demonstrare oportuit. Si ergo manet vetus illud, patricios magistratus esse, qui prius patuerunt patricijs; plebeios vero, qui solis plebeijs; nec quia patricij aliquot magistratus maiores sunt, propterea plebeios minores esse cogimur confiteri, si tu hoc idem intelligens aliam, atq; aliam, quam postea demonstrabo, huius Ciceroniani loci lectionem excogitasti, quid est, quod ex maledicto risum quærens aduersus me dicas: *Callipides multum se mouet,*

*mouet, sed nihil promouet.* cum hic meus Callipides vsque adeo promouerit, vt te de loco, id est de suscepta prioris lectionis sententia deturbarit?

Quod vero secundo loco ais, comitia curiata adiuncta centuriatis fuisse ad auspicia mandanda magistratibus, dico hoc superuacaneum fuisse in maioribus magistratibus consule, prætorē, cenfore. Etenim hi creabantur comitijs centuriatis, quæ ad mandanda auspicia satis valebant, cum essent auspicatissima. Nam Cicero dixit pro Milone: *Ille augusta centuriarum auspicia.* & pro domo: *Centuriata comitia maxime maiores iusta dici, haberique voluerunt.*

Quod deinde tertio loco dicis, veterem curiatorū comitorum ad priora confirmanda comitia consuetudinem Ciceronis etiam tempore obseruatam, id falsum esse hac ratione coarguo. Nam si ipsius tempore magistratus omnes curiatis comitijs confirmati fuissent, Rullus non posuisset in lege sua, vt prætor legem curiatam ferret Decemuiris suis à plebe designatis. cum autem posuerit, satis ostendit, se extra ordinem id fecisse. Respondes, si Rullus Decemuiros extra ordinem lege curiata ornasset, Ciceronem id ei obiecturum fuisse, quod non fecit. Verum hoc non est satis. cur enim Rullo obiiciat id, quod ille iure facere potuit? Age enim, non ne tribunus pl. plebem rogare potest? sane. quod plebs iure rogata scierit, non ne iustum est? non est dubium. Cur ergo obiiciat Cicero id, quod ille iuste facere potuit, vt plebem rogaret? & plebiscito accepto, vt Decemuiris legem curiatam quanquam insolitam ferret? tum enim obiecisset, si sine plebiscito, id est plebis iniussu Decemuiros lege curiata ornasset. Neque enim Rullus confirmabat Decemuiros lege curiata, quæ obsoleuerat, impudenter, sed ad plebem ferebat, vt id sibi liceret, sine dubio non facturum, si vetus consuetudo mansisset,

Postremo nego curiata comitia per triginta curiarum lictores, non autem per ipsas triginta curias celebrata, atq; triginta lictores suffragium de magistratibus vltulisse. neq; enim verisimile esse, qui consul propter excellentem virtutis opinionē certo iudicio ab vniuerso populo centuriatim lectus esset, permissum fuisse, vt eum triginta curiarum lictores suis suffragijs inconsulte repudiarent. Occurris, lictores, quod rogabantur, pro suo arbitratu repudiare nō potuisse, & quod grauius est, addis, me non tuum dictum, sed meum commentum oppugnare, atq; antabatarum more pugnare. Verū de antabatis alias. nunc quod instat. Negas legem curiatam à lictoribus antiquari potuisse. Ridet, opinor, Rullus, qui timens, credo, ne lex curiata à tuis istis lictoribus antiquaretur, sic in lege cauit: *Si lex curiata lata nō erit, tum Decemuiros eo iure sint, quo qui optimo.* Si lex lata non erit, inquit, id est si lictores legem non acceperint. ergo poterant non accipere. quod noster antabata non vidit. Addo nunc, si lex hæc de magistratibus curiata ad lictores, nō ad curias esset perlata, turpe nimis atque indecorum futurū fuisse, vt prætor, consul, dictator agerent cum triginta lictoribus, tanquam cum vniuerso populo, absurdum vero, si lex curiata de adoptione à triginta curiis, etiā te teste, iussa esset, de imperio vero magistratuum à triginta lictoribus. & cum in his de imperio comitijs cetera seruariantur, quæ in iustis seruabatur comitijs, obnunciatio, intercessio, & reliqua, hoc vnum exceptum esset, quod non à populo, sed ab apparitoribus infamibus inirentur.

Hæc sunt, ex quibus dico opinionem de lege curiata magistratuum tuam inanem esse, ac falsam. Relinquitur, vt videamus, an ex auctoritatibus, quas affers, hoc quod vis, quodq; contendis, efficiatur. Hi sunt tres, vt dixi, loci; vnus hic Ciceronis, qui controuersiam intulit, alter Messallæ; tertius ex secunda Philippica. Consideremus omnes.

Vt ex loco Agrariæ eum, quem vis, sensum eliceret, insigni illum, ac prope prodigiōsa mutatione facta protulisti, hoc modo: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, ac ceteris patricijs magistratibus, tributa plebeijs, tum curiata iterum de istis iudicabatur.* Quo loco primum reprehendo, quod contra fidem veterum omnium librorum addis, demis, mutas, transponis verba, quæ tibi non iudicij ratio,

sed ingenij libido subministravit, moremque perniciosum in hæc studia inducis, ut quæ loca non intelligamus, ea delendo, addendo, commutando ad nostram sententiam traducamus, ut post hac tuo exemplo nemo tam rudis, ac desperati ingenij sit futurus, qui non ex omnibus scriptorum salebris sit vel nullo etiam negotio emerſurus. illud etiam vitio verto, quod tu morem nouum in comitia inferis. cui enim probabis, magistratus patricos lege centuriata designatos fuisse, curiata confirmatos, plebeios tributa creatos, curiata confirmatos? Nemo autem dixit vnquam è veteribus, cum magistratus designati sunt à populo, eos lege creatos fuisse siue centuriata siue tributa, sed comitiis centuriatis, aut tributis. Nam legem tum dixerunt, cum de vno nominatim loquuti sunt. ut tum, cum qui designati fuerant, confirmabantur. Etenim cum magistratus designabantur, sic in vniuersum rogabatur populus: *Quos vultis, exempli gratia, consules fieri?* cum confirmabantur, ita: *Vultis, iubetis ne, ut M. Cicero, C. Antonius, quos consules populus designauit, consulatum habeant?* hæc posterior rogatio lex est dicta, siue centuriata, siue curiata, prior rogatio legis nomine nunquam inuenitur affecta. Etiam illud improbo, quod voces in linguam Latinam aut nouas inuexisti, aut veteres noua significatione ornaſti. Est enim nouum illud, *lex tributa*. quam nemo vnquam dixit, nisi tu. Lex enim tantum centuriata, & curiata est dicta. pro *tributa*, *plebiscitum* dixerunt. Noua significatione sumpsisti *Plebeios* magistratus pro minoribus, ut supra dictum est, verum laudo, quod adiecisti, ne tibi id quidem magnopere arridere. Possum etiam hoc improbare, quod ita præfracte, & obstinate sententiam tuam defendis, ut omnem nõ minus humanitatis, quam iudicij laudem amittas. sic enim agis: *Vel disruparis licet, ego tamen etiam, atq; etiam cõfirmo, locum Ciceronis omnino ita legendum esse, ut à me legitur. Nam centuriata lex consulibus ferebatur, ceteris patricijs magistratibus, tributa plebeijs, tum curiata iterum de iisdem iudicabatur. aut si displicet illud plebeijs accipi pro minoribus magistratibus, legatur tributa alijs. aut denique, si patriciorum magistratum nomine nolimus hic solos intelligi maiores magistratus, sed omnino eos, in quibus fuit patricijs locus, ita legatur: Nam centuriata lex aut tributa consulibus ferebatur, ac ceteris patricijs magistratibus, tum curiata iterum de iisdem iudicabatur.* Quæ verba aperte declarant, te more antabatarum vagari, vel potius tanquam naufragum quancunque possis tabulam in ipsa caligine tempestatis arripere. Nam ut cetera mittam, quomodo probabis vnquam, patricos magistratus ut prætores & consules, comitiis tributis designatos, quod in libris de comitiis fieri non potuisse docuisti? Quod autem ad disruptionem attinet, polliceor, me huius loci lectionem, & sententiam adeo verã esse prolaturum, ut te omnium quoque consensione disrumpam.

Venio nunc ad verba Messallæ, quæ ab A. Gellio recitantur: *Minoribus magistratibus creandis magistratus tributis comitijs, sed iustius curiata datur lege, maiores centuriatis comitijs fiunt.* Oro te, quis tibi affirmavit, Messallam dicere, suo tempore magistratus maiores, & minores primum comitiis centuriatis, aut tributis creatos, deinde lege curiata necessario fuisse confirmatos? Quid est enim impedimento, quin dicat, ut vere dicit, maiores magistratus fieri centuriatis, quibus auspicia accipiunt, minores vero tributis, sed si ferretur eis lex curiata, iustius fieri lege curiata? An vero si quis dicat, Cæsaris tempore, Magistratus dantur à Cæsare, sed iustius à populo, significet, à Cæsare primum, deinde à populo eosdem eodem tempore dari, an potius qui dantur à Cæsare, si, ut mos erat, darentur à populo, iustius datum iri? Adde, quod cum Messalla inquit: *maiores fiunt centuriatis comitijs, minores tributis, sed iustius curiata lege*, omnino vnum tantum genus comitiorum in singulis obseruatum agnoscit, centuriata in maioribus, tributa in minoribus. nam si auspicia requiruntur, centuriata auspiciatissima sunt vsque adeo, ut qui centuriatis creati sunt, auspiciorum ratione curiatis non egeant, tributa vero auspiciata illa quidem, sed curiata auspiciatiora. quare qui tributis creantur, inquit, iuste quidem creantur,

creantur, sed iustius, si curiata lege confirmarentur. quomodo vero tributa auspiciata sint, tu docuisti, cum locum illum Ciceronis in libris de Comitiis exposuisti: *Cæsar, qui comitijs tributis auspiciatus erat, centuriata habuit.*

Age vero Cicero in agraria nullo modo ita scripsit, ut tu, Messalla vero aliter sentit, ac tu: an vero Cicero in secunda Philippica idem significauit, ac tu interpretaris? multo minus. *Quæstor*, inquit, *es factus. deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi.* tu *sine lege* interpretaris *sine lege curiata*, ut Antonium dicat, postquam tributis comitiis factus est quæstor, antequam curiatis confirmaretur, sine S. C. sine sorte, sine curiata lege in prouinciam esse profectum. Quo nihil esse potest alienius. est enim eadẽ ratio quæstoris, ac consulis, quod ad prouinciam obtinendam pertinet, ut in libris de iure Prouinciarum ostendi. Consul enim primum accipiebat magistratum centuriatis comitiis, deinde ex S. C. sortiebatur prouinciam, aut si neque senatusconsultum, neque fors intercedebat, lege obtinebat, ut Cæsar, qui neque S. C. neque sorte, sed lege Vatinij tribuni pl. Galliam adeptus est. sic quæstores primum tributis comitiis accipiebant magistratum, deinde ex S. C. sortiebantur prouincias, aut si neque S. C. neque fors obseruaretur, extra ordinẽ lege aliqua, id est, plebiscito eas sibi parabant. obiicit ergo Antonio Cicero, quod quæstor factus neque senatusconsulto, neque sorte, quæ erant ordinaria, neque lege, quod fiebat extra ordinẽ, sed vno Cæsaris vocatu in Galliam ad Cæsare proconsulem venerit. Atque hoc declaratur ex epist. ad Attic. vbi scribit: *Pompeius & Cæsar quæstorem sine sorte delegit, Cæsar & Antonium, ego Cælium sorte datum offenderem.* Quam enim legem nominat Cicero, ea pertinet ad prouinciam quæstori mandandam, non ad auspicia quæstori danda, aut ad quæstorem confirmandum. tua vero interpretatione non dabatur Antonio quæstori prouincia, sed priuato quæstura. quasi verò quæstura post S. C. & sortem prouinciæ fuerit confirmanda. quo nihil ineptius.

Transeo nunc ad locum Ciceronis, vnde tu eam cõsuetudinem eliciſti, legem curiatam nõ à triginta curiis, sed à triginta curiarum licitoribus esse iustam: *Sint igitur Decemviri neque veris comitijs, hoc est populi suffragijs, neque illis est species, atque usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis:* ac doceo, ne hunc quidem à te esse intellectum. Neque enim Cicero significat, veris, legem curiatam per triginta curiarum lictores esse latam. Quid autem vult nimirum hoc: *Rullus decemuiros creat comitiis tributis, sed imperfectis, quia non per xxxv, sed per xvii tribus creat, eosdem confirmat lege curiata, sed ita confirmat, ut, si lex curiata lata non erit, etiam sine ea iustum decemuiratum habeant.* quo fit, ut neque vera tributa afferat, neque curiata etiam falsa, & simulata. quibus reprehensis concludit permissione rhetorica, quæ tum adhibetur, cum ad aliud transire volumus, quod grauius esse putamus, quam id, quod permittimus, & ait: *Sunt igitur decemviri constituti neque veris, neque saltem in speciem per xxx lictores auspiciorum, causa adumbratis comitijs.* id est, non adhibuerit non modo tribus omnes, sed neque etiam curias vllas, neque solum non curias, sed ne lictores quidem curiarum in speciem aduocauerit auspiciorum causa, id est, ut auspicia obtineret, quæ initio comitiorum captantur. nam ut cetera falsa essent, quæ sequuntur, & auspicia, ex quibus deorum voluntate ipsa approbari comitia intelligitur, rite captata initio comitiorum essent, satis iusta futura fuisse videbantur. quod ille prætermisit. Rullus enim nulla omnino adhiberi comitia curiata voluit, tum cum sine lege curiata decemuiros magistratum habere voluit. quasi vero officio suo satisfactorius fuerit, si saltem curiata comitia in speciem triginta curiarum licitoribus aduocatis adumbrasset, ut postea Cæsar dictator in comitiis suis, de quibus Lucanus:

*-Fingit solemnia campus,*

*Et non admittæ dirimit suffragia plebis,*

*Decantatq; tribus, & vana versat in vrna.*

*Nec cælum seruare licet. tonat angure surdo.*

*Et laeta iurantur aues bubone sinistro.*

Rullus autem ne triginta quidem curiarum lictores, ne dum triginta curias, aduocabat. Quæ si ita sunt, iam satis intelligi posse arbitror, vter nostrum antabaturum à te commemorato more se gerat. atque istos tuos triginta lictores curiatos suffragium, quod commentus es, non habuisse, neque habere potuisse. quo de creto ita delectaris, vt totum volumen comitorum tuorum, & has actiones eo sæpe iterando referferis.

*De lege curiata magistratuum Sigonij opinio. CAP. II.*



**H**ACTENVS de tua opinione sit dictum, nunc de mea dicamus. Ego, cum superiorem locum Ciceronis à te peruersum, & deformatum viderem, dedi operam, vt incolumi vulgata lectione aliquem inde sensum eruerem. itaque hunc excogitavi. Legem curiatam duplicem fuisse, vnam, quæ ferretur olim magistratibus patriciis iam designatis ad eos confirmandos, vt populus priorem comitorum centuriatorum infirmare sententiam posset, si eius poeniteret. verum hanc postremis temporibus obsoletam fuisse, neque nisi extra ordinem plebiscito aliquo reuocatam in rep. hæsisse. eam vero à Cicerone intellectam esse, cum dixit: *Maiores de omnibus magistratibus bis vos iudicare voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patricijs magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, si populum beneficij sui poeniteret;* alteram vero, quæ consulibus, & magistratibus in prouinciam, & ad bellum cum imperio militari profecturis sit lata, ac postremis etiam temporibus obseruata. eam vero intellectam à Cicerone, cum inquit: *Comitia curiata, quæ vos non finitis, tantum auspiciorum causa remanserunt.* item: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est.* item: *Consuli, si legem curiatam non habeat, attingere rem militarem non licet.* Dicamus de vtraque, sed prius de priore. Aduersus primam consuetudinem tu sic argumentaris: *Si Cicero cum dixit, legem centuriatam ceteris patricijs magistratibus latam, intellexisset omnes alios præter consules, dixisset, ceteris omnibus magistratibus absq; illo verbo patricijs, ita vt etiam tribunos pl. & ædiles plebis comprehenderet.* præclare. quasi vero tribuni pl. & ædiles plebis sint patricij, aut ego etiam tribunos, & ædiles significatos dixerim. Item: *si Cicero dixit, ceteris, non intellexit solos quæstores.* Immo solos quæstores ex ordinariis, non solos, si extraordinarios complectaris. Item: *si vera hæc propositio sit, de omnibus magistratibus bis à populo iudicatum esse, id maxime tempus animo concipiendum est, quo nulli magistratus plebei in rep. fuerunt. quod fuit sexdecim tantum annorum.* Noli quæso illa in me tela conicere, quæ ego in temet retorquere nullo negotio possim. nam & tu hanc propositionem veram esse de patricijs solis confiteris, cum maiores, & minores nominas, nam talis diuisio solis patricijs conuenit. Item: *eodem tempore, inquit, M. Lætorius plebei dedicationem ædis à populo accepit, ergo curiatis si binis comitijs, ergo non soli patricij.* cui respondeo: Quid si curiatis, sed non binis? quid si sacerdos fuit Lætorius, & non magistratus? Item: *si de primis consulibus bis iudicasset populus centuriatis comitijs, ter iudicasset, non bis. nam præter hæc etiam lex curiata lata est de imperio militari, quod est in magistratu insitum.* Nego esse infirmum, atque hoc me refutaturum esse infra polliceor. Quamobrem, quod quæris, cuius auctoritate hæc mea opinio innitatur, respondeo, niti auctoritate non contemnenda ipsius Ciceronis, & quidem expressa, non extorta, vt tua.

Quædo igitur nec tua mihi lectio, nec mea tibi expositio, placet, videamus, num meliorem aliquam indagare possimus. Equidem si locus ille Ciceronis, vnde est hæc quæstio constituta ita legatur, vt vulgo legitur, nullam aliã oratoris esse, quam eam, quæ à me est allata, sententiam arbitror. At si, vt in veteribus libris legitur, &

mih

mih recte legi videtur, aliquanto secus. sic autem, vt nonnulli quoque notarunt, in iis scriptum repetitur: *Maiores de omnibus magistratibus bis vos iudicare voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patricijs magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur.* Mirum est autem, quantum vna vox c v m addita lucis veræ sententiæ excogitandæ afferat. quam spero te, vbi cognoueris, pro iudicij tui magnitudine arrepturum, ac pro æquitate animi probaturum, atq; omnem disruptionis acerbiteriam continuo abiecturum. Est autem hæc. De omnibus magistratibus maiores bis vos iudicare voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus iã designatis ferebatur, cum curiata ite ceteris patricijs magistratibus pariter iam designatis ferebatur, eo tempore secundum iudicium faciebat populus, vt posset reprehendere, si beneficij sui prioribus comitijs delati poeniteret. Primum enim comitijs centuriatis censes designabant, deinde eisdem legem centuriatam ferebant. item centuriatis comitijs consulem designabant, deinde eis legem curiatam ferebant. Non erat autem idem designare magistratum, & legem ei centuriatam, aut curiatam iam designato ferre. nam prioribus comitijs si consules exempli gratia creandi essent, populus rogabatur his verbis: *Quos vultis consules fieri?* posterioribus, quibus lex eis curiata ferebatur, his: *Vultis, iubetis ne, vt ij consulatum habeant, quos populus designauit?* quod ostendit Asconius, cum scribit: *Prærogatiua tribus dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri.* & Cicero in agraria: *Curiatam legem ab eo prætor, qui sit primus factus, ferri iubet. at quo modo? vt ij decemuiratum habeant, quos plebs designauerit.* Prioribus autem comitijs designabantur, posterioribus lege confirmabantur. lex autem aut centuriatis comitijs lata est, & centuriata dicta, aut curiatis, & curiata, aut tributis, & plebiscitum vocatum. legis tributæ nomen à nemine vnquam nisi à te est vsurpatum. Res autem sic habuit. Ius confirmandorum comitorum, & magistratum primum senatus habuit, vt scripsit Dionysius, & significauit, vt tu quoque notasti, Liuius in Numa, cum scripsit: *Quirites regem create. ita patribus vsu, patres deinde, si dignum, qui secundus à Romulo nuncietur, creauit, auctores fierent.* & post: *Regem populus iussit, patres auctores facti.* & libro v i: *Omnium comitorum eo anno patres auctores facti sunt.* Significauit autem, patres eo anno magistratus omnes, quos populus plebes ve designasset, id quod non quotannis accideret, comprobasse. Verum hoc ius senatus diu tenere nõ potuit, vt innuit Cicero pro Plancio: *Quod patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, vt reprehensores essent comitorum, id haberent iudices, tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti.* Hac autem consuetudine sublata, deinde hanc indutam facile possumus suspicari, quam nunc Cicero, omnis antiquitatis peritissimus, prodit, vt populus ipse magistratus à se designatos confirmare, aut infirmare vellet, censes quidem lege centuriata, reliquos patricios magistratus curiata. Verum & hanc sua ætate obsoleuisse, idem hoc loco iudicat. Itaque Rullus in decemuiris suis creandis veterem consuetudinem renouauit: tulit enim, vt prætor legem curiatam ferret, vt ij decemuiratum haberent, quos plebs designauisset, ita tamẽ, vt etiam sine lege curiata eos iure optimo decemuiros esse vellet. siquidem verba legis Rulli hæc fuerunt: *Tribunus pl. qui hanc legem tulerit, comitia creandis decemuiris habeto. tribus septemdecim sorte educito. per eas decemuiros creato, vt quem nouem tribus fecerint, is decemuir sit. item eodemq; modo, vt in comitijs pontificis maximi. Qui petet, præsens profiteor. Prætor, qui primus factus erit, legem curiatam ferro, vt ij decemuiratum habeant, quos plebs designauerit. Sin is ferre non poterit, qui postremus erit, si lex curiata lata non erit, tum ij decemuiros eodem iure sunt, quo qui optima lege. Tribuni pl. prætori legem curiatam ferenti ne intercedunt, si intercesserint, decemuiros eadem potestate sunt, ac si lata lex esset. Decemuiros auspicij coloniarum deducendarum causa pullarios habento, quos habuerunt tresuiri lege Semproniana. in quinquenniũ potestatem habento. apparitores, scribas, librarios, præco-*

nes, architectos habento. mulos, tabernacula, cantherios, suppellectilem ab arario sumunto. custodes corporis ex arario ducentos in singulos annos habento. Xuiris vectigalia populi Roma. alienare liceto. summum iudicium habento. &c. Hanc autem legem reprehensus Cicero, quattuor sibi culpanda suscepit, designationem decemuirum, confirmationem, ornamenta, & potestatem. In designatione vitio in primis vertit, quod decemuiros per tribus xv i i crearet, id est per partem populi, qua re absoluta finxit, se de potestate illorum infinita loqui velle. quod grauissimum omnium crimen erat, & ad plebem maxime pertinebat, & vt verisimile videtur, à plebe auide expectabatur, & propterea, vt eius cupiditati in speciem satisfaceret, dixit, *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur.* Quo dicto, in sermone de lege curiata ingreditur, quæ ad confirmationem pertinet, non autem ad potestatem. Primum ergo reprehendit, quod lege curiata decemuiros ornet, cum esset inuicatum, vt magistratus daretur lege curiata ei, cui nullis comitiis ante esset datus, id est priuato. nulla enim comitia vocat, quæ per xv i i tribus tantum erant habita, cum per xxxv oportuisset. & quoniam ferebat, vt prætor legem curiatam ferret, vt ij decemuiratum haberent, quos plebs designauisset, vtraque comitia ab eo adhibita reprehendit, tributa, quia cum propria plebis essent, imperfecta alata sint; curiata, quia cum obsoleta essent, nec à populo magistratuum causa amplius inirentur, ab eo renouata sint. Itaque addit: *Videte quid iuris à maioribus acceperitis, quid ab hoc tribuno pl. vobis relinquatur. maiores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patricijs magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui poeniteret. nunc quia prima illa tenetis comitia centuriata, & tributa, curiata tantum auspicioium causa remanserunt. hic autem tribunus pl. quia videbat, potestatem neminem iniussu populi aut plebis posse habere, curiatam eam comitijs, quæ vos non finitis, confirmauit, tributa quæ vestra erant, sustulit.* Ex quibus verbis apparet, Ciceronis ætate, populum Rom. magistratuum causa sola comitia centuriata, & tributa tenuisse, curiata auspicioium causa tantum in usu fuisse. id est populum magistratus designatos curiata lege non amplius, vt olim, confirmasse. quod vero Rullus in decemuiris fieri voluit, id ex vetere consuetudine à se reuocata ipsum sumpsisse, contra, atque tu putas. siquidem ait: *Curiatam eam comitijs, quæ vos non finitis, confirmauit.* nimirum significans, populum ad confirmandam decemuirum potestatem, vt ante, amplius non conuenire, cuius rei argumento est, quod si curiata comitia magistratuum causa in usu fuissent, non erat, cur Rullus, vt supra etiam dixi, iuberet, prætores legem curiatam ferre, & si lex curiata lata non esset, vt etiam sine ea potestatem habere statueret.

Postquam autem explicauit, quæ ad legem curiatam reprehendendam pertinebant, tum de ornamentis agit, ab illo loco: *Videte nunc, eos, qui à vobis nihil potestatis acceperint, quanto maioribus ornamentis afficiat.* postremo de potestate, ab illo: *Perfpicite quanta potestas permittatur.* quod dicturus visus fuit iam tum, cum proposuit. *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur.* Ac de lege quidem curiata, quæ confirmati quondam magistratus à populo sunt, & de binis magistratuum comitijs, & de loco Ciceronis Agrariæ, qui hanc quæstionem excitauit, satis in vtraque partem quæsitum sit.

De binis comitijs prærogatiuæ, & iure vocatarum.

C A P. III.



**H**OC loco quæstio alia subtexenda est, quæ quanquam neque legem curiatam magistratuum, neque locum Ciceronis attingit, tamen quia bina alia comitia magistratuum his finitima continet, non videtur esse prætereunda. Bina vero comitia hæc fuerunt, quæ à prærogatiua centuria, & iureuocatis sunt facta. Ego enim cum apud Asconium talium comitorum mentionem reperissem, quorum

rum tu in libris de comitijs non meminisses, quanquam prærogatiuæ memineras, addidi cum prima illa comitia. quibus bis de iisdem magistratibus à populo iudicatum scribit Cicero, satis constaret euauisse, verisimile videri, in eorum locum inuectam esse alteram consuetudinem binorum comitorum, prærogatiuæ inquam centuriæ iudicium, & iure vocatarum. cuius consuetudinis quanuis initium esset obscurum, vsus tamen vel maxime pateret. Hanc autem consuetudinem his verbis in priore responsione expono. *Aliquot post liberatam remp. annos cum iam tributa pro curiatis essent inuecta, re pristina consuetudo est mutata, nomine vero retenta. ex omnibus enim centurijs vnam sorte duxerunt, quæ prima rogaretur, ac propterea prærogatiua diceretur. eius autem sententia pro vnijs comitijs habita est. quæ pronunciata tum deinde ipsa centuriata comitia sunt perfecta, vt assolebat. hoc autem factum est vel propter suffragij ferendi commoditatem, ne totus populus bis in suffragia mitteretur, vel quæcunque alia excogitari causa possit. in hanc autem ego sententiam veni duce Asconio. cuius locum insignem mirabar admodum à Gruchio, cum de prærogatiua præciperet, in libris de comitijs esse præteritum. Verba vero eius in Verrinas hæc esse reperiẽbam. Prærogatiuæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante iureuocatas. mos enim fuerat, quo facilius in comitijs concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri. quorum tribus prærogatiuæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellet consules fieri, secundæ iureuocatae, quod in ijs sequente populo, vt sepe contingit, prærogatiuarum voluntatem iure omnia complerentur. Quocirca fieri quoque videbam, vt in consulibus creandis prærogatiuæ apud Liuium memoria tantopere celebraretur. Quæ verba mea tu tibi multis modis oppugnanda duxisti, & quidem, vt video, modeste admodum, & minime aspere. Primum enim, in ridiculis, inquis, quis non reponat, id quod dicit, tributorum pro curiatis inuectionem causam attulisse mutandæ pristinae consuetudinis binorum centuriatorum in mandando consulatu habendorum? Quod quam ridicule feceris, alij iudicent, neque enim ego, quia tributa pro curiatis essent inuecta, sed cum iam tributa pro curiatis essent inuecta, mutatam esse pristinam consuetudinem dixi. Deinde, quid magis ridendum, inquis, quàm ex eo, quod Asconius bina quodammodo agnoscit comitia in prærogatiua, & iure vocatis, colligere bina fuisse integra centuriata, priusquam prærogatiua instituta esset? In quo tu etiam atque etiam ridiculus appares: neque enim apud me est, me ex loco Asconij colligere, ante prærogatiuam institutam bina fuisse centuriata, sed ex loco Ciceronis: secundam vero consuetudinẽ, quam dixi, inuectam post tributa comitia instituta, me elicere ex Asconij loco. qui cum sit locus insignis, & in primis notandus, & in quo vno binorum comitorum mentio aperte fiat, tamen à te est prætermisus in magno illo Comitorum commentario, ita vt neque iureuocatarum, quæ fuerint, mentionem facias. tantum illud libro primo, cap. quarto ascribas: *Apud Liuium, & Asconium legi prærogatiuam tribum, & iureuocatas, vbi de comitijs centuriatis agitur.* quod tamen non in criminis loco pono: quid enim hoc me attingit? sed vt intelligas, me non sine causa locum hunc ad rationem, disquisitionemque reuocasse. *At locum illum non intellexisti,* inquis: cur non? quia cum vulgo legatur, *Mos fuerat bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri, ego vero te admonuerim, in alijs libris, legi bina denuo, in alijs bina domo, in alijs bina quodammodo, tu vulgatam,* inquis, *omnium pessimam, Omnino, retinuisisti. quod verbum vel totum tempus significat, vel totam rem. quorum vtrunque falsum.* Ego vero si retinero, *Omnino,* (nam me repudiasse, *Quodammodo,* mea verba non indicant) sed si retinero, dicam, hanc fuisse sententiam Asconij, morem fuisse, vt de iisdem candidatis bina comitia fierent omnino, i. necessario. quod est, maiores magistratus creari non potuisse, nisi prærogatiuæ iudicium iureuocatarum suffragia subsequerentur. ni ita fieret, vitiosa fore comitia; neque, si ita dixerò ridiculi aliquid me dicturum, sed ridiculum potius eum, qui scripta veterum ad suam traducere sententiam, nisi vi facta, i. mutatione adhibita, nesciat, existimabo.*

Quæ

Quæris inde quando primum abrogata priore binorum comitiorum consuetudine posterior hæc prærogatiua, & iureuocatarum inducta sit? si dicam, quemadmodum tu scriptum reliquisti, & me alibi vel inuitum scripsisse vis, post expletas xxxv tribus, quæ fuerunt expletæ post annum quingentesimum, tum me in multas difficultates, atque angustias quasi quasdam disputationis impellis; si ante tribus xxxv expletas, tum me quasi reum stultitiæ facis, qui à summa tua auctoritate recedam. itaque quo me vertam nescio, cum ita te egisse videam, ut omnes mihi vias euadendi occluseris. tentemus autem an vi aliqua laqueos tuos frangere, si soluere non liceat, istos possimus. Prærogatiuam institutam esse post xxxv tribus institutas, & scripsisti in libris de comitiis, & nunc etiam ut cum maxime asseris. argumentaris autem hoc modo: *Prærogatiua centuria non potest esse sine tribu prærogatiua. tribus prærogatiua non fuit nisi postquam classium centuriæ ad diuisionem tribuum pertinuerunt. atque verba Liuij libro primo aperte indicant, tum demum Seruij mutata diuisione classium centurias ad tribuum distributionem pertinuisse, postquam expleta sunt xxxv tribus.* Nihil validius. quid tamen, si propositione vtranque negem, non me doctis probaturum existimas? quid si tibi ipsi, nisi pertinax esse volueris, illud idem persuadeam? Nam quod prærogatiua centuria non fuerit sine tribu prærogatiua, vnde educebatur, id quidem postremis temporibus conuinci Ciceronis auctoritate video. cur autem primis sine tribu esse non potuerit, ut omnes centuriæ non aliter, quam omnes tribus, in sortem conicerentur, ita ut quæ prima sorte exisset, prima sententiam rogaretur, ne tu ipse quidem, ut puto, verisimile esse negabis. Verum non sit in hoc controuersia. sit, ut est, in eo, quod inquis, ex Liuij auctoritate, prærogatiuam non fuisse, nisi post triginta quinque tribus expletas. Verba Liuij sunt hæc: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero centurijs iuniorum, seniorumque; ad institutam ab Ser. Tullio summam non conuenire. quadrifariam enim vrbe diuisa regionibus, collibusque; quæ habitabantur partes, tribus eas appellauit. neque hæc tribus ad ceteriarum distributionem numerumque; quicquam pertinere.* Dico, te rectam horum verborum sententiam non assequi. primum enim inquis, centurias Seruij regis tempore ad tribuum distributionem, numerumque; non pertinuisse, atque hoc etiam in libro de comitiis repetis, cum Liuius dicat, *tribus ad centuriarum distributionem, numerumque; &* quod obtusioris ingenij est, inquis, te me huius rei ad stipulatorem habere, cum in verbis, quæ profers, meis, ego tribus ad centurias, non centurias ad tribus traductas dicam. Interest autem plurimum, utro modo dicas. nam si dicas, centurias traductas ad tribuum distributionem, & numerum, tribuum numerum auctum concludas, non centuriarum: si tribus ad centurias, centuriarum, non tribuum. Liuius autem intelligit, numerum centuriarum maiorem postea esse factum, quam qui à Seruio fuerat institutus. Adde, quod, *Duplicato earum numero,* interpretaris multiplicato centuriarum numero, atque in vtroque, ut nunc demum sentio, laberis. neque enim de centuriis intelligit Liuius, sed de tribubus; nec multiplicatum centuriarum numerum, sed vere duplicatum tribuum numerum. Nam cum Seruius præter quattuor tribus urbanas, quarum hic meminit Liuius, multas etiam rusticas constituisset, ut omnes essent xix, quemadmodum ego Liuij, & Dionysij opinioni conuenienter factum probaui in primo de iure ciuium Roma. cumque; post alia, atque alia deinceps addita sint, quarum nomina sunt apud Liuium, ita ut factæ sint xxxv, vere dixit Liuius, post expletas xxxv tribus numerum tribuum esse duplicatum, cum à xix ad xxxv peruenerint. Loquitur enim Liuius de numero centuriarum, qui quoniam maior erat ætate sua, quam fuerat ætate Seruij, & hæc res poterat admirationem afferre, inquit: *Noli mirari, ordinem centuriarum, qui nunc est post expletas xxxv tribus, non conuenire summæ centuriarum institutarum à Seruio. etenim cum duplicatus sit numerus tribuum, & tribus sint traductæ ad diuisionem centuriarum, contra atque Seruius instituerat, propterea auctus*

*auctus est numerus centuriarum.* Neque vero post xxxv tribus expletas existimare debes, tribus præcipue traductas esse ad distributionem centuriarum, quia traduci etiam ante id temporis cœperant, sed maximum centuriarum numerum præcipue euasisse post expletas xxxv tribus. Quamobrem noli quæso ea conclusione uti, qua vteris, cum inquis: *Sic ergo constitutum Liuij testimonio, non prius pertinuisse classium centurias ad tribuum distributionem, quam Romæ tribus xxxv fuerunt. ex quo consequens est, non potuisse prius prærogatiuam tribuum esse, quam xxxv tribus Romæ fuerunt.* noli inquam ita concludere. immo quoniam Liuius non centurias ad diuisionem tribuum, sed tribus ad centuriarum pertinuisse te cæcutiente dixit, collige, maximum centuriarum numerum, qui admirationem facere rem ignorantibus poterat, post expletas demum xxxv tribus fuisse, non autem prærogatiuam tribuum post expletas xxxv tribus institutam esse. præsertim vero cum Liuius idem prærogatiuæ, & iureuocatarum multo ante expletas xxxv tribus meminerit, ut libro v, anno cccclvii: *Haud inuitis patribus P. Licinijs Caluum prærogatiua tribunum militum creat. omnesque; deinceps ex collegio eiusdem anni refici apparebat. qui priusquam renunciarentur, iureuocatis tribubus permissu interregis P. Licinius ita verba fecit. &* libro decimo: *Cum primo vocata Q. Fabium consulem dicerent omnes centuriæ. &* post: *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur, eumque; prærogatiua, &* primo vocata omnes centuriæ consulem dicebant. Nam quod obiicis, ut hunc scopulum vites, prærogatiuæ nomen his in locis improprie vsurpatum non pro centuria sorte educta, sed pro priore quadam iudicij sui significatione, & iureuocatas per prolepsin dictas, in eo neminem, ut spero, habebis sectatorem. sunt etiam talia responsa extrema desperata, perditæque; causæ perfugia. Cui enim opponat prærogatiuæ iure vocatas, ut fecit Asconius loco commemorato, & ipse post libro vigesimo septimo, cum dixit: *Galeria iuniorum, quæ sorte prærogatiua erat, Q. Fuluium consulem dixerat, eodemque; iureuocata inclinasset,* satis ostendit, se eodem modo sumere, quo aliàs sumpsit, id est proprie. præsertim vero cum P. Licinium interregis permissu prius, quam collegæ renunciarentur, quos refici appareret, ad iureuocatas locutum inducat, ut eas ab eo consilio deterreret. quæ inania essent omnia, si iureuocata iam tum non essent instituta, aut si iam tum mos non fuisset, ut iureuocata omen ipsius prærogatiuæ sequerentur, aut denique si prærogatiuam remoueres, & iureuocatas improprie dictas defenderes. Neque vero est, quod ea te res moueat, quod in his locis vulgo legatus *prærogatiuæ,* non *prærogatiua,* eamque; lectionem ego ante annos xlii in quinto libro laudari. nam vtraque lectio est veterum librorum, & ut nunc sentio, rectius legitur *prærogatiua,* quam *prærogatiua* vtroque in loco, ut primo vocatas in decimo dixerit, quæ primæ post prærogatiuam vocarentur, ut ibi dixi. Cum ergo constet, prærogatiuam, & iureuocatas extitisse, tum cum P. Licinius ad eas locutus fertur, qui fuit annus cccclvii, verisimile, aut certe non improbabile est, per ea tempora, quæ annum illum præcesserunt, institutas esse. ut quanquam certum huius institutionis annum, quem à me curiose nimis exquiris, tradere nequeamus, tamen obscuros temporum eorum limites assignare possimus. & siue ea causa instituendi fuerit, quam Festus, siue ea, quam Varro, prodiderunt, nihil impedimenti est, quin ad ceteras ea quoque adiungi potuerit, quam ego tradidi. de qua tu plus, quam æquum est, laborare videris. quasi vero tu non aliam binorum comitiorum causam tradideris, quam Cicero, atque eam probabiliorem esse, non ausus sis affirmare.

Ex his autem, quæ dicta sunt, illud statuo, genus vnum binorum comitiorum fuisse, cum curiata lex ferebatur, ut ij magistratum haberent, quos populus ceteriatis comitiis designasset. quod primis temporibus obseruatum post obsoleuit; alterum, cum ipsius prærogatiuæ centuriæ iudicium iureuocatarum suffragia subsequuta sunt. quod à primis temporibus vsque ad postrema permanuit. quorum alterum



alterum Cicero significauit in agraria, alterum Asconius, accedente Liuij, & Ciceronis testimonio aperte prodidit.

## De lege curiata imperatorum.

CAP. IIII.



**D**EINCEPS sequitur, vt agam de lege altera curiata, quæ magistratibus ad bellum, aut in prouincias cum imperio profecturis est lata. qua de re integra adhuc mihi tecum remanet controuersia. Est autem quæstio eiusmodi: cum Cicero eodem in loco, *curiata comitia tantum auspiciorum causa remansisse. & Consulibus legem curiatam ferentibus sepe intercessum esse, & Consuli si legem curiatam non haberet, rem militarem attingere non licuisse*, satis autem constat, ipsius tempore, quo obsoletam priorem de magistratibus legem curiatam diximus, curiatam alteram de imperio usurpatam, quænam huiusce legis vis, ac sententia sit? Cum autem hæc lex nemini lata inueniatur nisi dictatoribus, consulibus, & prætoribus, cum ad bella, & in prouincias cum imperio ire vellent, cumq; eadem *rem militarem continuisse*, à Liuijo, eadem *militaris fuisse* à Dione dicatur, facile in eam opinionem iam pridem adductus sum, vt credam, hanc legem de imperio, vt dixi, militari auspiciato mandando esse latam. siquidem qui auspiciato rem gesserunt, auspicia illa à populo accepisse, auctor, vt postea ostendimus, est Cicero. Tu vero eandem esse putas, ac priorem. quippe quæ magistratibus omnibus imperiū primū in vrbe dederit, deinde idem in prouincia cōtinuauerit. imperiū autem militare vt in ipso magistratu insitum, sic cum ipso etiam magistratu mandatum censet, ego vero & à magistratu seiunctum, & alio modo, quàm magistratum ipsum, delatum opinor. Quare haud leui de re instituitur disputatio, cum sit quærendum, idem ne sit magistratus, atque imperium, idemne consul, & prætor, atque imperator. Quoniam autem hæc expediri quæstio non potest, nisi ante quid magistratus, & quid imperium sit, cognoscatur, primum de magistratu, dein de imperio statuamus, quæque de iis inter nos dissensio sit, videamus.

## Quid sit magistratus.

CAP. V.



**M**AGISTRATVS igitur voco potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad remp. pertinerent, publica auctoritate curarunt. Horum autem, vt in libris de iure ciuium Roma. scripsi, quattuor ferme fuerunt iura, vnum imperandi, alterum iurisdictioni, tertium agendi, quartum auspiciandi. Imperium tribus in rebus fuit positum, in edicendo, in vocando, inprehendendo. Edictorū duo genera fuere, vnum, quo iurisdictionis suæ formulā initio magistratus proponebat, alterū, quo pro magistratus auctoritate, vt res tulisset, quæ videbatur, imperabat. Qui porro vocationem habuerunt, ij etiam ius prehensionis assecuti sunt, atque licitoribus & viatoribus, & seruis publicis vsi sunt; qui prehensionem tantum, ij viatorem tantum cum seruo publico adhibuerunt; qui neutrum, ij seruis publicis duntaxat stipati inceserunt. Iurisdictionis vero duas habuit partes, vnam decretum, alteram iudicij dationem. nam cum ius dicere nihil aliud esset, quàm ius, quod in legibus, aut in edictis contineretur, ei, qui id poposcisset, reddere, profectum ius reddebant, cum aut ipsi re sine consilio cognita decernebant, aut iudices, qui rem cognoscerent, dabant, atque eis iudicandi formulam præscribebant. Actio vero eam habuit vim vt qui hoc ius habuerunt, ij & ad senatum referre, & ad populum ferre possent, de iis rebus, quæ ad remp. pertinerent. Auspiciorum autem ratio triplex, vna fuit obseruatio de cælo, quæ ad comitia siue impedienda, siue vitanda pertinuit, altera auium inspectio, quam in omni ferme re publice

aggre

aggredienda adhibuerūt; tertia pullorum tripudium, quæ militiæ in primis est obseruata. Hæc autem iura conuenerunt ita magistratibus, vt non omnes tamen his præditi fuerint, verum imperij, ac iurisdictionis partem aliquam omnes consecuti sint. De edictis res nota est, & à me aliis in libris tractata. De vocatione, & prehensione, quia res flagitat, recitabo verba Varronis ex Gellio. *In magistratu habent, inquit, alij vocationem, alij prehensionem, alij neutrum; vocationem, vt consules, & ceteri, qui habent imperium; prehensionem, vt tribuni pl. & alij, qui habent viatorem; neque vocationem, neque prehensionem, vt quaestores, & ceteri, qui neque licitorem habent, neque viatorem. qui vocationem habent, ijdem prehendere, tenere, abducere possunt. & hæc omnia, siue adsunt, quos vocant, siue acciri iusserunt. tribuni pl. vocationem habent nullam, quod, vt ibi inquit Gellius, antiquitus creati videntur, non iuridicando, nec causis, querelisq; de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentibus fuissent, vt iniuria, quæ coram fieret, arceretur. ac præterea ius ad se vocandi ademptum, quoniam vt dum fieri vetarent, assiduitate eorum, & præsentium oculis opus erat.* item alio loco ex eodem Varrone: *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus à priuato in ius quoque vocari est potestas. M. Læuinus ædilis curulis à priuato ad prætorem in ius est eductus. nunc stipati seruis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam vltro summouere populum.* Ex quibus intelligi potest, qui minorem coërcitionem habuerunt, eos potestatem habuisse; qui maiorem, imperium. Itaque dictatoris, consulum, ac prætorum nō potestas solum, sed etiam imperium extitit; tribunorum vero pl. & ædiliū curulium, & quaestorum, potestas tantum. quia aut prehensionem tantum, aut neque prehensionem, neque vocationem habuerunt. Hæc autem cum ita esse, multo mecum ante constituissem, quoniam imperij vocem non solum ad magistratum, sed etiam ad imperatorem pertinere videbam, propterea de imperio imperatoris acturus, ne vocis homonymia errorem pareret, prioris initio responsionis ita scripsi: *Ego duplicem imperij significationem dico, vnam civilem quandam magistratus auctoritatem, alteram militarem, ac bellicam. sic autem statuo, omnes magistratus & urbanos, & prouinciales civilem potestatem habuisse, verum alios maiorem, alios minorem; quæ minor fuit, eam præcipue potestatem dictam; quæ maior, non potestatem solum, sed interdum etiam imperium appellatam. idq; ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis, atque ædilibus nunquam nisi potestatem dixerunt, in consulibus autem, & prætoribus, & potestatem, & imperium usurparunt vnde Liuius libro secundo tribunum pl. priuatum esse, sine imperio, ac sine magistratu prodidit.*

Tu vero quid ais? vnum ex his, & quidem graue admodum reprehendis, quod dixi de tribunis nunquam imperium dictum. ac mihi Florum, & Paterculum obiciis, quorum alter prorogatum, alter abrogatum tribunis imperium dixit. atque hoc primi, eiusq; grauissimi criminis loco das. Quod ego miror in primis. neque enim intelligere videris, Florum, & Paterculum ibi imperium pro magistratu ipso cepisse, eisdemque improprie locutos esse, cum tamen ipse & ibi imperium sepe pro magistratu usurpatum, & Ciceronem, aut Liuium haudquaquam ita locuturos fuisse capite XIII scribas. miror autem multo etiam magis, cum te eundem ita scribentem animaduerto: *Est alia significatio imperij, quæ maior quædam iubendi, coërcendiq; potestas intelligitur, in qua significatione cum accipitur, merito negantur omnes magistratus imperium habuisse, tametsi omnes iubendi potestatem haberent. in ea significatione accipitur apud Varronem, cum scribit magistratus aut vocationem habere, vt consules, ceterosq; qui imperium habent. huius vocabuli ea vis passim obseruatur apud Liuium, Sallustium, Ciceronem, ceterosq; Latinos scriptores, vt in maioribus magistratibus sæpius imperium, nonnunquam imperium simul, ac potestatem usurpent, in minoribus potestatem.* miror autem quia ipse vsque adeo cæcus videris, vt non videas, te idem tradere, quod ego. tu enim minores magistratus potestatem habuisse scribis, non imperium, ego tribunos plebis, quos etiam sine magistratu esse

H dixit

dixit Liuius, potestatem habuisse, non imperium. potestatem autem vterque nostrum intelligit minorem cogendi, & coercendi facultatem.

Quod vero dixit Liuius, *tribunum pl. priuatum esse, sine imperio, ac sine magistratu*, ex ea parte reprehendis, quod à Liuius non sit proditum, sed apud Liuium ab Appio consule pronunciatum, atque oratorie auctum. quod profus refutat Plutarchus in Problematis, qui historice, non oratorie quærens, cur prætexta alij magistratus vterentur, tribunus pl. non vteretur, respondet, *an quia tribunus pl. magistratus non est? neque enim ex sella tribuni ius dicunt, neque lictores præferunt, neque creato dictatore abdicant, sicut alij magistratus, quasi ipsi magistratus non sint, sed alium ordinem obtineant.*

Deinceps vero declarans, quid esset potestas magistratus, dixi eam in auspicio, & iudicio fuisse positam, teste Cicerone in Legibus, qui scripsit: *Magistratus omnes iudicium, & auspiciū habent.* quod dictum cum tu tibi multis nominibus accusandum susceperis, videtur esse faciendum, vt omnes reprehensiones tuas, quam possim, breuissime, planissimeque refellam. Primum autem crimen est, quod Ciceronis testimonio in Legibus vtar, quæ omni ex parte non sint legibus Romanis accommodatæ. quod crimen puto esse tum leuissimum, tum mihi tecum, & cum omnibus, qui in hoc genere disputationis versantur, commune. verum age, cur nō sunt accommodatæ? *quia statuit, inquis, vt censores quinquennio magistratum gerant, cum per xviii menses tantum gesserint.* quid? non ne primis temporibus quinquennalis censura fuit? non ne ipse Cicero aperte scribit, se multas leges ponere, quæ si non essent in legibus Romanis, tamen erant in more maiorum, qui tum, vt lex, valebat?

Alterum crimen est, præcipuam magistratus potestatem non in iudicando, & auspiciando collocatam fuisse, sed in imperando. Quod quanti faciendum sit, non est difficile intellectu. neque enim sola imperandi potestas magistratum constituit, quanquam sine ea magistratus esse non potest. nam etiam sacerdotes pro iure sacerdotij, & legati pro iure curationis suæ imperarunt aliquid, quos tu tamen magistratus non vocas. & qui magistratui iudicium, i. iurisdictionem attribuit, eidem etiam imperandi potestatem ascribit. nam si potestas imperandi, te interprete, est potestas coercendi; magistratus, qui iurisdictionem habet, idem etiā coercionem habuerit, necesse est. nam quomodo plene ius dicet, si quis in ius vocatus non pauerit, neque prehendi potuerit? Etenim, vt scripsit Paullus D. de iurisdictione. *Iurisdictione sine modica coercionem nulla est.* Coercitione autem sola magistratum non constitui, inde apparet, quod multi magistratus neque vocationem, neque prehensionem habuerunt, in quibus coercionem est versata, si auctoritate Varronis stamus.

Iam quod addis, *me parum memorem esse, quod cum dixerim, tribunum magistratum non esse, post dicam, potestatem esse in auspicio, & iudicio, quorum vtrunque conueniat in tribunum*, non vereor illam culpam. neque enim dixi, tribunum non esse magistratum, sed imperium de tribuno non dici, cognosci ex Liuius, qui dixit, *tribunum priuatum esse, sine imperio, ac magistratu.* Verum fac, me dixisse, tribunum pl. non esse magistratum, eumque iterum esse magistratum, inconstantiam culpam non extimescam. primis enim temporibus dicam non fuisse magistratum, quia auspiciū non habuit, & ius non dixit, vt Plutarchus loco prolato, & Gellius libro xii. cap. xii scribunt, postremis fuisse magistratum, quia & auspiciū habuit, & ius dixit. nam auspiciū ius quoddam accepit post decemuiros abrogatos, auctore Zonara, & ius dixit in subelliis, vt testis est Aconius, & tu confiteris.

Tertij criminis loco deinde obiicis, quod apud Ciceronē interpreter, *Iudicium iurisdictionem, i. potestatem decreti interponendi, ac iudicis dandi.* atque hoc reprehendis bifariam; primum negans magistratus omnes habuisse potestatem decretum interponendi, & iudicis dandi; deinde negans, verba Ciceronis eam, quam dixi, sententiam continere. vtrique reprehensionem occurrat paucis, ac prius priori.

Dico

Dico igitur, magistratus omnes aut statuisse aliquid pro auctoritate magistratus sui, aut iudicem, qui cognosceret, dedisse. audi ipsum in eodem loco Ciceronem: *Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari de iubeat, prætor esto.* iudicat nimirum prætor decernendo; iudicari iubet, iudicium dando. audi iterum eum, qui scripsit Rhetorica ad Herennium, *Iudicatum est, inquit, de quo aut sententia lata est, aut decretum interpositum.* sententiam enim refert ad iudicem, decretum ad magistratum; & Appium decemuirum consularem apud Liuium: *Vt iam sciret, non id petulantia sua, sed Virginiū absentem datum, ius eo die se non diciturum, neque decretum interpositurum.* i. neque iudicem, qui cognoscat, daturū, neque ipsum aliquid decreturum. Siquidem Vlpianus D. de iurisdictione scribit: *Iurisdictione est etiam iudicis dandi licentia.* audi denique Ciceronem in Verrem ita loquentem: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit, & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octauium ob ius dicendum poposcerit?* Atqui omnes magistratus si non iudicem dederunt, decretum saltem interposuerunt. cur enim ad eos priuati confugerent, si ipsi pro auctoritate sua decernere nihil possent? mitto ceteros. sumo tribunos pl. quos sine magistratu aliquando fuisse innuit Liuius, non ne hos & decretum interposuisse, & tutores æque, ac prætores dedisse lege Atilia constat? at Vlpianus D. de iurisdictione, *Iudicentis, inquit, officium latissimum est. nam & bonorum possessionem dare potest, & pupillis non habentibus tutores confirmare.* Ex quo sequitur, magistratus omnes potestatem decreti interponendi habuisse.

Quod vero negas, verba Ciceronis eam sententiam habere, quam ego dixi, ac nouam ipse affers, puto vtile esse, vtranque expositionem inter se conferre, vt, vtra verior sit, iudicari facilius possit. Verba legis, quam de magistratibus in vniuersum Cicero ponit, hæc sunt: *Iusta imperia sunt, ij. q; ciues modeste, ac sine recusatione parento magistratus nec obediunt, & noxium ciuem multa, vinculis, verberibusq; coercet. ni par, maior de potestas, populus de prohibesit, ad quos prouocatio esto. cum magistratus iudicasset irrogasset de, per populum multa poena certatio esto.* Sequuntur inde leges de singulis magistratibus, quibus expositis infert: *Omnes magistratus auspiciū, iudiciumq; habent. ex quibus senatus esto.* atque hæc verba inde ipse interpretans ita subiicit: *Omnes magistratibus auspicia, & iudicia dantur; iudicia, vt esset populi potestas, ad quam prouocaretur; auspicia, vt multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ.* His verbis ego dico exprimi fere, quæ in vniuersum ad magistratum iura pertineant, primum ius edicendi, deinde coercendi, tum ad populum accusandi, postremo auspiciandi, & iudicandi. Edicta magistratum iusta esse statuit, coercionem eiusmodi, vt si quæ aut pignore multauerint, aut prehendi, & in carcerem duci, aut verberari iusserint, obediunt prouocationi, si is, quem illi coercuerint, aut collegam, aut maiorem potestatem appellauerit, aut ad populum prouocauerit. accusationem vero esse talem, vt si cui ad populum multam poenam irrogarint, de ea cognoscat populus; auspicia vero se eis concedere ait ob id, vt cum de cælo se auspiciatos esse dixerint, ea obnuntiatione comitia inutilia dirimantur; iudicia postremo, vt sit aliqua populi potestas, ad quam confugiant, qui ius suum persequuntur. nam populi potestatem interpretor magistratum populi, & prouocare ad potestatem populi, à magistratu iudicium postulare, vt postea ostendam. Ob id ergo dat iudicia magistratibus, vt priuati habeant populi potestatem, ad quam prouocent, i. cuius auxilium quocunque modo læsi implerent; auxilium autem dabit magistratus aut decretum interponendo, aut iudices dando.

Atque hæc quidem mea est expositio. tua vero ista à te his verbis expressa: *Iudicium illo loco significat potestatem exercendi ad populum iudicij, disceptatoreq; ac iudice populo damnandi pro ea, quam quisque magistratus haberet, potestate. habuerunt enim omnes magistratus eam cum populo agendi, reumq; ad populum faciendi potestatem, quam nemo priuatus habebat.* ego vero nō aliunde veram, ac germanā huius loci inter-

H 2 pretat

pretationem sumo. Cicero recitatis suis legibus, legum à se positarum cum rationes, causasq; subiicit, ita de hac lege scribit. Deinceps omnibus magistratibus auspicia, & iudicia dantur; iudicia, ut esset populi potestas, ad quam prouocaretur; ex his verbis dico, necessario colligi, nomine iudiciorum illo loco significari, illas, quas dixi, ad populum uocationes. dicit enim magistratibus data in lege ob id iudicia, ut per illa iudicia, ostenderetur, statuereturq; summa illa populi potestas, quæ in prouocatione posita erat. hoc uero ius ad populum uocationis omnes, ac soli magistratus habebant. Hæc tu, ex quibus apparet, te censere Ciceronem uelle, magistratus omnes potestatem habere accusandi ad populum, & multam irrogandi, ita tamen ut prouocare liceat ad populum. Ego uero dico, hæc ex omni parte falsa esse, atque à sententia Ciceronis alienissima, primum, quia si Cicero uellet magistratus omnes habere potestatem accusandi ad populum, sequeretur, ut uellet, omnes ius habere agendi cum populo. at in eadem lege hoc ius concedit tantum consuli, prætori, dictatori, magistro equitum, interregi, & tribuno pl. ergo non omnibus accusandi ad populum dedit potestatem. siquidem accusare ad populum est agere cum populo. Adde, quod si hoc uellet, quæ supra scripta sunt in tam breui lege, sine causa repeteret. supra uero scripsit de prouocatione ad populum, & de irrogatione multæ, neque est uerisimile eadem in eadem lege paucis interiectis uerbis iteraturum. Huc accedit, quod idem haud sibi constaret, si daret irrogationem magistratui, ut constitueretur prouocatio ad populum. quia irrogatio ualet ad perniciem, prouocatio uero ad salutem. Etenim si supra dixit: *Si magistratus irrogasset, per populum multa poenæ certatio esto.* item: *Magistratus ciuem multa coerceto, ni populus prohibebit, ad quem prouocatio esto.* præclare utrunque dixit, at hoc absurde: Do magistratibus multæ irrogationem, iccirco ut ad populum prouocatio sit. quod est nihil aliud, quam fancio, ut magistratus ciuibus uolnus inferre possint, quo à populo sanari queant. Iam uero cum iudicia ad populum fiant duobus modis; uno, si quis à magistratu damnatus ad populum prouocet, ut Suetonius de Cæsare Duumuiro: *Cæsar sorte iudex in Rabinum reum ductus tam cupide condemnauit, ut ad populum prouocanti nihil æque, ac iudicis acerbitas, profuerit.* altero, cum magistratus iratus alicui ei diem dixit ad populum, ac multam irrogauit, de qua cognoscat populus. unde Liuius lib. III: *C. Iulius decemuir Sextio diem dixit, & accusator ad populum extitit, cuius rei legitimus iudex erat.* Si secundum modum repetitum putas, temere putas. quia secundo modo prouocatio non incidit: si primum, ergo iudicium ibi significabit, ut ego scripsi, potestatem decernendi. non enim necessaria est prouocatio, nisi præcessit iudicium magistratus, quod ego appello Decretum. neque enim prouocabant ad populum, postquam magistratus eos accusarat ad populum, sed postquam eos suo decreto damnarat. Adde præterea, magistratus omnes habere iudicia eodem modo, quo habent auspicia. at habent auspicia ita ut auspicando de cælo impediunt inutilia comitia, id est profint reip. sic etiam habent iudicia, ut suis iudiciis subleuent eos, qui ad se prouocarint, id est auxilium suum implorarint. at tu magistratibus das iudicium, id est accusationem ad populum; ut ciuibus nocere possint. Ut autem auspicia impediunt inutilia comitia, sic iudicia propulsare ciuium iniurias debet. Quid plura? genus ipsum orationis aperte tuam, ut uideo, sententiam respuit. nam si de prouocatione ad populum intelligeret, non scripsisset: *ut esset populi potestas, ad quam prouocaretur, sed ad quem.* neque enim dicunt Latini Prouocare ad potestatem populi, sed ad populum, cum de prouocatione ad populum facta loquuntur. potestas autem populi est idem ac magistratus. quin etiam potestas pro magistratu sæpissime ponitur. Asconius in IIII Verrinam: *Romæ appellari tribuni possunt contra omnem potestatem.* Suetonius in Cæsare. *Quod compellari apud se maiorem potestatem passus esset.* Cicero in hac lege: *Ni par, maior uero potestas, populus prohibebit, ad quos prouocatio esto.* Dixit autem Cicero prouocare ad Magistratum pro eo quod ueteres iurisperiti dicunt prouocare ad iudicium magistratus. quod est nihil

est nihil aliud, quam postulare iudicium. Caius D. de iudiciis: *In tribus istis iudicijs familiae eriscunda, communi diuidendo, & finium regundorum quaeritur quis actor intelligatur. quia par causa omnium uidetur, sed magis placuit, cum uideri actorem, qui ad iudicium prouocasset.* Ulpianus ibidem: *Sed cum ambo ad iudicium prouocant, sorte res discerni solet.*

Et tamen cum hæc ita sint, adeo tibi in hoc places, ut eo modo scribas, quo ne Varronem quidem ipsum, si reuiuisceret, arbitrarer esse scripturum. *Quoniam multos, inquis, etiam alios uideo ad hunc scopulum naufragum fecisse, magis mihi elaborandum est, ut me adhuc solum inde saluum euasisse demonstrum.* Quo quid magis potest esse uentosum? Gaude igitur, quod solus saluus emerferis ex hoc oceano, & me cum reliquis omnibus, quorum iudicium tu præ tuo, ut uideo, pro nihilo ducis, perire æquo animo patere. Ac quid sit quidem magistratus, ex his intelligi posse, quantum ad nostram disputationem pertinet, arbitrator.

Quid sit imperium. CAP. VI.

**N**ON de imperio loquamur, quod militare dicimus, cuius causa hæc omnis est oratio instituta. Non est autem dubium, quin imperium præter ceteras significationes sit potestas, ac ius imperatoris. Cum autem imperator sit, teste Cicerone in primo de oratore, *administrator belli gerendi, siue dux;* Dux autem ut scribit Liuius libro quarto, sit *qui bellum suis auspicijs gerit;* sane imperium ius erit administrandi, ac suis auspicijs gerendi belli. unde illud est Ciceronis de Cæsare Octauio: *Demus imperium Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest.* Hæc autem auspicia accipiebantur à populo curiatis comitijs, cum legebantur imperatores; è Capitolio, cum paludati exituri erant. A populo accepta ostendit Cicero in libris de diuinatione, cum scripsit, *proconsules bella gerere, cum non haberent auspicia, quæ acciperentur à populo.* Curiatjs comitijs accepta docet idem, cum in or. de lege agraria dixit, *curiatis auspicijs causa remansisse,* & Liuius libro quinto, cum legem de imperio curiatam nominat. atque curiata comitia rem militarem continentia, auspicata fuisse ait. ut post dicemus; è Capitolio accepta, cum idem libro XXI de Flaminio consule sic scribit: *Quod consuli iustum imperium, quod auspicijs esset, magistratus id domo publicis, priuatisq; penatibus, Latinis ferijs actis, sacrificio in monte perfecto, uotis rite in Capitolio nuncupatis secum ferre.* & libro XLII: *Consul. prætorue proficiscens paludatis licioribus in prouinciam, & ad bellum uota in Capitolio nuncupat.* & libro XLII: *Quod non more maiorum secundum uota in Capitolio nuncupata licioribus paludatis profectus ab urbe esset.* Si ergo imperator est administrator belli gerendi, aut qui tale ius accipit; administrare uero est suis auspicijs gerere; auspicia uero à populo; & è Capitolio accipiebantur; profecto ad imperatorem lex curiata ad populum lata, sacrificiũ, uota, & paludamenta è Capitolio pertinent; & qui hæc non habuerit, aut nullus imperator, aut certe iustus non erit.

An imperium in magistratu fuerit iustum. CAP. VII.

**N**ON idem autem fuisse imperium, ac magistratum, neque in ipso magistratu fuisse inclusum, ex eo apparere potest, quod ipsa eodem modo neque capiebantur, neque inibantur, neque gerebantur, neque prorogabantur, neque eodem in loco exercebantur. Quod dixi de capiẽdo, satis constat, alio modo magistratus creatos, atque imperatores constitutos. nam magistratus mandabantur comitijs, imperium lege aliqua, aut senatusconsulto. inter quæ illud in-

H 3 terfuit,

terfuit, quòd in comitiis ex multis petentibus pauci legebantur, in rogatione legis vni nominatim imperium deferebatur. vnde scripsit Festus: *Cum imperio esse dicebatur, cui à populo nominatim mandatum erat imperium.* Indicat vtriusque actionis formula. in consulibus enim creandis rogabatur populus, *Quos vellent consules fieri.* tum deinceps respondebant centuriæ, ex iis, qui petere profecti erant; hunc aut illum. vnde Aconius, vt dixi: *Prærogatiue tribus dictæ, quòd primæ rogabantur, quos vellent consules fieri.* in imperatoribus autem legendis rogabatur, *Vellent, iuberent ne, vt huic consuli, aut postquam consulatu abisset in hoc bello, aut in illa prouincia imperium esset, aut, Vt hic consul, aut proconsule rem gereret?* respondebant plerunque curiæ, *Vti rogat.* vnde Liuius libro x x v i: *omnes centuriæ P. Scipioni imperium in Hispania esse iusserunt.* & libro i x: *Actum cum tribunis pleb. est, ad populum ferrent, vt cum Philo consulatu abisset, proconsule rem gereret.*

In ineundo vero quanta diuersitas fuerit, non est necesse pluribus demonstrare. Etenim magistratus inibant, vt satis constat, Kalend. Ianuar. sacrificio in Capitolio factò, prætexta sumpta, lictoribus togatis prælatis, imperium vero alio, vt se obtulerat, die, altero in Capitolio sacrificio factò, votis nuncupatis, paludamento sumpto, & paludatis lictoribus prælatis, vnde etiam togam prætextam mutare, ex priuato magistratum fieri, paludamentum prætextam mutare, ex magistratu imperatorem fieri dicebant, vt ego in libris de Prouinciis demonstraui. Ex his tu paludamentum arrodas. Itaque vix risum continere potui, cum te scribentem legi, *ex paludamento imperium non posse concludi, quòd etiam lictores paludati essent, qui tamen non essent imperatores.* risi vero, quòd non videres, si lictores ante togati inceserunt, dum prætextato consuli apparuerunt, postquam autem consul imperium, & insigne imperij paludamentum accepit, & ipsi paludati præcesserunt, illud paludamentum lictoris ad consulem referri, non ad lictorem. Quare quòd inquis, probare me debuisse, solos imperatores paludamento ornatos fuisse, nihil est. quia paludamentum lictorum, non lictorum erat insigne, sed magistratum, quatenus erant imperatores: vt laurea non erat lictoris, sed imperatorum, qui de hostibus victoriam rettulissent: & fasces non erant lictorum fasces, sed eorum, quibus præferabantur. *At dixit Liuius, inquis: Consul proficiscens prætorve paludatis lictoribus in prouinciam, & ad bellum, ne omnes fuisse belli duces existimarem, qui paludati exhibant.* egregie. scilicet dubitauit prudens historicus, ne lictores pro imperatoribus sumeremus. hos enim vnos tu præter consules, & prætores, aut alio modo duces, paludamento ornatos attulisti. Quòd si consul dimissis lictoribus pro priuato est habitus, certe antequam eos sumeret, pariter fuit priuatus. Vnde dixit Plutarchus in Fabio: *Fabius dictator obuiam prodeunte altero consule, viatore misso lictores dimittere eum iussit, atque insignibus magistratus abiectis priuatum ad se venire.* si hoc in consule, profecto etiam in imperatore. non enim imperator ante est, quàm imperatoria accepisset insignia, quæ à consularibus diuersa constat fuisse.

De dissimilitudine vero administrationis hæc habemus. Illud sane perspicuum est, imperium populi Rom. ex ciuibus Rom. & sociis prouincialibus constitisse, atque vtrique eorum varium ius esse concessum. Hoc autem ius qui reddiderunt, ius dicere, & magistratus esse dicti sunt. ius autem dixerunt aut de priuatis cõtrouersis, quæ proprie iurisdictione nominatur; aut de publicis, quæ præcipue quæstio appellatur. Ac Romæ quidem separati fuerunt magistratus, qui de priuatis, & publicis causis cognouerunt. in prouinciis autem idem vtrâque procuracionem obuiuit. quòd si ciues aut socij potestate magistratus propria coërceri non potuerunt, quæ potestas in lictoribus, & vocatione posita fuit, tum ad extremum auxilium vim armatam venerunt. quoniam autem exercitus haberi sine imperio non poterat, nouum ius magistratui fuit addendum, quo exercitum habere, & qui non obedi-  
rent, armis cogere posset. & quia socij contineri procul ab domo armorum metu

remoto

remoto non potuerunt, & multæ prouinciæ hostibus vicinæ teneri sine exercitu nequiverunt, propterea omnibus præsidibus etiam in pacatas prouincias euntibus militare imperium tribuerunt. Neq; vero negatur, quin imperator aliquam & ipse iurisdictionem habuerit, sed eandem habuisse refellitur. Ius enim & ipse dixit ciuibus, aut sociis, verum non vt ciues, aut socij erant, sed vt milites à se sacramento adacti erant. neque lites eorum cognouit, aut in eos animaduertit, vt prætor, sed vt imperator. Omnino autem cum tria magistratibus cõmitterentur, iurisdictione, quæstio, & rei militaris administratio, intelligendum est, hæc ita inter se fuisse seiuncta, vt nisi speciali lege in eodem coniungi non possent. Siquidem vt qui habebat iurisdictionem non habebat propterea etiam quæstionem, sic qui habebat iurisdictionem, & quæstionem, non continuo habebat etiam militare imperium. itaque vt iurisdictione competeat prouinciali magistratui iure magistratus, sic quæstio specialiter lege, aut senatusconsulto conueniebat. Quòd vero dixi de iurisdictione, & quæstione, id est apud Papinianum D. de officio eius, cui mandata est iurisdictione. *Quæcunq; specialiter, inquit, lege, vel S. C. vel constitutione principum tribuuntur, mandata iurisdictione non transferuntur. quæ vero iure magistratus competunt, mandari possunt, & ideo videntur errare, qui cum publici iudicij habeant executionem lege vel S. C. delegatam, velut legis Iulie de adulterijs, & si quæ alia sunt similes, iurisdictionem suam mandant.* Quid plura? non ne minus est habere quæstionem, quàm, rei militaris administrationem? certe. at neque consul neque prætor urbanus, neque peregrinus iniussu populi quæstionem habent, ergo multo minus rei militaris administrationem. nam primis temporibus vt quæque res capitalis commissa erat, ita eius rei quæstio aut consuli, aut prætori lege mandabatur, postremis, cum prætores fortiri quæstiones ex lege cœperunt, tum ex legibus de iis latis eas exercuerunt. Quòd si consul insitum in se militare imperium habuisset, certe multo potius Cæsar, & Bibulus armis inter se contendissent, quàm edictis. Nemo autem consul cum inimico suo bello contendit, nisi aut summo S. C. ornatus, vt Q. Catulus cum Lepido, & C. Antonius cum Catilina, aut ex S. C. prouinciam cum imperio adeptus, vt Sylla, & Cæsar cum inimicis suis. Itaque Octavius cum neque S. C. summum, nec prouinciam haberet, imperio à senatu extraordinario est affectus. Cæsar autem, & Bibulus, quia nondum prouincias habebant, in consulatu edictis concertauerunt. Quid? iurisperiti vbi de officio consulis, aut proconsulis agunt, num aliud, quam urbanam, aut prouincialem iurisdictionem attingunt, aut aliquid rei militaris tradunt? non certe.

Iam vero prorogatio procuracionis quàm in vtroque diuersa fuerit, ex hoc cognosci potest, quòd cum magistratum, vt consulatum, & præturam prorogauerunt, dixerunt continuare magistratum: cum militare imperium continuauerunt, dixerunt prorogare imperium. vt Liuius libro i x: *Fabio sicut priore anno populus continuarat consulatum, ita senatus in insequentem annum prorogauit imperium.* Frõtinus de aquæductibus: *Legimus apud Fenestellam, M. Titio prætori inter ciues, & peregrinos ad consummandum negotium statuisse senatum præturam in alterum annum prorogari.* iterum Liuius libro v i i i: *Actum cum tribunis plebis est, ad populum ferrent vt cum Philo consulatu abisset, pro cõsule rem gereret.* & post de eadem re: *Singulare hoc ei accidit, prorogatio imperij non ante in villo facta. & acto honore triumphus.* Hic videmus in magistratu continuando consulatum aut præturam nominari, in imperio militari prorogando, imperium. Nam si imperij prorogatio esset cõsultus prorogatio, falsum esset, quòd inquit, ipsi Publilio primo esse imperium prorogatum, cum consulatus plurimis ante eum continuatus sit. falsum etiam, ipsum honore, id est consulatu iam exacto triumphasse, cum proconsule cum imperio triumphauerit. Quid quòd lib. x x v i scripsit: *Placuit omnes, qui dictatores, consules, censors de fuissent, cum imperio esse, donec recessisset à muris hostis.* an vero opus erat iurisdictione, aut coërcitione, aut censoria notione aduersus Annibalem mu-

ris vrbs affidentem, vt consulibus, prætoribus, censoribusq; magistratus continua retur: minime, sed ducibus, qui exercitui imperare possent, quod ius voce Imperij est complexus.

Hæc ego ita. Tu vero intramuranos magistratus proprie magistratus, extramuranos imperia nominatos ais. atque hæc dicendi genera re eadem, verbo seiuncta esse contendis. quocunque vero modo dicatur, semper intelligi magistratus potestatem prorogam. Quod ego concoquere non possum. urbanas enim procuraciones magistratus scio vocari, quia iurisdictionem, quæ propria est magistratus, continent; extramuranas vero imperia nominari, quia ad iurisdictionem etiam rei militaris imperium omnium maximum habent adiunctum. re autem distincta esse, ex eo apparet. fit enim consul. hic habet iurisdictionem, cum senatu, & cum populo actionem, quæ sunt propria consulatus, & si legem curiatam de imperio habeat, etiam militare imperium. reficiatur in posterum annum idem consul, eadem erit auctoritate, eodemq; iure, quo anno superiore, & consul iterum vocabitur, quippe cõtinuato magistratu. in tertium inde annum prorogetur illi imperium. quæro à te, num vocabis eum consulem tertium? minime vero, sed proconsulem. an dices habere iurisdictionem eandem. actionem eandem? multo minus. an ius idem belli gerendi? idem omnino. si quidem latum est, vt proconsule possit rem gerere, quod est, non ius dicere, sed bellum administrare. quomodo ergo imperium prorogare est idem, atque magistratum continuare? & imperium non est à magistratu diuersum? Nam quod dixisti *prætoribus aliquot urbanis imperium prorogatum à Liuiio*, respondeo prorogatum esse militare imperium, quod in prætura urbana extra ordinem obtinuissent, quanuis Liuius de eo verbum nulum fecerit. sic enim assuevit.

Quod autem extremo proposui, diuersa magistratum, & imperatorum in administrando loca quàm eorum diuersa iura fuerint, demonstrare, id in priore responsione multis verbis edocui. quæ necessario hic repetenda sunt, vt singulas tuas, quibus oppugnantur, rationes sigillatim hoc loco refellam. *Qui ciuilem dicebam, adeptus potestatem erat. quæ magistratum ipsum attingebat, is in vrbe manebat; qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, id quod parum ciuilitutum libertati putabatur, is statim ex vrbe egredi, aut ad urbem cum imperio manere subebatur. Vbi vero ex prouincia, belloq; reuersus erat, aut statim urbem priuatus ingredi, aut si de triumpho cogitabat, ad urbem morari solebat. Quod si triumphum impetrasset, tum quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in vrbe non concedebatur propterea lex ad plebem de imperio eius dici ferebatur.* Aduersus hæc tu quidem multa, sed illud in primis: *Si sic esset, futurum, vt omnes consules, quoniam ciuilem potestatem habebant, in vrbe manere oportuisset.* Quod non est ita. Non enim ego consules dixi oportuisse manere in vrbe, sed mansisse; qui vero imperium adeptus esset, eum oportuisse ex vrbe exire. his autem nihil aliud volui, quàm magistratui in vrbe esse licuisse, eidem vero imperatori non licuisse. Addis, *non omnes consules qui prouinciam sortiti essent, in prouincias profectos, sed liberum eis fuisse, manere ne in vrbe, an in prouinciam ire vellent.* Cõcedo. verum aliud est, sortiri prouinciam, aliud accipere imperium in prouinciam nam post sortitionem prouinciæ sequebatur latio legis curiatæ de imperio, inde acceptio imperij per insignia in Capitolio. ego vero dico, non post sortitionem prouinciæ, sed post accepta imperij insignia vrbe esse egressos. Quos porro consules profers in prouinciam non profectos, eos prouinciam post sortitionem, non post imperij acceptionem deposuisse dico. atque hæc ex eodem, quem tu profers, Liuij loco, cognosci possunt: *C. Claudius consul veritus, ne forte ea res prouinciam, exercitumq; sibi adimeret, non votis nãcupatis, non paludatis liëtoribus, nocte profectus præcepit in prouinciam abijt. & post: Romam ex prouincia redijt ad solemnia vota in Capitolio nuncupanda, paluda*

tosque

tosque liëtores accipiendos. Itaque, quorsum illa tua pertineant, non video; nempe profectio in prouinciam tempus in voluntate magistratuū fuisse. an enim hoc agimus, accepisse imperij insignia, cū libuit, an vrbe egredi iussos, postquam imperium acceperunt? quanquam ne illud quidem ipsorum in potestate fuit. siquidem scribit Cælius: *Consules, quia verentur, ne senatusconsultum illud fiat, vt paludati exeant, omnino S. C. fieri nolunt.* & Liuius lib. xl. *Consules nisi cõfecto delectu negare se ituros, nec suam segnitiam, sed vim morbi in caussa esse, quo serius perficeretur, non tamen potuerunt sustinere consensum senatus, quin paludati exirent.* Idem in prætoris cognoscitur; qui quandiu est prætor, manet in vrbe; vbi accepit insignia Imperij, ad urbem. Cicero: *Verres simulatq; ei sorte prouincia Sicilia euenit, statim Romæ, & ad urbem, antequam proficisceretur.* Idem in quocunque, qui proconsulare habet imperium: Dio: *Pompeius populo extra pomerium euocato, (neque enim proconsulare iam habens imperium poterat urbem ingredi) multa pro Gabinio locutus est.* Adiungis, *si consules vrbe egredi iussi essent, quod ab eorum imperio periculum libertati fuisset, Romanam remp. nunquam metu, qui à suis magistratibus immineret, liberam futuram fuisse.* Quo loco ego quæro de te, cur periculosum putarint, cis Rubiconem, qui tum erat Italiæ finis, exercitum adducere, atque, id ne fieret, decreto sancendum putarint? cur denique exercitum in Gallia citeriore habere, parum tutum existimarint, atque eam postremo hac de caussa triumviri libertate, teste Dione, & Appiano, donarint, nequis prouinciæ nomine in Italia exercitum haberet? quod si imperatorem esse cum exercitu in Gallia, atque cis Rubiconem exercitum adducere, libertati Romanæ periculosum putarunt, ergo in vrbe exercitum habere, & cum imperio esse, tutum duxerunt? *Non poterant*, inquis, *timere de imperatore, quia vetabatur lege ne intra urbem exercitum imperare, classemq; procinctam intra pomerium habere liceret.* immo vero in eo vel maxime se timere valde significabant, cum imperatorem vrbe exire volebant, eundemque in vrbe exercitum imperare vetabant. sed quæcunque caussa egrediendi fuerit, consul imperio accepto cum vrbe exiuit, satis demonstrauit, non idem fuisse consulatū, atq; imperium.

Quod autem præterea reprehendis, quod *triumphare sine exercitu, qui triumphum impetrasset, non posset*, dixi, & vteris exclamatione, miror. tum enim exclamatione locum habet, cum res aut falsa aperte est, aut indigna. *Bone deus*, inquis, *Si-gonius mandare scriptis non erubuit, triumphare sine exercitu neminem potuisse.* Falsum est enim, me scripsisse, triumphare sine exercitu nemini licuisse. Scripsi quidem, triumphare sine exercitu qui triumphum impetrasset, non potuisse. quod autem scripsi, id ex vetere triumphi instituto sumpsit. sic enim obseruatum esse docet Zonaras, vbi omnem triumphi pompam exponit. sic Cicero in Pisonem, vbi agit de triumpho: *Quid clamor militum, quid tota illa pompa?* Sic Liuius de Paulli triumpho: *Militum propria est caussa, qui & ipsi laureati triumphum nomine cient, suas, imperatoris laudes canentes per urbem incedunt.* Quid quod multis negatus est triumphus, quod exercitum non deportassent? *Exemplum*, inquit Liuius, *obstabat, quod ita comparatum more maiorum erat, nequis qui exercitum non deportasset, triumpharet.* at aliquot, inquis, non deportato exercitu triumpharunt. quid si maiorum instituta non seruarunt? Addis, qui ouantes urbem ingrediebantur, sine exercitu omnes fere inisse. nolo nunc quærere, plures ne sine exercitu, an cum exercitu ouantes inierint. illud volo te scire, quod scribit Dionysius libro quinto: *Differt*, inquit, *ouatio à triumpho, quod qui ouans ingreditur, pedibus, exercitu precedente inii.* Neque vero si ouatio semel, aut iterum est concessa, quod exercitus non esset deportatus, nos cogere debet, vt dicamus, qui ouantes inierint, sine exercitu id fecisse. immo vero si triumphus est negatus, quod exercitus non esset deportatus, concludi potest, exercitum ad triumphum more maiorum necessarium fuisse, & qui hoc neget, vt in aperto mendacio erubescere debere.

Adiicis, legem de proconsulum triumphantium imperio latam fuisse, ne priuati

uati triumpharent. non improbo. illud tamen scire de te cupio, cur triumphare priuati non potuerint? nempe quia imperium non habebant, non ciuile, (neque enim eo opus erat) sed militare. verum cum in vrbe militare imperiū haberi non posset, relinquebatur, vt à lege in eam diem duntaxat petendum esset. Postremo concludis, legem de triumphantium imperio non de rei militaris potestate fuisse, apparere ex verbis Valerij, qui inquit: *Moris erat, ab imperatore triumphum ducturo consules inuitari ad cœnam, deinde rogari, vt venire superseant, ne quis eo die, quo ille triumphauerit, maioris in eo conuiuio sit imperij.* neque enim si imperium, inquis, militare ille habuisset, consulibus in conuiuio, qui ciuilem tantum auctoritatem haberent, concessisset. Non est hoc magni fieri enim potuit, vt triumphantes in conuiuio priuati fuerint. siquidem verisimile est, vt vrbe exituri sacrificio facto in Capitolio imperiū suscipiebant, sic etiā reuersos sacrificio facto in Capitolio deposuissent. Cōuiuium autē, teste Zonara, post sacrificium fiebat, aut si in conuiuio imperiū retinuerunt, tamen more maiorū consulū maiore fuisse respectū, quàm eiusmodi imperatoris, qui tribus post horis priuatus esset futurus. siquidē Plutarchus in Problematis rationē huius instituti reddit, *quia triumphati in cena primus locus d: bebatur, quē presentibus consulibus concedere ius non erat.*

Quāquam autem hæc adeo firma sunt, vt refelli nō possint, tu tamen his posthabitis imperium in magistratu insitum, & cum ipso magistratu mandatum inquis. Quod vt efficias, in consulibus, dictatoribus, prætoribus, & censoribus ius militare fuisse demonstrare aggredieris. ac de consulibus quidem in hūc modum: *Consulibus regia fuit potestas, maxime, quia scripsit Cicero in Legibus, Regio imperio duo sunt. at reges belli administrandi ius habuerunt, ergo & consules.* Quam autem falsa hæc conclusio sit, declarat Q. Fabius apud Liuium, cum inquit: *Ego P. Cornelium reip. vobisq; non sibi ipsi priuatim creatum consulem existimo. exercitusque ad custodiam vrbs, atque Italiae scriptos esse, non quo regio more per superbiam consules, quo terrarum velint, traiciant.* at consules bella administrarunt. administrarunt, imperio lege curiata accepto, cum ab initio eo iure essent, vt ipsis bella gerenda decernerentur, non autem iure consulatus, sine S. C. sine lege, bellum regio more gerere possent. Quod autem Ciceronem in Legibus testem producis, inique certe facis. quasi enim oblitus videris, te tribus ante versibus Legibus Ciceronis auctoritatem abrogauisse, quia à legibus Romanis essent alienæ, meque earum testimonio feuerissime interdixisse. Addis: *Consules dicuntur prætores, at prætor significat eum, cui pareat exercitus, ergo consules ex iure consulatus bellicum habent imperium.* Hoc, vt puto, sumpsisti à Varrone, qui libro quarto scribit: *Prætor dictus, qui præret iure, & exercitu.* Præclare vtrunque, iure præfuit, populi scito centuriatis comitiis, exercitu lege curiata, aut præfuit exercitui, quod ad annuos delectus habendos pertinuit, non quod ad rem pro suo iure gerendam. Ad reliqua quæ adiungis: *Cicero scribit, imperatores comitijs consularibus delectos, Liuius belli duces legi, cum consules legebantur, Sallustius loquens de consulibus, annua imperia, bimos imperatores factos scribit,* ad hæc inquam ita respondeo, vt supra; cum consules deligebantur, eos esse delectos, quibus præcipue, atque ex ordine si opus fuisset, imperium militare cōmitteretur, non qui sine alia lege imperatores essent. his autem locis oppono Liuium libro XLIII scribentem: *Ex equitibus in senatum delectos consules, ex equitibus imperatores creatos.* ac satis significantem consules nō esse imperatores. Adiciis, *Consules delectum habuerunt quotannis, vt scribit Polybius, ergo militare ius habuerunt.* Dico ius militare duplex esse posse, imperfectum & perfectum: imperfectum est magistratus, vt delectum annuū habeat, quo copiam iuniorum, qui stipendia faciant, inspiciat. perfectum est imperatoris, vt exercitui præsit, bellum gerat. illud habuerunt consules, vt consules; hoc vero, vt imperatores. qui vero imperatores fuerint, supra demonstratum est. Iam verba L. Postumij consulis ita loquentis: *Non ita vestræ auctoritatis P. C. meminero, vt me consul*

*lem esse obliuiscar. eodem iure imperij, quo bellis feliciter gestis triumphabo, hæc in quā verba, nisi oratorie potius à Postumio, quàm vere, vt tu de Appij verbis dicebas, prolata sint, ego in hunc modum interpretor: quoniam triumphus, qui à senatu concedi solet, ab eo mihi negatur, triumphabo iussu populi, qui me & consulem, & imperatorem fecit; consulem centuriatis comitiis, imperatorem lege curiata. Quare eodem imperij iure dixit, id est accepto à populo, non à senatu. nam illud sequitur, *his dictis eum reliquisse senatum.* ita quoque ad reliqua. Negabis hæc fortasse, quia liquidiore nulla auctoritate firmentur. immo vero firmantur. audi Seruium in VIII Æneidos: *Antonius Cleopatrae prætoriam castra concessit, quorum qui potiebatur imperio, ipse vocabat exercitum.* vnde est de Cleopatra: *Patrio vocat agmina sistro. nam Antonius consulare tantum sibi detinuit imperium, in quo sola est potestas iubendi, ille enim ducit exercitum, qui habet in potestate castra prætoriam.* potuit ne apertius imperatorem à consule separare? Quod autem quæris, si imperium militare non fuit insitum in consulum magistratu, quid eis relictum sit postquam prætorie instituto ad eum translata iurisdictio est, non est difficile respondere. nimirum hoc relictum est, vt, cum opus esset, accepto, vt dixi, imperio bella gererent, vt cum senatu, & cum populo agerent, vt Lauinij sacrum facerēt, vt Latinas indicerent, ac celebrarent, vt legatis senatum darent, vt perniciosis tribunorum actionibus obuiam irent, vt magistratus crearent, vt multis de rebus, si res posceret, ius dicerent, vt demum reip. ipsi vniuersæ præessent.*

Transis inde ad dictatorem, & ais, imperium militare in eius magistratu fuisse insitum, quacunque de causa esset creatus, ita vt omnes dictatores pari potestate fuerint, nec magis imperium militare habuisse, qui rei gerendæ causa creatus esset, quàm qui clauis figendi, aut ludorum causa. Ego vero dico, dictatores quacunque de causa creatos, vbi dictatores dicti sunt, ac magistratum inierunt, dictaturæ ius, quodcunque legibus contineretur, accepisse, præter imperium militare: eo vero nunquam affectos, nisi post legem curiatam. neque vero cum legitimus dictatorem dictum rei gerendæ causa, intelligere debemus, ea nominatione imperium militare esse transmissum, verum causam, cur extraordinario hoc magistratu reip. opus esset, bellum fuisse, quod ei gerendum esset, vbi lege curiata imperium accepisset. nam si nominatione consulis imperium militare accepisset, quid noua amplius de imperio lege fuisset opus, quam tamen, vt supra dixi, latam inuenimus: vt præcipue de Papirio, qui sibi legem curiatam de imperio tulit. *At multi, inquis, dictatores aliam publici negotij partem gesserunt, quàm cuius causa creati erant, vt Cincinnatus, qui rei gerendæ causa creatus iudicio præfuit M. Volscij; & Mamercus, qui in legibus ferendis occupatus est.* fit ita. quid tum? ergo militare imperium in eorum magistratu fuit insitum? quo modo hoc sequitur? *At Camillus, inquis, seditionis sedandæ causa creatus minatus est, sacramento omnes adacturum, & exercitum extemplo educturum.* minatus est scilicet, aut lege curiata iam sibi lata, aut quia de eius latatione non dubitauit. sacramento vero adegit ciues dictator iure dictatorio, quacunque de causa esset creatus, bellum gessit iure legis curiatæ, quam ipse sibi tulit, vt ante diximus. Atq; cum hoc idem dicam in ceteris, quos tu anxia prope cura quadam collegisti, satis doceo, causam creationis non ius facere magistratus. neque enim hoc ego vllō loco aut scripsi, aut sensi, sed omnes æquo iure esse, & si bellum gerere vellent, lege curiata, si ordine res ageretur, eguisse.

Iam vero de prætoribus ita agis: *Prætorum omnium vna fuit ratio, vna forma. at Prætores prouinciales, eo quod prætores fuerunt, ius militare habuerunt, ergo & qui in vrbe magistratum gesserunt.* Ego vero: Prætorum omnium vna fuit ratio, ita vt postquā à populo creati essent, & antequā prouincias sortiti essent, æquo omnes iure essent ad negotia publica populi Romæ gerenda, quæ ipsis aut sorte euenissent, aut senatusconsulto mandata essent. postquam autem sortiti prouincias sunt,



alij eam auctoritatem nacti sunt, vt ius inter ciues dicerent, alij vt inter ciues, & peregrinos, alij vt inter prouinciales, aut, veluti postremis temporibus, vt quaestiones publicas exercerent. nemo autem horum imperium militare accepit tum cum creatus est, sed cum lex curiata ei est lata. Itaque Varro libro quinto de lingua Latina scripsit: *Prætor, qui querit, nulla alia de causa, quam comitorum causa, urbanum conuocare exercitum potest.* Ex quo apparet, neque omnes prætores imperium militare habuisse, & qui exercitum comitorum causa conuocarunt, iure magistratus proprio id fecisse. *At multi prætores, inquit, ex ijs, qui urbanam, & peregrinam iurisdictionem sortiti erant, exercitum habuerunt, & in bello versati sunt.* nam hoc etiam, quasi magnum aliquid esset, plurimis Liuij locis tibi confirmandum putasti. Quid? si re cogente priuato imperium militare sæpe plebiscito delatum est, cur non potuit dari etiam prætori, qui iurisdictionem sortitus erat, lege curiata? *at huius legis Liuius non meminit.* cōcedo. verum neq; etiam eius curiatæ meminit, quam tu postremis etiam temporibus quotannis initio magistratibus omnibus ferri ad illos tuos præclaros triginta lictores cōtendis. & si meminisset, nullam causam contentionis reliquisset. *At C. Calpurnius prætor urbanus, teste Liuiio libro xxvi, post præturam in Etruriam prorogato in annum imperio missus est; item Hostilius, & Sergius alio; ergo in prætura urbana militare imperium fuit inclusum.* Non me hoc mouet. fieri enim potuit, vt ardente Punico bello Italia, cum multis dubibus opus esset, prætores urbani militari imperio ornarentur ad omnia subita belli consilia expedienda. atque hoc item apud Liuium sit omissum. nam etiam legem Oppiam abrogatam scribit, nec tamen latam scripserat. & sæpe censores lustrum fecisse inquit, quos creatos non dixerat. atque alia eiusmodi multa. De Varo vero prætore urbano, cui S. C. ora maris tuenda data erat, itémq; de ceteris, quos addis, multis sic respondeo, eodem S. C. quo extra ordinem prouinciam illam acceperunt, etiam imperium militare potuisse accipere, vt Pompeius contra Sertorium eodem senatusconsulto & missus, & cum imperio missus est. Iam illa, quod consules T. Maelium prætorem urbanum delectui habendo præfererint, aut Petellio, & Fabio prætoribus urbano, & peregrino, & si qui alij eiusmodi fuerunt, imperatum sit, vt exercitum scriberent, plane leuia sunt. Etenim si consules priuatum præficere consulari negotio potuerunt, vt legatum, cur non etiam magistratum?

Quod autem consules, & prætores, quia ius centuriatorum comitorum habuerunt, concludis ius imperij militaris habuisse, id iam quale sit, perspicere potest. Sic enim agis: *Centuriatorum comitorum habendorum potestas sine rei militaris potestate nec esse, nec intelligi potest: quia vexillum in arce ponebatur, quia exercitus praesidij causa imperabatur, quem exercitum sacramento adigi oportuit, quia centuriata comitia intra pomerium haberi nefas esset, quia populus sub signis, & centurionibus tanquam in bello conueniret, quia militaria auspicia obseruabantur.* Hæc quin vera sint non nego; ex his effici, perfectum imperium ipsos habuisse, illud vero nunquam assensero. Ius enim comitorum centuriatorum habuerunt consules & prætores, tanquam magistratus. militare vero perfectum, tanquam imperatores. Quod si quicumque centuriata comitia habuerunt, imperium etiam militare haberent, non solum interreges, sed etiam pontifices maximi eiusmodi imperio præditi essent, qui te potissimum auctore ius comitorum habuerunt, & tamen imperium habuisse non legimus. speciem igitur aliquam hi omnes militaris habuerunt imperij, vt non exercitum, sed quasi exercitum, ducerent, nec imperatores sed quasi imperatores essent, cum omnia, quæ in comitiis fierent, simulachra essent rei militaris, non veterem militarem attingerent. Neque vero qui vexillum habet, aut comitorum causa exercitum urbanum imperat, est imperator, sed qui belli causa, eo modo, quo diximus. *At praesidij causa,* vt inquit Gellius, *in comitijs exercitum imperarunt.* concedo. ergo imperatores propterea fuerunt. ne tu quidem concedis in primo de comitijs capite tertio. *Neque moueri oportet,* inquit, *quod exercitum*

impe

*imperare comitijs centuriatis oportuit, vt ait Gellius, pontificibus autem maximis exercitum imperandi ius non esset. neque enim ab eo, qui comitia habebat, dicit Gellius imperari exercitum oportuisse.* Dico igitur talem imperationem exercitus imperium militare plenum non desiderasse, aut si ab alio, quam ab eo, qui comitia habebat, imperari exercitus potuit, ab eo imperatum, qui tale imperium habuit. Nam quod conscriptionem adhibitam, & sacramento adactionem putas, sane rem vt inaudita, sic operosam inducis, vt quotiescumque comitia centuriata habenda essent, quod vel magistratum, vel legum, vel iudiciorum causa fiebat prope quotidie, toties vniuersus populus esset conscribendus, & sacramento adigendus. nam belli causa iuniores tantum citabantur, qui stipendia emerita non haberent; comitorum causa, & iuniores, & qui stipendia emerita haberent, conscribendi erant, & sacramento adigendi. deinde vero quo sacramento? ne acie excederent, ne furtum facerent? hæc enim militari sacramento continebantur; plane ridiculum. At exercitus comitorum causa in vrbe imperari non poterat, perinde atque belli causa, idem sub signis, & sub centurionibus conueniebat, vt etiam belli causa. ergo Imperium fuit idem? minime vero, sed simile. sic enim dixit Dionysius, *multitudinem conuenisse sub signis, & centurionibus tanquam in bello.* At auspicia eadem adhibebantur. sit ita. non tamen actio illa propterea erat bellica. docet Festus. *Peremne, inquit, auspicatur, qui amnem, aut aquam, qua ex sacro oritur, auspicato transit. sic magistratus in campum euntes, vt aliquid agant, Petroniam in Tiberim profluentem auspicato transibant. Vt aliquid agerent,* inquit, non vt præcipue exercitum conuocarent comitorum causa. alioquin quicumque magistratus in campum profectus esset, is militari imperio ornatus fuisset. siquidem militare auspicium captasset. Quod vero quaeris, an magistratus comitia centuriata habiturus in campo acceperit imperium, ibidemque peractis comitijs deposuerit, quorum pertineat, non video, cum ego ne in campo quidem imperium tale habuisse constituam.

Quod autem deinde affers de censoribus, *ipso lustrandi populi causa exercitum imperasse, sub vexillo duxisse, comitia centuriata habuisse, quare etiam imperio insignitos fuisse,* id totum eadem ratione, qua de consulibus dixi, euerti potest. siquidem, vt dixi, aliud est censorio more populum lustrare, aliud imperatorio exercitum. ad censum conuenerunt patres familias, vt familiam, fortunamque suas iurati profiterentur; ad delectum iuniores, vt nomina sua in militiam darent, ac longe diuerso sacramento se obstringerent. Quod autem consuli, ac censori licuisse inquit, idem etiam, vt paullo ante dixi, prætori quaestori permissum esse, Varro scribit libro quinto. quem tamen non ob hoc imperatorem dixeris. *Sed ad comitia,* inquit, *tum vocatur populus. ideo alia de causa hic magistratus non potest exercitum urbanum conuocare. censor, consul, dictator, interrex potest. quod censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad vexillum ducere debet. dictator, & consul in singulos annos, quod hic exercitum imperare potest, quod eat, id quod per centuriata comitia imperare solent.*

De tribunis autem militum quod inquit, respondeo, aliud esse tribunorum imperium, atque id, de quo agimus. agimus autem de imperio ducis. tribunus autem non dux est, sed minister ducis. dux autem gerit bellum, tribunus in bello versatur. *at non differt,* inquit, *imperium ab imperio, nisi quod ducis manus est imperium, quam ministri.* immo vero eo etiam, quod imperium tribunatus est imperium magistratus, imperium ducis est aliquid amplius. itaque tribuniciū imperiū iis comitijs mandatur, quibus magistratus, & eo modo, quo magistratus; ducis imperium lege curiata, vt post apertius apparebit. Quare qui ab initio consul aut prætor tantum erat, antequam acciperet imperiū, post accepto imperio imperator, vt iam dixi, vocabatur. tribunus vbi primum creatus erat, ius suū obtinebat, neque legē aliā desiderabat.

Quod postremo duumuiros nauales opponis, eosque ducis imperium in magistratu infutum habuisse scribis, plane absurdum est. Neque enim duumuiros nauales

I duces

duces fuerunt, cum suis auspiciis bellum non gesserint. neque enim satis est, eos in bello esse versatos, ut auspicia habuisse concludamus. quoniam quæstores etiam in bello versati sunt, & tamen auspiciis caruerunt. Et si duumviri duces fuerunt, à populo cum ea potestate creati sunt, ut rei navali præessent, & ea curarent, quæ ad naues faciendas, aut reficiendas pertinerent, & de ea re ius dicerent. neque in re navali alia ratio eorum erat, atque tribunorum militum in terrestri. Atque hæc quidem de propria vi magistratus, atque imperij dicta sunt.

*De imperio consulum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in provincias profecti sunt. CAP. VIII.*



**C**UM ergo imperium militare esset à magistratu seiunctum, institutum erat, ut id lege curiata magistratus acciperet, cum bellum geri senatui, aut populo placuisset. Hi vero fuerunt cōsul, & prætor, & qui consulum loco creari extra ordinem solebat, dictator. Quod si consuli, aut prætori post magistratum prorogandum imperiū fuisset, tum plebiscito prorogabatur. Sin autem peracto magistratu in provinciam eundem esset, imperium lege curiata dabatur; si prorogandum, item plebiscitum adhibebatur. Probemus autem de singulis.

Ac de consulibus quidem, ac dictatoribus locus vnus Liuij satis magno documento est. is est lib. IX: *L. Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, capta Urbis, & Caudinae pacis. Macer tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam facit. dictator postridie auspicijs repetitis pertulit legem.* Ex hoc loco illud primum elicitur, quod hanc maxime quæstionem continet, legem curiatam de imperio alicui ferre, esse militare imperiū ei lege curiata tribuere. Id quod quia controuersiam facit, hoc modo mihi probandum videtur. Sane illud perspicuum est, imperium quattuor modis esse mandatum, senatus cōsulto, plebiscito, lege centuriata, & lege curiata. quod si cum primis tribus modis imperium est mandatum, militare imperium est mandatum, certe etiam quarto, cum lege curiata transfusum est. Senatus cōsulti exemplum sit illud Ciceronis in senatu: *Demus imperium Cesari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest.* plebisciti illud Liuij libro XXXI: *Plebs Cn. Cornelio; & L. Stertino procos. imperium esse in Hispania iussit.* & illud Ciceronis pro Pompeio: *Quid tam præter consuetudinem, quam homini per adolescentem imperium, atque exercitum dari, Africam permitti, bellumq; in ea administrandum?* Data vero sunt à plebe, quia, ut ipse inquit in Philippicis, de omnibus imperiis Pompeij tribuni pl. tulerunt, præterquam de Sertoriano. Legis centuriatæ vnicum illud lib. XXVI: *Omnes centuriæ P. Scipioni imperium in Hispania esse iusserunt.* Atqui hos omnes imperio militari ornatos constat. De magistratu enim intelligi non posse, illud est argumento, quod magistratus lege nominatim non mandaretur, sed militare imperium tantum, ut supra dixi, nisi extra ordinem ageretur. Itaque cum dixit Cicero, tribunos pl. de omnibus imperiis Pompeij tulisse præter Sertorianum, non magistratus intellexit, sed militaria imperia, ut bellum Africanum, & Asiaticum. neque enim tribuni pl. de magistratibus ferre potuerunt iis, quos Pompeius cepit. neque ea ratio mandandorum magistratum fuit, sed imperiorum, quæ lege mandata sunt, ut iam sæpe diximus. Iam vero si cum alicui magistratu prorogatur imperium, is rem gerere pro magistratu iubetur, certe etiam cum datur imperium magistratu, is in magistratu rem gerere iubetur. Et, si formula legis curiatæ de confirmandis magistratibus fuit, *Velitis, iubeatis, ut ij magistratum habeant, quos populus, siue plebs designauit,* sane formula legis curiatæ de imperatoribus constituendis erit, *Velitis, iubeatis, ut mihi in hoc bello, aut in illa provincia, aut ut illi in hoc bello, aut in illa provincia imperium sit.* Postremo,

cum

cum postremis temporibus lex curiata ad imperia militaria mandanda maxime adhiberetur, præcipuo nomine lex militaris appellata est. siquidem Dio de adoptione Torquati agens libro XXXIX, legem curiatam adoptionis legem militarem nominauit, cum tamen de re militari minime loqueretur.

Quin etiam ex eodem Liuij loco colligitur, antiquissimam hanc legis curiatæ de imperio ferendæ consuetudinem extitisse. siquidem lata est non multo post exactos reges Fabio cōsuli, qui male pugnauit ad Cremeram, & post anno CCCLXXXIII tribunis consularibus, qui ad Aliam fusi sunt, & post aliis consulibus, qui ad furcas Caudinas sub iugum missi sunt.

Præterea vero illud etiam elicitur, dictatorem à lege curiata dictaturam non accepisse. siquidem Papirius ante dictator fuit, quam legem curiatam de suo imperio tulerit. nam si lex curiata Papirio dictaturam dedisset, certe legem ipsam ferre non potuisset, quia agere cum populo, & legem rogare, est vna res, quæ maxime ius dictaturæ continet.

Hic tu respōdes, si modo verba tua intellexi, nam obscura admodum mihi videntur, Papirium, cum dictator rei gerendæ causa creatus esset, non potuisse esse dictatorem ante legem curiatam, verum tum demum pleno iure fuisse dictatorem, cum lex curiata est lata, neque magistratum dictaturæ in eo constituisse, ut cum populo ageret. Ego vero dico, cum dictator aut rei gerendæ, aut seditionis sedandæ, aut alijs rei præcipuæ agendæ causa creatus legitur, non id solum, cuius causa creatus dicitur, agere potuisse, sed etiam omnia alia. inter quæ præcipuum illud erat, ut cum populo ageret, ut tu multos fecisse multis sine causa collectis exemplis docuisti, tantumque abesse, ut actio cum populo ad dictaturam non pertineat, ut si id iuris ei adimatur, non sit futurus dictator. siquidem Cicero in Legibus posuit, *dictatorem ius cum patribus, populoque agendi habere.* tu vero optimus auctor censes, omnes magistratus habere ius accusandi ad populum, quare etiam agendi cum populo. quia qui accusat, populum rogat. quod non negas. Addis nominationem consulis dedisse dictaturam, legem curiatam confirmasse, ita ut si populus eam rogationem antiquasset, vna etiam magistratum dictaturæ abrogaturus fuerit. Ego vero dico, ex tuis pulchris decretis, populum (sic enim triginta licitorum conuentum vocemus) antiquare non potuisse. legem autem curiatam non confirmasse dictaturam, sed imperium ad bellum, quod esset gerendum, attulisse, & antiquata lege curiata dictatorem dictaturam habiturum, sed non imperium, id est dictatorem quidem, sed non imperatorem futurum. Neque vero est, quod sententiam tuam tueri velis loco Ciceronis ex Agraria, & Messallæ apud Gellium. nam satis demonstratum est, de alia ibi curiata agi, antiqua illa scilicet, & obsoleta. quæ ne dictatoribus quidem, & interregibus est lata quondam, quia neque ita populus bis de illis magistratibus iudicasset. cum eorum neuter à populo creatus sit, verum alter à consule dictus, alter à patriciis proditus. Adiungis, ut dictator agere possit cum populo, satis fuisse nominationem consulis, quamquam dictator magistratus nondum esset, nec meminisse videris, te in primo de comitiis constituisse, firmiterque sanxisse, neminem agere cum populo potuisse, nisi magistratum, & ex sacerdotibus pontificem maximum; nunc medium quendam statum excogitasti, hominis scilicet, qui neque priuatus sit, neque in magistratu, qui & ipse agere cum populo possit. Quod ut confirmes, addis, consulem etiam designatum aliquando collegam dixisse. siquidem Liuius libro XXXVII scribit, C. Lælium consulem comitia habuisse, quibus M. Fuluius Nobilior consul vnus creatus esset, cum ceteri, inquit, centurias non expleissent. isque postero die Cn. Manlium Lepido deiecit, nam Messalla tacuit, collegam dixit. atque hoc arcanum Romanæ antiquitatis appellas. Me miserum, qui nunc primum hæc augusta mysteria discam. ego enim iam pridem legeram, Fuluium collegam, dixisse, id est nominasse sine comitiis, quomodo cōsules dictatorem dicunt. siquidem hoc etiam in tribunis obseruatum est, Liuius libro LIII. *Tribuni pl. facti quinque alijs tribus non explentibus, sibi col-*



legas alios quinque cooptarunt. Quid, quod tu aliter in secundo de comitiis cap. IIII scripsisti? Cum ceteri candidati, inquis, centurias non expleissent, tum ille, qui unus erat designatus, postea alio die collegam sibi ut subrogaret, lege iubebatur. nam si lege iubebatur, ergo non vi designationis. Quare tuus iste nec priuatus, nec magistratus à te nuper ex arcanis, ut ais, antiquitatis erutus vanus prorsus est, ac comenticius.

Atque hæc quidem, quæ de lege altera curiata consulibus ferenda dixi, ita esse, ut dixi, indicat præterea apertissime dictator Camillus apud Lium lib. v, cū anno CCCLXIII ita loquutus est: *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, centuriata, quibus consules, tribunosq; militum cōsulari potestate creatis, ubi auspiciato, nisi ubi adsolet, fieri possunt.* Ex his enim verbis quis est, qui non intelligat, consulibus magistratum datum centuriatis comitiis, imperium militare, si bellum gerendum esset, curiatis. i. consules à populo factos comitiis centuriatis, eosdemque imperatores, lege curiata? Quæ verba etsi ita plana sunt, ut nihil possit esse apertius, tu tamen, ut tuam defendas opinionem, ea torques, atque dilaceras. & ais debere concludi, quoniam comitia curiata rem militarem continent, eos non potuisse pleno iure magistratum obtinere, tametsi centuriatis comitiis creati essent, nisi etiam curiatis populus de iis iudicasset. quod consules non essent optima lege, qui rei militaris potestatem non haberent. Quæ responsio repugnat iis, quæ à te supra sunt constituta. Primum enim si imperiū militare continetur, ut dixisti, in maiore coercendi potestate, & ea comitiis centuriatis mandata est. certe etiam imperium militare mandatum est. quare consules sine lege curiata pleno iure fuerunt. item si lex curiata confirmat consulatum, cōfirmat non magis ius rei militaris, quàm reliqua iura consularia, ergo Camillus non plus debuit dicere, comitia curiata rem militarem continere, id est confirmare, ut tu exponis, quàm alia iura. Postremo cum inquis, *Consules non esse, qui rei militaris potestatem non habent*, sane ostendis lege curiata non confirmari magistratum, sed dari imperium militare, atque ita in meam opinionem imprudens laberis. Quid ergo vult Camillus? Romanos, si Romam reliquerint, neque consules, neque tribunos consulares, neque eosdem imperatores habituros, quia nisi auspiciato creati non possent, illi centuriatis comitiis, hi curiatis, quæ auspicia nisi Romæ concipi non poterant. Quod idem Cicero sensisse videtur, cum in secunda Agraria dixit: *Consules si legem curiatam non haberent, rem militarem attingere non potuisse*, quasi vero alias omnes actiones obire cōsules sine lege curiata potuerint, hac vna militari excepta. Atque hæc quidem dicta eò pertinent, ut ostendatur, consulibus in consulatu legem curiatam, si bellum gerere voverunt, opus fuisse.

Iam vero ut ostenderem, eosdem si post consulatum in prouincias ire vellent eandem legem curiatam desiderasse, proferebam duos Ciceronis locos, vnum in Agraria: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est*; alterum in epistola ad Lentulum: *Appius cōsul dixit in senatu, se se, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega prouinciam, se, quoniam ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem redisset.* His autem probabam idem, quod antea, consules ante legem curiatam consulatum gessisse. atque eius rei argumento esse, quod ipsi legem curiatam sibi tulissent, quæ rem militarem continet, & quod cum cōsulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum esset, non tamen ipsi consules esse desissent, & quod Appius transacto maxima ex parte consulatu suo de lege curiata sibi ferenda loquutus sit, deque eius perlatione dubitauerit. Quod si lex curiata eo tempore magistratum confirmasset, consules, quibus intercessum erat, non fuissent cōsules, & Appius in discrimen venisset, non de prouinciali imperio, sed de consulatu. Tertium inde locum ex epistolis ad Atticum producebam: *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitauerit, quam ipse, & suus competitor Domitius cum cōsulibus fecisset, uti ambo sebertium quadringena consulibus darent, se essent ipsi consules facti, nisi tres augures ded*

res dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent, in ornandis prouincijs consularibus affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset. Ex quibus verbis dicebam percipi posse, tum consules ante legem curiatam latam consulatum gessisse, quippe qui post aliquot menses, quàm inierant, legem eam ad populum tulissent, tum legem curiatam fuisse de imperio non urbane, sed prouinciali, ac militari. His autem tu locis omnibus multas responsiones affers. quod est argumento, te in tota hac controuersia titubare, nec certi, quod opineris, aliquid habere. Prima responsio est, falli me, qui existimem, consules, qui rem publicam administrarunt, semper ipsos sibi legem curiatam tulisse de suo imperio, postquam iam inissent magistratum, quia C. Flaminius absens secundum consulatum inuit, & Marius tertium. atque vterque bellum gessit, neque sibi legem curiatam pertulit. ex quo concludis legem latam ab eo, qui eos designauit. Ego vero nego, me scripsisse, consules legem curiatam tulisse, postquam inissent, sed cum in superioribus Ciceronis locis scriptum sit, cōsules legem sibi curiatam tulisse, satis argumēto esse, legem eam non magistratum attulisse, sed militare imperiū. De Flaminiō vero quid scribat Lilius, attende: *Cum Cn. Seruilius de rep. rettulisset, redintegrata in C. Flaminiū inuidia est. duos se cōsules creasse, vnum habere. quod enim illi iustum imperium, quod auspiciū esset magistratus, id à domo, publicis, priuatisq; penetibus sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis secum ferre, nec priuatam auspicia sequi, nec sine auspicijs profectum in externo ea solo noua, atq; integra concipere posse.* Si ergo Flaminius, ut inquis, legem curiatam habebat ab eo, qui ipsum designarat, latam, & lex curiata auspiciatum imperium attulit, ut tu alio loco dixisti, quomodo Lilius scripsit, Flaminiū iusto imperio, atque auspicio caruisse? De Mario item possum dicere, quemadmodum contra leges tertium consulatum cepit, sic contra leges inisse. Secunda tua responsio est, fieri potuisse, ut lex curiata à collega, qui præsens esset, ferretur, quemadmodum lata est toti collegio prætorū. Quod inculcas de collegio prætorum, ut notum, nescio vnde expiscatus sis. neque enim hoc probas. nec quæ de prætoribus dixisti, hoc aliqua ex parte attingunt. Quod vero inquis de lege lata à collega præsentem, id certe exemplo Flaminiū reprobatur. quem nunquā questi essent Romani iustum imperiū non habere, si iustum imperium tradi à collega Romæ præsentem ipsi ablenti potuissent. Nā quod adiicis, te inuenire, *Cōsules aliquid rei bellicæ gessisse statim inuito magistratu, quod non potuissent, nisi perlata lege, ex quo apparere, legem latam esse ab ijs, qui ipsos designassent*, concedam, dum modo & ipse concedas, consulem rem militarem attingere non potuisse sine lege curiata siue ab ipso siue ab alio lata. Quod autem adiungis, *Neronē, & Salinatorem antequam inirent consulatum, prouincias, & exercitus esse sortitos*, non est satis: non enim qui sortitur prouinciam, & exercitum, statim habet imperium; quia prouinciæ imperat, cum accessit ad eam; exercitui imperat; ubi imperij insignia, atque adeo exercitum ipsum accepit. Tertiam responsionem affers, legem curiatam confirmasse consulatum, non dedisse, ita ut consules fuerint etiam ante eam legem, sed non optimo iure. quæ responsio quam infirma, atque inconstans sit, satis ex iis, quæ supra dicta sunt, puto liquere. Quarta est, duplicem esse legem curiatam de imperio; vnam, quæ initio fertur magistratui ad confirmandum magistratum; alteram, quæ transmittit imperium auspiciato, & in locis à me allatis, quibus consules pene confecto consulatu legem sibi curiatam ferunt de imperio, secundam esse intelligendam. Hic ego primum quæro, quid habeas dicere, cur si eadem curiæ, vel potius iidem lictores primam, & secundam legem iubent, auspiciatum sit magis imperium, quod secunda lege transmittitur, quàm quod prima. & si sola lex secunda transmittit auspiciato imperium, cur non omnes ij, quibus ea lata est ab iis, qui ipsos designarunt, in auspiciatum imperium sint habituri, contra quàm tu supra constituisti. nisi eos eodem die, atque eadem hora binas leges curiatas tulisse dicas, alteram inauspicatam ad confirmandum magistratum, in quo

etiã te auctore inest militare imperiũ, alterã auspiciã ad trãsmittendum. quo nihil potest esse peruersius. Vltima tãdem est, fieri potuisse, vt consules illi, quos nauai, initio magistratus non potuerint per intercessionem, & obnunciationem eam legem ferre, quã in designãdis magistratibus, aut postquã inissent, ferri oportebat. neq; huius responsionis attendis incommodum. nam si lex illa initio magistratus ferri non potuit, ergo magistratus eorum lege non est confirmatus. si ita, ergo consules illi per te pleno iure consules non fuerunt. immo vero ne consules quidẽ fuerunt. nã supra dixisti, sine lege curiata magistratũ nullũ fuisse. at consules hos magistratum gessisse sine lege illa constat, ergo lex illa non ad magistratum pertinuit, sed ad aliquid magistratui aduenticiũ, i. ad bellicum, si opus fuit, imperiũ committendum. Verum illud demiror in primis, te legem curiatam ferri non potuisse dicere, cum supra scripseris, triginta lictores, ad quos ferebatur, facere non potuisse, quin legem acceperint, neque in eorum potestate fuisse, vt antiquarent.

Postquam hæc responsa dedisti, quoniam ea infirma, atque imbecilla esse, intelligis, duobus ea tibi locis Dionis communienda suscipis. vnus est hic: *Qui Thessalonica erant, nouos magistratus non crearunt, quanuis ad præscriptum legis locum ad captanda auspicia publicum fecissent. in causa fuit, quod legem curiatam consules non intulerant. itaque iisdem, qui ante. vsi sunt magistratibus, appellationibusq; tantum mutatis, eos proconsules, proprætore, & proquæstore dixerunt.* Hic ais, cum Dio scribat, Lentulum, & Marcellum consules nouos magistratus non creasse Thessalonica, quia legem curiatam non intulerant, satis apparere, legem curiatam consulibus ferendam esse, vt optimo iure consules essent. Ego vero dico, Lentulum, & Marcellum consules, qui Thessalonica in castris erant, neque cõsules, neque prætores nouos in annum sequentem creasse, quibus imperium traderent, quia intelligebant, si imperium militare, quo maxime opus erat, eis mandare ordine vellent, per legem curiatam dari oportere, quam ipsi non intulerant. itaque veteribus magistratibus imperia prorogasse, vt mos erat, plebiscito, non lege curiata. quanquam autem locum auspiciorum pararent, tamen id tantum valuisse videtur ad centuriata comitia, quibus consules, & prætores creãdi erant. Nam si dicas, nouos magistratus non esse creatos, quia lex curiata à consulibus non esset lata, quæri poterit, cur consules centuriata comitia parassent, quod erat operosius; curiatam vero legem non tulissent, quam tu censeres ad triginta lictores latam antiquari non potuisse. Ergo probabilius videtur dictu, eos rationem centuriatorum comitiorum habendorum inisse, qua consules, & prætores crearent; non autem curiatæ legis ferendæ, qua eisdem imperatores constituerent. nam lex curiata apud Dionem, vt dixi, lex militaris vocatur. Itaque prorogando veteribus magistratibus imperio assequutos esse quod voluerunt, vt imperatores haberent, quos proconsules, & proprætore appellarent. Qua sententia constituta tolluntur omnia, quæ tu ad tuam opinionem accommodata ex hoc loco colligis. Alter locus est, vbi agitur de P. Clodio, qui ædilis curulis factus L. Philippo, Cn. Marcellino cos. vbi primum ædilitatem iniuit, Miloni diem dixit, eumque de vi ad populum postulauit, non quod speraret, se Milonem posse damnare, sed vt sub accusandi Milonis inimici sui prætextu, Pompeium etiam, ac Ciceronem Milonis defensores, suosque aduersarios conuiciis agitare posset. *Clodius enim, inquit ille, vt plus in hac re perstaret, non sinebat legem curiatam ferri, neque iudicium vllum fieri licebat.* Hunc autem locum tu ita interpretaris, Clodium ædilem legem curiatam non esse passum ferri magistratibus ad confirmandum eis magistratum. Cũ autem te interprete Clodius hoc tentarit mense Februario, non vides, si per mensem Februariũ lex curiata magistratibus, vt cõsulibus, & prætoribus nõ erat lata, futurũ, vt eo mense nulli cõsules, nullique prætores essent. hoc autẽ falsum esse, colligitur ex epistolis primis Cicero nis ad Lentulũ, quas hoc anno Ianuario, ac Februario mense scripsit, cũ senatũ sæpe habitum per cõsules dicat, & cõsules reliqua cõsularia munera obiisse significet.

Adde,

Adde, quod ædilia comitia fuerunt x i K. Febr. quibus Clodius ædilis est factus, & quidem, vt tu censeres, comitiis tributis, & lege curiata. est autem absurdum in primis, Clodio, qui, vt tu vis, medio Ianuario mense ædilis designatus est, legem curiatam per consules esse latam, consulibus vero, & prætoribus superiore anno designatis eandem ne post multos quidem dies ferri per Clodium licuisse, simul etiam quærendum, qui nam legem curiatam Clodio ædili tulerint, qui non etiam consulibus, & prætoribus ferre potuerint? & si consules, ac prætores nulli erant aut non optimo iure erant, qui tandem legem curiatam hanc tulerint, quæ à plebeio magistratu ferri non poterat. Vide ergo, quando hoc tẽpore lex curiata magistratum obsoleuerat, ne legem alteram curiatam intelligat, vt qua dabatur imperium Pompeio eo tempore ad rem frumentariam delecto, qui sine lege exire, quanuis cupiens, honeste non posset. Quæ cum ita sint, laudo ingenium tuum, qui coactus credo superioribus auctoritatibus tandem cõfiteris, quod verum est, legem hanc diuersam esse ab illa prima; illa enim confirmari magistratum, hac in prouinciam proficiscenti transmitti imperium. cui & ipse assentior, quemadmodum demonstraui.

*De imperio prætorum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in prouincias profecti sunt.* CAP. IX.



**V**I vero de iis, qui in consulatu & qui ex consulatu ad bella, & in prouincias cum imperio profecti essent, dixi, agebam deinceps de prætoribus, & quoniam de iis, qui primis temporibus in prætura prouincias, & bella fortiebantur, exempla non suppetebant, quibus legem curiatam eis latam demonstrarem, proferebam exempla eorum, qui continuo post præturam, & quidem iure præturæ in eas exissent siquidem ab initio institutum fuerat, vt prouinciæ mandarentur iis duntaxat, qui consulatum, & præturam gessissent. quod Cæsar significat libro primo, cum questus est, *in se iura magistratuum commutari, vt non ex prætura, & ex consulatu, vt semper, sed per paucos probati, & electi in prouincias mitterentur.* Hos igitur, quicumque essent, prouinciales prætores duplex imperium habuisse dixi, ciuile, nempe iurisdictionem, comitiis centuriatis, & militare ipsum lege curiata. De primis prætoribus ne tu quidem dubitas. eos autem, qui prætura Romæ in iurisdictionibus, & quæstionibus exercendis transacta postero anno in prouincias missi sunt, negas à centuriatis comitiis aliquid accepisse. Ego vero dico, vim centuriatorum comitiorum non solum ad præturam Romæ actam, sed etiam ad eam, quam post in prouincia gesserunt, pertinuisse. siquidem lege, vt videtur, sanctum erat, vt, qui Romæ præturam administrassent, ij postea prouinciam regerent. itaque vt primi in prætura, sic hi ex prætura obtinere prouinciam dicebantur. Vt autem consules in consulatu legem curiatam belli causa sibi tulerunt, itẽmque, si in prouinciam post consulatum proficisci voluerunt, sic etiam prætores fecisse verisimile est. Res autem acta est in hunc modum. Prætores cum centuriatis comitiis creati sunt, potestatem ius dicendi in vniuersum obtinuerunt. deinde cum ex S. C. urbana sortiti munera essent, alij, vt ciuibus, alij, vt peregrinis ius dicerent, alij, vt de criminibus quærent, obtinuerunt. quo munere perfuncti in alterum annum ex S. C. alij hanc, alij illam prouinciam sortiti sunt. id est vt iurisdictionem, quam centuriatis comitiis acceperant, in hac potius, quam in illa prouincia exercerent. vt autem bellum, si opus esset, gererent, eius rei ius acceperunt à lege curiata. ergo iurisdictionem quidem habuerunt à centuriatis comitiis, iurisdictionem vero in hac prouincia à sorte ex S. C. profecta, imperium militare à lege curiata, ornamenta imperij ab altero senatusconsulto quod legi coniunctum erat, vt post dicemus. Neque impedit, quod multi, vt inquis, prætores

in prouincias populo Roma non obediens missi sint, ita ut ius ei dicere non poterint. praetores enim missi sunt duabus de causis in prouincias, id est si prouinciae parerent populo Roma. iurisdicendi causa, si arma tenerent, belli gerendi. ut autem in pace ius militare habuerunt, sic etiam in bello iuris dicendi potestatem habere potuerunt, non quod ea opus esset, sed quia cum haberent, non erat causa, cur spoliarentur. Ut autem probarem, praetores, qui praetura in urbe acta prouincias fortiti essent, imperio militari ornatos fuisse, proferebam exemplum Verris Siciliae praetoris ex Cicerone: *Cum tibi praetori sorte obtigisset, ut ius diceres, quantum negotij, quid oneris haberes, nunquam cogitasti. sequuta prouincia est, in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi iccirco fasces, & secures, & tantam imperij vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula iuris perfringeres. in qua te ita gessisti, ut cum omnibus tenere rebus, ad fugitiuorum bellum confugas.* Ex quibus verbis dicebam intelligi posse, non esse idem imperium praetoris urbane, & prouincialis, quod Cicero vocet curatio-nem urbanam negotium, & onus prouinciale vero imperium. quippe quia prouincialis praetor non solum ius in prouincia diceret, ut Romae urbanus, sed etiam rem militarem administraret. Cum autem haec adeo aperta, & manifesta sint, tu tamen me dixisse arguis, praetorem urbanum imperium non habuisse, sed negotium, & onus prouinciale vero habuisse; & praetorem prouinciale maius imperium habuisse, quam urbanum. atque in has conclusiones ita inueheris, ut in eo non minus humanitas, quam acumen tuum, desideretur. *Non possum, inquis, mirari, quid Sigonio venerit in mentem ita peruertere vetera monumenta.* Cicero, inquis, *in praetura urbana appellanda negotij, & oneris verbo utitur, in prouinciali imperij, ergo praetor urbanus imperium non habet, prouincialis habet.* Item: *Quid? eum ne ferre quisquam possit qui ita concludit. maioris negotij est huius, quam illius prouinciae, ergo maius imperium habet, quam ille.* Dij boni, quid dices Nicolae Gruchi? Vbi nam ego negavi, praetorem urbanum habere imperium, ac rursus habere quidem dixi, sed minus, quam prouinciale? Verum, fac me dixisse, prouinciale maius habuisse imperium, quam urbanum; num me usque adeo rudem harum litterarum existimas, ut hoc etiam tueri nesciam? Age enim, quae sunt praetoris prouincialis partes: nempe iurisdicatio, quaestio, & rei militaris administratio. quae urbane iurisdicatio tantum non tibi videtur, qui tria haec habet, maius habere imperium, quam qui horum unum. respondes, maiorem habet vim imperij, non maius imperium. at in quo haec differunt: neque enim, credo, ipse satis intelligis. inquis tamen, maiorem vim imperij prouincialis indicabant secures cum fascibus, quae sublatae prouocationis insignia erant. probe. an vero dictator maius imperium ob vnam, qua caret, prouocationem, habebit, quam consul, & praetor; prouincialis vero ob eandem rationem non maius imperium, sed maiorem vim imperij, quam urbanus, habere dicetur? aut magistratus vnus maiorem potestatem, quam alter, habebit; imperium vero maius non habebit: sic enim Cicero: *Ne par, maior de potestas prohibeatur.* Porro autem, ut probarem, praetores in prouinciam exituros lege curiata imperium accepisse, testem adhibebam Caesarem, qui in primo Ciuilium scribit: *De reliquis rebus senatus consulta scribuntur. prouinciae priuatis decernuntur, duae consulares, reliquae praetoriae.* Scipioni obuenit Syria, L. Domitio Gallia. Paullus, & Marcellus priuato consilio praetereuntur. neque eorum sortes deiciuntur. in reliquas prouincias praetorij mittuntur, neque expectant, quod superioribus annis non acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatque votis nuncupatis exeunt. Ex quibus verbis hanc sententiam colligebam, praetores prouincias a senatu, imperium a populo accepisse. Tu vero inquis, quia prouinciae & consulares, & praetoriae priuatis datae erant, propterea oportuisse de eorum imperio ad populum ferri, id est ex priuatis magistratus facere. Habet autem duas difficultates ista interpretatio, vnam, quod eisdem & senatusconsulto, & sorte, & plebiscito

in

in prouincias mittit, cum in magistratu satis semper fuerit ordine senatus consultum cum sorte, extra ordinem plebiscitum sine sorte; alteram, quod eos, quos Caesar in prouincias missos queritur, omnino priuatos facit, quia senatus consultum quarto ante anno factum esset, ut nemo consul, aut praetor in prouinciam mitteretur, nisi quinquennio postquam magistratum gessisset. quod videtur esse alienum. quia si senatus consultum illud ex omni parte obseruabatur, cur queritur Caesar, Paullum, & Marcellum consules in fortitione prouinciarum praeteriri, neque eorum sortes deici: cur prauo, (sic enim ipse corrigis) id consilio fieri? quomodo prauum illud esse consilium potest, quod senatus consulto per quattuor ante annos obseruato conueniens est? Quod si S. C. illud obseruatum in alio non est, ut in Scipione, qui tertio, non quinto post consulatum anno prouinciam fortitus est, non merito poterimus dubitare, ne in praetoribus etiam obseruatum non sit? Sed fuerint omnes ut consulares, sic praetorij, qui mittebantur, dico habendam eam fuisse rationem eorum, qui ex S. C. post quinquennium prouincias sortirentur, quam magistratum Romae gessissent, atque eorum, qui continuo ex magistratu. nam vi gesti magistratus sortiebantur, atque ire cogebantur. quare non minus eis feretur lex curiata de imperio, atque eis lata sit, qui nullo interposito spatio ex praetura fortiti sunt. Ut enim consules, qui creato dictatore abdicauerant, ac priuati fuerant, deposita a dictatore dictatura, magistratum ex priuatis resumebant sine nouis comitiis; vi legis de dictatura a principio latae, ut scribit Dionysius, sic consules, & praetores vi senatus consulti, postquam priuati fuerant, iurisdictionem in prouincia continuabant. mitto illud, quod magistratus lege mandatos facis. quod absurdissimum esse in tua doctrina statuimus. Quod vero negas verba Caesaris: *Neque expectant, dum de imperio eorum ad populum referatur,* de lege curiata accipi posse, quia lex curiata non ad populum, sed ad triginta lictores terretur, plane, ut dixi, ridiculum est, & iam satis explosum. Eademque ratione quod addis, si de lege curiata intelligatur, fore, ut me repugnante lege curiata datus sit magistratus iis, quibus nullis comitiis ante erat datus, non procedit. neque enim ego imperium voco proprie magistratum & hos ego priuatos constituo tantum ex ea parte, quod tum non gerent magistratum, cum sortiebantur, at quod ad ius prouinciae ex magistratu obtinendae; non item. multo quominus, id quod adiungis, fore, ut omnes prouinciarum eius anni rectores habuerint, tantum imperium militare, non ciuile. siquidem cum eos senatus sortiri prouincias iussit, nihil aliud iussit, quam ut sortirentur, in qua prouincia exercerent iurisdictionem, quam acceperant centuriatis comitiis ea lege, ut post praeturam Romae actam eam exercerent in prouincia aliqua. Neque vero de plebiscito videtur potest intelligi. siquidem plebiscitum extra ordinem adhibetur, tum vero res ordine acta est mutato tamen vetere instituto. & cum plebiscitum adhibetur, *non locum* non habet. At vero si hi praetores ex S. C. fortiti sunt prouinciam, & post sortem prouinciae de eorum imperio ad populum latum est. certe curiata lex lata est, ut solebat, non plebiscitum. quia cum plebiscito res agebatur, neque senatus consultum, neque sortis mentio incidebat. Quae si vera sunt, facile genus omne reprehensionum tuarum refutare etiam me tacente possunt.

De imperio consulum, qui Summo S. C. ornati erant.

CAP. X.



TOVE haec quidem cum disputassem de consulibus, & praetoribus in magistratu, aut post magistratum in prouincias, aut ad bella ordine cum imperio proficiscentibus, quibus lego curiatae necessariam fuisse demonstrabam, tum deinceps agebam de iis, qui & in urbe, & extra urbem sine lege curiata imperium nec tamen plebiscito obtinissent. Eorum genus vnum erat, qui Summo S. C. ornati essent: *videant, ne res, aliquid detrimenti capiat, alterum eorum,* qui

qui legem Corneliā inique interpretabantur. De quibus quoniam tu à me longe dissentis, videtur faciendum, vt pluribus disputetur. De iis, qui summo S. C. ornati erant, cum dicerem, vt ebar auctoritate Sallustij, qui ita scribit: *Senatus decreuit, darent operam consules, nequid resp. detrimenti caperet. ea potestas per senatum more maiorum magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellū gerere, coërcere omnibus modis ciues, atque socios, domi, militiaq; summum imperium, ac iudicium summum habere. aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.* Quo loco prolato, ego sic addebam: *Hæc verba nobis hanc lucem afferūt, vt intelligamus, consules iure consulatus exercitum parare, bellumq; gerere non potuisse, neque domi, militiaq; summum imperium habuisse, quod certe habuissent. si imperium vnum tantum esset, idq; centuriatis comitijs cum magistratu ipso delatum esset. at vero, cum nisi in atroci negotio mandatum non sit, sane intelligi potest, duo eorū fuisse imperia, vnum ciuile, alterum militare.*

Hæc autem verba tu ita reprehendis, vt in his multipliciter me peccasse dicas. Primum autem obiicis, me Sallustij verba falsa rettulisse: *Aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est,* cum in omnibus libris legatur: *Nulli.* Ego vero culpæ maximæ me affinem esse confiterer, si aliam sententiam ex voce, *nullius,* quam ex *nulli* ad te refutandum collegissem. Verum vtro modo legas, non *consuli,* vt tu, eam vocem attribuo, sed *rerum.* atque huius habeo opinionis socium Ioannem Riuium, qui ita scribit, *Manuscripta duo: Nullius earum rerum. nisi quis Nulli vetuste positum malit pro nullius. quomodo Comicus dixit, Tam iners, tam nulli consilij. & in Truculento Plautus: Coloris vlli, pro vllius. nec tū consuli addendum puto.* habeo etiam Vincentium Castillioneum, apud quem ita scriptum est: *Diuerse hic sunt opiniones. alij enim Nulli cum substantiuo coniungunt. vt sit, nulli consuli ius est. alij Nullius pro nulli legere malunt. nisi nulli antiquo more pro nullius positum sit. ego tamen datiuum esse puto, Nulli earum rerum consuli ius est, pro in nullam rem earum rerum.* Hic animaduertere potes, horum neutri placere, quod tibi tantopere aridet: *Nulli consuli.* & certe, qui ita dixerit, noue admodum dixerit. Sed vt dixi, siue *nulli,* siue *nullius* legatur, eandem semper elicio sententiam.

Addis deinceps, si dicam, nullius earum rerum, quæ in hoc S. C. continentur, ius esse consuli sine lege curiata, Sallustium falsa esse loquuturum, & institutorum sui temporis rudem appariturum, quod sciret legem curiatam à lictoribus iuberi, non autem à populo. In quo ego primum rideo. quis enim, quæ de lictoribus istis tam sæpe repetis, audiens, risum contineat? deinde obstupesco. vbi enim hoc ego scripsi? vbi legis curiatæ in hoc S. C. interpretando mentionem feci? ego enim ex hoc S. C. senatus potestatem collegi, non populi. Non est hoc satis. Cum ego diserte scripserim, militare imperium extra urbem haberi per legem curiatam, apparere ex locis superioribus, in vrbe per S. C. summum, ex hoc loco Sallustij, tu me dixisse criminari, in vrbe haberi tantum per summum S. C. extra urbem tantum per legem curiatam; ac multis exemplis, & rationibus, more tuo, credo, vt multum sapere videaris, cum multa dicas, probare contendis, & in vrbe lege curiata, & extra urbem senatus consulto imperium esse mandatum. ac perinde in hoc multus es, quasi victoria in hoc posita sit. Ego vero illud, *Tantum,* non addidi, & cum ita scripsi, quæ apertis nitebantur auctoritatibus scripsi; neque ita locutus sum, vt in vrbe per legem curiatam, aut plebiscitum, extra urbem per summum S. C. haberi posse negaſsem.

Verum hoc ferendum addis, me putare imperium legis curiatæ esse extraordinarium, cum tamen vbique ordinarium esse clamarim; & Sallustium duos modos imperij transmittendi inter se contulisse, cum nihil tale ne somniò quidem finxerim.

Consideremus autem quæso diligentius, quid Sallustius his verbis velit, & vter nostrum rectius hoc S. C. intellexerit. Sane cum inquit, *Maximam potestatem hoc*

*S. C. permitti magistratui,* extraordinariam intelligit potestatem, id est maiorem, quam quæ ordine dabatur magistratibus. hæc vero versabatur in coërcendo, in iudicando, in bello gerendo. cum ergo consul in vrbe coërcere, iudicare sine prouocatione, atq; exercitum belli gerendi causa habere non posset, illud hoc S. C. adeptus est, vt ea posset. Nam ordine si Romæ consul aut vinculis, aut verberibus, aut multa coërcuisset, ac ciuem damnasset, erat appellatio collegæ, qui intercedere poterat, aut prouocatio ad populum, hoc vero senatus consulto accepto, nulla erat. siquidem maximam earum rerum habebat potestatem. Hoc igitur posito video, te vehementer peccasse, qui peccatum aliis obiicis. Tu enim *consules* dicis *dictatoriam potestatem ob. S. C. assecutos,* perinde ac si dictatores iure dictaturæ etiam sine S. C. in vrbe exercitum belli gerendi causa imperarint. cum tantū comitorum causa, vt etiam consules, imperarint, teste, vt supra demonstraui, Varone. At Plutarchus, inquis, & Liuius prodidere, consules hoc S. C. armatos eandem vim habuisse, ac si dictatores dicti essent. recte respexerunt enim seditionem, motumq; ciuilem, de quo tum loquebantur, ad quos compescendos opus erat magistratu, qui coërcere, atque animaduertere sine prouocatione posset, cuius causa dictatura erat illata. siquidem scribit Dionysius, causam dictatoris creandi primum fuisse legem Valerij, quam tulerat de prouocatione, & consulatus potestatem minuerat. Quod idem confirmat Liuius libro quarto: *Quinctius consules immerito increpari ait, qui constricti legibus de prouocatione ad dissoluendum imperium latis nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. opus esse non forti solum viro, sed etiam libero, exulatoque legum vinculis. itaque se dictatorem L. Quinctium dicere.* At vero in bello maiorem fuisse dictatoris, quam consulis potestatem, cum vterque sine prouocatione esset, nescio, vbi nam inueneris. certe hoc senatus consultum *nisi in v. tribunitia, in perniciosis legibus, in secessione populi, templis, locisq; superioribus occupatis non factum,* prodit Cæsar libro primo belli ciuilis.

Addit Sallustius: *Aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.* Quid est populi iussus? nempe plebiscitum, aut lex. quæ sunt res eæ? coërcere omnibus modis, parare exercitum, bellum gerere, domi, militiaq; summum iudicium, ac summum imperium habere. Ergo si populus iusserit, magistratibus domi, militiaq; hæc facere licebit? sane. sed extra ordinem. quid est autem magistratum habere summum iudicium? nempe, vt Cicero dixit in agraria, *habere cognitionem sine consilio, pœnam sine prouocatione, animaduersionem sine auxilio.* Itaque Liuius recte scripsit, C. Iulium decemuirum consularem, qui sine prouocatione erat, cum Sextium de cæde ad populum accusasset, cuius rei legitimus iudex erat, de suo iure decessisse. Si autem summum iudicium habere est posse sine consilio condemnare, vt cum Cincinnatus dictator Sp. Mæliū iure cæsum pronunciauit, video te errare multo, quam antea, grauius, dum me antiquitatis ignoratione in multos incidisse errores, arguis. inquis enim, summum hoc iudicandi imperiū, quod ipse appellas dictatorium, consules non solum à senatu, sed etiam à populo extraordinarium accepisse. & profers Liuium, qui scripsit, quæstionem cædis Postumianæ Cossio, & Medullino consulibus à populo esse mandatam, & quæstionem Bacchanalium Albino, & Philippo consulibus à senatu. erras autem trifariam, ( sic enim tuo exemplo iam libet loqui ) primam, quod dictatorium iudicium, & id quod his consulibus mandatum ais, idem esse putas, cum sit diuersum. dictatores enim sine consilio cognouerunt; hi consules ex iudicium, quos coegerunt, sententia pronunciarunt. deinde, quod eodem S. C. vtrunque iudicium commissum significas, cum sint diuersa. nam dictatorium iudicium senatus cōsulto extraordinario mandatum est, illud alterum ordinario, tum cum quæstiones certos & perpetuos non habebant quæsitores, sed à senatu, aut à populo, prout inciderat, mandabantur. postremo, quod iudicium mandatum plebiscito illis consulibus extraordinarium vocas,

vocas, cum esset ijs temporibus maxime ordinariū, quibus quæstiones certos, vt dixi, non habebant prætores, sed modo consulibus, modo prætoribus, modo dictatori committebantur. vnde scripsit Pomponius D. de origine iuris: *Quia de capite ciuis Romani iniussu populi non erat lege permissum consulibus ius dicere, propterea quæstiones constituebantur à populo, qui capitalibus rebus præessent.* Atque ita ordine factum est, quoad prætores has quæstiones fortiri cœperunt, vt scis, post L. Pisonem tr. pl. qui primus legem de pecuniis repetundis tulit, & quæstionē eam perpetuam fecit. *Summum ergo domi iudicium* significat, non vt cum consilio iudicum cognoscerent, sed vt pro suo arbitrio de re decernerent. Quocirca cum dixi, consulibus non fuisse ius belli gerendi in vrbe sine summo S. C. extra urbem sine prouincia, aut sine lege curiata, non incommode dixi. neque enim illud intellexi, quod obiicis, extra urbem habitum duobus modis, aut, cum prouincia sine lege curiata, aut sine prouincia per legem curiatam; verum illud, sine prouincia non habitum, quia imperium ordine non deferebatur nisi ei, qui prouinciam ex S. C. sortitus esset, aut sine lege curiata, quia non erat satis, sortitum esse prouinciam ex S. C. nisi imperium etiam ex lege curiata accederet. ex quo apparet inania omnia illa incōmoda esse, quæ tu ex hac oratione deducis. Ac de iis quidem, qui summo senatus consulto ornati sunt, hæc tenus.

## De imperio lege Cornelia accepto.

C A P. X.



**D**E iis autem qui legem Corneliam male interpretati, sine lege curiata se in prouinciis, quas ex S. C. obtinerent, imperium habere posse existimarunt, res in hunc modū administrata est. Cum Cornelius Sylla dictator legem tulisset, vt qui ex S. C. prouinciam obtinuisset, in ea imperium haberet, quo ad in urbem reuertisset, atque hac ratione prorogationem imperij, quæ fiebat à plebe, sustulisset, dedit occasionem Appio consuli legē Corneliam peruersè interpretanti, vt etiam sine lege curiata se imperium in prouincia habere posse existimaret, ac legem curiatam vtilem potius, quàm necessariam diceret. credo, quod qui legem curiatam non haberet, à senatu viaticum impetrare non posset. Locus hic est in epistolis ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum cum collega prouinciam; si curiata non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. se, quoniam ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.* & libro i i ad fratrem: *Appius sine lege curiata confirmat, se Lentulo nostro successurum.* & ad Atticum: *Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat.* Si ergo Appius sine lege curiata, suo sumptu, in prouinciam ire voluit, quam ex S. C. obtinuerat, si dixit, legem curiatam consuli opus esse, necesse non esse, & se sine ea per legem Corneliam imperium habiturum, profecto legem curiatam vtilem esse iudicauit, non necessariam, vtilem autem quod potestatem daret viatici à senatu impetrandi. tu vero cum hæc omnia negas, inconstantiam tuam duabus rationibus indicas. vna, quod cum quodam in loco scripseris, te dubitare, an lex curiata in prouinciam exituris fuerit necessaria, nunc dicis, eam sine vlla omnino exceptione necessariam esse; altera, quod cum in III de comitiis ita scriptum reliqueris: *Necesse erat suo sumptu Appium proficisci, quando sine hoc de prouincijs ornandis S. C. profecturus erat, cui locus esse non poterat, nisi post legem curiatam,* nunc negas, legem curiatam ius dedisse viatici postulandi. nec sentis, si te interprete lex curiata ius obtinendi à senatu sumptus dedit; atque sine ea Appius suo sumptu ire cogitauit, eam vtilem ex Appij interpretatione fuisse, non necessariam. Quam sententiam ego sequutus, verba illa, *Curiatam opus esse, necesse non esse,* vtilem, non necessariam

cessariam esse sum interpretatus. quomodo Cicero idem locutus esset in Oratore: *Aristoteles adiunxit tertium genus, quod si opus est, tamen minus est necessarium,* hoc sensu: Aristoteles adiunxit arti rhetoricæ genus demonstratiuum, quod etiā si vtile est cognoscere ciuili oratori propter copiam, & facultatem orationis, quæ in eo sese effundit, tamen sine eo esse ciuilis perfectus orator potest. ciuilem autem oratorem dico, qui in consilijs, & iudicijs, quæ duo continent ciuitatem, versatur. aut si vtile est ciuitati ad laudandos fortes viros, non tantam tamen habet necessitatē, vt ciuitatem contineat, quantam reliqua duo, quæ vtili, & iusto continentur. quorum confociatio ciuitatem effecit, teste in Politicis Aristotele. Tu vero cum negas, *opus esse* significare vtile esse, sane ostendis, non meminisse Græcos quoque *εργον & ποσγον* in hanc significationem accepisse. Quod autem *opus esse* interpretaris, *carere non posse,* videamus, an recte, sed grammaticis iisdem ante appellatis, quos tu in hac quæstione opportune appellas. *Genus,* inquis, *laudationum, quod adiunxit Aristoteles, & si est eiusmodi, vt eo carere non possimus, tamen non est necessarium. aut quoniam necessarium, teste in Partitionibus Cicerone, est sine quo esse non possumus; genus demonstratiuum est, quo carere orator non potest, sed esse sine eo potest.* an hæc si portenta dixeris, auditum admissi risum teneatis amici? Quæ vero disputas, post legem curiatam opus fuisse senatusconsulto, quo ornamenta prouinciæ decernebantur, neque prouincias lege curiata fuisse instructas, sed senatus consulto, quanquam vere, tamen sine causa disputas. nam & ego idem in libris de prouincijs tradidi, neque legem curiatam sumptum dedisse, sed ius sumptus à senatu obtinendi scripsi. Quis autem hic sumptus fuerit, non video inter nos conuenire. tu enim ornamenta omnia prouinciæ vno sumptus nomine complecteris, stipendiū, cibaria, & reliqua, ego vero viaticum, i. sumptum, & apparatus itineris tantum. De quo viatico dixi videri Dionem loqui, cum scripsit: *Antiquitus qui redempturas ab arario faciebant, proconsulibus omnia, quæ ad imperium pertinebant, suppeditabant. Augusto autem imperante illi certam accipere mercedem cœperunt.* Quæ verba miror te apud Dionem reperiri negare, & me affingere Dioni quæ non sint Dionis, asserere, cum hæc apud Dionem inueniantur: *καὶ τὴνμισθοφράμ καὶ ἐκείνοις, καὶ τοῖς ἄλλοις δίδουσι τότε ἐνομίδην. τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβῶντες παρὰ τὸ δημοσίον πάντα σφίσι τὰ πρὸς τὴν ἀρχὴν φέρονται παρεχόμεν. ἐπὶ δὲ διὰ τὸ καὶ αὐτῶν πρῶτον αὐτοὶ ἐκείνοι πακτὸν λαμβάνειν ἤρξαντο.* Quæ ita conuertit, sed vitiose Xylander: *Certum etiam stipendium & alijs dari tum institutum est. antiquitus enim qui aliquod à rep. munus suscepissent, omnia suis ipsi stipendijs agebant. sub Casare primum accipere stipendium cœperunt.* tu ergo sumptum quencunque, quem prætores in prouincijs facerent, significatū scribis. siquidem pecuniam attributam numeras, quæ teste Asconio militi in stipendium dabatur; frumentum, quod in cellam prætoris æstimabatur; cibaria, quæ quæstori data sunt. & apud Dionem, nescio quo alio in loco, quem tu ex tenebris eruisti, interpretaris Mæcenatem Augusto suasisse, certam mercedem ex publico magistratibus prouincialibus esse assignandā pro sui cuiusque imperij ratione. idque ad immensam illā impensam ærarij minuendam, qua ad eā diem vsi erāt magistratus, cum pro suo quisque arbitrio in rationibus referendis expēfos ærario referret, quoscunque sumptus fecissent. *Vt enim,* inquis, *attributa omnis pecuniæ magistratibus rationes reddendæ essent, in suos tamen sumptus quantilibet summam in suis rationes referre prope modum liberum erat.* Ego vero non quencunque sumptum, vt tu cæses, Appium intellexisse arbitror, sed itineris. quod viaticum appellauit Cicero, cum ad Cassium scripsit: *Cetera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quod legato tuo viaticū eripuerunt.* Erat autem viaticum sumptus in mulos, vehicula, & tabernacula, & cetera eiusmodi instrumenta. Liuius bello Persico: *Magistratus mulis, tabernaculisq; & omni alio instrumento militiæ ornabantur, ne quid tale imperarent socijs.* Hæc autem publice, sumpta ex ærario pecunia, locabatur. indicat P. Ventidius, qui, vt scribit Gellius, victum quæsiuit comparandis mulis, & vehicula magistratibus, qui for-

enti essent prouincias, præbenda publice conduxit. Itaque Augustū refert Suetonius instituisse, *ut ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, pecunia constitueretur.* atque hoc sine dubio voluit Dio Augusto imperante institutum, ut certa pecunia magistratibus prouincialibus constitueretur ad mulos, & tabernacula sibi paranda, non ad quencunque sumptum faciendum, quod antiquitus qui ab ærario redimerent, omnia, quæ ad imperium pertinerēt, præberent. est enim ἐργολαβῶντες ἀπὸ τῶ δημοσίου ab ærario redimentes. siquidem Plutarchus in centura Catonis publicas eiusmodi redēpturas ἐργολαβίας vocauit. Ex quo intelligere potes, quæ tu de pecunia attributa, de frumento, deque cibariis inculcas, huc non pertinere, ac multo minus Mæcenatem suafisse, ut singulis magistratibus pro sui imperij modo decerneretur merces, ac veluti certum stipendium. cum ad eam diē magistratum stipendia merere auditum non esset. neque enim Mæcenas stipendium reddi magistratibus voluit, quasi militiæ præmium, sed certam pecuniam pro uatico, quod publice locaretur, assignari.

*De imperio eorum, qui ex priuatis in prouincias missi sunt.* CAP. XII.



**Q**UÆRIS postremo, quid sentiā de iis, qui nō statim ex prætura in prouincias ibant, quomodo iurisdictionem à populo habuerint centuriatis comitiis, cum plebiscito in prouincias missi sint. Ego vero censeo, non solum qui multis post magistratum annis, sed etiam, qui in magistratu plebiscito in prouinciā missi sunt, ab ipso plebiscito omnia adeptos, & prouinciā & imperium, & ornamenta. Quod autem ipse iudicas, iurisdictionem à senatu potius, quàm à populo esse tributā, id mihi non persuades. sic enim fieret, ut senatus mandaret magistratum, non populus. quod falsum esse, apparet ex eo, quod senatus neminem iussit sortiri prouincias, nisi cui populus ante magistratum mandasset. quare aut à populo acceperunt iuris dicēdi potestatem, aut si à senatu, quatenus eos populus idoneos reddiderat, quibus iurisdictione à senatu mandari posset. Quod autem tu hoc in loco inculcas, legem C. Cornelij, vix intelligo, quorsum. & nisi ad secundum tuum de comitiis librum confugissem, nunquam intellexissem. scribis enim hoc loco sic: *At qui legibus solui nisi à populo nemo poterat, & veteri iure, & iure à C. Cornelio tr. pl. relato.* in libro autem de comitiis in hunc modū: *At si prouinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero populi suffragijs opus erat ad creādos magistratus. præsertim post legem Corneliam à C. Cornelio tr. pl. perlatam. qua lege, ut scribit Dion libro x x x v i. cauebatur, ut esset quidē in senatus potestate imperia extra ordinem dare, omninoq; legibus soluere, sed ita ut post rogatio ad populū veteri more de ea re ferretur, quā rogationem omnino à populo iuberi necesse esset. hoc enim idē est cū eo, quod Asconius de hac lege Cornelia scribit, causam inquā fuisse, nequis in senatu legibus solueretur, nisi ducēt affuissent, ne de quis intercederet, cū de ea re ad populū ferretur.* Ignosce mihi quælo Gruchi, si quæ tu verborū tela paullo ante iniuste in me iaciebas, ea nunc ego in te iuste reiecerō. sic enim agebas: *Non te pudet Sigoni, quæ tu animi causa finxeris, ea bonis scriptoribus attribuere? an vnquam fando tale aliquid finxit Dio, quale tu ei affingis?* iniuste autem ita egisti. quia verba, quæ tu apud Dionem esse omnino negabas, erāt tamen, sed ea tu diligentia tua reperire non potueras, cū consiliū Mæcenatis Augusto datū me cepisse pro ipso Augusti instituto insimulares. ego vero iustissime dixero, non te pudet Gruchi, qui pudorem aliis sine pudore offers, quæ tu apud bonos scriptores nō intelligis, ea bonis scriptoribus attribuere, an vnquā fando tale aliquid scripsit Dio, quale tu ei ascribis? sumamus verba Dionis. ὁ κορηθίαιος γνώμη ἐποίησατο, μὴ εἶναι τοῖς βουλευταῖς μήτε ἀρχὴν τινὴ ἐξω νόμων ἀτήσεντι διδόναι, μήτε ἀλλο μὴδ' ἐν τῶν δήμῳ προσηκόντων φημιζῶσαι. τὸτο γὰρ ἐνομοθετητό ἐκ παντὶ ἀρχαῖς, ὃ μὴ τοῖς ἐν τῶ ἐργῷ ἐτηρέτο. Nō hæc verba, si Latine reddātur, hoc valēt: *Cornelius rogationem tulit, ne liceret senatoribus neque magistratum alicui ut contra leges peteret, dare,*

neque

neq; aliud vllū eorū, quæ ad populū pertinerent, vulgare. id enim antiquitus lege cautū erat, non tamen re obseruabatur. Quid est ergo, quod inquis Gruchi: an lex Cornelij fuit de imperiis prouincialibus, (nā tu de his loqueris,) an potius de vrbani magistratibus? nā ἀρχὴ & imperium, & magistratum significat. an ut senatus daret imperia prouincialia extra ordinē, an potius ne permetteret, magistratus peti à populo cōtra leges? quæ erāt, ut certa ætate, ut deinceps peterēt magistratus, ne nisi certis annis interpositis iterum peterentur. an vero prouinciæ vnquam ad populū pertinuerunt, magistratus vero ad senatū? si, ut inquit Asconius, *Cornelius tulit, ne quis in senatu legibus solueretur, nisi ducenti adessent,* propterea ne tulit, ut prouinciæ extra ordinē à senatu dari possent, cū prouinciæ semper in senatus potestate fuerint, ut magistratus semper in populi? Etenim magistratū senatus mādauit nunquam, at ius petendi cōtra leges dedit, ut paullo ante Pompeio. vnde Cicero: *Quid tam singulare, quàm ut ex S. C. legibus solutus consul ante fieret, quàm vllū alium magistratum per leges capere licuisset?* Et nimirum hoc est, quod lex Cornelia vetuit, ne concedi posset, nisi ducēti adessent, & nequis intercederet, cum de ea re ex auctoritate senatus ad populū ferretur. Quare quid tibi vis, cum inquis? *At si prouinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero suffragijs populi opus erat ad creādos magistratus. præsertim post legem Corneliam.* quis est enim, qui decernit prouincias? nepe senatus. quando decernit extra ordinem? quoties eas neque consulibus, neque prætoribus decernit, sed priuatis. quo tēpore opus suffragijs populi fuisse ais ad creādos magistratus. at lege Cornelia cautū est, ut rogatio ferretur ad populū, ut, qui peteret magistratum, contra leges petere non posset. Itaque non magis post legem Corneliā, quàm ante eam opus fuit suffragijs populi ad creādos magistratus, verum ad soluendos legibus, qui peterent, & senatus auctoritate, & populi iussu opus fuit post legem Corneliam. num quid ergo tua ista sentētia potest esse absurdus?

*De imperio eorum, qui ex priuatis ad bella missi sunt.* CAP. XIII.



**D**IXI de iis, qui ex priuatis in prouincias missi sunt. nunc dicam de iis, qui ad bella. de quibus tu non idem, atque ego, sentis. Quamobrem faciam, ut rem totam collatis inter se opinionibus iterū diligentius ad communem omnium vtilitatem excutiam. Hæc igitur hac de re in superiore respōsione mea fuerūt verba: *Relinquuntur quidā, qui neq; ex magistratu, neq; post magistratum. sed ex priuatis non in prouincias, sed ad bella cum imperio mittebantur, aut cōsulari, aut prætorio, vnde proconsules, & prætores dicebantur. mittebantur autē aut lege, ut P. Scipio procos. in Hispaniā, aut S. C. ut C. Octavianus prætor in Galliam.* In quibus tu multa reprehēdis, ac multis. ac primū illud, *Non in prouincias, sed ad bella.* reprehēdis autē, quia etiā qui bella sortiti sunt, prouinciā sortiri dicti sunt, cū prouincia dicatur omne munus alteri delatum siue priuatim, siue publice. quod quia credis mihi esse ignotū, ut rē valde obscurā, multis more tuo tibi auctoritatibus suscipis cōprobandum. Ego vero dico, prouinciæ significationes esse multas, easque à me in libris de prouinciis indicatas. verū vnā illā esse propriā, regionē à populo R. ut inquit Festus, prouinctā, & iure prouinciali donatā. vnde illud emanauit, *Redigere in formam prouinciæ,* atq; ab hac reliquas omnes esse profectas, ita ut quibus bella quocunque modo essent mandata, iis prouinciæ mādatur, aut cui negociū publicū delatū esset, eidē quoq; prouincia delata diceretur. Quamobrem cū scripsi, *Qui non in prouinciis, sed ad bella mittebantur,* prouinciā in propria significatione accepi. quomodo fecit Liuius libro x l v: *Consul proficiscens, prætor de paludatis lictoribus in prouinciam, & ad bellum.* Ad bella enim cum dixi, tempus id intellexi, cum imperatores in regionem suo imperio non subiectam bellandi causā mittuntur, ut M. Cato, de quo Cicero pro Sextio: *P. Clodius trib. pleb. legem tulit, ut M. Cato ad regem publicandum in Cyprum, cum prætorio imperio mitteretur:* quod quid sit, declarat pro do-

mo: cum ait: *Regiæ pecuniæ deportanda, & si quis suum ius defenderet, bello gerendo M. Catonem præfecisti.* In prouinciam vero dixi, cum præcipue ad regionem populo R. obtemperantem administrandam proficiscuntur, in qua etiam, si res posceret, bellum gerere possent. Itaque mirarer, cur tu, quasi magnum aliquid excogitasses, tam multa verba faceres, ut probares, qui ad bella mitterentur, in prouincias missos, nisi te ambos omnino pro iisdem falso accipere intelligerem. sic enim concludis: *Quasi vero ad bellum cum imperio mitti, non sit in prouinciam mitti. cum enim illi non magis haberent prouinciam, in qua ius dicere possent, quam hi, pariter utriusque negandi fuerunt prouinciam obtinuisse, aut pariter utriusque dicendi suam habuisse prouinciam.* Quibus verbis significas, qui in regionem hostium cum imperio mittitur, idem ius habere in ea, atque illum, qui in regionem à populo R. in prouinciam formam redactam. cum tamen longe aliter sit. nam qui prouinciam populi R. obtinuit, in ea cõuentus agit, ac ius prouinciæ dicit, qui hostilem, minime. Itaque Cæsar, cum citeriorem, & Narbonensem Galliam prouinciam nactus esset, in iis conuentus egit, ut quæ iam pridem formam prouinciæ accepissent, in Comata, quæ ipse bello primus aggressus est, nequaquam. nisi fortasse, postquam eam in prouinciæ formam rettulit. At ambo, inquis, *pariter exercitui ius dixerunt.* nõ nego. illud dico, militarem iurisdictionem pertinere ad proconsulem, quatenus exercitui, non quatenus prouinciæ præest. si quidem ut ius imperatorium differt à cõsulari, sic etiam à proconsulari. consul ut consul iurisdictionem quandam habet in ciues, quatenus ciues sunt, ut autem imperator, iurisdictionem habet in ciues, quatenus milites sunt, itaque quod est prætor urbanus in vrbe, id est in prouincia proconsul. exercitui vero præest, non ut proconsul, sed ut imperator. Vnde illud est Paterculi de Quintilio Varo: *Germani in summam socordiam adduxere Quintilium, vsque eo ut se prætor urbanum in foro ius dicere, nõ in medijs Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.* significat enim, Varum se gessisse pro prætore, cum tamen esset imperator tantum. neque enim Germania in prouinciæ formam erat redacta, ut ei ius dicere posset, sed tatum exercitui in ea præerat, ut eam subigeret. Quod apertius etiam expressit Florus: *Ausus agere conuentum, in castris ius dicebat.* cum enim *ausum* dicat *agere conuentum*, profecto innuit, non consueuisse proconsules hostibus ius dicere, nisi postquam pacati, & in prouinciæ formam redacti essent. Quamobrem inanis prorsus est illa tua cõclusio, *Imperatores, qui ex priuatis exercitui præpositi sunt, exercitui ius dicunt æque atque proconsules, qui ad regendas prouincias ex magistratibus missi sunt, ergo idem habent imperium.* Habent enim idem imperium ex ea parte, qua exercitui præfunt: at quatenus prouinciæ præfunt, non ite. ut supra quoque est demonstratum. Reprehendis secundo loco, quod scripserim, *Vnde proconsules, ac prætores dicebantur*, atque interpretaris, me velle, solos, qui ex priuatis imperium acceperint, non ite qui ex magistratibus, proconsules, & prætores esse nuncupatos, quod non est ita. Ego enim innuere volui, priuatos ornatos esse imperio consulari, ac prætorio, liquere ex eo, quod non minus proconsules, ac prætores dicerentur, atque ij, qui ex magistratibus prouincias obtinissent. neque enim mirabitur quicquam, eum, qui ex consulatu in prouinciam missus sit, proconsulem dici, neq; qui ex prætura, prætorem: sed qui ex priuato ad bellum, aut in prouinciam exeat, proconsulem, aut prætorem vocari, id vero fortasse mirabitur. hoc autem factum dixi, quia cū imperio aut consulari, aut prætorio missi essent. Postremo vero cum tria genera fecerim eorum, qui in prouincias cum imperio missi sunt, vnum eorum, qui in magistratu, alterum, qui ex magistratu, tertium, qui ex priuatis, quæris cuius horum trium ascribam Cn. Pisonem, & M. Catonem, quorum ille S. C. in Hispaniâ, hic plebiscito in Cyprum, ex quæstura ambo missi sunt. Cui respondeo, in eorum numerum me referre, qui ex priuatis missi sunt. neque enim quæstura vim vllam attulit, ut mitterentur. nõ æque missi fuissent, si omnino quæstores non fuissent. si quidem extra ordinem missi sunt, alter senatus consulto, alter plebiscito. nõ Pisonem

senatus,

senatus, Catonem Clodius amandare à rep. per speciẽ honoris voluerunt. ut Sallustius, & Asconius prodidere. Senatus consulto autem, & plebiscito omnia iura, nihil quæsturę debuerunt. Miror autem, cur non probaris, his lege curiata imperium esse transmissum, cum ego senatus consulto, aut plebiscito tantum id ipsos obtinuisse scripserim, ac legem curiatam ab his omnino repulerim.

*An proconsules, & prætores, qui ex priuatis ad bella missi sunt, ut cum imperio, sic cum magistratu fuerint.* CAP. XIII.



**H**oc autem loco quæstio existit, quæ principium huius disputationis attingit, an, qui ex priuatis ad bella mittebantur cū imperio, aut consulari, aut prætorio, magistratus essent. qua de re in priore responsione meã ipse opinionem his verbis exposui: *Hos, atq; eiusmodi alios magistratus fuisse nego, cū imperio fuisse dico, sed tamen non lege curiata accepto magistratus nõ fuerunt. quia neq; auspiciũ, neq; iudicium habuerunt. auspiciũ non habebant, quia à populo non acceperunt, ut testis est Cicero in libris de diuinatione. nõ præter Scipionem reliqui omnes tributis comitijs, quæ erant inauspicata, imperium acceperunt. iudiciũ autem nõ habebant, quia prouinciã, in qua ius dicerent, nõ habebant. & post: Proconsules, & prætores, alij in prouinciã ad ius dandum, & bellum, si res tulisset, gerendũ missi sunt, qui magistratus fuerunt, ut Cn. Pompeius procos. in Asiã, alij vero ad bellum tatum. & hi magistratus non fuerunt, sed cū imperio fuisse dicti sunt, ut P. Scipio procos. in Hispaniã de quo Liuius: Magis est tentata triumphis spes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eã diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat.* Hæc autem incredibile dictu est, quibus modis oppugnes. Primum enim, quia Liuius fidem abrogare non potes, cõfugis, ut soles, cū laqueis te expedire nõ potes, ad distinctionem, & alios magistratus primarios fuisse ais, alios primariorũ vicẽ gerentes. Scipionem autem rem gessisse sine primario magistratu. Verum heus tu, quis est iste primarius magistratus? nõpe is, qui iudicium, atque auspiciũ habet? Scipio vero si auspiciũ habuit, quia nouo, & singulari exemplo centuriata lege imperium in Hispaniã accepit, certe iudiciũ, i. iurisdictionem civilem non habuit, sed tatum imperatoriã. itaque dempto iure imperatorio, quibus ius diceret, non habebat. id quod, si magistratum habuisset, habiturus erat. habuisset autem magistratum, si aut consul in vrbe, aut proconsul, siue prætor in prouincia fuisset. at ille tantum erat imperator in bello, vsque adeo ut solis militibus, & iis, qui cum militibus, lites contractas haberent, ius dicere posset. quod ius à principio imperium proprie, non magistratum vocarunt. vnde dixit Liuius de Lentulo, qui pariter ex priuato in Hispaniam missus erat: *Negabat senatus, se exemplum accepisse, ut qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet; proconsule illum prouinciam Hispaniam, non cõsulem, aut prætorem obtinuisse.* ex quibus concludi potest, proconsulem, ex priuato lectum, sine magistratu fuisse. Agis inde contra auspicia, & iudicia. quibus hos carere proposui, ac locum Ciceronis de diuinatione aliter, quàm ego, exponis. est autem hic: *Deiotarus auspicijs semper utebatur, nos, nisi dum à populo auspicia habemus, quàm multum ijs utimur? bellicã rem administrari maiores nostri auspiciato voluerunt. quàm multi anni sunt, cum bella à prætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent. itaque nec amnes transeunt auspiciato, nec tripudio auspiciantur.* Cum autem dicat Cicero, proconsules, & prætores bella gessisse, qui auspicia non habent, tu exponis, eos accepisse quidem ius auspiciorum, sed uti noluisse. õ præclarum interpretem. iãdudum proconsules bella gerunt, qui non habent auspicia, quæ accipiuntur à populo. id est habet quidem auspicia, sed non vtuntur. nam quod inquis, eos habuisse, quia Scipio habuit, plane infirmum est. Scipio enim solus cõturiatis comitijs lectus est, reliqui omnes tributis. ergo reliqui non habuerunt, quia non acceperunt. neq; enim

K 3 aut

aut centuriatis, aut curiatis, sed tributis imperium acceperunt, quæ sola erant inauspicata. quare peruertisti sententiam Ciceronis, dum exponere uoluisti, cum *Elabere* idem esse dixisti, quod *Vti; non habere* idem, quod *habere sed non Vri.* quo nihil ineptius. Mihi vero dubium non est, quin proconsoles, & proprætores, qui ex priuatis missi sunt, auspiciis caruerint, quod tributis comitiis lecti sint. nam si auspicia habuerunt, qui ea acceperunt à populo, *curiata* uero *lex remansit tantum auspiciorum causa*, certe, qui legem curiatam non habuerunt, auspicia non habuerunt. habuerunt autem soli magistratus, & qui ex magistratibus missi sunt. Itaque Cicero cum proconsoles, & proprætores bella gerere, qui auspicia non haberent, dixit, certe, non qui ex magistratibus, sed qui ex priuatis profecti sunt, accepto per plebiscitum imperio, intellexit. Hic tu L. Martium opposuisti, quem cum milites ex priuato ducem legissent in castris, atque ipse se proprætorem appellasset, questus apud Liuium senatus erat, *rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solempne auspicatorum comitiorum in castra, in prouincias transferri.* Quod ego ita interpretor, questum senatum, quod cum proprætore legi solebant ex prætoribus imperio auspiciato per legem curiatam accepto, Martius creatus esset ex priuato imperio lege inauspicata accepto. tu uero addis, quod Martius non à populo, sed ab exercitu imperium accepisset. quod non improbo, sed id solum senatus querelam expressisse non puto. quoniam si ita esset, non erat, cur Liuius diceret, *solempne auspicatorum comitiorum*; sed satis habuisset dicere, *solempne comitiorum.* Quod autem dixi, vix quenquam inueniri, qui ante Scipionem, qui Martio summissus est, ex priuato imperium acceperit, noli putare, me omnino nullos intellexisse, uerum admodum paucos. exemplū autem, quod ipse T. Quintij affers, non est simile Martio, cum ipse sit non ex omnino priuato, sed ex consule proconsul subsidio castris missus, ut inquit Liuius; multoque minus me existimare, si qui ex priuatis proconsoles facti sint, auspiciatis comitiis esse creatos. teneo enim illud Ciceronis, *proconsoles bella gessisse, qui non haberent auspicia; non habuisse autem, quia à populo non accepissent;* non accepisse uero, quia tributis comitiis, i. plebiscito lecti essent. uerum usque adeo parum sæpe ante Scipionem eam lectionem usurpatam, quæ post eum frequentata est fere quotannis, cum opus fuit, ut senatus doloris, atque iræ plenus rationem Martij habendam non esse censuerit, simulque imperatorem & ex priuato legi, & inauspicato legi, & à militibus in castris legi, conquestus sit. Hactenus de auspiciis. de iudicio uero quod dixi, respondes, satis te ostendisse, quemadmodum locus Ciceronis de Legibus, ubi de iudiciis magistratuum sancit, male à me sit intellectus. quod quàm feliciter feceris, aliorum uolo esse, non tui, iudicium. Addebam, proconsoles hoc iudicium non habuisse, quia prouinciam, in qua ius dicerent, non habebant. contra tu T. Flamininum profers, qui proconsule in Macedonia ius dixit, & P. Scipionem, qui in Hispania, antequam utraque prouincia facta esset. neque uides, exempla esse dissimilia, quia Flamininus non ex priuato, sed in consulatu missus est. & uterque ut imperator ius dixit, non ut proconsul, atque uterque militibus & sociis, qui cum militibus litigarent, quod ad imperatorem attineret, ius dixit.

Tu uero hos & magistratus esse, & appellari vis. idque probas hoc pacto: *Magistratus est, cui data est facultas imperandi. at ij, qui cum imperio esse dicuntur, cum facultatem habuerint imperandi, magistratus quoque fuerint, necesse est.* Cui ego. Qui cum imperio esse dicitur, aut est cum potestate imperandi quocumque modo ad ius dicendum, aut cum potestate imperandi exercitui, ad bellum gerendum: illo modo magistratum uere esse, hoc uero imperatorem. fieri tamē posse, ut idem sit & magistratus, & imperator; uerū magistratus comitiis centuriatis, imperator, ordine lege curiata, extra ordinem plebiscito, aut senatusconsulto. Adiungis in eandem sententiam, *Priuatum esse, & in magistratu esse contraria sunt.* item, *priuatum esse, & in imperio esse contraria sunt;* ergo idem est in magistratu esse,

*& in imperio esse.* Quo argumento nihil dico esse posse infirmius. sume enim alias voces, uitium facilius uidebis. Acutum est contrarium graui, ut uox acuta graui. ergo acutum, & graue sunt idem. nihil minus. quid igitur? nempe, ut inquit Aristoteles in Topicis, ergo acutum duo significat, unum, quod opponitur obtuso, alterum, quod graui. sic ex tua argumentatione, ergo priuatus duos significat, unum, qui opponitur magistratui, alterum, qui imperatori. ex quo apparet, in magistratu esse, & in imperio esse, non aliter differre posse, quàm obtusum, & graue. ecce enim: Legatus proconsulis non est priuatus, quia est cum imperio; & tamen non est magistratus, ut tu ipse definis alio loco: an uero propterea est imperator? nequaquam. quia non suis auspiciis rem gerit, sed imperatoris eius, cuius est legatus. Ex quo intelligi potest, quæ tu tam multa tuo more affers, ut probes, priuatum esse opponi ipsi in imperio esse, uel cum magistratum, uel cum imperium militare significat, & propterea idem esse magistratum, atque imperium militare. cōcludis, inania prorsus esse, atque non necessaria. Adiungis inde auctoritates aliquot, quibus doces, qui cum imperio in prouinciis fuerunt, magistratus appellatos esse, ex eoque colligis, imperium idem esse, ac magistratum. ad quas sic respondeo. Ex Liuij, & ceterorum, quos tu non necessario tam multos collegisti, auctoritate, qui cum imperio erant, ut proconsoles, & proprætore, uocabantur magistratus, contra ex eiusdem Liuij, & aliorum, quod tu non negas, auctoritate, iidem sine magistratu esse dicuntur. ergo aut magistratus, aut tempora distinguenda sunt. Nam si quicumque negocium publicum gessit, aut publice imperauit, aut quocumque modo ius dixit, est magistratus, certe proconsoles, & proprætore in bellis sunt magistratus. sin autem qui non aut ciuibus Romanis, aut sociis ius dixit, quæ iurisdictio uere magistratum constituit, non est magistratus, profecto magistratus non sunt. eademque ratione si prima tempora repetemus, proconsoles, & proprætore magistratus esse negabimus, ut etiam tribunos pl. si postrema, fortasse non recusabimus.

Quod autem exemplum eorum, qui ad bellum gerendum, & ius dicendum ex priuatis in prouincias missi essent, protuli Pompeium, cum Asiam obtinuit, & bellum Mithridaticum; qui uero ad bellum tantum, P. Scipionē, cum Hispaniam: utrunque reprehendis. primum enim inquis, *neminem historicum scripsisse, legem Maniliam de alia re fuisse, quàm de bello Mithridatico Pompeio demandando.* quod mihi permirum accidit. oblitus enim uideris, Pompeium Lucullo successisse, cum ex consulatu Asiam obtinuisset; deinde Plutarchum, & Dionem, ostendis te non legisse, qui produnt, legem Maniliam latam, ut Pompeius prouinciam, cui Lucullus præfuisset, obtineret, & præterea Bithyniam, quam Glabrio, & Ciliciam, quam Marcius obtinebat, haberet, ut Mithridati bellum faceret. ac legi primum repugnatum esse, quod Marcio, & Glabrioni ante tempus imperium finiretur. Quare neque in Asia, neque in Bithynia, neque in Cilicia fuit Pompeius, ut in alienis prouinciis, sed ut in suis, ita ut ibi ius dicere, & bellū gerere potuerit. Dende uero Scipionem confiteris sine magistratu quidem fuisse, sed sine magistratu urbano, quod cum sit, ut opinor, idem, atque sine magistratu primario, ut alio loco respondisti, satis supra refutatum esse, existimo.

Ut porro probarem, cum imperio esse, & cum magistratu esse, inter se differre, proferebam uerba Suetonij in Tiberio: *Neminem cum imperio, aut magistratu tendente quoquam, quin Rhodum diuerteret.* quibus uerbis magistratus, qui imperatores essent, & qui non essent, intellexit. quos cū tu uoces maiores, & minores, haud longe à me recedis. Uerum eodem etiam modo locutus est Ulpianus D. ad legem Iuliam. *Quo quis magistratus populi Rom. qui de imperium potestatem de habet.* Præterea uero interpretabar: *Cum imperio esse,* in his esse idem, atque esse cum potestate belli gerendi, & exercitus habendi, non autem iuris dicendi. idque apparere dicebam ex uerbis Ciceronis: *Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari,*



*strari, teneri exercitus, bellum geri non potest. sit propterea eo iure, quo qui optimo, cum perpenderē verba illa, Demus imperium, non sine quo ius dici, sed sine quo res militaris administrari non potest. tu vero arripiens sequentia: Sit propterea eo iure, quo qui optimo, interpretaris, optimo iure esse, qui omnia iura prætoria consequutus sit, quod est longe aliter. est enim hoc loco optimo iure, quod est in or. de lege agraria, optima lege. cum inquit: Si lex curiata non erit, tum ij decemviri sint, quo qui optima lege. item: Ut sine lege curiata idem iuris habeant, quod haberent, si optima lege à populo creati essent, i. si legitime creati essent. Cum enim Octavius prætor non fuisset, iuste non poterat mitti propterea. at censet Cicero, ut etiam si prætor non fuerit, tamen optimo iure lectus fuisse dicatur. quod ostendunt verba senatus consulti: Senatus placere, C. Cæsarem propterea, senatorem esse, sententiamq; loco prætorio dicere, eiusq; rationem, quæcunque appetet, ita haberi, prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset. Præterea vero sine imperio exercitum haberi non posse interpretaris, sine publica remp. gerendi potestate, ac sine maiore coërcendi potestate. neque istam tuam expositionem aperte à Cicerone repudiari sentis, qui in iisdem libris dixit, Decrevi Cæsari imperium, quod quanquam videbatur ei etati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid est enim sine imperio exercitus? item: Cæsari extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. qui enim fieri potest, ut sine imperio teneatur exercitus? Hic si dicas, sine imperio, id est sine maiore coërcitione, quæ in licitoribus præferendis posita fuit, rem certe nouam, atque admirabilem dices, Octavio duodecim licitorum potestatem à senatu illo S. C. tantum esse permissam. si sine publica administrandi auctoritate dicis, ut Cæsarem eo S. C. ex priuato magistratum fecerint, quomodo extraordinarium imperium illud fuit, cum omnes ex priuatis magistratus fiant? Extraordinarium enim illud in hoc fuit, non quod priuatus factus sit magistratus, sed quod priuatus factus sit imperator: cum imperia magistratibus ordine mandarentur. neque enim si Cæsar ex prætore propterea missus ad bellum esset, extraordinarium imperium fuisset. siquidem extraordinaria imperia eodem loco vocat, que priuatis madata sunt. sic enim ait: De Cn. Pompeij imperijs tribuni pl. tulerunt. nam Sertorianum bellum à senatu priuato datum est, quia consules recusabant. cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule. Quod si tu hoc in loco imperia Cn. Pompeij magistratus Pompeij interpretaris, etiam tres consulatus comprehendas necesse est, de quibus consulatibus tribuni non tulerunt, & si ibi imperia non sunt magistratus, quia magistratus nominatim non mandatur, sed imperium militare, profecto neque hoc etiam in loco. neque in illo in Verrem: Cum nunciatum esset de Tempiano incommodo, atque inueniretur nemo, qui cum imperio in illa loca mitteretur. neque enim Tempianum illud incommodum refarciri coërcitione potuit, quæ fiebat per lictores, sed exercitu eguit, cui præesset imperator. item in illo altero in or. de provinciis: Macedoniam tenui præsidio etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi Romæ tuebamur. Neque enim est verisimile, Ciceronem dicere, Macedoniam esse retentam per legatos sine imperio, id est sine licitorum coërcitione, sed sine duce, qui haberet imperium, & rem suis auspiciis gereret, non autem alienis, ut legati.*

Iam verò cum ego aliquando definissem, *Cum imperio esse*, in his proconsulibus, & propterea significare, exercitui præesse, cuius qui esset imperator, hoc tu improbasti in prima responsione, his verbis: *Si in omnibus, qui in provincias mittebantur pariter, & eodem modo verum fuit, eos fuisse cum imperio. ita ut illud cum imperio esse, vna verbi significatione in omnibus illis acciperetur, verum profecto non est, illud cum imperio esse significare exercitui præesse, cuius quis sit imperator. per multos enim legimus provincias consulares, aut prætorias obtinuisse cum imperio, quibus tamen nullus exercitus, cui præessent, decretus erat. cur enim in pacatas provincias, & quibus nulla esset belli suspicio, mitteretur exercitus?* post autē cum ego de te quæsissem,

sem, quomodo posset aliquis esse imperator exercitus, qui non præesset exercitui, respondi, *quia multi exercitui præfuerunt, cuius tamen imperatores proprie dici non poterant, ut qui castris, aut provincia præficiantur à magistratu.* & tamē cum tam dissidentes inter se responsiones afferas, me tua peruertere, atque calumniari queris. Itaque cum in superiore perstans responsione, opposuisses, consules eos, qui sylvas, & calles provinciam sortiti essent, atque eos cum imperio quidem, sed sine exercitu eam provinciam obtinuisse dixisses, ego vero Taciti locum obiecissem, qui libro IIII. scribit, *Curtium, cui provincia veteri ex more calles euenerat, classiariorum copia conscripta, seruilem coniurationem compressisset,* respondi, me errare toto cælo. quia Curtius ille quæstor fuerit, non prætor, eumque rem extra ordinem peregrisse. neque intellexisti, si quæstor, atque extra ordinem hoc ille fecit, multo magis prætorem ordine facere potuisse. nisi vero cum inquit Suetonius *datam operam, ut Calles, & Sylva provincia futuris consulibus decerneretur,* eos imperatores futuros non putas, quia exercitum secum Roma non eduxissent, aut in provincia non accepissent. Quod autem quæstorem, de quo loquitur Tacitus, ordinarium quæstorem fuisse coniecisti, qui vectigalia illa exigeret, nescio quàm verè id facias. ac non potius quæstor fuerit prætoris eius, qui eam provinciam haberet. ut enim quæstor dabatur eis, qui ceteras provincias sortiti essent, sic ei, qui calles, & sylvas. neque enim dixisset, *Erat in ijs regionibus Curtius quæstor cui provincia veteri ex more calles euenerat,* si de ordinario quæstore, qui quotannis in eas regiones mitteretur, intellexisset; sed significat, renouatum eo anno morem antiquum in calles mittendi prætores cum quæstore. Quare quod ille conscripsit classarios, & compressit coniurationem, fecisse videtur ex imperio non magistratus sui sed prætoris sui, ipso absente fortasse prætore, ut alij multi, quorum te exempla non fugiunt. Quod autem occurris, *consules, qui in sylvas provinciam proficiscuntur, profecturos quidem cum imperio, sed non militari, verum cum potestate coërcendi, quæ necessitatem affert, & si in his imperium potestatem militarem non significet, neque etiam in ceteris significaturum,* cum est absurdū, tum doctrinæ tuæ cōtrarium. siquidem libro III. cap. II. de comitiis ita scribis: *At enim neminem prætorio, aut consulari imperio in provincia fuisse, qui belli gerendi potestatem non habeat, dubitari non potest.* Ex quibus intelligo, te non quidem cælo toto errare, quod procliuè est, præsertim non contemplanti, sed domi tuæ te errare, atque in ipsis doctrinæ tuæ sedibus hospitari. Ego vero eos cum imperio militari fuisse dico, exercitum actu habuisse, non assero. idēque dico de iis, quibus paludes siccandæ datæ sunt, quod de Sicinio aduersus locustas cum imperio missio dixi. nec tam provinciarum, quàm hominum habitam esse rationem, ne deteriore iure essent, quàm ceteri pro consules forent. Etenim si consules ius militare habuerunt, ut tu censeres, iniuria eis fieret, si, cum proconsules mitterentur, id iuris eis adimeretur, quod potius adaugendum esset. Quamobrem miror, cur tu dicas, Sylvas provinciam minimi negotij à Suetonio appellari, qui sine exercitu possit obtineri. non enim eos iusto exercitui actu præfuisse, sed ius exercitus habendi habuisse volo. Ceterum quod dixi de Sicinio prætore designato cum imperio aduersus locustas missio, quàm comice dii boni exagitas, quàm lepidus in hoc, & non sine aculeo facetus videri cupis: de bello prætorio contra locustas. de triumpho de locustis. nosti locum. scilicet indignum esse concludis, aduersus locustas missum esse imperatorem; decorum autem, missum esse magistratum populi Romæ. nam imperium ibi interpretaris maiorem coërcendi potestatem. quasi vero expeditio in locustas conuenientior magistratui populi Romæ futura fuerit, quàm imperatori. Ego vero, cum Sicinius prætor designatus missus sit extra urbem, cum maximo missum esse imperio arbitror. maximum autem est militare, quippe sine prouocatione, non quidem ut locustas bello persequeretur, sed ut homines nec obediētes non solum coërcere, sed etiam armorum terrore cogere posset.

Cum autem concessissem, qui in pacatas prouincias missi essent, exercitum actu non habuisse, sed ius comparandi habuisse, atque; iccirco legatos, tribunos militum, praefectos, & cohortem praetoriam aliquam secum duxisse, eique praefuisse, haec tu omnia verberare aggressus es, sed ita tamen, ut vix me attigeris. Nam quod Cn. Pompeium affers, qui, cum praefectus esset annonae factus cum imperio proconsulari, exercitum non habuerit, sed iure tamen parare potuerit, si opus esset, totum est a me. neque enim diuersa facio, habere exercitum, & posse sine vlla noua lege habere. eadem enim est auctoritas, idem imperium. nam qui actu imperat exercitui, & qui cum libet, imperare potest, idem est imperator. Quod autem legatos negas habuisse in usum rei militaris, quia legati publici ministerij adiutores fuerint, non me laedit, dum modo legatos habuerint, quorum opera, si usus foret, ut in iure dicundo, sic in re gerenda uti possent. Quod tribunos militum negas habuisse, quia exercitum non habuerint, respondeo habere potuisse in eum usum, ut si res armis gerenda esset, ne Roma euocare eos necesse haberent. Nam quod inquis, *tribunus mil. est graece χιλιαρχος, id est qui mille militibus praest: ergo vbi milites mille non fuerint, tribunus esse non poterit*, perinde est, ac si dicas, praetor est, qui praest exercitui; non est exercitus, ergo non est praetor. item, tribus dictae, quod a principio tres fuerunt; ergo postquam triginta quinque factae sunt, non fuerunt tribus. Quare ut in tota hac disputatione vacillas, sic de tribunis militum peruerse sentis, ac praecipis. Inquis enim, *tribunos mil. qui quattuor legionibus praesent, a populo creati solitos. si aliae legiones scriberentur, illis a magistratibus praepositos fuisse tribunos, qui dicerentur Rufuli. cur autem peruerse? quia qui ordinariis legionibus praefuerunt, non minus magistratum aliquando beneficio, quam populi suffragiis id assecuti sunt. audi Liuium anno vrbs cccxcii: Cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri. (nam & antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores faciebant.) Torquatus secundum locum in sex tenuit. & anno cccclii. Tulerunt tribuni pl. ut tribuni mil. seni deni in quattuor legiones a populo crearentur, quae ante per quam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia. At Cicero, inquis, in praetura Verris legatorum, & quaestorum eius meminit, tribunorum militum non meminit. optime. cur non meminit? quia non habuit, inquis. O rem ridiculam. Verres bellum fugitiuorum gessit, ut inquit in septima Cicero, ergo solus gessit. quo modo solus? quia non habuit exercitum. quam ob rem non habuit exercitum? quia non habuit tribunos militum. Ecce tandem aliquando imperator sine exercitu, quem tu tanta cura exquiris, & inueniri posse negas. Sed hoc ferendum. Cum Verrē praetorem cohortem praetoriam habuisse inficiari non posses, eò delapsus es, ut dicas, cohortem praetoriam non ex armatis militibus, sed ex domesticis conuictoribus, & necessariis apparitoribus constituisse. quorum vtrunque falsum. audi Festum: *Praetoria cohors est dicta, quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quenque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero munere militia vacarent, & sesquiplext stipendium acciperent; & Ciceronem de quaestore Verre: Dedit stipendium cohorti praetoriae. Ex quo apparet, scribas, praecones, & alios ministros eius modi improprie ex cohorte praetoris dictos, quod ipse significauit in epistola ad fratrem: Quos vero aut ex domesticis conuictoribus, aut ex necessarijs apparitoribus esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent, nimirum eos appellans non ex cohorte praetoris, sed quasi ex cohorte praetoris. ex quo efficitur, cohortem praetoris proprie ex militibus constituisse, improprie ex ministris, & apparitoribus praetoris, Ciceronem vero ad contumeliam Verris cohortem eius totam ex humilibus apparitoribus potius, quam ex militibus constitutam significasse. Quod autem addis, non cohortem praetoriam argumentum potestatis bellicae administrandae fuisse, sed quod praetores classem ex foederis formula imperarunt, & praesidij causa habuerunt, ut de Flacco Asiae praetore dixit Cicero, id totum alienum est.**

est. neque enim Flaccus, ut imperator ex foedere classem imperauit, sed ut praetor. Ut enim praetor vrbanus Romae ciuilis iuris erat custos, sic proconsul in prouincia prouincialis. quod si ille ex foedere imperauit, fecit id, quod erat in iure. quod idem de Verre iudicandum est, qui naues Siculis imperauit.


Addis postremo, *vbi non est bellum, non est imperator; in pacatis prouincijs non est bellum, ergo neque imperator; & tamen est aliquis cum imperio: quare esse cum imperio, non est esse imperatorem.* O plumbeum pugionem. Vbi non est bellum, non est fortasse imperator, qui actu praesit exercitui; at est, qui, si opus sit, praesesse potest. frustra enim imperium accepisset, ac paludatus exisset. Tales autem alia ratione proconsules dicti sunt, alia imperatores; proconsules, ut ius dixerunt, imperatores, ut rem belli cae administrarunt, aut ius administrandi habuerunt. Quid ergo tandem constituis? operæpretium est audire: *Qui cum imperio in prouincias profecti sunt, magistratus fuerunt; non autem qui magistratus fuerunt, etiam cum imperio omnes fuerunt. siquidem quaestores, inquis, magistratus fuerunt, verum sine imperio.* O praclarum decretum, & vnde quaque verissimum. at legati non ne cum imperio fuerunt; & tamen, te auctore, magistratus non fuerunt; & quaestores ipsi non etiam cum imperio fuerunt, cum coercendi potestatem habuerint, quam tu vocas imperium? siquidem quaestores prouinciales lictores cum fascibus praetulerunt. ut ostendit Cicero in Verrem: *Quaestores vtriusque prouinciae, qui isti praetori fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt.* Quae si ita sunt, profecto ad id nos redisse sentis, quod ab initio tractare cepimus, & in quo huius disputationis summa versatur, imperatorem longe esse a magistratu diuersum, neque imperium in magistratu ipso esse inclusum. Qua de re quoniam iam bis ab vtraque parte, quasi comperendinata causa, est peroratum, reliquum est, ut aliquando tandem iudices in consilium ire patiamur, atque huic controuersiae finem imponamus.

Haec mihi differuisse videor de antiquo iure populi Roma. id est de ciuibus Roma. Latinis populis, Italicis, ac Prouincialibus, dum populus Roma. idem gentium moderator, ac liber fuit. Nunc quoniam video, iudiciorum rationem vnam omnium maxime ad ius populi Rom. pertinentem,

haud quaquam satis libris superioribus illustratam, lumen aliquod orationis litterarumque desiderare, separatim, quænam ea, florente pontifimum rep. fuerit, quod ipse obseruare potuerim, demonstrabo.

CARO





CAROLI SIGONII  
DE IUDICIIS LI-  
BRI TRES.



Ad amplissimum Præfulem Io. Baptistam  
Campegium Maioricensem  
Episcopum.



VM omnes Romana disciplina par-  
tes fructuosa, atque frugifera sunt,  
IO. BAPTISTA CAMPEGI, Præ-  
sul amplissime, tum nulla ad usum,  
vitamque hominum aptior, atque op-  
portunior ab hominibus indicatur,  
quam, qua de iudicijs appellatur. Ete-  
nim cum tota in ipsius obscuritate iu-  
ris aperienda est posita, cuius constans,  
ac moderata observatio solidam omnino, synceramque civilem so-  
cietatem, ac concordiam continet, tum vero eiusmodi est, ut cui ipsa  
sit ratione diligenter, atque animo perlustrata, is satis non solum ad  
Iurisconsultorum, sed etiam ad oratorum, atque historicorum libros  
intelligendos instructus sit. verum tam multis semper diuisionibus,  
tam multis definitionibus, tot formulis, tot actionibus, tot denique cu-  
iusdam quasi forensis artis inuolucris fuit implicita, ut non eos solum  
vehementissime exercuerit, qui præcepta de illa tradere, sed qui eam  
quoque ex præceptis illis voluerint exercere. Quod si ullis aliquan-  
do tenebris hæc obducta quæstio fuit, ab eo præcipue tempore fuit, quo  
antiqua iudiciorum formula à Iustiniano Imperatore abrogata de-

poni



poni cœperunt, atque ipsa prisco more, atque instituto celebrari iudi-  
cia desierunt. Etenim dimissa veterum iudiciorum tractatione simul  
et præclara illa, qua in librorum commentarijs, et legum tabulis  
versabatur, disciplina collapsa est. qua si hoc tempore teneretur, ma-  
ximum sine dubio momentum ad eas, quas adhuc habemus, legum,  
et caussarum reliquias percipiendas, ac cognoscendas afferret. Ut  
omittam, quod hæc ratio ignorata non minimam secum pulcherrimam  
Romanorum reipublica partis inscientiam trahit, qua in iusto recte,  
ac scite reddendo potissimum cernitur, et tetram caliginem multis  
Latine dicendi formis offundit, quibus incognitis Latina lingua ma-  
xima antiqua suæ dignitatis, ac pulchritudinis parte orbatur. Itaque  
præclare veteres non tam ingenij, quam iudicij copia, gloriaque præ-  
stantes, ut summæ huic utrique laudi seruirent, plurimos de iurisdic-  
tione, iudicijs, et iure prætorio commentarios, quos nunc graui iniu-  
ria vetustatis amissos frustra desideramus, non sine maxima nominis  
sui gloria reliquerunt. Hæc igitur cum ego animaduertirem, qui nu-  
per de antiquo iure populi Romani scribere multis libris editis insti-  
tueram, suscepi onus omnium hæc ætate grauissimum, ut prisca illam  
iudiciorum Romana florente reipublica rationem in præcepta,  
artemque conferrem, ac singulas in intendenda, atque excipienda actio-  
ne, ipsoque iudicio faciendo formulas aperirem, quas Imperiali consti-  
tutione constaret esse sublatas. præsertim vero cum ad ea, qua ceteri  
hæc ætate in hoc genere pulcherrima peperissent, multa et ipse afferre  
ex veteribus monumentis eruta, ac diuturno notata, ac collecta stu-  
dio, possem. Itaque rem totam complexus animo, uniuersam in tres  
partes distribui, unam, in qua de priuatis iudicijs scripsi; alteram, in  
qua de publicis; tertiam, ubi, quemadmodum ipsa populi iudicia fie-  
rent, demonstravi. dedi que operam, quoad potui, ut cum cetera dili-  
gentia, tum maxime accurata rerum, institutorumque descriptione, et  
ordine plurimum discantium ingenia, studiaque ad forenses hanc lau-  
dem, iudiciariamque dirigerem. quod iurisperitum neminem in tanta,  
qua increbuit in omnibus iam ciuitatibus, copia adhuc ne tentasse  
quidem viderem. Hæc vero descriptione perfecta, si modo perfici res-  
tanta, ac tam difficilis potest, duplicem me laboris, industriaque meæ  
cepisse fructum animaduerti, unum, quod me institutum de iure po-  
puli Ro. opus, at textu hoc non leuissimo iudiciorum additamento ube-  
rius, ac clarius reddidisse cognoui, alterum, quod occasionem me na-  
ctum esse pulcherrimam sensi tui aliquo scriptorum meorum genere

L appel

appellandi, quod ex grauiore, atque interiore disciplina depromptum esset, & cum excellenti tuo iudicio arrideret, tum praecipue etiam amplitudini conueniret. Quam rem iam pridem auidissime cupiebam, non quidem, ut nomen tuum apud homines eiusmodi, ut ferme fit, appellationis officio commedarem, sed certe, ut hoc munere veteri meo studio erga te inferuirem. Neque enim, dum de iudicijs scripsi, adeo expers iudicij factus sum, ut existimem, fieri posse, ut ego eximias laudes tuas ullo ingenij mei momento illustrem, quae sua claritate usque adeo fulgent, ut latissime omnibus gentibus illucescant. Etenim, si in familiam tuam intueor, plures, & quidem amplissimas dignitates intra quadraginta annos in una Campegia domo floruisse, quam omnibus saeculis in ciuitatibus multis reperio; si in singulos propinquos respicio, continuo Laurentius pater tuus occurrit, vir nimirum vel cum ipsa antiquitate augustissima comparandus. qui iuriconsultus, episcopus, Cardinalis, & Apostolicae sedis legatus egregie omnes summae doctrinae, eximia pietatis, ac perfecta sapientiae partes impleuit, unusque plus ornamenti, ac praesidij consilio, auctoritate, ac sedulitate in agendo sua Christianae reipublicae attulit, quam quiescendo reliqui a Deo ausi sunt postulare. occurrunt praeterea ingenti prope agmine fratres, patruus, & patruelus, qui item episcopi, Cardinales, duces, ac senatores ita plerique fuerunt, ut ex eorum integritate, fortitudine, & prudentia magnum non solum Ecclesia Romana, sed etiam Bononiensis resp. fructum utilitatis, dignitatisque rettulerit. Quae quanquam splendidissima, magnaque commendatione digna sunt omnia, tu tamen alia vitae ratione assequi conaris, ut eadem multo illustriora, atque hominum memoria commendatiora reddantur. Etenim, cum ipse propter perditam totius prope corporis valetudinem in ocio degas, sic tamen uiuis, ut in clarissima omnium, qui publica negocia gerunt, luce uerferis. sic ab honoribus affectandis, ac quasi sitiendis abhorres, ut eis respuendis, ac deponendis plus gloria consequaris, quam alij quarendis, atque gerendis. sic ab ecclesia, & ciuitate administranda abes, ut tamen praesto, cum opus sit, difficillimis utriusque temporibus adsis. Neque enim est obscurum, sed constanti omnium uoce, ac communi praedicatione concelebratum, te amplissimam, opulentissimamque Maioricensem Ecclesiam ultro multo etiam ante Tridentini decreta Concilij dimisisse, neque ullum inde tibi fructum, aut commodum reseruasse: te fortissimos, atque optime de Christiana reipublica meritos milites Hospitalis periculosissimo illo Melitensi bello saepius amplissimis pecuniarum muneribus adiuuasse: te Ecclesia acer-

rime

rimè cum communi hostibus pro publica libertate bello Cyprio contendenti tua uoluntate annua stipendia praebuisse. quarum rerum unaquaque, per sese facillimè, quanta sit pietatis, animique, tui magnitudo, ac splendor, ostendit. Nam quid dicam, ut in patria tua totus ad arumnas ipsas paupertatis subleuandas incumbas, cum perspicuum sit, te non semel, uerum iterum, ac saepius laborantibus sacrarum uirginum sodalitijs ingenti ui pecunia subuenisse, uirgines nobiles a te tuo matrimonio honestissimo copulasse, pueros uero Mendicantes multo etiam grandiore summa, tota plaudente, ac gratulante ciuitate, iam saepissime sustentasse? usque adeo ut omnes fateantur, nisi tu extitisses, qui labentem caeterum illum insigni tua liberalitate fulsisses, ipsum a ceteris prope desertum saepius iam ad extrema fuisse venturum. Iam uero illa quanta, & quam admirabilia sunt? singularis morum integritas, uita constantia, moderatio animi, doctrinae studium, eloquentiae laus. quibus singulis ita excellis, ut omnium bene sentientium iudicio parè te reddas eis, quos interdum in ueterum scriptorum monumentis legentes excellenti inaudita uirtutis capti magnitudine obstupescimus. Tusculanam uero illam amoenam in primis, atque magnificam, quanquam in praesens, quod alius de ea dicendi sit locus, omitto: constat tamen, abs te non tam tibi, studiisque tuis, quam amicorum, & praecipue doctorum opportuno diuersorio comparatam. quorum erudito, humanoque congressu, ac consuetudine iam inde ab ineunte aetate adeo delectaris, ut maximam in ea re partem honesta, iucundaque uita statueris. Et, quanquam tu domesticis his, ut dixi, ac proprijs laudibus sic abundas, ac prope circumfluis, ut nomen tuum neque meo, neque cuiusquam ingenio clarius effici, atque ornatius possit, dabitur tamen, ut opinor, a summa tua facilitate locus mihi aliquis, qui te non fortunarum amplitudine, sed uirtutis splendore adductus singulari iam pridem studio colo, ut testimonium aliquod propense, ac constantis meae erga te uoluntatis monumentis his industria mea in tuo nomine publicandis relinquam. Quamobrem patere quaeso, Pater amplissime, ut cum ego omnia Amplitudini tuae propter egregia tua erga me beneficia debeam, partem eorum hoc, quanquam exiguo, munere exoluam. & quae nobilitatis, uirtutisque tuae praestantia de adhibendis cogitare ad prodendam, illustrandam uel memoriam monumentis non sinit, eum humanitatis magnitudo ad referendam saltem hoc officij genere gratiam ueteri suo, ut dixi, satisfacere studio patiat. Quae de re antiqua te potissimum auspice declarare iudicia ingrediamur, atque a definitione iudiciorum exorsi reliqua deinceps ipsis actionibus, ac formulis afferendis, ac pro nostro iudicio digerendis uniuersi huius operis quasi tela, ut alijs in libris instituimus, subtexamus.

CAROLI SIGONII  
DE IUDICIIS  
LIB. PRIMVS.

*Quæ priuata iudicia fuerint.* CAP. I.



**I**UDICIA dicta sunt, quæcunque aut magistratus ipsi ius dicentes decreuerunt, aut Iudices à magistratu ius dicente dati de iure statuerunt. Quoniam autem ius aliud priuatum fuit, aliud publicum, propterea iudicia alia priuata, alia publica extiterunt; priuata quidem de controuersis, publica vero de criminibus constituta. Vnde dixit pro Cæcina Cicero: *Omnia iudicia aut distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum malefactorum causa reperta sunt.* De utrisque, quando agere nobis in animo est, prius de priuatis dicamus.

Priuata iudicia fuerunt decreta, seu sententiæ de controuersis priuatis, quæ aut magistratus ipsi, qui ius dicebant, aut iudices à magistratibus ius dicentibus dati tulerunt, prout iure erat sancitum. Ita fit, ut tota priuatorum iudiciorum tractatio quinque partibus disputatione constet, controuersiarum, iuris, ius dicentium, actionum, & iudicium. Quæ si explicuero, tria simul etiam in hoc genere maxime necessaria aperuerro, res, de quibus factum iudicium fuit, personas, quæ fecerunt, & rationem faciendi.

*De controuersis civilibus, seu priuatis.* CAP. II.



**C**ETERVM causæ de quibus priuata constituta iudicia sunt, lites, seu controuersie fuerunt, ciuiles, ac priuatæ appellatæ; ciuiles quidem, quod aut iure ciuili comprehensæ, aut à iure ciuili profectæ sunt, priuatæ vero, quod aut priuatum quæque, non populum, nec rem publicam attigerunt, aut quod priuato tantum, cuius res ageretur, actio conueniret, non è populo cuicumque. Harum vero controuersiarum prisca iurisconsulti tripartitam attulere diuisionem. Quippe alias voluerunt ad personas pertinere, alias ad res, alias ad obligationes. ut Iustinianus in Institutionibus scripsit, quem auctorem in hac disputatione nobis, quoad fieri poterit, sequendum suscepimus. Quamobrem ex eius auctoritate singulas breuiter, ut ordine nostra progrediatur oratio, demonstremus.

*De controuersis personarum.* CAP. III.



**I**N controuersis ad personas pertinentibus posuerunt, quæ de liberis, ac seruis, libertis, & patronis incidere lites potuerunt. itemque quæ de ingenuis, ac libertinis, de patria in filios potestate, de nuptiis, de adoptionibus, capitis diminutionibus, ac tutelis, de quibus, quod ad hunc locum pertinet, satis à nobis in primo de iure ciuili Rom. est sciptum.

*De controuersis rerum.* CAP. IIII.



**R**ERVM autem alia in patrimonio nostro esse dictæ sunt, alia contra. In patrimonio fuerunt res priuatæ, nempe quæ abalienari pro arbitrio potuerunt. Extra patrimonium res sacræ, religiosæ, sanctæ, & publicæ. Sacræ dictæ, quæ per pontifices consecratæ Deo sunt, ut aræ, templa, donaria. Religiosæ, loca, in quæ illati mortui fuerant. Sanctæ, quæ ut inuiolatæ essent, pœna proposita cautum erat;

erat, veluti muri, & portæ urbis. Publicæ, quæ omnium hominum, ac gentium communes sunt, ut aër, mare, littus, aut omnium alicuius ciuitatis ciuium, ut fora, basilicæ, theatra. Item res aliæ corpus habuerunt, aliæ corpore caruerunt. Habuere, quæ sub censum ceciderunt, ut fundus, & domus; caruere, quæ animo tantum comprehendere potuerunt, ut hereditas, obligatio, seruitus. Item aliæ fuere mancipi, aliæ nec mancipi. Mancipi, teste Vlpiano, vocarunt prædia in Italiæ solo tam rustica, qualis est fundus, quàm urbana, qualis est domus. item, iura prædiorum rusticorum, veluti viam, iter, actum, & aquæ ductum, item seruos, & quadrupedes, quæ dorso, collo, & domarentur, sicuti boues, mulos, equos, & asinos. Nec mancipi ceteræ res appellatæ. Acquiri vero aut singulas voluerunt, aut vniuersas. singulas aut iure gentium, aut iure Quiritium. iure gentium, ut occupatione, captiuitate, accretione, rei effectione, traditione, & seruitute; iure Quiritium, ut mancipatione, vsucapione, in iure cessione. Occupationis ius erat eiusmodi, ut quod nullius esset, primum occupanti acquireretur, captiuitatis, ut quæ ex hostibus cepissent, sua fierent. Accretionis, ut quod alicui rei sic accreuisset, ut pars esset totius, eius esset, cuius totum esset. atque hoc in alluione, circumluuione, inædificatione, fatione, pictura, scriptura, prætexta valere voluerunt. Rei effectio eam vim habuit, ut si species ex aliena re confecta ad pristinam formam reuocari posset, eius esset, cuius erat res, quasi materia non esset extincta. aut si ex vtriusque materia confecta esset, eius, qui effecisset. Traditio venditionem, permutationem, legatum, donationem complexa est. Seruitus dicta est, quod quis vel in re, vel ex re sua alteri constituit. quæ duplex fuit, personarum, ut vsusfructus, vsus, habitatio, & rerum, ut seruitutes prædiorum urbanorum, & rusticorum. urbanorum, ut tigni immittendi, stillicidij recipiendi, vicinis luminibus non officiendi; rusticorum velut iter, actus, via, aquæ ductus, haustus, & eiusmodi alia. Reliqua tria mancipatio, in iure cessione, vsucapio quid essent, & quemadmodum iure Quiritium inter solos ciues Romanos fierent, in primo de iure ciuili Romanorum demonstraui. Res porro per vniuersitatem acquiri voluerunt, sex modis, hereditate, fideicommissio, bonorum possessione, arrogatione, & bonorum emptione. Hereditas fuit successio in vniuersum ius, quod defunctus habuit. eaque duplex fuit, testamentaria, & legitima. Testamentaria fuit iusta, & solemnis testatio mentis, ac voluntatis nostræ de vniuerso iure nostro in aliquem, pluresve post mortem nostram abalienando. atque in his de hereditatibus, legatis, & fideicommissis cauerunt, & secundos, tertiosque heredes substituerunt. Legitima fuit, quæ ab intestato ex lege XII tabularum delata fuit. Intestatus dictus fuit, testamento non facto, non iure facto, rupto, irritòve facto, & ab herede destituto. Quod si quis intestatus moreretur, lex primum liberis, deinde agnatis hereditatem attribuit. Fidei commissio appellata, quæ fidei heredis, ut ea redderet, committebatur. ut siquid ei testator datum vellet, cui per leges capere non liceret. itaque non iuebatur heres, sed rogabatur. Horum autem duo genera; vnum, quibus res singulæ, veluti vestis, aut fundus relinquebantur; alterum, quibus vniuersæ, ut hereditas, transferebantur. ut *L. Titius heres esto. Peto abs te L. Titi, ut meam hereditatem C. Seio restituas.* Bonorum possessio erat ius persequendi, retinendive patrimonij, siue rei, quæ cuiusque, cum moritur, fuit, solius prætoris beneficio instituta. nam quia hæres prætor facere non poterat, bonorum possessionem pro suo iure cuique attribuebat. Earum vero multa genera fuerunt. de quibus post commodiore loco dicemus. Arrogatio quæ fuerit, supra dictum. Arrogatione vero bona eius, qui arrogabatur, omnia præterea, quæ capitis diminutione pereunt, arrogatori pleno iure querebantur. Publica bonorum emptio auctione constituta fiebat, cum debitoris alicuius latitantis bonorum possessio creditoribus à prætore concessa esset, eaque bona triginta dies ab iis possessa fuissent.



**S**EQVUNTUR obligationes. obligatio vero fuit iuris vinculum, quo necessitate astringebatur alicuius rei soluendae ex iure ciuili. Haec triplex fuit, naturalis, ciuilis, mixta. Naturalis, cum reuera contracta erat, vel cum reuera contracta esset, facto tamen aliquo, sed ad iuris ciuilis rationem non accommodato dissoluta erat. vt si quis vi, metūve promississet, summo iure obligatus erat. & si creditor patens esset, se nunquam petiturum, aut debitor creditoris postulatu iurasset, se non debere. Mixta, quae cum re vera, & æquissime contracta esset, etiā à iure ciuili comprobata erat. vt ex mutuo, commodato, deposito, empto, conducto. quin etiam obligatio bipartita fuit, ciuilis, & honoraria. Ciuiles dictae, quae ab aliqua iuris ciuilis parte institutae, veluti lege xii tabularum, vt heres legatario sit obligatus. Honorariae, quas vel praetores, vel aediles in edictis suis instituerunt. veluti cum praetor bonorum possessionem creditoribus omnibus hereditariis obligauit. Item obligatio alio modo quadripartita fuit ex contractu, ex quasi contractu, ex maleficio, ex quasi maleficio. Contractus fuit negotium inter duos, pluresve data opera gestum, vt vel vterque inuicem, vel alter tantum alteri obligaretur. Contractus alij nominati, alij innominati. Nominati alij re parere obligationem dicti, alij verbis, alij litteris, alij solo, nudoque consensu. Re obligatio contrahebatur, cum ea non nisi re tradita, acceptaque, concipiebatur. vt in mutuo, commodato, deposito, pignore. Mutuum erat contractus, quo rerum, quae pondere, numero, mensura constarent, vsus ita concedebatur, vt postea non eadem, sed aliae generis eiusdem redderentur. Commodatum erat contractus, quo gratis alicuius rei vsus ita concedebatur, vt accipiens summam in ea ipse reddenda diligentiam praestare deberet. Depositum contractus, quo res aliqua ea lege apud alterum deponeretur, vt is dolum tantum, & nonnullam in ipsa reddenda culpam praestare deberet. Pignus, contractus, quo res aliqua creditori ea lege obligabatur, vt in illa ipsa, cum primum ei satisfactum esset, reddenda dolum, & leuem culpam praestaret. Verbis contrahebatur obligatio per stipulationem. Stipulatio erat interrogatio certis solemnibusque verbis concepta, & apta, consentaneaque responsio, veluti *spondes? spondeo, dabis? dabo*. De stipulationibus autem quattuor querebantur. quae personae stipulatione vel obligare, vel obligari possent, quae res in stipulationem deduci possent, quae forma stipulandi esset, quod ius stipulationum existeret. Ad stipulationes autem pertinebant fideiussiones, quae per stipulationem fiebant, & vt aliam obligationem confirmarent, institutae erant. Fideiussor erat, qui fide, aut periculo suo suadebat, vt id, de quo agebatur, fieret, quoniam eius euentum praestaret. Fideiussionis formula erat, *Certum a me Titio tua fide credita esse iubes? iubeo*. Iubebat autem sua fide, qui auctor, ac suator erat, vt alteri quid crederetur. Fideiussio vero omni obligationum generi adhibebatur. litterarum obligatio ea erat, quae per scripturam fiebat. neque tamen omnis, sed praecipue ad nomina, quae in tabulis accepti, & expensi fiebant, contrahebatur. itaque nominum obligatio saepe appellabatur, cum alicui quid expensum ferebatur, i. scribebatur in tabulis, aliquem alicui certam pecuniam expedissee. Obligatio ex consensu erat, quae sine rei traditione, sine stipulatione, sine nominibus, nudo consensu, solaque conuentione contrahebatur. vnde & inter absentes, & inter surdos, ac mutos recte fiebant. Erant autem quattuor, emptio, locatio, societas, & mandatum. Emptio, & venditio erat contractus bonae fidei inter quos iure ciuili licebat, nudo consensu factus de re certa, certo pretio in perpetuum domini iure obtinenda. eaque in personis, rebus, forma contrahendi, & contractus iure consistebat. Locatio contractus bonae fidei de re aliqua certa mercede vel facienda, vel ad tempus vtenda inter quos iure ciuili licebat, factus. atque in totidem partibus, quot emptio, erat positus. Quod si nulla merces constitueretur, sed tantum, quantum inter eos conuenisset, neque locatio, neque conductio, sed actio

actio Praescriptis verbis dicebatur. Societas erat contractus bonae fidei de alicuius vel rei vel negotiationis communione sic institutus, vt eius & quaestus, & danum ad vnumquemque communiter pertineret, cuius totidem, quot superiorum, erant partes. Mandatum contractus bonae fidei de eo, quod fieri sine mercede conueniret, periculo mandatoris exequendo, inter quos iure ciuili licebat, factus, atque in hoc personae, res mandata, forma mandati, & ius contractus considerabantur. His etiam contractibus adiungere licet fiduciam, quae iuris ciuilis fuit. Erat autem fiducia species mancipationis, vt Boetius ait; nempe quoties cui res aliqua mancipabatur cum eo, vt eam mancipanti remanciparet. veluti si quis tempus dubium timens amico potentiori fundum mancipasset, vt sibi, cum tempus, quod suspectum esset, praeterisset, redderet, haec mancipatio fiduciaria nominata, quod restituendi fides interponeretur. Liuius libro xxxii: *Optimum ratus Corinthum Nabidi Lacedaemoniorum tyranno, velut fiduciarium dare, vt victori sibi restitueret; si quid aduersi accidisset, ipse haberet*. Itaque fiducia videtur fuisse contractus, quo fidem alicuius sequuti rem ei aliquam dicis causa mancipabant, ita dictus, quod nulla alia re, quam fide, ac probitate emptoris freti eam venditionem celebrabant. In eius vero formula haec verba fuere sollemnia: *Vt inter bonos viros bene agi oportet, & Vt ne propter te, fidem de tuam captus, fraudatus de sim*. Obligatio ex quasi contractu erat, quae neque ex contractu, neque ex delicto proprie nascebatur, sed quia rei priuatae negotium gestum erat, ita appellabatur, vt si quis negotium absentis, & ignorantis sua sponte, ac sine mandato gessisset, quae Negotiorum gestorum appellata. Contractus innominati erant quattuor, Do, vt des, Do, vt facias, Facio, vt des, Facio, vt facias. Do, vt des, cum id negotium gestum erat, quod neque emptionis, neque vllius alterius nominati contractus nomine appellari poterat. sed conuentum erat, vt res pro re daretur. veluti in permutatione, & negotio aestimatorio. Do, vt facias, cum id conueniebat fieri, quod locari non poterat. veluti, Vt centum aureos Sempronio dem, vt seruum suum manumittat. Facio, vt des, is qui cum superiore recipitur. veluti, si conuenisset, vt seruum meum manumittam, & tu mihi centum soluas, Facio, vt facias, cum neque gratis neque mercede pecuniaria constituta quid fieri conueniebat, sed, vt factum pro facto redderetur, veluti vt vicini bobus suis alternis diebus vterentur. Obligationes autem quattuor modis dissoluebantur, solutione, acceptilatione, nouatione, & delegatione. solutione, cum vel ea res, quae debebatur, vel si modo creditor consentiret, altera praestaretur. nam inuito creditori aliud pro alio solui non poterat. Acceptilatio erat in tabulas acceptae pecuniae relatio. Nouatio, prioris debiti in aliam obligationem transfusio, atque translatio, quae per stipulationem fiebat. Delegatio, alterius debitoris in suum locum substitutio. obligationes ex delicto, quae ex delictis tantum priuatis nascebantur, furto, rapina, damno iniuria dato, & iniuria. Furtum erat contrectatio fraudulenta lucrifaciendi gratia vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisve, quod legi naturali prohibitum erat, admittere. idque duplex, manifestum, & nec manifestum. manifestum, cum res in manibus furis, antequam destinatum in locum ferretur, deprehensa erat. nec manifestum, cum fur in faciendo quidem deprehensus non erat, sed eum furtum fecisse, negari non poterat. De manifesto furto sic in tabulis xii: *Qui noctu furtum faxit, aut interdum telo se defendit, cum domino cum clamore testificanti occidere ius esto. si neque noctu, neque se telo defendens prehendatur, virgis caesus ei cui furtum fecit, addictor. seruus verberibus affectus de saxo deijctor. impubes arbitrato praetoris verberator*. Nec manifesto vero ex lege xii tabularum proposita poena erat dupli, & praetoris edicto quadrupli. Rapina furtum erat illud quidem, sed impudenter, & vi factum. itaque rapinae & priuatum, & publicum constitui iudicium potuit. poena proposita fuit tripli. Damnum iniuria datum a furto, & rapina fuit diuersum, quod illa lucrifaciendi causa tantum, hoc damni inferendi causa factum est. illa non sine dolo, hoc per impru-

dentiam admissum. Iniuria enim est non cauere quod cauere debuit, & potuit, ut is, qui eo loco iaculatur, vbi vel nulli, vel soli se milites exercere solent. Iniuria deum erat, quæ aut pulsatione, aut conuicio, aut turpitudine corpus, aures, aut vitam alicuius violauit, aut nostram, aut alterius in contumeliam nostram. De ea sic in x i i: *Si iniuriam alteri faxit, x x v æris pœna sunt. si membrum rupit, nisi cum eo pacit, talio est o. Si os fregit . . . . æris sunt o.* Gellius libro x x: Iustinianus libro i i i. Prætores inde permiserunt, ut passi iniuriam pro arbitrio æstimatorum, secundum gradum dignitatis, & vitæ honestatem. Obligatio ex quasi delicto erat, cum quis pœna aliqua multabatur quasi deliquisset, cum tamen reuera non deliquisset, sed tantum in culpa esset, veluti si cuius ex cœnaculo deiectum aliquid esset.

## De legibus iudiciorum priuatorum.

CAP. VI.



Q VONIAM autem diximus iudicia priuata decreta fuisse de controuersis priuatis facta, prout iure erat sanctum; & vnde natæ controuersæ sint, demonstratum est; iam quæ iuris partes fuerint, breuiter indicemus. ex quibus vero de singulis controuersis iudicia facta sunt, fuere leges x i i tabularum, leges aliquot post x i i tabulas, & Edicta prætorum.

Leges x i i tabularum, ius omne priuatum complexæ sunt, ut supra in libris de iure ciuium Romanorum est demonstratum. atque infra, ut cuiusque rei dabitur occasio, earum commemoratio repetetur. Leges post x i i tabulas, quæ quidem de iure ciuili fuerint, pauca fuerunt, & leges x i i tabularum suppleuerunt. fuere autem Furia, Voconia, Atinia, Atilia, Aquillia, & Falcidia. Furia; *Ne cui nisi manus. soris cognato, certisque alijs personis supra mille asses legare, mortisve causa donare liceret. Quod si quis maiorem summam sibi legatam accepisset, quadruplum eius, quo plus, quam licebat, accepisset, redderet.* Voconia; *Ne qui census esset, virginem, ne de mulierem supra quadrantem suorum bonorum heredem institueret, plusve cuiquam legaret, quam ad heredem, heredesve perueniret. ne femina ultra consanguineos ab intestato succederent.* Atinia; *Ut quod surreptum esset, eius aterna auctoritas esset, nisi in eius, cui surreptum esset, potestate reuertisset.* Atilia; *Ut mulieribus, pupillisve tutores non habentibus à prætore, & maiore tribunorum plebis parte darentur.* Aquillia; *Qui seruam seruamve, alienum, alienamve, quadrupedemve pecudem iniuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas esto. Ceterarum rerum præter hominem, & pecudem occisos si quis alteri damnum faxit, quod vsserit, fregit, ruperit iniuria, quanti ea res erit in triginta diebus proximis, tantum æs domino dare damnas esto. aduersus inficiantem in duplum actio esto. si seruus sciente domino noxam nocuisset, dominus suo nomine eius rei causa teneatur.* Falcidia; *Qui testamentum faciet, quantam cuique ciui Romano pecuniam iure publico dare, legare volet, ius, potestasque esto. dum ita detur, legetur, ut ne minus, quam quartam partem hereditatis ex eo testamento heredes capiant.* De quibus legibus ingentia librorum volumina scripta sunt, vnde hæc non tradendæ rei, sed significandæ sumpsimus, ut veterem in repetendo iure suo rationem ostenderemus. His addere possumus ad extremum etiam legem Iuliam priuatorum iudiciorum, cuius crebra est in Pandectis commemoratio. ea vero de actionibus fuisse præcipue existimatur.

Edicta leges fuerunt, quas prætores, & ædiles curules initio magistratus proposuerunt: in quibus quo modo de singulis controuersis ius dicturi in suo magistratu essent, ciues admonebant. Erat enim eis permissum, ut à legibus scriptis discederent, & quoniam non omnia comprehendere eis potuerant, eas adiuuarent, aut suppleverunt, aut corrigendo, si opus esset. Hæc autem primis temporibus in eum tantum annum valuerunt, quo is prætor erat, qui proposuerat. vnde Cicero in Verrem, Edictum *legem annuam* appellauit. Verum cum prætores passim ab edi-

ctis

ctis suis propositis recedere in iure dicendo cõsueverunt, C. Cornelius tribuns. pl. anno vr̄bis d c l x x v i legem tulit, auctore Dione, ut prætores ex Edictis suis perpetuis ius dicerent. & quod semel Kalendis Ianuariis edixissent, id in toto prætoraturæ suæ tempore, obseruarent. qua lege addit Asconius, multum auctoritatis, & gratiæ ademptum esse ambrosio prætoribus, qui ius varie dicere solebant, fiebat autem, ut aut integra edicta ex superioribus aliorum edictis, aut capita aliquot in sua posteriora transferrent, eaque translata nominata sunt. Cicero in Verrem; *Sed in re tam v̄sitata facis est ostendere omnes antea ius ita dixisse, & hoc vetus edictum, & translatumque esse.* Postremo autem Hadriano imperante Saluius Iulianus Edictum scripsit, ex omnibus superiorum prætorum Edictis constat, quod edictum prætoris, Edictum vr̄banum, & Edictum perpetuum dictum est, in quo vniuersam e fere ius ciuile comprehendit. Ex eo inde omnes prætores sic mandante Hadriano ius dixerunt, de quo Edicto Eutropius historicus, & Iurisconsulti omnes loquuntur.

## De prætoribus siue de ius dicentibus.

CAP. VII.



C O N T R O V E R S I S cognitis sequitur, ut de magistratibus ius dicentibus exponamus. Quod igitur ius singulis de controuersis in legibus x i i tabularum, aut in iis, quæ post x i i lata sunt, aut in annuis edictis magistratum aut ciuibus, aut peregrinis scriptum fuit, id ciuibus ipsi, aut peregrinis poscentibus reddiderunt magistratus ij, qui hanc potestatem à populo acceperunt. Ac quibus quidem suum persecuti sunt, ij lege agere, qui ius reddiderunt, ij ius dicti dicere sunt. Vnde illa potestas Legis actio, hæc iurisdictio appellata. Ut autem lege agere fuit aliquid ex iis, quæ legibus, aut edictis instituta erant, in iure persequi, sic ius dicere fuit reddere ea iura, quæ legibus aut edictis continerentur. Ius autem hoc primum dixerunt reges, deinde consules, & qui cum potestate cõsulati fuerant, postremo prætores, & ædiles curules. De iure dicto à regibus Dionysius in Romulo, & Tullio aperte scripsit, & Lilius sub significauit in Prisco, cum ipse vuluerat Tanaquilem reginam sic fecit loquentem: *Interim ser. Tullio iubere populum audientem esse eum iura redditurum, obiturumq; ab a regis manera esse.* De consulis præter Dionysium Lilius idem docuit libro i i: *Appius consul de pecunijs creditis ius quam asperissime dicere.* & alibi: *Quod de credita pecunia ius non dixisset.* De Decemuiris consularibus Dionysius cum Lilio libro i i: *Decimo die ius populo singuli reddebant.* Item: *Appius dixit, se eo die neque ius dicturum, neque decretum interpositurum.*

Post autem, ut scribit Pomponius, cum consules auocarentur à bellis finitimis, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, factum est, ut prætor quoque crearetur, qui ius in vr̄be diceret. Post aliquot deinde annos non sufficiente eo prætore, quod multa turba peregrinorum ad ius petendum in vr̄bem veniret, creatus est & alius prætor. Ita prætores duo facti, vnus, qui ciuibus, alter, qui peregrinis ius diceret. Vnde ille vr̄banus. hic peregrinus vocatus. Scribit idem Lilius, nempe anno c c c l x x v i plebem nobilitati concessisse de prætore vno, qui ius in vr̄be diceret, ex patribus creando, eumque iura reddidisse, & collegam consulis datum, iisdemque auspiciis creatum esse. atque eodem anno ædiles duos curules institutos esse, post annum autem d x i i alterum esse adiectum. quem quidem esse suspicari possumus, qui peregrinus est appellatus. Hi vero comitijs centuriatis creati à populo, iurisdictionem, sed incertam acceperunt. Vbi vero designati sunt, ex S. C. duas iurisdictiones, vr̄banam, & peregrinam, sortiti sunt. quamq; sorte adepti sunt, eam exercuerunt. Itaque licet apud Lilium legere, quotannis iurisdictiones in sortem coniectas, easque prætores designatos sortiri iussos. Factum est autem

autem aliquando, ut ambas iurisdictiones vnus prætor ex S. C. sortitus sit, eaque exercuerit. idque non antiquis solum temporibus, quorum testis est L. iuius, sed etiam vltimis. siquidem anno D C L X X V, Catulo, Lepidoque cos. L. Cornelius Sifennia inter ciues, & peregrinos ius dixit, ut ex vetere senatus consulto supra alato cognoscitur.

Hæc autem iurisdictionis à prætore mandari alteri potuit, ob eam causam, quod non lege, sed iure magistratus competiit. vnde scripsit Papinianus D. de officio eius, cui mandata est iurisdictionis: *Quæ iure magistratus competunt, mandari possunt. Qui mandatam iurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictione utitur.* item Iulianus D. de iurisdictione: *Mores maiorum ita comparatum est, ut is demum iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet.* Ceterum prætores, ædilesque curules vbi Kalendis Ianuariis magistratum inierant, edictum proponebant, in quo, ut dixi, quæ admodum de singulis controuersis ius dicturi essent, populum præmonebant. Meminit huius rei Pomponius. *Magistratus, inquit, qui iura reddebant, ut scirent ciues, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seque præmuniret, edicta proponebant, quæ edicta prætorum ius honorarium constituerunt.* Meminit Cicero II de finibus: *Quid enim mereri velis iam, cum magistratum inieris, & in conuentionem ascenderis. est enim tibi edicendum, quæ sis obseruaturus in iure dicendo.* Meminit Theophilus in Institutionibus. *Datum est, inquit, ius legis ferendæ præcipue prætori urbano, & peregrino, & ædilibus curulibus. idque ius honorarium dictum.* Ex quibus verbis illud præterea intelligi potest, tam prætorem peregrinum, quam urbanum edictum proposuisse. quæ de re quidam hoc tempore dubitant.

Iam vero hi prætores certis insignibus ornati, certo in loco, certis diebus, & certis horis ius dixerunt. Insignia fuerunt prætexta, sella curulis, hasta, & ministri; ut scriba, accensi, & lictores. Prætexta, toga fuit purpura prætexta, quam Kalendis Ianuariis in Capitolio, votis solennibus nuncupatis, vnâ cum ceteris insignibus acceperunt. quod eis commune quoque cum consulibus fuit. Sella curulis fuit sella eburnea, qua in publico, & priuato loco sedendi causa utebantur. De loco publico nemo dubitat. de priuato, ex Valerio cognosci potest, qui C. Flauium ædilem curulem, cum ad amicam ægrotam visendum venisset, scribit sellam curulem, quam secum habebat, infedisse in loco priuato. Hastam iurisdictionis insigne fuisse, ex eo apparet, quod censores quoque ea vti sunt, & cum vestigalia publica locarunt, eam posuerunt. Prætorum autem insignia duo fuere, hasta, & gladius, illa ad iurisdictionem, hic ad quæstionem significandam. Cyprianus Epistolarum lib. I. *Senex inimicem discordantium rabies, & inter togas pace rupta forum litibus mugit insanum. hasta illic, & gladius, & carnifex prætor est.* Seneca de breuitate vitæ: *Non est, quod me solos putes dicere, quos hasta prætoris infamibus beat lucris.* Hinc Vlpianus D. de postulando: *Prætor utrisque luminibus orbatum pro alijs postulare prohibebat, quia insignia magistratus videre, & reuereri non poterat.* Porro autem lictoribus duobus prætor urbanus est vsus. Cæforinus: *In lege Lætoria hæc fuerunt: Prætor urbanus, qui nunc est, qui posthac erit, duos lictores apud se habeto. isque supremam ad solem occasum ius inter ciues dedit.* vsus scribarum fuit, ut in tabulas actiones referrent; accensorum, ut citarent, & horam esse tertiam, aut meridiem admonerent; lictorum, ut coërcerent, aut summouerent. Hæc de insignibus.

Iam vero locus, in quo ius dictum est, fuit duplex, aut superior, aut planus. superior fuit Tribunal in Comitio, atque in tribunali sella curulis; planus, quicumque locus præter tribunal posita sella curuli. isque locus tum dicebatur Ius. Comitium pars fuit Fori Romani in quo Rostra erant. Vnde qui è Rostris agebant, in forum, & in Comitium versus agere poterant. Tribunal locus celsior, & multorum hominum capax. De Comitio Gellius lib. XX: *Inter eos dies trinis nundinis ad prætorem in Comitium producebantur.* De tribunali, & sella curuli Cicero de oratore primo

primo: *Nobis in tribunali Q. Pompeij prætoris urbani sedentibus.* & Tacitus libro primo: *Tiberius absidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret.* & Varro de vita populi Roma. teste Nonio: *P. Aelius Pætus, cum esset prætor urbanus, & sedens in sella curuli ius diceret populo Ro. picus Martius aduolauit, atque in capite eius assedit.* De plano Seneca de Clemetia libro primo: *Hæc magnanimitas melius in tribunali, quam in plano conspicitur.* Cicero ad Appium: *Idque pro tribunali, cum aliquid ageretur, & nonnullis in conuuijs.* & mox: *Scio meos multos, & illustres, & ex superiore & ex æquo loco sermones habitos cum sua summa laude.* Valerius de repulsi: *Pro pinqui Scipionis præturam ab eo pollui cum animaduertent, id egerunt, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet.* Sellam ponere videtur dixisse pro de plano cognoscere, ut iurisconsulti loquuti sunt. Ius autem dictum esse locum Iurisdictionis quencunq; docet Vlpia. D. de iust. & iure. *Ius, inquit, non is solum locus est, ubi iurisdictionis, iudicandi gratia magistratus populi Ro. consistit, sed etiam si domi, vel in itinere hoc agat.* Donatus in Terentium: *In Ius eamus, hoc est ad prætoris sellam.* Ius ergo est locus, in quo consistit prætor iuris dicendi causa. Paulus de iustitia, & iure: *Ius est locus, ubicunque prætor salua maiestate imperij sui, saluoque more maiorum ius dicere constituit.*

Dierum hæc fuit ratio. Eorum alij Fasti, alij Nefasti, alij Intercisi vocati. Fasti fuerunt, quibus ius fari, id est dici, poterat. Varro libro V de lingua Latina: *Dies fasti, per quos prætoribus omnia verba sine piaculo licet fari.* Contrarij horum vocantur dies nefasti, per quos dies nefas fari prætorem Do, Dico, Addico. Ouidius primo Fastorum: *Ille nefastus erit per quem tria verba silentur. Fastus erit, per quem lege licebit agi.* Suetonius in octauo de prætoribus, teste Prisciano: *Fasti dies sunt, in quibus ius factur, i. dicitur: & nefasti, in quibus non dicitur.* Macrobius libro primo: *Fasti dies sunt, quibus licet fari prætori tria verba solemnia Do, Dico, Addico, hisque contrarij sunt nefasti. Intercisis diebus quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est, ius dicere. & fastis quidem diebus lege agi potest, cum populo non potest, comitialibus utrunque potest.* Hi vero qui quoto quoque mense fuerint, ex antiquis Fastis editis liquet.

Iam vero tota prætoris iurisdictionis duabus in rebus fuit posita, id est, ut aut prætor ipse iudicaret, aut alterum iudicare iuberet, vnde recte in legibus Cicero: *Iuris disceptator, qui priuata iudicet, iudicari de iubeat. prætor esto. iuris civilis custos esto.* Cum autem iudicauit, tum decreuisse, aut decretum interposuisse; cum iudicare iussit, tum iudicem, iudicium ve, aut actionem dedisse dictus est. Cum autem decreuit, tum aut dixit, aut addixit, aut dedit; cum iudicare iussit, tantum dedit. Itaque tota iurisdictionis his tribus verbis fuit inclusa, Do, dico, addico. Ostendit Varro, cum inquit: *Neceesse est uti aliquo horum trium verborum Do, dico, addico, cum quid lege peragitur.* Dixerunt autem exempli gratia, cum aliquem liberum esse decreuerunt, & cum interdixerunt; Addixerunt, in in Iure cessione, emancipatione, & adoptione. Dederunt, ut bonorum possessionem vindicias, & actionem, siue iudicium. Probant hoc leges veteres: *Quicumque magistratus in ea colonia iuredicundo præerit, eius magistratus de ea re iurisdictionis, iudicijque datio, addictio esto.* Item: *Cōsulis, prætoris, censoris, quicumque erit, de ea re iurisdictionis, iudicij, iudicis, recuperatorum de datio esto.* Cicero de Verre prætoris urbano: *Domus erat plena. noua iura, noua decreta, noua iudicia petebantur, mihi det possessionem mihi ne adimat. in me iudicium ne det, mihi bona addicat.* & alibi: *In iure dicundo bonorum, possessionumque contra omnium instituta addictio, & condonatio.*

Cum autem prætores duo hanc, quam dixi, iurisdictionem in vrbe exercerent, urbanus, & peregrinus, par quidem in utroque potestas, maior tamen urbani dignitas fuit. vnde maior prætor dictus est teste Pompeio. Itaque in pari potestate alter alterius decreto intercedere potuit, auctore Aconio, si quis eos appellauit. Cicero de Verre prætoris urbano, & Pifone peregrino: *L. Pifone multos codices imple*



pleuit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque edixerat, decreuisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, qui ordo ad Pisonis sellam conuenire solitus sit. quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. Cæsar libro tertio de bello ciuili: M. Cælius prætor causa debitorum suscepta initio magistratus tribunal suum iuxta C. Trebonij prætoris urbani sellam collocauit. & si quis appellauisset de estimatione, fore auxilio pollicebatur.

Ædiliū vero iurisdictionis adhuc memoria obscurior est. Hi vero paucis de rebus ius dixerunt. in primis autem de venditione mancipiorum, & de mensuris, & de foro uenaliū. quarum rerum testimonia ab aliis recitata sufficient.

De decemuiris stlitibus iudicandis. CAP. VIII.



EQVE vero solus prætor hæc iudicia exercuit, sed socios laboris huius Decemuiros stlitibus iudicandis habuit. Hic item magistratus fuit. ostendit Pomponius his uerbis: Cum esset necessarius magistratus, qui hasta præesset, Decemuiri stlitibus iudicandis sunt constituti. & Dio qui libro LIII, magistratum vigintiuirum collectum fuisse scribit ex quattuor magistratibus, triumuiris capitalibus, triumuiris monetalibus, quattuoruiris uiarum curandarum, & Decemuiris litium iudicandarum. Hic magistratus post quæsturam captus est. Indicat inscriptio uetus huiusmodi: SCAEVA QVAESTOR. DECEMVIR STLITIBVS IUDICANDIS TR. PL. & cetera. & Suetonius cum scribit: Augustus auctor fuit, ut centumuiralem hastam, quam quæstura functi consueuerant cogere, decemuiri cogerent. Hi uero hastam adhibuerunt, & quidem, ut opinor, prætoriam, atque ea posita & ipsi iudicant, & ea iudicia exercuerunt, quæ centumuiralia dicta sunt. Itaque non minus Decemuiralis, quàm Centumuiralis hasta in hoc genere celebratur, ut post pluribus exponetur.

De legis actionibus, siue de exercenda iurisdictione. CAP. IX.



MAGISTRATIBVS ius dicentibus cognitis, iam, quemadmodum illud dixerint, declaremus. Prætores igitur ius dixerunt aut ex superiore loco, aut ex æquo. i. aut de tribunali, aut de plano. Quoniam autem sella posita sedentes id faciebant, eos dies Sessionum uocarunt. Quorum duo fuere genera. nam alij postulationibus, alij cognitionibus dicati fuerunt. Cognitionum autem dies alij aliis legis actionibus exercendis erant constituti. Hæc in libris iurisperitorum aperte traduntur. unde Ulpianus D. de bonorum possessione, Si causa cognita bonorum possessio detur, non alibi dabitur, quàm pro tribunali. quia neque decretum de plano interponi, neque causa cognita bonorum possessio alibi, quàm pro tribunali dari potest. Ut autem legis actiones erant multæ, sic iurisdictionis quoque multiplex erat. lege autem agere nihil aliud erat, quàm aliquid eorum, quæ lege continerentur, apud prætorem, vel apud eum, qui talem iurisdictionem haberet, in iure obire, nempe vindicare, atque in iure cedere, filiū suum emancipare, alienum adoptare, seruum manumittere, tutorem, bonorum possessionem, interdictum, & actionem postulare. Ius uero dicere aliquid horum aut dicere, aut addicere, aut dare. Quæ prætor cum faciebat, decreuisse, aut decretum interposuisse dicebatur.

Diebus igitur fastis, id est, quibus licebat aliquid horum peragere, prætores summo mane in Comitium, siue forum ueniebant, atque in tribunali sella posita assidebant, & accenso, ut horam tertiam populo circumstanti inclamaret imperabāt. Varro libro V de lingua Latina: Cosconius scribit in Actionibus prætorem accenso iubere solitum, horam esse tertiam; accensum, in clamare, horam esse tertiam, meridiem, & nonam. Unde Martialis: Exercet raucos tertia causidicos. Tertia in-

mata

mata tum per accensum eundem populum rogabant, num quis esset, qui apud se lege agere uellet, id est qui ius posceret. Hoc præcepto audito accedebant, qui lege agere uolebant, ueluti, si dies postulationum esset, qui aliquid eorum postulabant, quæ Legis actionibus continebantur, ex legibus, aut edictis eorum; nempe aliquid eorum, quæ supra diximus.

Ceterum hi neque pro arbitrio, neque temere agere potuerunt, sed prout in singulis Legis actionibus scriptum erat. Legis autem actiones formulæ fuerunt agendi, quas primum pontifices intulerunt, deinde C. Flauius Appij Claudij scriba ab Appio compositas diuulgauit. Pomponius de origine iuris: Ex legibus XII tabularum actiones compositæ sunt, quibus homines inter se disceptarent. quas actiones, ne populus prout uellet institueret, & certas & solemnes esse uoluerunt, & appellatur hæc pars iuris Legis actiones. & ita eodem pene tempore tria hæc iura nata sunt, leges XII tabularum. ex his coepit fluere ius ciuile. ex istis legibus Actiones compositæ sunt. omnium tamen horum & interpretandi scientia, & actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset priuatis. & fere populus prope omnis annis centum hac consuetudine usus est. postea cum Ap. Claudius composuisset, & ad formam redeuisset has Actiones, C. Flauius scriba eius, libertini filius surreptum librum populo tradidit. & adeo gratū fuit id munus populo, ut tribunus pl. fieret, & senator, & ædilis curulis. hinc liber, qui Actiones continet, appellatur ius ciuile Flavianum. augete ciuitate & qui aderant quædam genera agendi composuerunt, nec post multum temporis spatium Sex. Aelius alias Actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Ius Aelianum. De C. Flauio idem scribit Liuius libro III. & Cicero ad Atticum libro VI. At uero Legis Actiones dictæ sunt, quod earum rerum, de quibus lex XII tabularum scripta erat, priuatim agendarum formulam præscribebant. unde Cicero in defensione Murenæ aduersus Sulpicium iurisperitum dixit: Gloria militaris uestris formulis, atque actionibus anteponenda est. & de eodem Sulpicio in nona Philippica: Neque instituere litium actiones malebat, quàm controuersias tollere. Actiones autem hæc ita solemnes fuerunt, ut qui agere uellent, & impetrationis rationem habere, & formularum deberent. Impetrationis autem ea vis fuit, ut nemini liceret iudicio experiri, nisi prius ab eo, cuius esset iurisdictionis, agendi formulam impetrasset: formularum uero, ut formulæ quædam adhiberentur uerborum, quarum ductu in iudiciis experirentur, ut qui uo uerbo errasset, is tota causa cecidisse uideretur. Hinc illud est Ciceronis pro Murena: Possent lege agi nec ne, pauci quondam sciebant. fastos enim uulgo non habebant. erant in magna potentia qui consulebantur. à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur. inuentus est scriba quidam Cn. Flauius, qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendo fastos populo posuerit, & ab ipsis cautis iuris consultis eorum sapientiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt ueriti, ne dierum ratione peruulgata, & cognita sine sua opera lege possent agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent. Quales autem hæc formulæ fuerint, in singulis legis Actionibus demonstramus, exordio à Vindicatione sumpto, quousque ad postulationem actionis, siue iudicij ueniamus.

De Vindicatione, & in Iure cessione.

CAP. X.



I quis ergo seruum, aut aliam rem corporeā sibi vindicare uolebat, is apud prætorem ita agebat. Quippe, ut inquit Boëtius ex Caio, Vindicator tenens seruum in Iure, ita dicebat: hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio. prætor autem interrogabat eum, unde petebatur, an contra uindicaret, id est, an contra seruum illum suum esse assereret. eo uero tacente, aut cedente prætor seruum addicebat uindicanti. qui uero uindicauerat, lege egisse, qui cesserat, in iure cessisse: atque ea in Iure cessio dicebatur, ut scribit Boëtius, prætoris uero Addictio.

M De



**E**MANCIPATIONEM vero, quæ fuit filiorum è propria potestate dimissio, legis itè actionibus cõprehensam, & apud prætorem facta esse, testis est Modestinus D. de iurisdictione. *Magistratus*, inquit, *apud quem legis actio est, & emancipare filios suos, & in adoptionem dare potest.* Paulus: *Apud magistratus municipales, si habent legis actionem, emancipari, & manumitti potest.* Ceterum in emancipationem & vindicatio, & mancipatio incidit. Fuit autè mancipatio, ut supra diximus, imaginaria quædam venditio facta hoc modo: adhibitis non minus quinque testibus ciuibus R. puberibus, & præterea alio eiusdem conditionis, qui libram æneâ teneret, qui appellabatur libripens. is qui mancipium accipiebat, æs tenēs ita dicebat: *Hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio, isq; mihi emptus est hoc ære, ænea libra.* deinde ære percutiebat libram, idque æs dabat ei, à quo mancipium accipiebat, quasi pretij loco. Qui ergo naturalis pater filium emancipare volebat, is secundum postulationem die cognitionis filium suū fiduciario patri emancipabat, hac verborum formula vtens, quæ vindicationem simul, ac mancipationem cõplectebatur: *Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio, quoniã emptus est mihi hoc ære, æneaq; libra.* Naturalis vero pater respondebat: *Hunc filium meum tibi mancipio.* & accepto pretio in Iure cedebat, quo facto prætor addicebat. Quoniã vero ex lege filius à patre venūdatus vsq; ad tertiã mancipationē in potestatem patris redibat, propterea secūda inde mācipatio, & in Iure cessio adhibebatur. cūmque iterū filius in potestatē patris redisset, tū tertia adhibebatur hoc modo: *Ego vero hunc filiū meum tibi mancipio ea conditione, ut mihi remancipes, ut inter bonos bene agi oportet, ne propter te, tuamque fidem frauder.* ac tertiū accepto pretio cedebat. & prætor tertiū addicebat. Qua re perfecta tū demū filius è potestate patris egressus putabatur. Vnde fiduciarius pater, qui dominus eius erat factus, eundē naturali patri sine fraude remācipabat. naturalis vero filiū, quē quasi seruum cõmerat, manumittebat. atque ita liber ille, id est, sui iuris factus erat, ut Caius scripsit.



**L**AM vero adoptiones etiã apud prætorem factas scribit Vlpianus. *Adoptare*, inquit, *apud Iuridicū quis potest, quia data est ei lege actio.* Incidit autè in adoptionem vindicatio pariter, & mācipatio. Nempe qui adoptabat, apud prætorem, eum, quem adoptabat, tenēs ita dicebat: *Hunc hominem filium meum esse aio. isq; mihi emptus est hoc ære.* Naturalis autem pater vsque ad tertiã mancipationem in Iure cedebat. prætor vero addicebat. Hinc Gellius libro quinto: *Adoptantur liberi, cum à parente, in cuius potestate sunt, tertia mancipatione ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio est, vindicantur.* & Suetonius: *Augustus Caium, & Lucium adoptauit domi emptos. per æs, & libram.* & Cicero de finibus: *Torquatus filium Silano in adoptionem emancipauit.* Notauit etiam Appianus, testibus præsentibus adoptiones apud prætorem fieri solitas.



**M**ANUMISSIONEM item inter legis actiones fuisse, & apud prætorem factam esse docet Marcianus D. de officio proconsulis. *Apud legatum proconsulis*, inquit, *nemo manumittere potest. omnino enim non est apud eum legis actio.* vbi vero die postulationis manumissio postulata erat, tū vero die cognitionis post causam cognitam fiebat. & quidem hoc modo. Qui manumittere seruum apud prætorem volebat, eius, quem manumittere volebat, caput, aut aliud membrum tenēs ad prætorem ita dicebat: *Hunc hominem liberum esse volo, & emittebat eum*

eum è manu. prætor autem vindicta, id est virga eiusdem serui capiti imposta ita dicebat: *Dico eum liberum esse more Quiritium.* Inde cõuersus ad licτόrem addebat: *Secundum tuam causam, sicuti dixi, Ecce tibi vindicta.* Tum licτόr accepta à prætore vindicta caput serui percutiebat, faciem palma, tergumque verberabat. Quibus actis nomen manumissi in Acta à scriba referebatur, adiecta causā manumissionis. Hæc Boëtius in Topica, Festus libro x i. Valerius Probus de notis, Donatus in Adolphos, & Hermogenianus. Addit Caius D. de manumissis vindicta: *Non est omnino necesse pro tribunali manumittere. Itaque plerique in transitu serui manumitti solēt, cum aut lauandi, aut gestandi, aut ludorum causa prodierit prætor.* Hoc modo perfecta est pars Iurisdictionis, quæ per verbum Dico exprimebatur.



**Q**UI etiam tutoris postulatio ad legis actionem, datio ad iurisdictionem pertinuit. auctor est Vlpianus, cum inquit: *Ius dicentis officium latissimum est. nam & pupillis non habentibus tutores constituere potest.* Est autem intelligendum, si neque testamentarius, neque legitimus tutor adesset, tum datum à prætore fuisse, eodem teste. Vnde dicebat Verres apud Ciceronem: *pupillos, & pupillas certissimam esse prædam prætoribus.* Hoc autem cum faciebat prætor, tertiã partem Iurisdictionis explebat, quam verbum Do continebat. atque hoc idem de consulis, & tribunis plebis dicimus, quorum idem ius fuisse accepimus.



**A**D hæc vero qui voluerūt, à prætore quoque bonorum possessionem postularūt. prætorque pro arbitrio dedit. Vnde scripsit idem Vlpianus eodem in loco, *Ius dicentem bonorum possessionem dare potuisse.* item: *Mistum imperium est, cui etiam iurisdictionis inest, quod in danda bonorum possessione consistit.* Ceterum bonorum possessio fuit, ut diximus, ius persequendi, retinendive patrimonij, siue rei, quæ cuius, cum mortuus est, fuit. quod prætor aut emendandi, aut impugnandi, aut confirmandi iuris ciuilibus gratia dedit. Vt enim lex x i i tabularum ex testamento, vel ab intestato ad hereditatem vocauit, sic prætor bonorum possessiones inuenit, per quas ius ciuile correxit, non solum in iis, qui intestati mortui essent, sed etiam qui testamentum fecissent. Nam si quis moriens alienum posthumum heredē scripsisset, is si natus fuisset, à iure ciuili reiciebatur, at à prætore bonorum possessione secundum tabulas decorabatur. Si libertus patronū præterisset, lex nullum dabat patrono aditum ad bona liberti: at prætor dabat bonorum possessionem cõtra tabulas. Item si quis ex testamento heres institutus esset, non solum à iure ciuili habebat hereditatē, sed etiã à prætore bonorum possessionē secundū tabulas. Neque vero solum has duas bonorum possessiones prætor dedit ex testamento, sed etiam octo alias ab intestato partim ius ciuile confirmans, partim emendans, partim reprehendens. Sunt autem hæ: primo suis heredibus, id est liberis tum emancipatis, tum suis ab intestato; secundo legitimis heredibus, nempe agnatis ab intestato ex lege x i i tabularum; tertio decem personis, quæ manumissori extraneo præferrentur, nimirum filio, filia, fratri, sorori, nepoti, nepti, patri, matri, auo, auia: quarto cognatis proximis; quinto iis, qui ex familia nempe liberti liberis tam naturalibus, quam adoptiuis, itémque vxori, quæ ipsius in manum conuenerat; sexto liberto, patrono, patroni liberis, parentibusq; eorū. septimo viro intestata vxore, & vicissim vxori viro intestato, quoties deficiebat omnis parētū, liberorumve, seu propinquorū legitima, vel naturalis successio. octauo patroni cognatis intestato liberto.

Atque hæc quidem prætor omnino fecit, prout se facturum in Edicto proposuit. Hinc Valerius libro VII: *Piso prætor Urbanus Terentio patri exheredato bonorum defuncti filij possessionem dedit, heredesq; lege agere passus non est.*

*De postulatione interdicti, & interdicti interpositione.* CAP. XVI.



VI N etiam vt postulatio Interdicti ad legis actionem pertinuit, sic interpositio interdicti ad iurisdictionem. Interdicta vero, vt inquit Iustinianus, fuerunt formulæ, atque conceptiones verborum, quibus prætor aut iubebat aliquid fieri, aut prohibebat. quod tunc maxime faciebat, cum de possessione, aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Erat autem possessio rei corpore præditæ, vt domus; quasi possessio rei corpore vacantis, vt vsusfructus. Ex quibus verbis apparet, interdicta fuisse decreta prætorum de iis rebus, quas iudicum cognitioni committendas non putarunt, sed sibi ipsis pro imperio reseruarunt. Cum enim dictum sit, res alias sacras, & religiosas, alias publicas, alias priuatas fuisse, reliquas actiones, quæ de his incidere poterant, cognoscendas iudicibus tradiderunt. quæ vero de vi vel facta, vel quæ fieri in his posset, incidissent, quatenus ad possessionem ferme pertinerent, ipsi decreuerunt. Decretum autem illud vocatū est præcipuo nomine Interdictum. Itaque decreta, quæ de aliis rebus interposita sunt, arbitrio eorum permilla, hæc vero, quæ Interdicta vocata sunt, propriis formulis sunt concepta, & vt concepta erant, in Edictum relata, & deinde ex Edicto, prout res poposcit, pro tribunali pronūciata. Itaque Interdictum fuit Actionis, siue iudicij quasi principium. Nam, vt scribit Caius D. de vindicatione, is qui destinauit rem petere, animaduertere debuit, an aliquo interdicto posset nancisci possessionem. quia longe commodius est, ipsum possidere, & aduersarium ad onus petitoris cōpellere, quam alio possidente petere. Itaque inter ceteras legis actiones recte reponitur etiā Interdicere. quod est non tam interdictum interponere, quod est prætoris, quam interdictum postulare, siue interdicto contēdere, quod est litigatoris, vt Fabius scripsit libro III: *Non debuisti interdicerere, sed petere, an recte interdictum sit, ambigitur.* id est non debuisti interdicto vti, sed actione. an recte interdicto actum sit, ambigitur. Interdictum autem dabat prætor, cum mittebat in possessionem. Mittere autē in possessionem, fuisse à danda bonorum possessione diuersum, & tamen partem iurisdictionis fuisse, declarat Vlpianus, cum inquit, *ius dicentem & bonorum possessionem dedisse, & in possessionem misisse.*

Ceterum interdicta, quæ ad sacras, & publicas res pertinuerunt, aut fieri aliquid prohibuerunt, aut restitui, aut exhiberi iusserunt. quæ ad priuatas, aut de adipiscenda possessione, aut de retinenda, aut de recuperanda fuerunt. De locis sacris, & religiosis ita interdictum est: *Quo, quæ de illi mortuū inferre inuito te ius est, quominus illi eo, eā de mortuum inferre, & ibi sepelire liceat, vim fieri veto.* Quo illi ius est te inuito mortuum inferre, quominus illi in eo loco sepulchrum sine dolo malo ædificare liceat, vim fieri veto. de liberis personis ita: *Quem liberum dolo malo retines, exhibeas inbeo.* Qui quæ de in potestate tua est, si is, eā de apud te est, dolo de malo tuo factum est, quominus apud te esset, ita eū, eā de exhiberi iubeo. Si Stichus in potestate tua est, quominus Mæuius eum ducere liceat, vim fieri veto. De locis publicis: *Nequid in loco publico facias, in de eum locum immittas. qua ex re quid illis dāni detur, præterquam quod lege, S. C. edicto, decreto de tibi concessum est, de eo quod factum erit, interdictum nō dabo.* Quo minus illi viā publicam, iter de publicum aperire, reficere liceat, dum ne ea viā, id de iter deterius fiat, vim fieri veto. *Nequid in flumine publico, ripā de eius facias, nequid in flumine publico, ripā de eius immittas, quo statio, iter de nauigio deterior sit, fiat.* Interdictum de adipiscenda possessione dabatur ei, cui bonorum possessio à prætore decreta erat, in hunc modum: *Quod bonorum ex edicto meo illi possessio data est, quod de his bonis pro herede, aut pro possessore possides, possideres de, si nihil vsucaptum esset,*

*esset, quandoquidem dolo malo fecisti, vti desineres possidere, id illi restituas.* Ceterum pro herede possidebat, qui putabat, se heredem esse, atq; eo animo possidebat, pro possessore, qui nullo iure rem hereditariā, vel etiā totā hereditatem sciens ad se nō pertinere, possideret. Erat autem vtile hoc interdictum ei, qui tum primum conaretur adipisci rei possessionē. Itaque si adeptus amisisset, hoc nihil iuuabatur. Retinendæ possessionis interdicta fuere duo, quæ tum vsurpabantur, cum inter eos, qui de proprietate litigare volebant, non conueniebat, vter possideret. vnū ad res immobiles pertinuit; alterum ad mobiles. primū fuit: *Vti eas ades, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, quo minus ita possideatis, vim fieri veto.* Hoc vincebat, qui interdicti tempore possidebat, si modo nec vi, nec clā, nec precario nactus erat ab aduersario possessionem. Secundum: *Vtrubi hic homo, quo de agitur, maiore parte huius anni fuit, quominus eum ducas, vim fieri veto.* Hoc vincebat, qui maiore parte anni sine vitio possederat. Interdictum recuperandæ possessionis reddebatur eis, qui vi deiectione essent de possessione fundi, vel ædium. neque enim deiectione est de rebus mobilibus, cum in eas actio sit vel furti, vel vi bonorum raptorum. Vis autem duplex fuit, vera, & simulata. Vera item duplex, armata, & sine armis. Interdictum de vi armata fuit: *Vnde tu illum vi deieicisti, eo illum restituas iubeo.* Sine armis: *Vnde tu vi illum deieicisti, cum abs te nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas, iubeo.* Simulata veram est imitata. eadem ciuilis, & quotidiana est dicta, vt post dicemus. Iam vero interdictorū alia simplicia fuerunt, alia duplicia. Simplicia, in quibus alter actor, alter reus est, qualia fuerunt omnia restitutoria, aut exhibitoria. nā actor is est, qui desiderat aut exhiberi, aut restitui; reus autē is, à quo desideratur, vt restituat, aut exhibeat. Prohibitoria alia simplicia erant, alia duplicia. Simplicia, veluti cū prætor prohibebat in loco sacro, vel in flumine publico, ripāve eius aliquid fieri. nam actor est, qui desiderat, ne quid fiat; reus, qui aliquid facere conatur. duplicia, veluti Vti possidetis, & Vtrubi. ideo vero duplicia vocabantur, quia par vtriusque litigatoris in his conditio est, nec quisquam præcipue reus, vel actor intelligitur, sed vterque tam rei, quam actoris partes sustinet. Vtus autem interdictorū antiquus. cum ordinaria iudicia essent, fuit, vt primum de possessione ageretur, & ad interdictum confugere-tur, deinde domini actio institueretur. Hæc ferme Iustinianus in Institutionibus.

*De Actionibus.* CAP. XVII.



EX omnibus Legis actionis partibus extrema fuit actio, siue iudicium, quæ vt ab actore postulabantur, sic à prætore dabantur. Verum quemadmodum actionis dationem præcedit postulatio, sic postulationem editio, editionem in ius vocatio. De quibus singulis dicam, si prius, quid sit actio, & quotuplex, dixerō. Actionem definiuit Iustinianus *ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur,* id est, potestatem impetratam à prætore repetendæ rei, quæ sibi debetur, apud iudices. Egregie illud quidem, ita tamen si intelligatur, non ius solum persequendi, sed etiam ipsam persequutionem, Actionem appellari. Harum vero Actionum Iustinianus, à quo hæc sumpsimus, septem veterum attulit diuisiones, quibus incognitis antiqua iudiciorum consuetudo cognosci non potest.

PRIMA DIVISIO. Actionum aliæ in rem intentæ sunt, aliæ in personam, aliæ in vtrumque. In rem, cum egerunt cum eis, qui nullo sibi iure obligati erant, sed eis de aliqua re intulere litem. Vt in re corpus habente, Si Titius seruū, fundūve aliquem suum esse affirmasset, Marcus autem possessor dominum eius se esse dixisset. Quod idem de rebus corpore carentibus intelligendum est, vt vsusfructu, & seruitute prædiorum. In personam, cum egerunt cum eis, qui sibi obligati erant, vel ex contractu, vel ex maleficio, atque intenderunt, eos dare, facere sibi oportere. Vt si Titius empta aut locata domo dixisset, Marcum sibi dare, facere oportere quid-

quid empti, locative nomine dare, facere oporteret, aut alios contractus, & maleficia nominasset. In personam autem est dicta, quia non certam rem repetuerunt neque enim dixerunt rem illam, aut illam sibi dari oportere, sed quidquid contractus alicuius nomine eum dare, facere oporteret, parum unde nam ille satisfaceret, laborantes. Quorum verborum *Dare* quidem ad dominij translationem contulerunt, *Facere* vero ad simplex factum, ut navis ædificationem, ac traditionem. & utrumque quidem ad contractus, *dare* vero tantum ad maleficia accommodarunt. In utrumque autem intentæ sunt, quibus & rem certam petierunt, & præstationes personales ab aduersario postularunt. Eæ vero fuerunt tres: Familiæ erciscundæ, communi diuidendo, finium regundorum. Familiæ erciscundæ fuit, quæ inter coheredes hereditatis diuidendæ causâ dabatur. neque enim solum postulabatur, ut hereditas diuideretur, sed etiam ut quod eo nomine alterum alteri dare facere oporteret, præstaretur. Communi diuidendo fuit, quæ inter eos reddebatur, qui rem, quàm ex alia, atque hereditatis causâ, communè haberent, diuidi, simulque, quod alterum alteri præstari oporteret, dari fieri postulabant. Finium regundorum fuit, quæ inter confines dabatur, & ut fines agrorum vicinorum dirigerentur, & si quid alter ex alterius agro percepisset, restitueretur. Ex his actionibus primæ Vindicationes, secundæ Condições, tertiæ mistæ sunt appellatæ. Vindicatio dicta videtur à vi simulata, quam verbis petitor possessori dicis causâ faciebat, ut paullo post apparebit. Condição vero ex eo, quia condicere erat diem, locumque communi consensu indicare, quo in iudicium litigatores venirent. quod etiam si in Vindicatione quoque fiebat, tamen quia in rem actio proprium sibi nomen Vindicationis ascieuerat, in hac communi nomine Condiçãois vsi sunt. Mistarum nomen est notum.

SECUNDA DIVISIO. Actiones aliæ legitimæ dictæ, aliæ honorariæ. Legitimæ, quæ à legibus XII tabularum prodite sunt. Honorariæ, quæ à prætoribus in Edictis propositæ sunt, ut legi deficienti opem ferrent. Legitimæ fuere, quæ in rem, & in personam, & in utrumque sunt nominatæ. Prætoriarum quædam aliæ, quæ à nominibus prætorum appellantur, Publiciana, Paulina, Seruiana Imperatoribus rerum potestibus, ut creditur, constitutæ, & quidem rem & ipsæ, personamque complexæ, quæ ex Institutionibus Iustiniani peti possunt.

TERTIA DIVISIO. Actiones aliæ persequendæ rei causâ sunt institutæ, aliæ pœnæ, aliæ vtriusque. Persequendæ rei fuere omnes in rem, & omnes in personam ex contractu natæ, ut ex mutuo, stipulatu, empto, vendito, locato, conducto, pro socio, fiducia, mandati, commodati, depositi. item quædam ex maleficiis, ut furtiua conditio, quæ vna est ex prætoriiis, quæ ex delicto nascuntur. Pœnæ, ut actio furti. siue enim de manifesto quadrupli ageretur, siue de nec manifesto dupli, de sola pœna agebatur. nam ipsam rem aut Vindicatione, aut furtiua conditioe dominus rei persequabatur. Item in actione Iniuriæ. Mistæ, quæ simul & rem, & personam persequabantur. ut actio vi bonorum raptorum, quæ rem raptam simul cum pœna tripli persequabatur. & actio damni iniuria dati lege Aquilia, non solum si aduersus inficiantem daretur, sed etiam, si quanti plurimi æstimatio peteretur.

QUARTA DIVISIO. Actiones aliæ in simplum conceptæ sunt, aliæ in duplum, aliæ in triplum, aliæ in quadruplum. In simplum, ex stipulatu, mutuo, empto, locato, vendito, conducto, mandato, & aliis. In duplum furti nec manifesti, damni iniuria, depositi ex quibusdam causis, serui corrupti. In triplum rapinæ. In quadruplum, furti manifesti, de eo, quod metus causâ, de pecunia data ad calumniandum. Actio vero damni iniuria in inficiantem dabatur, in duplum, in confitentem in simplum.

QUINTA DIVISIO. Actionum aliis solidum, id est totum id, quod debebatur, exigebatur, aliis pars sola. Eiusmodi fuit actio de peculio filij, de dote, quæ mulieri diuortio facta ad dotem exigendam aduersus maritum dabatur, item actiones, quæ aduersus parentem, patronum, socium, & eum, qui quid donauit, concedebantur.

concedebantur. nam omnes id tantum, quod facere possent, damnabantur. item Actio in debitorem, qui bonis cessisset, & postea mediocres fortunas adeptus esset.

SEXTA DIVISIO. Actiones quædam natæ sunt ex contractibus, & maleficiis dominorum, & patrum familias, quædam ex contractibus, & maleficiis seruorum, & filiorum familias. De primis dictum est. De reliquis nunc dicendum. Ex contractibus seruorum hoc modo. Serui aut consensu dominorum negotiati sunt, aut sine consensu eorum. si consensu, actiones quattuor emanarunt: Quod iussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria. Quod iussu data est in eum, cuius seruus cum aliquo iussu ipsius contraxit. Nam qui cum seruo iussu domini contrahebat, non serui, sed ipsius domini sequi fidem videbatur. Exercitoria dabatur in exercitorem, qui seruum nauis præposuisset, de eo, quod cum eo seruo illius rei causâ gestum fuisset. Exercitor autem erat, ad quem quotidianus nauis quæstus redibat. Seruus autem, quem nauis præficiebat, magister dicebatur. Institoria dabatur in eum, qui seruum institorem tabernæ præfecerat, de eo, quod cum eo seruo eius rei causâ gestum esset. Erat autem institor, qui alicui negotiationi præficiebatur. Tributoria dabatur in dominum, quo sciante vnâ cum seruo in merce peculiari contractum erat, nisi res æquabiliter inter creditores partitus esset, nimirum ut alia tributio fiat. Merx peculiaris erat, in qua seruus suo nomine domini consensu ita negotiabatur, ut eius quæstus ad ipsum pertineret. Sin autem sine consensu negotiati sunt, actiones duæ prodierunt, de in rem verso, & de peculio. Actio de in rem verso dabatur in dominum, sine cuius voluntate seruus contraxit. ut quod in rem domini versum est, solidum præstet, reliquum ex peculij iuribus dissoluat. In rem domini versum dicebatur, quodcunque domini facultates aliqua ex parte amplificarat, dum modo necessarius sumptus ille fuisset. Actio de peculio dabatur aduersus dominum ex serui contractu, quatenus in peculio erat. In peculio id esse dicebatur, quod deductis iis, quæ domino familiæve debebatur, supererat. Eadem vero patrum & filiorum familias ratio fuit, atque dominorum, & seruorum. Ex maleficiis porro seruorum Noxales actiones natæ sunt, dictæ, quia delicta eorum Noxæ vocatæ. Noxalis autem actionis natura fuit, ut dominus ea damnatus vel litis æstimationem perfolueret, vel si vellent, seruum ipsum noxæ dederet. Seruo autem noxæ dedito, dominium statim ab ipso domino in actorem transferebatur. Quod si post admissam noxam dominus mutaretur, noxa in nouum dominum dabatur, si seruus manumitteretur, in ipsum seruum. Quod idem de noxis etiam filiorum familias est intelligendum. Quin etiam noxalis actio fuit de pauperie, id est de damno dato à quadrupede. In his si damnum à quadrupede mansucta erat, ut equo calcitroso, & boue cornupeta, noxalis actio dabatur lege XII tabularum; si à fera, edicto ædilium cautum erat, ut ob vulnus homini libero illatum, actio in bonum, & æquum daretur; ob cetera damna in duplum.

SEPTIMA DIVISIO. Actiones aliæ stricti iuris fuerunt, aliæ bonæ fidei, aliæ arbitrariæ. Bonæ fidei, in quibus libera potestas permittebatur iudici ex æquo, & bono æstimandi, quantum actori restitui oporteret. in quo & illud continebatur, ut si quid inuicem præstare actorem oporteret, eo compellato in reliquum is, quo cum agebatur, condemnaretur. Hæc vero fuerunt, empti, venditi, locati, conducti, mandati, fiducia, pro socio, negotiorum gestorum, tutelæ, familiæ erciscundæ, communi diuidendo, depositi, commodati, pignoratitia, præscriptis verbis, tam quæ de æstimato, quam quæ de permutatione competebat, & rei vxoriæ actio. Arbitrariæ quæ ex arbitrio iudicis pendebant, in quibus nisi arbitrio iudicis, is quo cum agebatur, actori satisfaceret, veluti rem restitueret, vel exhiberet, vel solueret, vel noxali causâ seruum dederet, condemnabatur. & fuerunt tam in rem, quam in personam. In rem quædam prætoriarum: in personam, Quod metus causâ, Quod dolo malo factum. Cum id, quod certo loco promissum erat, petebatur, & Actio ad exhibendum. In his enim omnibus permissum erat iudici ex æquo, & bono secundum cuiusque

rei, de qua agebatur, naturam æstimare, quemadmodum actori satisfieri oportet. Præter has reliquæ stricti iuris dictæ.

Hæc fere antiquæ actiones fuere. Ex quibus qui ius suum persequi iudicio uoluerunt, aliquam necessario arripuerunt, eamque à prætore postularunt. Quoniam autem actio ius erat persequendi in iudicio, quod sibi debebatur, qui actionem postulauit, nihil aliud postulauit, quàm ius persequendi in iudicio quod sibi deberetur, aut quod suum esset. Id autem erat, iudicium, aut iudicem in eam rem, de qua lis erat, postulare, ut re cognita, & iudicata ius uterque suum adipisceretur. Iudicem autem dare præcipuum fuit ius dicentis officium. Vnde scripsit Ulpianus: *Ius dicentis officium latissimum est. nam & bonorum possessionem dare potest, & in possessionem mittere, pupillis non habentibus tutores constituere, iudices litigantibus dare.* & alio libro: *Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia.* id est qui ius dicit præter superiora iura etiam iudices dandi ius habet. Hinc illa sunt prope translaticia in Edictis prætorum: *De ea re iudicium dabo. De ea re iudicium non dabo.* Cognitis actionibus deinceps, ut proposuimus, dicamus de uocatione in ius, quæ editionem, & postulationem actionis præcessit.

De in ius uocatione. CAP. XVIII.



VI vero petere in animo habebat, aut alia ratione alicui litem, siue actionem intendere, antequam in ius adiret, per amicos intra parietes, quid proficere posset, experiebatur. Huius rei auctor est Liuius libro quarto: *Cum res peragi intra parietes nequiuisset, ventum in ius est.* & Cicero pro Quintio: *Non ne si quid in controuersiam ueniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur?* & pro Cæcina: *Ea iudicia, quæ distrahendarum controuersiarum causa reperta sunt, per sepe disceptatore domestico disceptantur.* Vbi vero res ita conuenire non poterat, tum die postulationum petitor eum unde petebatur, in ius uocabat. Erat autem in ius uocare, ut Paulus definit, *in ius experiundi causa uocare.* Non omnes tamen uocari poterant. Indicat Edictum prætoris: *Parentem patronum, patronam, liberos, parentesque, patroni, & patronæ in ius sine meo permissu ne quis uocet.* Item: *Magistratus, pontifex, dum sacra facit, & qui uxorem ducunt, in ius uocari non possunt.* Uocabat autem hoc modo. Qui petebat eum, unde petebatur, conueniebat, atque, ut se in ius sequeretur, admonebat. Si is sequi noluisset, eum in ius educebat, siue rapiebat. uerum ne iniuriam facere uideretur, ante aliquem eius actionis testem faciebat. capta scilicet hominis forte interuenientis, aut præsentis auricula rogabat eum his uerbis: *Licet ne antestari?* id est, possum ne testem sumere? si respondebat, *Licet,* tum aduersarium frustrantem, aut fugientem iniecta manu ad prætorem trahebat, atque hoc faciebat auctoritate XII tabularum. Sic enim in iis erat: *Si in ius uocet, atque eat. Ni statim eat, encapito antestari. Si caluitur, pedem de struit, manum endo iacito.* Fragmenta huius legis sunt apud Ciceronem in primo de Legibus, apud Gellium libro x, & apud Porphyriorem, & Acronem, & Festum. In qua lege *Atque eat,* significat statim eat, quia Gellius scribit: *Iubet lex, ciuem in ius uocatum ilico nulla interposita mora uocantem sequi. Caluitur autem est, frustratur. Pedem struit, aut retrorsus it, aut fugit, aut gradum auget, aut minuit. Manum endo iacito est manum iniacito, & per vim in ius rapito, ut exponit Festus, & alij. Hanc autem consuetudinem expressit Plautus in Persa his uerbis: *Age ambula in ius leno. D. Quid me in ius uocas? s. Illic dicam apud prætorem. Sed ego in ius uoco. D. Non ne antestaris? s. Tua ne ego causa carnifex cuiquam mortali libero aureis atteram?* & Horatius in Satyra I: *Casu uenit obuius illi Aduersarius, & quo tu turpissime magna Exclamat uoce, & Licet antestari? ego uero Oppono auriculam, rapit in ius.* Idem Acro, & Porphyrio hunc locum exponentes. Hinc Liuius libro III: *Marcus Virginie uenienti in fo-**

*rum manum iniicit sequi; se iubebat, uocat in ius auctoribus, qui aderant, ut sequeretur.* Et Plinius in Panegyrico ad Traianum: *Dicitur procuratori tuo: in ius ueni, sequere ad tribunal.* Vnde & in Edicto erat: *Qui retanda flumina publice habent, si quis eorum ad me eductus fuerit.* & Varro apud Gellium libro XIII: *M. Lauius ædilis curulis à priuato ad prætorem in ius eductus est.*

NEMINEM uero de domo sua in ius uocari licuisse, partim ex oratione pro domo, & pro Vatino cognoscitur, partim etiam Caius annotauit ad legem XII tabularum, D. de in ius uocando. *Plerique, inquit, putauerunt, nullum de domo sua in ius uocari licere, quia domus tutissimum cuique refugium, ac receptaculum sit, eumque, qui inde in ius uocaret, vim uideri inferre.* & Paulus: *Et si qui domi est interdum uocari in ius potest, tamen de domo sua nemo extrahi debet.*

QUOD si ille, qui uocabatur, imbecilla uoletudine esset, tum qui uocabat iumentum, currumue dare cogebatur à lege in hunc modum loquente: *Si in ius uocato morbus, aut aliusque uicium esset, qui in ius uocabat, iumentum dato, si nolet, arceram ne sternito.* Quæ uerba exponens Gellius libro XX inquit, *morbum* in hac lege non febriculosum, atque nimium grauem intelligi, sed uicium aliquod imbecillitatis, atque inualentia. *iumentum* porro significare non id solum, quod tum dicebatur, sed uectabulum etiam, quod adiunctis pecoribus trahebatur. *Arceram* autem uocatum plaustrum tectum uindicque, & munitum, quasi arca quædam uestimentis instrata, qua nimis ægri, aut senes portari cubantes solebant. Hac de causa in Rhetoricis ad Herennium scriptum est: *Ut maior annis sexaginta, & cui morbus causa esset, cognitorem daret.*

Quod si is, unde petebatur, latitaret ita, ut nullam secum agendi potestatem faceret, cum de domo extrahi non posset, actor prætoris auxilium implorabat, atque reum euocari iubebat edicto. Edictum uero ad ipsius latitantis ædes ponebatur cum solemnibus uiciorum testatione. Si autem euocationi primæ non pareret, neque defenderetur, prætor secundam decernens in bona petitorum mittebat, & nisi euocatione tertia ad sui defensionem uenisset, altero decreto bona eius possideri, proscribi, ac distrahi iubebat. Itaque in Edicto prætorio erat: *Qui fraudationis causa latitauerit, si boni uiri arbitratu non defendetur, eius bona possideri, uendique iubebo.* Uenditio tamen non statim fiebat, sed postquam bona per triginta dies possessa essent, tum uero iterum qui se creditores esse dicebant, si plures essent, prætorem adibant, petebantque, ut sibi liceret, unum ex corpore suo constituere, qui debitoris bona auctioni subiiceret. is constitutus dicebatur magister. & post id temporis proscriptio fiebat in celeberrimis totius urbis locis: ita ille debitor noster in eiusmodi causa est, ut bona eius diuendi debeant. nos creditores patrimonium eius distrahimus. quicumque emere uolet, adesto. Inde post aliquot dies, tertium iam prætorem adibant, postulantes, ut sibi liceret, legem bonorum uenditorum facere, atque inde ita præscribebant: *Hæc quicumque emerit, creditoribus in dimidiam partem eorum, quæ ipsis debentur, respondere debet, sic ut cui aurei centum debentur, accipiat quinquaginta.* Et certo tempore elapso emptori patrimonium addicebatur. Et uocabatur is, qui emerat Bonorum emptor, actionesque omnes à debitore in bonorum emptorem transferebantur, & conueniebatur non aliter, ac bonorum possessor. siquidem uterque successor prætorius erat. Hæc latissime Theophilus in tertio Institutionum, breuius Cicero in Quintiana. Atque hæc quidem in XII. Edictum inde prætoris legem correxisse uidetur, & cauisse, ut si quis in ius sequi nollet, satisfacere, fore, ut se in iure sisteret. Vnde titulus est in Pandectis ex Edicto sumptus: *In ius uocatus aut eat, aut satisfacet.*



**V**I vero vocatus in ius venerat, actor impetrata loquendi potestate actionem ei edebat, qua aduersus eum vti volebat. Erat enim ita comparatum, vt qui peteret non vnam, sed multas actiones haberet, id est multis modis ius suum persequi posset. Hoc multis verbis docet Cicero pro Cæcina dicēs: *Si quis domum reuens ab armatis hominibus primo aditu, vestibulūq; ædium suarum prohibitus sit, eum non solum iniuriarum, sed etiam de vi litem intendere posse.* Scribit etiā Theophilus institutionum libro III, dominum occisi serui & priuato iudicio agere posse ex lege Aquilia, & damnum sibi illatum persequi, & publici criminis reum facere ex lege Cornelia de sicariis. In iisdem etiam Institutionibus docet Iustinianus, in furem triplicem actionem intendi potuisse, Vindicationis, Furtiuz conditionis, & Pœnæ. Possumus etiam addere, si quid per vim alteri sit ablatum, in eum, qui abstulerit, multas actiones futuras; Rapinæ, Damni, Iniuriæ. Cum igitur ita esset, actor ex multis actionibus aliquam eligebat. *Non enim, vt inquit ibi Cicero, prator, qui iudicia dat, petitori præstituit, qua actione illum vti velit, sed actor ipse deligit.* Quam vero elegerat, eam in ius vocato reo edebat, prout ille significauit apud Plautum: *Cur me in ius vocas? Illic dicam apud prætorem.* itēque instrumenta, & rationes, & omnino omnia, quæ ad iudicem editurus esset. Hoc scripsit Vlpianus D. de edendo. *Qua quisque, inquit, ratione agere volet, eā edere debet. nam æquissimum videtur, eum, qui acturus est, edere actionem, vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltra debeat, & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum cognita actione, qua conueniatur. Edere est etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti, & dare, vel dictare. Eum quoque edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, & demonstret, quod dictaturus est, vel id dicendo, quo vti velit. Editiones sine die, & consule fieri debent, ne quid excogitetur è die, & consule & prælato die fiat. Diem autem, & consulem exceptit prætor, quo instrumentum conscriptum est, non in quem solutio concepta est. nam dies solutionis sicut summa pars est stipulationis.* In eodem etiam titulo de edendis rationibus, aliisque rebus ad actionem pertinentibus scriptum est, quæ, quia sunt in promptu, huc transferre, non libet. Huius editionis mentio est in Verrem quarta: *Apronius in Iure apud Verrem prætorem Agrinensibus in Ius vocatis dixit, eos contra edictum prætoris fecisse. illi quaesuerunt, quid? ille respondit, se ad recuperatores dicturum. quaesuerunt rursus, Quæ in verba Verres daret Recuperatores? Verres respondit: Si pareret, aduersus edictum fecisse, quæ in iudicio dicturum esse dicebat Apronius.* Ea verba iniqua fuisse inquit Cicero. *Nam quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum fuisse.*

## De postulatione actionis siue iudicij.



**L**ITA inde actione, qua vfusus erat, actor postulabat eam à prætore, id est petebat, vt sibi in aduersarium liceret intendere. Hoc voluit Vlpianus D. de edendo, cum scripsit: *Postulare est desiderium suum in iure apud eum, qui iurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Prætor autem quosdam in totum prohibuit postulare; quibusdam pro se permisit; quibusdam & pro se, & pro certis personis. prohibuit infames; procuratores autē, & defensores, vt qui aliena negotia mandato domini administrarent, & actionem intendere, & suscipere passus est. Itaque in edicto hæc erant: *Cuius nomine quis actionem sibi dari postulauerit, is cum boni viri arbitrato defendat.* Item: *Procuratorem ad litem suscipiendam datum, pro quo consentiente iudicatum solui dominus exposuit, iudicium cogā accipere.* Item: *Qui*

*Qui lege plebiscito, senatusconsulto, edicto, decreto nisi pro certis personis postulare prohibentur, si pro alio, quam pro quo licebat, in iure apud me ne postulent, nempe patre, patrono, patrona, liberis, parentibusq; patroni, & patrona, liberis suis, fratre, sorore, uxore, socero, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua.* Neq; vero solum actor actionem postulauit, sed reus aduocatum. Vnde in eodem Edicto fuit: *Si non habebunt aduocatum, ego dabo.* Fuit autem aduocatus, teste Afconio, iurisconsultus, qui patrono ius suggessit, aut reo præsentiam suam commodauit.

Actione inde aduersario edita, eaq; à prætore post postulationem impetrata, tum actor certa verborum concepta formula vadabatur reum. id est vades, siue sponsores petebat, fore, vt certo die, is plerunque perendinus erat, se in Iure sisteret. Vas autem, teste Varrone, fuit, qui pro altero vadimoniū promisit. Pro Quintio: *Vadari vis, promittit.* Quamobrem quæ ratio vadandi, & vadimonij fuerit, est agendum. In primis igitur de quocunque sponso in vniuersum illud erat scriptum in Legge: *Afiduo vindex afiduo esto. proletario cuiuscuque volet, vindex esto.* Vbi Gellius libro xv i: *Afiduum locupletem interpretatur.* Nam proletarius erat, qui non amplius, quam mille quingentum æris in censum deferebat. Vindex autem pro sponso erat positus. In Edicto vero ita scriptum erat: *Si quis parentem, patronum, patronam, liberos, aut parentes patronæ, liberosve suos, eumque, quem in potestate habebit vel uxorem, vel nurum in iudicium vocabit, qualiscunque fideiussor accipiat, iudicio sistendi causa.* Vadimonium porro adhibito iurisconsulto concipiebatur. Cicero ad fratrem: *Negat Cæsar, in tanta multitudine eorum, qui vna essent, quenquam fuisse, qui vadimonium concipere posset.* Vt autem qui prouocabat, vadari, sic qui prouocabatur, vadimonium promittere dicebatur. Liuius libro xx xiii: *Prætores, quorum iurisdictionis erat, tribunalia ad Piscinam publicā posuerunt, eoque vadimonia fieri iusserunt.* Plautus in Aulularia: *Homo ad prætorem plorabundus deuenit. Ibi insit postulare plorans, eiulans, vt liceret.* Milium vadari. Gellius libro vi i: *Rogauit quidem Scipionem de more, in quem diem, locumque vadimonium promitti iuberet. Tum Scipio, Perendie, inquit, se sistant in illo loco.* Concepto inde vadimonio, & sponsoibus acceptis è Iure discedebatur. Accidit autem, & quidem sæpe, vt prætores deinde ex voluntate litigatorum vadimonia in alios dies perendinos differrent. ostendit hoc Liuius epitoma libri lxxxvi: *Sylla ex fiducia iam certæ victoriæ litigatores, à quibus adibat, vadimonium Romam differre iussit.* Cicero ad Atticum libro ii: *Hominem ire cupiebam, non mehercule, vt differrem cum illo vadimonium, nam mira sum alacritate ad litigandum.* & pro Quintio: *Qui quo tempore rem male agere coepit, differendis vadimonijs tempus omne consumpsit.* Inuenalis Satyra iii: *Differt vadimonia prætor.*

Interea vero dum res in vadimonio fuit, reus cognita actione, aut actor sine iudicio cessit, aut se ad contendendum parauit. Si cessit, rem aut pacto, aut transactione composuit. Auctor est Vlpianus D. de transactionibus: *Qui transigebat, inquit, de re dubia, atque incerta, neque finita transigebat. qui paciscebatur, donationis causa rem certam, & indubitatam liberalitate remittebat.* Hinc Cicero pro Q. Roscio: *Cum de sua parte Roscius transigebat cum Flauio, actionem sibi suam reliquit, an non? & in Verrem iii: Cum Rabirio tutore, quod erat vix sestertium sexaginta millium transigunt sestertium ducentis millibus.* Hinc erat in Edicto: *Pacta, conuenta, quæ neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, senatusconsulta, edicta, decreta principum, neque quo fraus eorum cuiquam fiat, facta erant, seruabo.* Quod ad omnes pactiones, transactionesque traductum est.



**E**R T I O inde die, qui dies cognitionibus erat dicatus, & comperendinus appellabatur, prætor actiones editas ac postulas ex tabulis ordine recitari, atque actores, reosque citari per accensum iubebat, ut iudicia actionibus eorum cognoscendis daret. Quorum illud Macrobius vocavit, *dicere vadimonia*, hoc *addicere iudicia*, cum scripsit: *Comperendini dies fuerunt, quibus vadimonia dicere, & iudicia addicere licebat*. Si vero litigatores ad vadimonium die constituto non accurrissent, litem amittebant. Suetonius in Caligula: *Comprehendit meritoria vehicula adeo ut litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent*. & Horatius: *Ventum erat ad Vesta, & casu tunc respondere vadato Debebat, quod nisi fecisset, perdere litem*. Præcipue vero reus si vadimonium deseruisset, quod promiserat, perdebat litem, quia prætor postulante actore, ex edicto bona eius possideri iubebat, & si xxx dies possessa essent neque ille se defendisset, vendi iubebat eo modo, quo supra demonstratum est. In Edicto enim sic scripserat: *In bona eius, qui iudicij causa fideiussores dederit, si neque potestatem sui faciat, neque defendatur, iri iubebo*. Scribit etiam Cicero, cum Quintius vadimonium missum fecisset, prætorum ex edicto bona eius possideri iussisse.

Si autem uterque occurrisset, tum se stitisse dicebantur. Cicero: *Testificantur isti, Quintium non stitisse, se stitisse*. Ac tum prior reus ita agebat: *Vbi tu es, qui me vadatus es? Vbi tu es, qui me citasti? ecce ego me tibi sisto, tu contra & te mihi siste*. procedente autem actore rogabat, *Quid ais?* Respondere actor, *Aio*, exempli gratia, *fundum, quem possides meum esse; Aio te mihi dare, facere oportere*, prout natura actionis postulabat, quam ille intendere volebat. Docet hoc Plautus in Curculione, ubi ita est: *Vbi tu es, qui me conuadatus Venerij vadimonij, Vbi tu es, qui me libello Venerio citasti? Ecce me. Sisto ego tibi me, & te mihi contra ut sistas. suadeo*. Reliqua vero liquent ex solemnibus formula intentionis: *Aio te*. Neque enim intendens dixisset, *Aio te*, nisi rogatus esset, *Quid ais?* Ceterum responsio actoris ipsam complexa est intentionem actionis. Singulæ autem actionum intentiones propriis formulis inclusæ fuerunt, quæ à pontificibus scriptæ quondam, deinde à iurisperitis compositæ fuerant, à quibus qui recessit, causa cecidit, ut Cicero significat in primo de oratore, ubi duorum aduocatorum insignem in postulando iuris irridet incertiam: Vnde dixit item pro Q. Roscio: *Sunt iura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere iniuriæ, aut in ratione actionis errare possit*. Has vero formulas in singulis Actionibus, cuiusmodi fuerint, demonstrare longum esset, & propter similitudinem ipsarum inter se molestum, ac prope putidum, in principibus autem præterire vix sine insigni huius doctrinæ detrimento licet. Itaque initio ducto à Vindicatione, quid in paucis obseruatum sit, videamus.

**A**C T I O V I N D I C A T I O N I S fuit duplex, vna possessionis, altera dominij. Possessio vsum rei hoc loco significat, ut ædium, aut fundi, eaque proprie *Vindicia* nominatur. Qui vero litem de dominio rei intendere volebat, quæ dicebatur, ut scripsi, *Vindicatio*, si cuius vindiciæ, id est possessio esse deberet, certum fuisset, is, qui possessione carebat, actionem statim possessori de dominio intendebat. Sin autem incertæ fuere vindiciæ, primū de vindiciis, deinde de dominio agebat. *Neque enim*, ut inquit Iustinianus, *alter institui, aut expediri lis de dominio potuit, quam si alter petitor, alter possessor esset, quia etiam si eius res non esset, qui possideret, si modo actor non posset suam esse probare, remanebat in suo loco possessio, aut quia ubi non constabat, vter possessor esset, actio à petitore de dominio institui non poterat, quia civilis, & naturalis ratio posceret, ut alius possideret, alius à possidente peteret*. Ostendamus autem primum, quo modo Vindiciæ postulatae sint, deinde possessore constituto, qua ratione lis ei de dominio sit illata.

Cum

Cum ergo incerta esset possessio, ij, quorum intererat, postularunt à prætore interdictionem de possessione, aut quasi possessione, nempe aut de adipiscenda possessione, aut de retinenda, aut de recuperanda. Interdictum de adipiscenda possessione reddebatur, ut scripsi, ei, cui bonorum possessio à prætore ex edicto data fuerat. Interdictum de retinenda eis, qui de proprietate litigaturi erant, neque vter possideret, inter eos conueniebat. De recuperanda iis, qui vi ex aliquo loco deiecti erant. Vis autem hæc fuit, ut dixi, duplex, vera, & simulata. Vera vis appellata, cum armatis, aut inermibus hominibus coactis aliquis ex loco deiectus erat. Vis simulata fuit veræ vis imitatio, quoties dicis causa alter alteri in iure manum conferendo vim attulit, & verbis vindicauit, seu vindicias postulauit. In seruo quidem manus confectio facta est in hunc modum. Qui serui possessionem petebat, tenens seruum in iure apud prætorem ita vindicabat, id est possessionem per simulatam vim postulabat. Quippe roganti reo, *Quid ais?* respondebat: *Hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio, eiusque vindicias mihi dari postulo*. Si ille alter taceret, aut cederet, prætor seruum addicebat vindicanti, id est possessionem decernebat postulanti usque ad exitum iudicij de dominio instituendi. Sin autem ille contra vindicaret, tum & ipse seruum eundem corripiens, & quasi de manu vindicantis abstrahens dicebat: *Et ego hunc hominem meum esse aio, eiusque vindicias mihi conseruari postulo*. Tum prætor interdicebat: *Qui nec vi, nec clam, nec precario possidet, ei vindicias do*.

In fundo autem, aut domo manus confectio facta est in hunc modum. Stantes in iure litigatores petitor eum, unde petebatur, ex iure manu confectum vocabat, ita dicens: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est, eum ego ex iure Quiritium meum esse aio. Inde ibi ego te ex iure manu confectum voco*. Ille vero, nisi cessisset, respondebat: *Vnde tu me ex iure manu confectum vocasti, inde ibi ego te reuoco*. Tum prætor dicebat utrisque: *Superstitibus presentibus: Istam viam dico. Inire viam. Præsto aderat sapiens, qui inire viam doceret: Redite viam*. Eodem duce redibant. In agro vero manum conferere. Atque hæc quidem Cicero pro Murena. Vnde etiam Festus. *Superstitibus presentibus ij, inter quos controversia est, vindicias sumere iubentur*. Hic Vindiciæ non possessio est, sed res, aut particula rei, cuius possessio postulabatur. Hoc vero totum exposuit Gellius libro xx scribens: *Ex iure manu confectum verba sunt ex antiquis actionibus, quæ cum lege agitur, & vindiciæ contenduntur, dici nunc quoque apud prætorum solent. Manum conferere. Nam qua de re disceptabatur in re presenti, siue ager, siue aliud quid est, in ea re solemnibus verbis vindicia, id est confectio manus in re, atque in loco presenti apud prætorem ex xii tabulis fiebat in quibus ita scriptum est: Si qui in iure manum conferunt. Sed postquam prætores propagatis Italiae finibus datis iurisdictionibus occupati proficisci vindiciarum dicendarum causa longinquas in res grauabantur, institutum est contra xii tabulas tacito consensu, ut litigantes non in iure apud prætorem manum confererent, sed ex iure manu confectum vocarent, id est alter alterum ex iure ad conferendam manum in rem, de qua ageretur, vocaret, atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, vti vnam glebæ ad prætorem deferrent, & in ea gleba tanquam in toto agro vindicaret. Hæc Gellius. In eandem sententiam dixit Festus ex Cincio: *Vindiciæ olim dicebantur, quæ ex fundo sumptæ in ius allatæ erant*. His autem vindiciis, id est hac gleba, siue festuca in ius allatis actor, qui deiectus erat, eas tenens dicebat: *Hunc fundum, siue hanc domum meam esse aio ex iure Quiritium, eoque restitui, vnde deiectus sum, postulo*. Tum prætor: *Vnde tu illum deiecasti, cum nec vi, nec clam, nec precario possideret, eo illum restituas, iubeo*. Restituebat, si modo illum nec vi, nec clam, nec precario possidisse constaret. Gellius hanc vim civilem & festucariam vocat, quippe quæ verbo, non manu armata facta esset, & simulate ad possessorem constituendum suscepta esset. atque hæc quidem ex xii tabulis sumpta est.*

Altera vis simulata fuit, quæ non à lege, sed à moribus emanauit. Quippe qui

N posses-

possessionem recuperare volebat, possessori certum diem constituebat, quo in rem presentem veniretur, ut in fundo, quo de agebatur, moribus vis, & deductio fieret. Hoc modo Cæcina apud Ciceronem agere cum Æbutio possessore voluit. verum ab eo in fundum ingredi vera vi, non moribus prohibitus Interdictum Vnde vi postulauit, ut ille, qui veram vim passus esset. Verba Ciceronis sunt hæc: *Placuit Cæcina de amicorum sententia constituere, quo die in rem presentem veniretur, ut de fundo Cæcina moribus deduceretur. Colloquuntur dies ex utriusque commodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in castellum Axiam, & post: Cum Æbutius Cæcina malum minaretur, ibi tum Cæcina postulauit, ut moribus deductio fieret. Item: Cæcina ad eam fundum profectus est, ex quo ex conuento vim fieri oportebat. Item: Cæcina cum ad constitutam diem, tempusque venisset, ut vis, & deductio moribus fieret, pulsus, prohibitusque est vi armatis hominibus.*

Huic accessit tertia ratio ineundæ possessionis, quæ neque à lege, neque à moribus, sed à iure ciuili profecta est. ius ciuile voco, quod iurisperiti fori disputatione collatis inter se capitibus constituerunt. Hæc non proprie vis fuit, sed vsurpatio. Vsurpatio vero, ut scribit Paulus D. de vsurpationibus, fuit *interruptio vsucapionis*. Hinc Venuleius D. de acquirenda possessione: *Species inducendi in possessionem alicuius rei est, prohibere ingredienti vim fieri. statim enim cedere aduersarium, & vacuam relinquere possessionem iubet, quod multo plus est, quam restituere.* Hoc autem factum, ut reor, ille, qui inductus erat, vsurpandi causa furculum defringere conuenit, atque ita possessionem aduersarij interruptit. Itaque huc alludens dixit Cicero in tertio de oratore de philosophis cum oratoribus contenditibus: *Etiã hac instituendo diuisione utitur, sed ita ut non iure, aut iudicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure ciuili furculo defringendo vsurpare videantur.* & Caius D. de vsurpationibus: *Naturaliter interruptitur possessio, cum quis de possessione vi deicitur, vel alicui res eripitur, quo casu non aduersus eum tantum, qui eripit, interruptitur possessio, sed aduersus omnes. nec eo casu quidquam interest, is qui vsurpauerit, dominus sit, nec ne.* Hos autem tres possessionis ineundæ modos sunt qui non inter se diuersos, sed omnino eosdem esse scribant. quibus ego assentiri non possum. Est enim aliud recuperare possessionem iure, & iudicio, aliud vsurpare ex iure ciuili. ut significauit Cicero. Nam in recuperanda possessione, quoniam vis incidit, interdictum postulandum est, in vsurpanda non ita. Ac vis quidem vna fit ex lege allatis iudiciis ex fundo in Ius, altera fit moribus in ipso fundo.

Constituto demum possessore, tum lis de dominio intendebatur possessori ab eo qui possessione exclusus esset, aut qui omnino expers possessionis esset. Siquidem, ut scriptum est D. de petitione hereditatis, *Tenetur petitione hereditatis, qui vel ius pro possessore possidet, vel rem hereditariam, licet minimam.* Dominiũ autem petebatur eadẽ ratione, iisque prope verborum formulis, quibus possessio. vnde errores multi in has actiones irreperunt, quibus plerique impliciti adhuc se expedire nõ potuerunt. Ceterum petitor cum possessore ita egit, ut primum an auctor esset, id est an talis esset, vnde ius suum repetere posset, statueret, deinde vindicaret, tum satisfacere iuberet, tum sponfione prouocaret. An auctor esset, ita quæsiuit: *Quando te in Iure conspicio, postulo an ne sis auctor?* Hoc scribit Cicero in oratione pro Cæcina: *Actio est in auctorem presentem: Quando te in Iure conspicio, postulo an ne sis auctor?* & Caius significauit, cum scripsit D. de rei vindicatione: *Qui petitorio iudicio utitur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit, vel dolo desijt possidere.* Si ille, qui rogabatur, taceret, lis ei æstimabatur. si negaret, tum prætor dicebat: *Quando negat, sacramento querito.* Erat autem sacramentum querere, ad certam spondendam pecuniam reum prouocare, Ni ita esset. Itaque audito prætoris mandato petitor subiiciebat: *Quando negas, te sacramento quinquagenario prouoco, spondes ne, te soluturum quinquaginta asses, si auctor sis?* id est si probauero, te auctorem esse? Cui inficiator respondebat, *spondeo quinquaginta asses,*

*ra asses, si auctor sim.* Inde restipulatur: *tu vero spondes ne idem, Ni sim?* Cui ille: *Et ego, quoque spondeo.* Quod si ille se auctorem esse profiteretur, tum eadem vindicandi ratio in dominio petendo obseruabatur, quæ adhibita fuerat in petenda possessione. Nam Vindicatio non magis erat possessionis postulatio, quam dominij. Itaque, ut maneamus in superioribus exemplis, si seruus peteretur, petitor seruum tenens ita vindicabat: *Quando ais, neque negas, te auctorem esse, hunc hominem ex iure Quiritium meum esse aio.* Tum prætor possessorem interrogabat, an contra vindicaret. Si ille cederet, seruum pariter vindicanti addicebat, id est dominium decernebat. Sin contra vindicaret, sic respondebat: *Et ego eundem hominem meum esse aio ex iure Quiritium, sed non ne tu dicis, qua causa vindicaueris?* Tum petitor causam exponebat. Sin autem fundus, aut domus peteretur, eadem ratione vindicabatur, id est dominium petebatur, qua postulatum in seruo fuerat. Quippe allatis in Ius iudiciis dicebat petitor: *Hunc fundum aio meum esse ex iure Quiritium.* & reliqua eodem modo, quo in seruo. Hæ formulæ apud Ciceronem in oratione pro Murena, & apud Valerium Probum in libro de Notis antiquis reperiuntur. Cicero etiam huc alludit, cum dixit in primo de oratore: *Multis præessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex Iure manu confertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Agerent enim lege tecum Pithagorei omnes, vindicarentque, id est litem de dominio intenderent.*

De satisfactionis postulatione ratio fuit huiusmodi: Antequam petitor causam redderet, cur vindicaret, postulabat à possessore, ut satisfacere, se nihil deterius in possessione facturum. Satisfacere autem possessor, aut litem amittebat. Paulus D. de petitione hereditatis: *Quoties hereditas petitur, satisfactio iure desideratur, & si satisfactio non detur, in petitorum hereditas transfertur.* Asconius: *Prædes dicuntur satisfactores locupletes pro re, de qua apud Iudicem lis est, ne interea qui tenet, diffidens causæ suæ possessionem deteriore faciat, tecta dissipet, excidat arbores, & culta deserat.*

Sponfionis inde faciendæ ratio fuit huiusmodi: Petitor, vbi eum vnde petebatur, aut inuentionem, aut rationem intentionis suæ inficiantem audiuit, eum sponfione sacramenti prouocauit: *Ni ita esset, qua facta reus petitorum vicissim prouocauit hoc modo, in intentione: Quando negas, hunc seruum meum esse, sacramento te quinquagenario prouoco. Spondes ne quingentos, si meus sit?* id est si meum esse probauero, cui reus: *Spondeo, si tuus sit.* & si sponfionem recusasset, litem amisset. Inde restipulans rogabat: *Et tu spondes ne quingentos, Ni tuus sit?* i. si probauero, tuum non esse. Cui petitor: *spondeo, Ni meus sit.* atque hoc nisi fecisset, litem amisset. In ratione intentionis hoc pacto: *Aio, hunc seruum meum esse, quia ex ancilla mea natus est.* Cui reus: *Nego tuum esse, quia ex ancilla tua natus non est.* Tum petitor: *spondes ne quingentos, si ex ancilla mea natus sit?* Reus: *spondeo, si ex ancilla tua natus sit.* Et tu spondes ne quingentos, Nisi ex ancilla tua natus sit? Petitor: *spondeo, Nisi ex ancilla mea natus sit.* In hoc genere pecunia, quæ interponebatur, Sacramentum, Stipulatio, & restipulatio Sponfio dicebatur. Confirmemus hæc auctoritatibus. Varrò libro v de lingua Latina: *Quæ pecunia inter se contra sponsum rogata erat, dicta sponfio.* Paulus D. de petitione hereditatis: *Si petitor satisfacere noluerit, penes possessorem possessio remanet, in pari enim causa potior est possessor.* Si petitor satisfacere noluerit, inquit, pro eo, quod est, si à possessore sponfione prouocatus sponfionem facere noluerit. Item Cicero in tertia in Verrem: *Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non extaret, lege ageret in hereditatem, aut pro præde litis vindiciarum, cum satis accepisset, sponfionem faceret, ita de hereditate certaret.* In quem locum sic Asconius: *Experiretur iure, quemadmodum probaret, se heredem scriptum esse, & possessionem à prætore peteret. Itaque aut peteret, ut possessor esset, aut acciperet ab aduersario satis pro præde litis vindiciarum, & ipse sponfionem faceret. Lis autem vindiciarum est, cum litigatur de ea re apud prætorem cuius incertum est, quis debeat esse possessor.*



ideo qui eam tenet, satisfat pro prae de litis vindiciarum aduersario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset. Rursus sponsione ipse prouocatur ab aduersario certa pecuniae, aut aestimationis, quam amittat, Ni sua hereditas sit. hic sponsionem facit petitor, sponsione prouocat possessor, hoc modo. Petitor: Aio, hanc hereditatem meam esse. Possessor: nego. Petitor: Spondes ne certam pecuniam, si mea sit? Possessor: Spondeo si tua sit. Et tu spondes ne idem, Ni tua sit? Petitor: Spondeo, Ni mea sit. De sacramento sic Festus: Sacramentum aes significat, quod poenae nomine penditur, siue eo quis interrogatur, siue cõtenditur. id in alijs rebus quinquaginta asstũ est, in alijs quingetorum inter eos, qui iudicio inter se cõtendunt. Qua de re lege L. Papirij sancitũ est his verbis: Quicumq; prator posthac factus erit, qui ius inierciues dicet, tres viros capitales populum rogato. ijq; triumviri capitales, quicumque ex hac lege facti erunt, sacramenta exigunt, iudicantq; eodemq; iure sunt, vti ex legibus, plebeive scitis esse oportet. Sacramenti autem nomine id aes dici cõceptũ est, quod propter ararij inopiã, & sacrorũ publicorũ multitudinẽ cõsumebatur in rebus diuinis. Itẽ Varro libro quinto de lingua Latina: Ea pecunia, quae in iudiciũ venit, in litibus sacramentum a sacro dicta. Qui petebat, & qui inficiabatur, de alijs rebus vterq; quingenos aeris ad põrificem deponebãt, de alijs rebus item certum alium asstum numerum. Qui iudicio vicerat, suum sacramentũ a sacro auferebat, victi ad ararium redibat. Aconius: Cum in rem aliquã agerent litigatores, & poena se sacramenti peterent. Valerius libro vii: Aebutia Platoriam filiã heredem reliquit, Afraniã sine caussa praterijt, filijs autem Afraniae x x millia nummum legauit. Afrania tamen cum sorore sua sacramento cõtendere noluit. Cicero pro Milone: In iustis vindicijs, & sacramentis alienos fundos petunt: In primo de oratore: Ageret tecum lege Pythagorei omnes, vindicarentq; quibus cum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Arnobius: Quis arbiter tantis ceruicibus erit, qui inter personas eiusmodi aut vindicias iustas dare, aut sacramenta conetur non iusta pronunciare? Ceterum sponsionis ratio huiusmodi fuit. Qui petebat, dicebatur sponsione, & sacramento prouocare, quia interrogabat, spondẽne quingentos? item sacramento rogare, quærere, & stipulari ob eandẽ caussam. Ille vero vnde petebatur, dicebatur contedere ex prouocatione, contedere sacramento, & restipulari. Cõtendere ex prouocatione, quia prouocatus nõ recusabat spõsionẽ, sacramento, quia pecuniã, quæ sacramentũ dicebatur, & vt inquit Isidorus libro v, spõsionis pignus erat, se soluturum spõdebat; restipulari, quia & ipse ab actore vicissim stipulabatur, postquã ipse spõderat: Et tu spõdes ne idem? Vterq; autẽ spõdere, & spõsionẽ facere, & se inter se sponsione prouocare dicebatur. Ceterũ vtraq; spõsio his verbis cõcipiebatur, Si, & Nisi, sed modo hoc, modo illo pro natura negotij, & rei affirmatione, aut inficiatione. Nã semper cõtrariũ rogabatur eius, quod reus dixerat. Quippe negante reo se esse auctorẽ, rogabat petitor, ac stipulabatur: Spondes ne quinquaginta, si sis auctor? Aiente autẽ fundũ suũ esse, quia testamentũ extet, rogabat, ac stipulabatur. spõdes ne quingentos, Ni tuus fundus sit, Ni testamentum extet. Reus autem spõdebat: Spondeo quinquaginta, si auctor sim, quingentos, Ni meus fundus sit, Ni testamentũ extet. Inde rogabat vicissim petitorẽ, & restipulabatur: Et tu spõdes ne quinquaginta, Ni auctor sim: Si meus fundus sit, si testamentũ extet. cui ille: spõdeo, Ni auctor sis, si fundus tuus sit, si testamentũ extet. Perpedamus exẽpla, vnde hæc hausta sunt. Valerius libro ii: Pertinacius progressã cõtentione Valerius spõsione Lutatiũ prouocauit: Ni suo ductu Punicã classis oppressa esset: nec dubitauit restipulari Lutatius. Petebat icilicet triũphũ Valerius prator, cũ diceret egrotãte Lutatio cõsule Punicã classẽ ductu suo oppressã fuisse. Negabat, tribuendũ esse Lutatius, quia nõ ductu eius Punicã classis oppressã esset. Tũ Valerius: spõdes ne sacramentũ, si meo ductu classis oppressa fuit. i. si probauero meo ductu classẽ oppressã? Cui Lutatius, spõdeo, si tuo ductu classis oppressa fuit. Inde restipulatus est: Et tu spondes ne, Nisi tuo ductu classis oppressa fuit: id est si probauero, nõ tuo ductu classẽ oppressã? cui Valerius; Spondeo, Ni meo ductu classis oppressã sit.

Macrobius:

Macrobius: Cleopatra sponsione prouocauit Antonium, insumere se posse in vnam cenam sestertium centies. Nec moratus Antonius sponsione contendit. Hoc loco dixerat Cleopatra, se in vnam cenam sestertium centies insumere posse. Negauit Antonius. Cleopatra sponsione prouocauit eum dicens, Spondes ne sacramentum, si insumpsero? Inde restipulans, Et tu spondes ne, Nisi insumpseris? cui Cleopatra: Spondeo, Ni insumpsero. Cicero pro Quinctio: Prator iubet, P. Quinctium sponsionem facere cum Næuio, si bona sua ex edicto pratoris possessa essent. Hic Næuius prouocauit Quinctium sponsione stipulans: Spondes ne sacramentum, si bona tua ex edicto pratoris x x x dies possessa sunt? id est si probaro, quod negas, bona tua ex edicto pratoris x x x dies esse possessa? Cui Quinctius ex auctoritate pratoris: Spondeo, si bona mea ex edicto pratoris x x x dies possessa sunt. Inde restipulans: Et tu spondes ne idem, Nisi bona mea possessa sunt? Cui Næuius: spondeo, Ni bona tua possessa sunt. Idem ad Trebatium: Cum ei dicerem, tibi videri, sponsionem illam nos sine periculo facere posse: Si bonorum Turpilie possessionem Q. Cæpio ex edicto suo mihi dedit. Hic actor intendebat, pratorẽ dedisse possessionem bonorum Turpilie, reus negabat dedisse. Cui reus prouocans, ac stipulans, Spondes ne, si dederit? id est si probauero dedisse. Cui reus, auctore Trebatio, spondeo, si dederit. inde rursus prouocãs, ac restipulans, Et tu spondes ne, Ni dederit? Cui ille, Spondeo, Ni dederit. In tertio de officiis: Fimbria iudex datus M. Lutatio, cum is sponsionem fecisset, Ni vir bonus esset. A M. Lutatio petebatur pecunia, quam ipse se reddidisse sine testibus affirmãti credi volebat, quia vir bonus esset. Tum actor, spondes ne sacramentum, Ni vir bonus es, id est si probauero, te virum bonum non esse? Cui Lutatius: spondeo, Ni vir bonus sum. Inde restipulans: Et tu spondes ne, si vir bonus sum? Spondeo, si vir bonus es. Liuius libro x x x i x: Cato Quinctio conditionem tulit, vt, si id factum negaret, sponsione se defenderet. Hæc de ratione sponsionis dicta sunt. De quingentis autem spondendis perpetuum nõ fuisse crediderim, sed sponsionem factam esse pro modo litis, & arbitrio prouocantis. si quidem dixit Cicero in quinta Verrina: Facta est sponsio sestertium quinque millibus. & pro Q. Roscio: Pecunia petita est certa cum tertia parte sponsio facta est.

His de auctoritate, satisfatione, sacramento, & sponsione perfectis redeo ad rem, de qua dicere institueram. Cum petitor in hereditatem fundi ageret, ita dicebat: Aio, hunc fundum meum esse iure Quiritium. Cui possessor inficians respondebat: Et ego meum, non tuum esse aio ex eodem iure Quiritium. Tum petitor: Satisfat, te non deteriore possessionem facturum. possessor satisfabat. Tum petitor spondes ne quingentos, si meus hic fundus sit? possessor spondeo quingentos, si tuus hic fundus sit. Inde restipulans: Et tu spondes ne totidem, Ni tuus hic fundus sit? petitor, Spondeo, Ni meus hic fundus sit.

Est autem animaduertendum, si reus nihil ad inficiationem addidisset, puram defensionem dictam; si exceptionem adiecisset, coniunctam. Erat autem Exceptio rei defensio, quæ non omnem actoris intentionem excludebat, vt inficiatio, sed eius partem duntaxat. atque his verbis concipiebatur, extraquam si, vel Nisi si. vt si reus dixisset: Immo hereditas mea est, non tua, Nisi testamento prodatur, quo tibi relicta appareat, aut aliquid tale. Cicero in Rhetoricis: Lex est. In iudicio primato præiudicium ne fiat publico. Cum ad vim quotidianam faciendam quidam armati venissent, armati contra præsto fuerunt. & cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti gladio manum præciderunt. Agit is, cui manus præcisa est, iniuriarum. Postulat is, qui cum agitur, a pratore Exceptionem, Extra quam si in eum capitis præiudicium fiat, id est non excludit totam actionem iniuriarum, sed ex ea tantũ parte, Si in reũ capitis præiudicium fiat. Vt autẽ in inficiatione actor, sic in Exceptione reus sponsionẽ concepit. Et sponsio quidem cum inficiatione Pura dicebatur, cũ Exceptione vero Coniuncta, vt Spondes ne quingentos, Ni hereditas sua sit, Ni testamentum prodatur? spõdeo. Tu vero spõdes ne, si hereditas mea sit, Ni testamentũ prodatur? Spondeo.

QVONIAM autem per exceptiones actio transferbatur, locus admonet, ut de translatione actionis deinceps dicamus. Transferbatur actio, cum petitor agens plus in intentione sua complectebatur, quam ad eum pertinebat. Quod si fecisset, causa cadebat, id est, ut inquit Iustinianus, litem amittebat, nec facile in integrum restituebatur à prætorè, nisi minor erat viginti quinque annis. Plus autem quattuor modis petebatur, re, tēpore, loco, & causa. Re, veluti si quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti peteret. aut si is, cuius ex parte res est, totam eam, vel maiore ex parte suam esse intenderet. Tempore, veluti si quis ante diem, vel ante conditionem petisset: Loco, veluti, cum quis id, quod certo loco sibi dari postulatus est, alio loco petisset, sine cōmemoratione illius loci, in quo sibi dari postulatus esset, verbi gratia, si is, qui ita stipulatus fuerat, *Ephesi dare spondes?* Romæ pure intēdar dari sibi oportere. Causa, ut si quis ita à te stipulatus esset: *Hominem Stichum, aut decem aureos dare spondes?* deinde alterutrum petisset, veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere stipulationis, promissoris est optio, utrum pecuniam, an hominem soluere malit. Qui vero pecuniam tantum, vel hominem tantum sibi dari oportere intendit, eripit optionem aduersario, & eo modo suam quidem conditionem meliorem facit, aduersarij vero sui deteriore. Hac vero de re Cicero in Rhetoricis: *In nostra consuetudine multis de causis fit, ut varius incidant translationes. Nam & prætorijs exceptionibus multa excluduntur actiones, & ita ius civile habemus constitutum, ut à causa eadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit. Quare in Iure plerunque versantur, ibi enim & exceptiones postulatur, & quodammodo agēdi potestas datur, & omni conceptio priuatorum iudiciorum constituitur. Quæ verba sic exponit Victorinus: Apud prætorē cū litis ipsius forma componeretur, ibi partes aut excipiebant, aut simplicem actionem accipiebant. Vnde in ipso iure, hoc est apud prætorē tractabatur Exceptio, atque translatio.*

AT QVÆ hoc quidem modo in rebus corpore præditis litis concipiebatur intentio. Quæ cognita facilis est cognitio reliquarum. Nam in rebus corpore vacantibus, ut in usufructu, & prædiorum seruitute eodem modo intendebatur, ac vindicabatur *Aio, usufructū fundi tui, qui est in agro Sabino, esse meum. Aio, ius eundi agendi per fundum tuum esse meum. Aio, ius ex fundo tuo aquam ducendi, vel ius versus ades tuas altius tollendi esse meum.* Hoc autem proprium in his fuit, quod non solum affirmanter intendi potuit, sed etiam neganter, hoc modo: *Aio, usufructum fundi mei non esse tuum. Aio, ius eundi agendi per fundum meum non esse tuum.* atq; ita in ceteris. Causa vero huius dissimilitudinis fuit, quod in rebus corporeis is solum agere potuit, qui nō possedit, nam ei, qui possedit, nulla erat prodita actio, neque enim intendere potuit: *Aio fundum hunc tuum non esse.* neque enim si iudicatum esset, nō esse possessoris, propterea fiebat necessario, ut esset petitoris. In his autem non idem erat qui affirmatiue agebat, & qui negatiue. nam affirmanter intendebat qui se ius illud, de quo quærebatur, habere dicebat, veluti usufructum, aut seruitutem in alterius proprietate. neganter vero ipse dominus fundi, aut ædificiū, qui affirmabat, illum alterum usufructum, aut seruitutem in fundo, aut ædibus suis non habere. In his autem sponfiones fuerunt hæc. Affirmatiue ita: *Aio, usufructum fundi tui esse meum. Aio usufructum fundi mei non esse tuum. Spondes ne si usufructus fundi tui sit meus? Spondeo. Si usufructus fundi mei sit tuus? Spondeo. Et tu spondes ne, si usufructus fundi mei non sit tuus? Spondeo. Si usufructus fundi tui non sit meus? Spondeo. Negatiue ita: Aio, usufructum fundi mei non esse tuum. Aio, usufructū fundi tui esse meum. Spondes ne si usufructus fundi mei nō sit tuus? Spondeo. Si usufructus fundi tui non sit meus? Spondeo. Et tu spondes ne, si usufructus fundi tui sit meus? Spondeo. Si usufructus fundi mei sit tuus? Spondeo. Eodem modo in ceteris. In actione etiam de seruitute luminum fuit aliquid diuersi à ceteris. In aliis enim qui intendebat, idem etiam sponfionem faciebat. Exempli gratia,*

gratia, Si me habere dixissem ius fundo tuo vtendi fruendi, neque tamen me vtendi fruendi, vocassem te in Ius, & intendissem apud prætorē, ius vtendi tuo fundo meum esse, & à te prouocatus sponfionem fecissem: *Ni meum ius sit.* At si altius ades tollere incepissem, tu in Ius me vocassem, & ita dixissem: *Nego tibi ius esse altius ades tollendi versus me,* & rationem negatæ seruitutis prætori exposuisses. Tum ergo remissam esse seruitutem ostendissem, & à te prouocatus sponfionem fecissem: *Ni meum ius sit.* Itaque in hoc libertas vindicari, in aliis seruitus peti videbatur.

Fuerunt præterea actiones duæ in rem, vna de libertate, altera de ventre cognoscendo, que propriam requirunt obseruationem. De his ita scribit Iustinianus: *Præiudiciales actiones in rem esse videntur, quales sunt per quas queritur, an aliquis liber, an libertus sit, vel de partu cognoscendo. ex quibus fere vna illa legitimam causam habet, per quam queritur an aliquis liber sit. ceteræ ex ipsius prætoris iurisdictione substantiam capiunt.* Ex his autem causa liberalis fuit duplex, aut enim è seruitute in libertatem, aut è libertate in seruitutem vindicabatur. Hæc vero priuata omnino causa non videtur, quia actio cuique è populo data est, qui se assertorem, & vindicem profiteretur. Erat autem lex XII tabularum, ut inquit Dionysius, & Liuius, *ut si quis aut ex libertate in seruitutem, aut ex seruitute in libertatem assereretur, possessionis ius maneret vsque ad exitum iudicij penes eum, qui in libertatem assereret, non qui in seruitutem.* Item in eadem lege fuit: *Ut cui vindiciæ secundum libertatem à prætorè addicerentur, is sponfiores daret, hominem postea iudicio sisti.* Legis verba videntur eiusmodi fuisse. *Si de cuius libertate ambigetur, prætor secundum eum, qui libertatem defendit, vindicias addicito. cui addictæ erunt sponfiores iudicio sisti, dato.* verba postulantis vindicias sunt apud Terentium: *Hunc hominem ego liberum esse assero. postulo, ut mihi des vindicias secundum libertatem.* Item: *Hunc hominem seruum meum esse assero. postulo, ut mihi des vindicias secundum seruitutem.* Decretum prætoris: *Qui libertatem defendit, ei vindicias do.* Liuius libro III: *Appius Marco clienti negotium dedit, ut virginem in seruitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias. Itē: Postulat à Decemuiro, ut lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem.* Item: *Cum instaret assertor puella, ut vindicaret, sponfioresque daret, manus tollere multitudo, & se quisque paratum ad spondendum ilico ostendit. ita vindicatur Virginia spondentibus propinquis.* Hic postulare vindicias, & vindicare est possessionem petere, dare vindicias postulantibus est possessionem alteri postulanti concedere. Decreta igitur in hunc modum possessione tum alio die actio de libertate intendebatur, ita: *Hunc hominē ex iure Quiritium liberū esse assero.* sic enim Terentius in Adelphis: *Quid si ego illam tibi nolo vendere, Coges me? AE S. Minime. S. Nanque id metui. AE S. Neque vendendam censeo. Quæ libera est. Nam ego illam liberali assero causa manu.* Hoc dicto ille alter respōdebat: *Hunc hominem seruum esse, meumq; ex iure Quiritium seruum esse assero.* Inde sponfiones, ut supra: *Ni liber sit, Ni seruus sit, & seruus eius sit.* Itē in ceteris: *Aio, me ingenuum esse ex iure Quiritium, neque iustam seruitutem seruisse. Aio, hunc hominem, cum apud me iustam seruitutem seruiret, à me manumissum, meumq; libertum esse. sponfio: Ni ingenuus sit, Ni manumissus sit.* Huius iudicij illustre exemplum est apud Asconium in Cornelianam: *Metellus fecit reum Curionem, cūmq; interim quendam ciuem idem Metellus seruum esse contendens vi arripuisset, ac verberibus affecisset. Curio assertorem ei comparauit. dein cum appareret, cum exitum illius iudicij futurum, ut is liber iudicaretur, quē Metellus verberibus affectum à se negare non poterat, inter Metellum, & Curionem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio, neque Metellus perstaret in accusatione Curionis.* De ventre vero ita intentū est: *Aio mulierem hanc ex te prænantem esse. Nego. Sponfio: Ni sit.* Ac de for mulis quidem intentionis in Actione Vindicationis hætenus.

Conditionis vero longe alia ratio fuit. Condictio vero fuit, ut diximus, qua

non corpus aliquod petierunt, sed à persona certam præstationem postularunt, neque, vnde satisfaceret, curarunt. Ea vero, vt dixi, fuit duplex. vna aduersus eum, qui ex contractu, altera aduersus eum, qui ex maleficio obligatus erat. Contractus nomina ferme, vt diximus, hæc fuerunt: Mutuum, Commodatum, Depositum, Pignus, Emptum, Locatum, Societas, Fiducia, Stipulatus, Negotium gestum, Præscriptis verbis. In his actor ferme sic intendit, *Aio, te mihi mutui, aut commodati, aut depositi, aut aliorum contractuum nomine dare centum oportere.* Ille vero, vnde petebatur, aut inficiabatur, aut excipiebat. Inficiabatur ita dicens: *Nego me tibi dare centum eo nomine debere.* Excipiebat partem actionis excludens, ita: *Nego me tibi ex stipulatu centum dare debere, Nisi quod metu, aut dolo, aut errore adductus sponderis, aut, Ni minor annis x x v sim.* Vnde Plautus in Rudente: *Si Vidulum istum redegissem in potestatem eius iuratus mihi dare talentum magnum argenti.* L. A. Cedo, qui cum habeam iudicem: *Ni dolo in stipulatus sis, Nive etiam dum siem quinque & viginti annos natus.* Item: *Aio te mihi domum, aut nauim edificare, aut vestem polire oportere ex stipulatu.* Nego. Inde sponsio: *Ni facere debeat, vt ante, nascebatur. aut: Ni mutui, aut depositi nomine centum dare debeat.* Quo in loco Dare videtur accipiendum esse pro reddere. non enim qui mutuo dedit, aut commodauit, aut deposuit, dominium amisit. Præscriptis verbis obligatio erat talis. Siqua nasceretur inusitata controuersia, litigatores vel suo ingenio, vel iurisconsulti sui actionis formulam certis verbis secundum pactum inter ipsos conuentum concipiebant. in eaque verba sponsonem faciebant. exempli gratia Mæuius fulloni polienda vestimenta sua dedit ea mercede, de qua postea inter ipsos conuenisset, atque ea polita accepit, neque fulloni satisfecit. Tum fullo sic intendet: *Aio te mihi mercedem, de qua inter nos conueniat, ob polita tua vestimenta dare oportere.* Nego, me dare oportere. Sponsio: *Ni dare debeat.* Iam vero obligationes ex maleficiis fuerunt, vt diximus, ex furto, damno, rapina, iniuria. In furto eiusmodi fuit intentio: *Aio, vestem, quam nuper furto mihi abstulisti, meam esse, teque illam mihi dare oportere.* Hæc autem actio furtiua condictio vocabatur, odio furum à prætore instituta, vt furtum non solum vindicatione repeti posses, sed etiam condictione. Nam in Vindicatione aduersus possessorem tantum erat actio, hoc modo: *Aio, hanc vestem meam esse.* neque furti mentio fiebat. in condictione vero aduersus furem ipsum erat actio, & furti nomen exprimebatur, & illam rem eum dare, id est reddere debere, intendebatur, vt Iustinianus docuit. Eadem in ceteris maleficiis fuit ratio. *Aio, te mihi pugnum, aut fustem inflixisse, aut conuicium fecisse, teque mihi tantum quantum ego aestimaui, dare oportere.* Nego. Sponsio: *Ni fecerit.*

Postremo mistarum actionum intentiones eiusmodi fuerunt: *Aio, te familiam dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere.* *Aio te res communes dividere debere, & eo nomine centum te mihi dare oportere.* *Aio, fines agri nostri dirigi oportere, & quod ex agro meo percepisti, te mihi dare oportere.* Quibus intentionibus Inficiatio, Exceptio, Sponsio eodem modo subiiciuntur, quo in superioribus diximus.

His cognitis, quoniam in tertia diuisione actiones maleficiorum triplices fuisse scripsimus, rei persequendæ, pænæ persequendæ, & vtriusque, deinceps quarum earum formulæ fuerint, ostendamus. In furto actio, quæ rem tantum persequitur, Vindicatio, & furtiua condictio vocabatur, vt dictum est. per quas vbi res ablata recepta erat, remanebat tamen furti actio, quæ ad pænæ persequendum pertinebat. Caius D. de furtiua condictione: *Cum furti actio ad pænæ persequendum pertineat, Condictio vero, & Vindicatio ad rei recuperationem, apparet, recepta re nibilo minus saluam esse furti actionem; Vindicationem vero, & Conditionem tolli.* In hæc ergo Intentio hæc erat: *Aio te centum mihi abstulisse, & manifesto deprehensum esse, & manifesti furti nomine quadringentos aureos mihi dare debere.* Rapinæ vero actio simul rem, & pænâ persequatur. Sic enim scribit Iustinianus: *Rapi-*

*na actio in quadruplum, triplum pænæ, simplum rei nomine persequitur. nam in quadruplo inest & rei persecutio.* Quamobrem formula erat: *Aio, Mæuium vi vestem mihi eripuisse, atque eius rei nomine, eum quadruplum mihi dare oportere.* Quoniam enim nulla actio Rapinæ prodita est, qua rem & personam separatim persequeretur, propterea vna, & eadem actione vtrumque persecuti sunt. Actio damni lege Aquilia item & rem, & personam persequatur. pænâ aduersus confitentem in triplum erat, aduersus inficiantem in duplum. Itaque Intentionis formula erat: *Aio, Mæuium Stichum seruum meum interfecisse, factumque; illud inficiatum esse, atque eo nomine duplum, quanti hoc anno seruus plurimi fuit, mihi dare oportere.* Reus negabat, se interfecisse, aut inficiatum esse. sponsio nascebatur: *Ni interfecerit, Ni inficiatus sit.* Iam vero in seruo corrupto ita intendebatur: *Aio, Mæuium Stichum seruo meo persuasisse dolo malo, quo eum deteriore faceret, atque hoc nomine, quanti hæc res fuit, mihi dare oportere.* De eo, quod metus causa gestum est, quæ fuit prætoriana actio, ita: *Aio, Mæuium terrore, ac minis vestem à me extorsisse, atque eo nomine quadruplum, quanti ea res fuit, mihi dare oportere.* De calumnia ita: *Aio, Mæuium calumniæ causa pecuniam accepisse, vt mihi negotium faceretur, & eo nomine quadruplum mihi dare oportere.* Ceterum, vt inquit Iustinianus, actio furti nec manifesti, & serui corrupti à ceteris differunt, quòd omnino dupli sunt. at actio damni ex lege Aquilia, & de dolo malo inficiatione depositi duplicantur, in confitentem autem in simplum datur. Item actio de eo, quod metus causa factum est, à ceteris diuersa est, quòd eius natura tacite continetur, vt qui iudicis iussu ipsam rem actori restituat, absoluitur. in ceteris non erat ita, sed omni modo quisque in quadruplum condemnabatur.

Sequuntur actiones quintæ diuisionis, quibus non totum, sed pars petitur, in iis vero Intentio sic concipiebatur, vt de peculio filij: *Aio, me Seruilio filio tuo centum aureos mutuo dedisse, teque quantum ex eius peculio facere poteris, mihi dare oportere.* De dote: *Aio, me tibi nomine dotis centum dedisse, teque mihi quantum facere poteris, dare oportere.* Item à parente, patrono, socioque non totum, sed quantum facere possent, petebatur. Eodem modo agebatur cum eo, qui creditoribus bonis suis cessit, si postea aliquid acquisisset.

De actionibus sextæ diuisionis, nempe cum dominis causa seruorum, & cū patribus causa filiorum, hæc habemus. Eius, quæ dicebatur: *Quod iussu,* talis fuit intentio: *Aio, me Stichum Mæuij seruo, ipsius Mæuij iussu centum aureos credidisse, & centum eo nomine Mæuium mihi dare oportere.* In exercitoria sic intentum est: *Aio, me Stichum seruo, quem Mæuius dominus ei nauis, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos eius rei causa, cui præfectus erat, credidisse, eumque; eius rei nomine centum mihi dare oportere.* In institoria sic: *Aio, me Stichum Mæuij seruo, quem Mæuius institorem suum fecerat, centum aureos credidisse, eumque; eius rei nomine centum aureos mihi dare debere.* In tributaria ita: *Aio, Mæuium peculiarem Stichum serui sui merces ex edicto non distriduisse, & quanto minus tributum sic quam debuerit, tantum mihi dare oportere.* Exempli gratia. Duodecim sunt in mercibus serui peculiaribus. ex quibus domino quinque debentur, Valerio quinque, totidemque Seruilio. si de peculio agatur, dominus integra quinque obtinebit: sin autem tributaria, quattuor tantum. ibi enim melior est domini conditio, hic vero par est omnino. De eo, quod in rem versum est, sic: *Aio, me Stichum Mæuij seruo centum credidisse, vt Mæuij domum cadentem fulciret, & Mæuium quatenus, & in rem versum, & in peculio Stichi esse constabit, dare mihi oportere.* Hinc probare opus erit, & in rem domini versum, & seruum habere peculium. In noxali, ita: *Aio, Stichum Mæuij seruum noxam mihi nocuisse, & Mæuium aut soluere, aut Stichum noxam dedere mihi debere.* Quo in loco noxam dedere, est noxam nomine dedere. In Pauperie hoc modo: *Aio, bouem Mæuij me cornu petisse, & vulnerasse, eumque; Mæuium mihi noxam dedere oportere.* *Aio, vrsu Mæuij mihi vulnus intulisse,*

tulisse, & Mæuium, quantum æquum esse videatur, mihi dare oportere: Aio, vsum Mæuij meam mihi vestem discidisse, & duplam, quanti vestis est, mihi dare debere. Atque hæc quidem actiones ferme eius generis fuerunt, vt in iis & certa pecunia peteretur, & sponso conciperetur, & vt ad certam formulam iudex abstingeretur, postularetur. Vnde stricti iuris actiones à Iustiniiano sunt dictæ.

Postrema diuisione arbitrariæ positæ actiones fuere. in quibus neque certa pecunia est petita, neque sponso facta, neque ad certam formulam iudex strictus. Hæc vero fuere duorum generum; vnum earum, quæ dicebantur, Ex bona fide, alterum earum, quæ proprie Arbitrariæ appellatæ. Actionum Bonæ fidei tres formulæ fuerunt, vna, quæ contractibus bonæ fidei accommodabatur, cum his verbis: *Ex bona fide*; altera, qua in fiduciis vsurpabatur, cum his: *Vt inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*; tertia rei vxoriæ propria, cum his: *Quantum æquius, melius*. Cicero in tertio de officiis: *Dolus malus legibus erat vindicatus, vt tutela XII tabulis, circumscripção adolescentium lege Lætoria, & sine lege, iudicijs, in quibus additur, Ex fide bona. reliquorum autem iudiciorum hæc verba maxime excellunt, in arbitrio rei vxoriæ, Melius æquius. in fiducia, vt inter bonos bene agier oportet. Item: Arbitrium adegit, Quidquid sibi dare, facere oportet ex fide bona. Item: Scæuola summam vim esse dicebat in ijs arbitrijs, in quibus adderetur, Ex fide bona, fideique nomen æstimabat manare latissime, idq; versari in tutelis, societatibus, fiducijs, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas continetur. in his magni iudicis esse statuere, quid quæque cuique præstare oporteret: & in Topicis: In omnibus ijs iudicijs, in quibus ex fide bona est additum, plurimus iurisconsultorum est vsus. Vbi vero etiam inter bonos bene agier oportet, in primisq; in arbitrio rei vxoriæ, in quo est, Quid melius æquius, parati esse debent. Illi enim dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum bonum, illi quid socium pro socio, quid eum, qui aliena negotia curasset, ei cuius ea negotia fuissent, quid eum, qui mandasset, eum de cuius mandato esset, alterum alteri præstare oporteret, quid virum vxori, quid vxorem viro, tradiderunt. Ceterum Arbitrariarum formula fuit: *Quantum æquius melius*. Cicero pro Q. Roscio: *Aliud est iudicium, aliud arbitrium. Iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus. ad arbitrium hoc modo adimus, vt neque nihil neque tantum, quantum postulauimus, consequamur. eius rei ipsa verba formulæ testimonio sunt. quid est in iudicio? directum, asperum, simplex si paret sestertium ICCC dari. hic nisi planum facit, sestertium ICCC ad libellam sibi deberi, causam perdit. quid est in arbitrio? mite, moderatum. Quantum æquius melius sit dari. Arbitrariæ vero quædam fuere prætoriarum in rem, vt Publiciana, & Seruiana, quædam in personam, vt eæ, quibus de eo agitur, quod aut metus causa, aut dolo malo factum est. item cum id, quod certo loco promissum est, petitur. item actio ad exhibendum. Hinc formulæ intentionum natæ: Aio, Mæuium metu me coëgisse, vt aureos centum darem, eumq; quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. Aio, Mæuium mihi stipulanti spondidisse, se centum tritici modios boniæ daturum, eumque, quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. Aio, Mæuium mihi vestem exhibere debere, & quantum æquius melius videbitur, mihi dare oportere. In omnibus autem arbitrarijs formulis subauditur, *Nisi ea res mihi restituatur*. quod post in formulis iudicij dandi magis apparebit. Porro autem actiones ex fide bona fuerunt in personam hæc, Empti, locati, pro socio, fiducia, rei vxoriæ, negotiorum gestorum, mandati, tutelæ, depositi, commodati, pignoris, præscriptis verbis; & mistæ duæ, nempe familiæ erciscundæ, & communi diuidendo. Harum autem intendendarum formulæ fuerunt hæc: Aio, te mihi domum vendidisse, aut locasse. teq; mihi ex æquo, & bono dare, facere oportere, quidquid alteri alteri empti, siue locati nomine dare facere oportet ex fide bona. Eadem ratione in ceteris, quæ nascuntur ex contractibus. Hoc vero præcipui fuit in fiducia, & re vxoriæ, quod in fiducia ita intentum est: Aio, te mihi domum illam, quam tibi mancipau,**

vt mihi remancipares, vt inter bonos bene agi oportet, sine fraude remancipare oportere. In re vxoriæ vero ita: Aio, me tibi præter dotem peculium, & patrimonium meum dedisse, teque mihi, quantum æquius melius sit, dare, oportere. Differt autem vxoriæ actio ab actione de dote, quod illa ad dotem tantum pertinet, hæc etiam ad peculium, & patrimonium vxoris.

Mistarum autem formulæ hæc fuerunt: Aio, te familiam diuidere debere, & quod eo nomine alterum alteri ex æquo, & bono dare facere oportet, te mihi ex fide bona dare facere oportere. Aio, te res communes diuidere oportere, & quod alterum alteri ex æquo, & bono dare facere oportet, te mihi ex fide bona dare facere oportere. Differunt autem bonæ fidei actiones ab arbitrarijs, quod in iis restitutionis mentio fiat, in his non fiat. Ac quemadmodum quidem siue lis, siue actio intenderetur, atque acciperetur, hæc hæc tenus.

## De iudicijs. CAP. XXII.



ONCEPTA, vt demonstraui, actionis intentione, actor iudicium, siue iudicem in eam à prætore postulabat. Si iudicem postulauit, aut eum, qui proprie iudex appellatus est, aut arbitrum postulauit, si iudicium, aut recuperatores, aut centumuiros. Dicimus autem de singulis, antequam de eis postulandis agamus.

IVDEX cognouit causas omnes & iuris, & facti, sed quæ essent, & leuiore, & ad diiudicandum faciliore. ARBITER, quæ Bonæ fidei, & Arbitrariæ appellatæ. Vnde Festus: *Arbiter est, qui totius rei arbitrium habet, & potestatem.*

RECUPERATORES dicti fuerunt, qui de rebus priuatis recipiendis, reddendisque cognoscebant. Idem Festus: *Reciperatio, vt ait Gallus Aelius, est, cum inter populum, & reges, nationesque, & ciuitates peregrinas lex conuenit, quomodo per recuperatores reddantur res, recipianturq; resque priuatas inter se persequantur.* Horum mentio est apud Liuium libro XXVIII: *Scipio tres recuperatores cum se daturum pronunciaisset, qui causa cognita, testibusq; datis iudicarent, vter prior in oppidum transscendisset, Lælio, & Sempronio aduocatis partis vtriusque P. Cornelium de medio adiecit. eosque tres recuperatores considerare, & causam cognoscere iussit.* & lib. XLII: *L. Canuleio prætori negotium datum est vt in singulos, à quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret.* & apud Gellium libro XX: *Prætores legem XII tabularum, si iniuriam faxit, XXV æris pœna sunt, abolescere censuerunt, iniurisque æstimandis recuperatores se daturus edixerunt.* & Cicero in Rhetoricis iudicium iniuriarum à prætore datum iudicium recuperatorium vocat, dicens: *Non oportet in recuperatorio iudicio eius maleficij, de quo inter scarios queritur, præiudicium fieri.* & in veteribus legibus: *Consulis, prætoris, quicumque erit, de ea re iurisdictio, iudicij, iudicis, recuperatorum de datio esto.* Animaduertete etiam licet, eundem pro Cæcina ad recuperatores agere à P. Dolabella prætore urbano datos, vt iudicarent, an qui deiecisse dicebatur, restituisset. Quibus ex locis omnibus apparet, recuperatores tantum datos, cum de facto esset controuersia.

CENTUMVIRI vero, teste Festo, iudices fuerunt, ex singulis tribubus terni ad iudicandum asciti, numero centum, & quinque. sed quo facilius appellarentur, Centumviri dicti. Iudicia autem fere fecerunt de iis controuersis, in quibus non de facto, sed de æquitate, & iure certatum est, vt scribit in primo de oratore Cicero: *Volitare in foro, hæere in Iure, ac prætorum tribunalibus iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate, & iure certetur, iactare se in causis Centumviralibus, in quibus vsucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluionum, circunluionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum raptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilia iura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique ciuis,*

uis, an peregrinus, seruus, an liber sit, ignoret, insignis est impudentiæ. & post: Nam quod maximas centumuirales causas in iure positas protulisti. Item pro Cæcina: L. Crassus iudicio Centumuirali hanc sententiam defendit, Curium, qui heres institutus esset, ita mortuo postumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere. & Quintilianus libro III: Cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de iure queritur, ut apud Centumuiros. filius, an frater debeat esse intestato heres. Testamenta item à Centumuiris confirmata, aut rescissa fuisse, ostendit pluribus exemplis Valerius. & eisdem de inofficioso testamento cognouisse, Scauola, & Paulus testes sunt D. de inofficioso testamento. De hereditatibus vero Cicero de lege agraria: Primum populi Roma. hereditatem Decemuiri iudicent, cum vos uolueritis de priuatis hereditatibus Centumuiros iudicare? Quin etiam iidem de causis iuris grauissimis, & obscurissimis iudicasse dicuntur. De grauissimis à Tacito in dialogo de oratore: Lege Pompeia olim omnia apud prætores gerebantur, apud quos quod maiora olim negocia exerceri solita sunt, quod maius argumentum est, quam quod causæ centumuirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore omnium iudiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cælij, neque Calui, non denique ullius magni oratoris liber apud Centumuiros dictus legatur exceptis orationibus Asinij Pollionis. de obscurissimis indicat Seneca libro III de beneficiis: De quibusdam etiam imperitus iudex dimittere tabellam potest, ubi fecisse, aut non fecisse pronunciandum est, ubi prolatis cautionibus controuersia tollitur, ubi inter disputantes ratio ius dicit. ubi uero animi coniectura capienda est, ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controuersiam incidit, non potest ad hæc sumi iudex ex ordine selectorum, quem census in album, & equestris hereditas misit. Hoc autem præterea uidetur significare, iudices, & recuperatores lectos esse à prætoribus ex censu ex corpore selectorum. Vnde dixit Gellius libro XIII: Quo primum tempore à prætoribus lectus in iudices sum, ut priuata iudicia susceperem. Centumuiros autem scribit Festus ex singulis tribubus ternos lectos, Dio uero libro LIII à Decemuiris forte eductos. Quinetiam iidem hasta posita iudicarunt, ita ut Valerius de inofficioso testamento Centumuirale iudicium Hastæ iudicium uocet.

De iudice, & iudicio postulando. CAP. XXIII.



ONCEPTA igitur, ut eò redeam, unde digressus sum, actionis intentione litigatores pro natura actionis aut iudicē, aut recuperatores, aut iudicium à prætore postularunt. Hoc enim ius fuit magistratus eius, cuius fuit iurisdictio, ut hæc dare postulantibus posset. Indicant leges veteres magistratum: Consulis, prætoris, censoris quicumque erit, de ea re iurisdictio, iudicij, iudicis, recuperatorum de datio esto. Item: Magistratus, cuius de ea re iurisdictio erit, ad quem de ea re in ius aditum erit, ita de ea re ius dicitur, iudicia recuperationis dato, ut eos recuperare possint. Agamus de singulis.

IUDICIS nomine ipsum siue iudicem, siue arbitrum, cum vnus postulabatur, significarunt. ea uero res in hunc modum est acta. Si res ageretur eiusmodi, ut lis de facto, aut de certo iure esset, & minime controuersa, actor iudicem aduersario, quem ipsi commodum erat, ferebat in uerba sponsonis: Ni ita esset. Liuius: Ni ita esset, multo priuatim ferebant uolscio iudicem. item: Se illi iudicem ferre: Ni iudicium in seruitutem ab libertate dederit. Rogabat autem eum, ut eo contentus esset, & non alium posceret, his uerbis, de quibus Festus: Si alium procas, nide alium procas. Est enim poscere procare, quod dicitur in iudice collocando. Sin autem iudex, quem actor ferebat, à reo probabatur, tū iudex conuenire dicebatur. Hoc ostendit Cicero pro Q. Roscio: Quem si ferrem iudicem, refugere non deberet, quo modo testem productum reprehendere audebit? & Valerius lib. I: Iudex conuenit Calatinus. Verum multo

to etiam clarius idem Cicero pro Cluentio: Neminem uoluerunt maiores nostri nō modo de existimatione cuiusquam, sed ne de pecuniaria quidem re esse iudicem, nisi qui inter aduersarios conuenisset. Vbi uero iudex conuenerat, postulabatur à prætore, uerbis simul sponsonis allatis, in quæ postulabatur. A Coniunio: Cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, iudicem poscebāt. Formula postulandi hæc erat: Iudicem, arbitrum de postulo, uti des in diem tertium, siue perēdinum. Vnde dixit Cicero pro Murena: Illud mihi mirum uideri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perēdinum, iudicem, an arbitrum, rem, an litem dicere oporteret. Cicero pro Cæcina: Arbitrum familiæ eriscunda postulauit. Hinc etiam adigere arbitrum, & sumere arbitrum, dicebatur. Eadem ratio in postulando recuperatorio, & Centumuirali iudicio fuit. Cicero pro Cæcina: Cœpit scandilius recuperatores, aut iudicem postulare. Non postulabantur autē Centumuiros, nisi utriusque litigatores in eos subscripissent. Plinius epist. lib. V: Posthæc ille subscripsit Centumuirale iudicium, mecum non subscripsit.

De iudice, & iudicio dando. CAP. XXIII.



BI Iudex, aut Recuperatores, aut Centumuiros postulati sunt, in arbitrio prætoris fuit aut dare, aut non dare, prout in Edicto proposuerat. Vnde Plautus in Bacchidibus: Postquam quidem prætor Recuperatores dedit, Damnatus demum ut coactus reddidit Ducentos, & mille Philippū. Si dedit, dedit eos, qui salua lege dari potuerunt: Si quidem scribit Paulus D. de iudiciis: Non omnes iudices dari possunt ab iis, qui iudicis dandi ius habent. quidam enim lege impediuntur, ne iudices sint, quidam natura, quidam moribus. natura, ut surdus, & mutus, & perpetuo furiosus, & impubes, quia iudicio carent; lege, qui senatu motus est; moribus femine, & serui, non quia non habent iudicium, sed quia receptum est, ut ciuilibus officijs non fungantur. Dedit etiā in ea uerba, quibus sunt postulati. Hæc uero fuit formula quædam ab ipsa intentione actionis, & conceptione sponsonis accepta, & quidem hoc modo: Esto iudex, & si pareat, rem ita esse, pronuncia. Vnde scripsit Festus: Parret, quod est in formulis, debuit non gemina R scribi, ut fieret Paret, quod est inueniatur. In plerisque autem actionibus iubebant, alterum litigatorum damnari. Ex quo scriptum est à Iustiniano, omnia iudicia fuisse absolutoria. Quemadmodum uero singulæ formulæ intentionum ad formulas iudiciorum sint redactæ, breuiter superioribus exemplis repetitis, demonstramus. In vindicatione rei corpus habētis: C. Aquilli iudex, esto, si pareat, fundum Capenatem, de quo Seruilius agit cum Catulo, Seruili esse ex iure Quiritium, neque is Seruilio à Catulo restituatur, tum Catulum damnato. Hinc reprehendit Verrem Cicero, qui in hæc uerba iudicē dedit: C. Octaui iudex esto si pareat, fundum Capenatem, ex iure Quiritium P. Seruili esse, neque is fundus Q. Catulo restituatur: cum debuisset dicere, neque is fundus Seruilio restituatur. Quod si exceptio intercederet, addebat: Extra quam si testamentum prodatur, quo apparet, Catuli esse. Sæpe tamen prætor reo iniquus exceptionem addere noluit, qua de causa tribuni pl. appellari poterant. Quod ostendit Cicero in Lucullo. Postulat, ut excipiantur hæc inexplicabilia. tribunum aliquem censeo adeant, à me istam exceptionem nunquam impetrabunt. In vindicatione rei corpore uacantis ita: Si pareat, usum fructum fundi Seruili esse Mæuij, neque Seruilius eum uti frui sinat, tum Seruilium damnato. Si pareat, ius eundi, agendi per fundum esse Mæuij, neque Seruilius eum ire agere sinat, tum Seruilium damnato. Si pareat, ius ex fundo Seruili, aquam ducendi, uel ius uersus aedes Seruili altius tollendi esse Mæuij, neque Seruilius aquam ducere, aut altius tollere sinat, tum Seruilium damnato. Item in causa libertatis, & ventris: Si pareat, Seruilium liberum, aut ingenuum esse, liberum, aut ingenuum pronunciato. Si pareat, Stichum seruum, aut libertum Mæuij esse, seruum, aut libertum pronunciato. Hanc autem fuisse formulam cognoscitur ex Digestis de causa liberali. In Conditione

vero ita: Si paret, Seruiliū Mæuio mutui, aut depositi nomine centum dare oportere, neque eos restituerit, Seruiliū damnato. Si paret, Seruiliū domum, aut nauim edificare, aut vestem polire ex stipulatu oportere, neque satisfecerit, eum damnato. Si paret, Mæuium Seruilio mercedem, de qua inter eos conueniat, ob polita eius vestimenta dare oportere, neque dederit, eum damnato. Si paret, Vestem, quam Stichus Mæuio furto abstulit, Mæuij esse, neque Stichus eam restituit, Stichum damnato. In mistis ita: C. Aquilli iudex esto, itaque familiam heriscitor, vt quod cuique ex heredibus adiudicandum esse videbitur, quodque Seruiliū Mæuio dare facere oportet, iudices. Item: Iudex esto, itaque res communes Seruilij, & Mæuij diuidito, vt quod cuique adiudicandum videbitur, quodque Seruiliū Mæuio dare, facere oportet, iudices. Item. Iudex esto, itaque fines agrorum dirigito, vt quod cuique adiudicandum esse videbitur, quodque Seruiliū Mæuio dare facere oportet, iudices. In pœnalibus actionibus hoc modo: Iudex esto, Si paret, Mæuium centum Seruilio abstulisse, & manifesto deprehensum esse, Mæuium in quadruplum damnato: Si paret, Mæuium Seruilio vestem eripuisse, atque eius rei nomine eum in quadruplum Seruilio dare oportere, Mæuium in quadruplum damnato. Si paret, Mæuium Stichum seruum Seruili interfecisse, factumque illud inficiatum esse, Mæuium in duplum, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, damnato. Item in ceteris, quæ sequuntur huius generis. In iis vero, in quibus pars petitur, hoc pacto: Si paret, Mæuium Lucio Seruilij filio centum mutuo dedisse, tum Lucius pater, quantum ex filij peculio facere poterit, damnetur. Si paret, Terentiam Tullio centum nomine dotis dedisse, tum Tullius, quantum facere poterit, damnetur. In iis vero, in quibus cum dominis agitur caussa seruorum, ita: Si paret, Seruiliū Stichō Mæuij seruo iussu Mæuij centum credidisse, neque Mæuius Seruilio satisfaciat, tū Mæuius damnetur. Si paret, Mæuium Stichō, quem Seruilius ei nauim, quam exercet, magistrum præfecerat, centum aureos eius rei caussa, cui præfectus erat, credidisse, neque Seruilius Mæuio satisfecerit, tum Seruilius damnetur. Si paret, Mæuium peculiares Stichō serui sui merces ex edicto non distribuisse, tum quanto minus tributū sit, quam debuerit, tanti damnetur. Si paret, Seruiliū Stichō Mæuij seruo centum credidisse, vt Mæuij domum labentem fulciret, tum Mæuius quatenus & in rem versum, & in peculio Stichō esse constabit, damnetur. Si paret, Stichum Mæuij serui Seruilio noxam nocuisse, tum Mæuius aut soluere, aut Stichum noxæ Seruilio dedere, damnetur. Si paret, vsū Mæuij aut vulnus Seruilio intulisse, aut vestem lacerasse, tum Mæuius aut quanti æquum esse videatur, aut duplum, quanti vestis est, damnetur. In actionibus vero Bonæ fidei hoc modo: Si paret, Mæuium Seruilio domum aut vendidisse, aut locasse, tum quantum Mæuium Seruilio ob eam rem dare ex fide bona oportet, tanti damnetur. Si paret, Mæuium Seruilio domum mancipasse ea lege, vt remanciparet, vt inter bonos viros bene agi oportet, tum quantum Seruiliū Mæuio dare ob eam rem ex fide bona oportet, tantum damnato. Si paret, Terentiam Tullio præter dotem alia dedisse, tum quantum æquius melius videbitur, Tullium damnato. Item: Familiam heriscitor, & quod cuique ex heredibus ex æquo bono adiudicandum esse videbitur, quodque alterum alteri ex fide bona dare facere oportebit, arbitrator. In arbitrariis ita: Esto arbiter, & si paret, Mæuium metu cōgisse Seruiliū, vt cētum daret, aut dolo malo iniquis ponderibus vsū, vt eum fraudaret, aut eidem stipulanti spondidisse se centum tritici modios Bononiæ daturum, neque arbitrio iudicis ei satisfaciat, tum quantum Seruilius in litem iurauerit, tanti damnato. Si paret, Mæuium vestem, quam Seruilius exhiberi postulat, habere, neque is arbitrio iudicis eam exhibeat, tum quanti in litem Seruilius iuravit, tanti damnato. Hoc autem ita esse confirmat etiam Seneca libro I I de beneficiis, inquiens: Melior videtur conditio caussa bonæ, si ad iudicem, quam ad arbitrum mittitur. quia illa formula includit, & certos, quos non excedat, terminos ponit. huius libera, & nullis astricta vinculis religio & detrabere aliquid potest, & adicere, & sententiam suam non prout lex, aut iustitia suadet, sed prout humanitas, aut misericordia impulit, regere.

## De testibus.

CAP. XXV.



BI prætor iudicem, ac iudiciū hoc modo dederat, tum deinceps numerum testium, quibus denunciaretur testimonium, præscribat, qui plerunque decem fuerunt. Indicat hoc Edictū prætoris de recuperatorio iudicio dando, cuius meminit Probus in libro de Notis: *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ iudicium recuperatorum dabo, testibus publice dūtaxat decem denunciandi potestatem faciam.* Indicat lex Mamilia de limitibus per tempora belli Iugurthini lata, quæ est apud Frontinum in lib. de limitibus. cuius capite quinto sic scriptum erat: *Cum curator hac lege non erit, tunc quicumque magistratus in noua colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo iuredicundo præerit, eius magistratus de ea re iurisdictionis, iudicisq; datio, additioq; esto. inq; eam rem is, qui hac lege iudicium dederit, testibus publice dūtaxat in res singulas decem denunciandi potestatem faciam.* Cum autem denunciandi potestatem dicebant, præcisa oratione denunciandi testimonij facultatem intelligebant. Sic enim Valerius est loquutus, vt post suo loco planum faciemus.

## De appellatione tribunorum pl.

CAP. XXVI.



NE NI O etiam, eum vnde petebatur, dante prætore actori iudicium, tribunos plebis appellasse, & iudicium recusasse, vt C. Antonium, de quo Afconius in orationem in toga: *Antonius multos in Achaia spoliauerat. deinde Græci, quos spoliauerat, eduxerūt eum in Ius ad M. Lucullum prætorem, qui ius inter peregrinos dicebat. & cum Lucullus id, quod Græci postulabant, decreuisset, appellauit tribunos pl. Antonius, iurauitq; se ideo eierare, quod æquo iure vti non posset.* An vero hoc iure fecerit Antonius, haud immerito ambigi potest. siquidem post a censoribus senatu motus est, quod iudicium recusarit. item in satisfactione. Cicero pro Quinctio: *Negat Alphenus, æquum esse procuratorem satisfacere, quod reus satisfacere non deberet, si ipse adesset. appellantur tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, vt Idibus Septembris P. Quinctium sesti Sex. Alphenus promitteret. & post de eadem re: Cuius procurator non omnia iudicia acceperit, quisque in verba postulauerit, cuius procurator a prætore ad tribunos appellare ausus sit. Qui vero appellatus erat, is intercedere auxiliij caussa poterat. In Antonium: Non venirem contra iniuriam, quam iste intercessoris iniquissimi beneficio obtinuit, non iure prætorio?*

## De satisfactionibus &amp; contestatione Litis.

CAP. XXVII.



AT O inde, acceptoque iudicio satisfactiones præstitæ sunt vel ab ipsis litigatoribus, vel ab eorum procuratoribus. Fuerunt vero satisfactiones duæ, iudicatum solui, & rem ratam haberi. quorum alterum ad actorem, alterum ad procuratorem pertinebat. Ac si actio esset in personam debitoris, procuratores soli satisfabant; actorum quidem de rato; reorum vero, iudicatum solui. Itaque in Edicto ita fuit: *Cuius nomine quis actionem dari sibi postulauerit, ei, quo nomine agit, id ratum habere eum, ad quem ea res pertineret, boni viri arbitratu satisfacet.* Cicero ad Atticum libro XVI: *Possumus, vt sponsores appellentur, procuratorem introducere: neque enim illi litem contestabuntur: quo facto non sum nescius, sponsores liberari, sed & illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisfato debeat, procuratores eius non dissolueri.* Pro Quinctio: *Iste postulat, vt iudicatum solui satisfacet.* Item: *A Dolabella prætore postulat, vt sibi Quinctius iudicatum solui satisfacet ex formula.* Illud etiam præcipui moris fuit in caussis bonæ fidei, & arbitrariis, vt qui arbitrium adigerent, aliquando pecuniam deponerent, quæ compromissum dicebatur. Cicero pro Q. Roscio: *Quæro abs te, quid ita de hac pecunia compromissum feceris, arbitrum sumpseris, quantum æquius melius sit dari, repromittiq; si pateret.* De compromisso

autem sic Paulus D. de recept. & qui arbitr. *Compromissum ad similitudinem iudiciorum redigitur.* & Proculus D. pro socio: *Arbitrorum duo genera, vnum huiusmodi, vt siue æquum, siue iniquum esset, ei parere necessum foret. quod tunc obseruabatur, cum ex compromisso ad arbitrum isset, alterum eiusmodi, vt ad boni viri arbitrium deberet redigi.*

His vero rebus omnibus absolutis litem contestabantur. Cōtestari autem litem tum dicebantur, inquit Festus, *cum ordinato iudicio vtraque pars dicebat, Testes esto.* Vnde alio loco: *Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, siue is egit, siue cum eo actum est.* Cicero pro Q. Roscio: *Lite contestata, iudicio dāni constituto, tu sine me cum Flauio decidisti.* Atque his demum rebus perfectis vterque litigator sibi denunciabat in perendinum diem. nam in eum iudex datus fuerat. Vnde ea denunciatio Comperendinatio, & Condictio dicta. Festus: *Res comperendinata significat iudicium in diem tertium constitutum.* Aconius: *Comperendinatio est, ab vtriusque litigatoribus inuicem sibi denunciatio in perendinum diem. namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebāt iudicem, qui dabatur post tertium diem. quo dato deinde inter se in perendinum diem, vt ad iudicium venirent, denunciabant.* Festus: *Condictio est in diem tertium eius rei, quæ agitur, denunciatio.* Quod si cum peregrino res esset, ille dies status dicebatur. Macrobius: *Stati dies, qui iudicij causa cum peregrino instituuntur.* vt Plautus in Curculione: *Status condictus cum hoste dies. Hostis nunc more vetere significat peregrinum.* Apud Probū etiam illæ notæ I. D. T. S. P. in actionibus exponuntur: *In diem tertium, siue perendinum.*

Est autem illud intelligendum, vniuersam iudicij priuati formam siue legibus, siue moribus fuisse contētam, quousque Augustus imperator, cum remp. constitueret, legem Iuliam tulit, qua diligentius hæc omnia sanxit. Meminit eius legis Gellius libro xiiii inquit: *Atque in rerum quidem diffisionibus, comperendinationibus, & alijs quibusdam legitimis in rebus ex ipsa lege Iulia, & ex Sabini Massurij, & ex quorundam aliorum Iurisperitorum commentarijs commoniti, & adminiculati sumus.* Meminit item eius Vlpianus D. de receptis: *Si quis iudex sit, arbitrium recipere eius rei, de qua iudex est, in de se compromitti iubere prohibetur lege Iulia. & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio.* item Callistratus: *Cum lege Iulia cautum sit, ne minor annis viginti iudicare cogatur, nemini licere, minorem viginti annis compromissarium iudicem elicere.*

De iudicio faciendo,

CAP. XXVIII.



**V**bi vero dies tertius accessit, tum iudicium factum est. nisi aut iudex, aut alter litigatorū abfuit. Quod si causa absentia fuit morbus, dies iudicij prolatus est. sic enim erat scriptū in xii: *Si iudex, alterve ex litigatoribus morbo fontico impediatur, iudicij dies diffusus esto.* Hinc Paulus D. de iudiciis: *Iudex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit, quia recte ab initio iudex addictus est, sed iudicandi necessitatem morbus fonticus remittit.* Sōticum autē morbū in xii Festus ex Ælij Stilonis sentētia ait significare certū cū iusta causa. Iulianus D. de re iudicata: *Morbus fonticus etiā inuitis litigatoribus, ac iudicibus diē differt. Sonticus autē existimāndus est, qui cuiusq; rei agendæ impedimēto est.* Gellius libro xx: *Morbū vehementiorem vim grauius nocendi habentē xii tabularū scriptores nō per se morbū, sed morbum fonticū appellarunt.* Venuleius D. de ædilicio edicto: *Quotiens morbus fonticus nominatur, cum significari Cassius ait, qui noceat. nocere autē intelligi, qui perpetuus est, non qui tēpore finiatur. sed morbum fonticum eum videri, qui incidit in hominē postquam is natus sit. fontes enim nocentes dici.* Diem autem diffindere est, proferre, & in aliud tēpus reuocare. Gellius libro septimo: *In rerum diffisionibus, & comperendinationibus.* Liuius libro i x: *Ei legem curiatam de imperio ferenti triste omem diē diffidit.*

Postquam

Postquam autem iudex venit, extemplo ad iurandum accessit, se ex lege iudicaturum. Arbitr enim non iurauit. Formula iurandi solemnitas fuit: *Ex animi sententia.* locus in Comitio ad aram, quæ Puteal Libonis dicebatur. De formula scribit Cicero in Lucullo: *Maiores nostri ex animi sui sententia iurare quengue voluerunt, deinde ita teneri, si scies falleret, quod inscitia multa versaretur in vita.* & Iustinianus: *Cui non cognitum est, antiquos iudices non aliter iudicalem calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omni modo se cum veritate, & legum obseruatione iudicium esse deposituros.* Solemne autem iurandum erat iurare Iouem lapidem. quale est apud Plautum in Aulularia: *Si te ego sciens fallo, ita me eijciat Diespiter bonis, salua vrbe, & arce, vt ego hunc lapidem.*

De Comitio idem in Curculione: *Qui periurum conuenire vult hominem, mitto in Comitium.* In Comitio vero fuisse Puteal ostendit Cicero de Diuinatione: *Cotem illam, & nouaculam defossam in Comitio, supraq; impositum Puteal accepimus.* Idem autem fuisse Puteal Libonis docet Sex. Rufus in libro de regionibus vrbs, in foro Rom. describendo: *Senaculum aureum, Puteal Libonis, Comitium.* Puteal vero Libonis ara fuit. indicant nummi argentei veteres, in quibus est imago aræ cum his verbis: *Puteal Scribonij.* Scriboniorum vero cognomen fuit Libo. Hinc Horatius libro primo Epistolarū: *Forum, Putealq; Libonis Madabo siccis.* & libro ii Sermorum: *Ante secundam Roscius orabat, sibi adesset ad Puteal cras.* Videtur autem de aduocato loqui, qui ab amico rogabatur, vt ad Puteal sibi adesset. Atque eodem etiam respexisse videtur Persius Satyra i i i de eo, qui ad Puteal peieraret: *Si Puteal multa cautus vibice flagellas. Iurasse autem aram tenentes, ostendit Cicero pro Flacco: Ergo is cui, si aram tenens iuraret, crederet nemo, per epistolam quod volet iniuratus probabit?*

Quod si iudex venit, litigatorum autem alter non venit, neque morbum excusauit, tum prætor peremptorium edictum in eum edidit. De quo sic Vlpianus D. de iudiciis: *Ad peremptoriū iudicium hoc ordine venit, vt primo quis petat post absentiam aduersarij edictum primum, mox alterum, & tertium. Quibus propositis tunc peremptorium impetret, quod inde hoc nomen sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est vltra non pateretur aduersarium tergiuersari. In peremptorio autem cōminatur is, qui edictum dedit, etiam absente diuersa parte cogniturum se, & pronunciatum. Nonnunquam hoc edictum post tot numero edicta quæ præcesserint datur, nonnunquam post vnum, vel alterum, nonnunquam statim, quod appellatur vnum pro omnibus. Hæc autem æstimare oportet eum, qui ius dicit, & pro conditione causæ, vel personæ, vel temporis, ita ordinem edictorum, vel compendium moderari.*

Vbi vero vterque litigator aduenit, iudex vtrunque iurare iussit. Id iuradum calumniæ iuramentum appellarunt. Nam actor quidem iurauit, se non calumniæ causa litem intendere; reus vero, se non calumniæ causa inficiari. Cicero pro Milone: *Qui calumnia litium alienos fundos petebat.* Idem pro Q. Roscio significat, actorem iurasse in litem. *Pro dij immortales, inquit, esse ne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat, quod in codicem iuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet?* Id autem interpretantur iurifconsulti, actorem iurasse se litem ex æquo, & bono æstimaturum. cuius rei rationē affert Marcellus D. de in litem iurando: *Quod cum dominus rem suam vendere cogatur, hæc tamen ei potestas relinquenda est, vt rem non pretio, id est, quanti est, sed quanti interest, ea carere, arbitrio suo desinat.*

Atque vnus quidem iudex si fuit, is vnum, aut duos iudicij socios iurisperitos sibi adiunxit. Vnde Gellius libro xii: *Cur hoc non rogas aliquem ex iurisperitis istis, quos adhibere in consilium iudicaturi soletis?* Ita in causa Quintij iudex datus à prætore C. Aquillius tres iurifconsultos L. Lucillum, P. Quintilium, & M. Marcellum in consilium aduocauit. ipse sedit iuratus, alij iniurati. non enim iudicauerunt, sed consilium communicarunt. Vnde illa: *Non eo dico C. Aquilli, quo mihi veniat in*

O 3 dubium

*dubium tua fides, & constantia, aut quo non in ijs, quos tibi aduocasti, uiris electissimis ciuitatis spem summam habere P. Quinctius debeat.* Item in causa Q. Roscij C. Pifo iudex à prætoribus datus fuit, Pifoni uero M. Perperna in consilio affuit. Hic autem iudex sæpe stans iudicauit, sed, ut uerisimile uidetur, de re parua. Unde dixit Cicero in Bruto: *In Comitium ueniunt, adstantem iudicem dicunt.* Quemadmodum autem tales iudices cognoscerent, paucis exponit Titius in oratione apud Macrobius libro I II, loquens de iudicibus sui temporis: *Ueniunt in Comitium tristes, in-bent dicere, quorum negotium est. narrant. Iudex testes poscit. ipse it minctum. dicit, ait, se omnia audiuisse, tabulas poscit, litteras inspicit. vix præ uino sustinet pal-pebras.*

Cum autem litigatores, siue patroni eorum iussi essent dicere, tum uero duobus modis dixerunt, uno paucis, altero, pluribus uerbis. Breuem expositionem appellarunt causæ coniectionem. De qua sic Asconius: *Cum litigatores ad iudicem uenissent, antequam causa ad iudicem ageretur, quasi per iudicem rem exposuerunt. atque ad ipsum dictum est causæ coniectio, quasi causæ suæ in breue coactio.* Hinc lex XII tabularum: *Ante meridiem causam conijcito, cum ambo perorant presentes.* testis est Gellius libro X V I. apud quem tamen legitur, *conscito.* Idem libro V: *Cum ad iudices conijciendæ, consistendæq; causæ gratia uenisset.* Afranius apud Nonium: *Causam conijcere apud te uolo. ambon adestis. profuturos arbitror.* Longioris expositionis exemplo sint causæ à Cicerone defensæ P. Quinctij, & Q. Roscij. Causa uero acta ita est, ut testibus, litteris, & argumentis ex ipsa re, qua de agebatur, depromptis utrinque certatum sit. Eius rei conficiendæ, ac status excogitandi, atque eò probationes omnes conferendi artificium in libris oratoriis multis uerbis est demonstratum. neque enim in aliis præceptis antiqui rhetores tam Græci, quam Latini plus studij, aut operæ consumpserunt. De testibus, & tabulis, si qua ad hunc locum pertinent, tum afferemus, cum de publicis iudiciis disseremus.

Quæ adhuc de iudice, & illius cognitione diximus, ea fere pro rei natura accommodari quoque ad recuperatores, & centumuiros possunt. quorum mentio est infrequentior. ac Recuperatorij quidem iudicij exemplum sit causa Cæcinæ à Cicerone defensæ. Centumuiralis nulla extat memoria. Quoniam autem eius longe alia ratio fuit, quàm Iudicis, & recuperatorum, placet, de eo pluribus disputare.

Ad centumuiros, ut dixi, causas detulere prætores perplexi iuris cōtrouersiam continentes. non tamen ipsi eis iudiciis præfuerunt, credo muneribus aliis occupati. uerum eas decemuiris stlitibus iudicandis attribuerunt, quos supra scripsi, ex consilio prætorio extitisse. Hi uero Centumuiros non solum sortiti sunt, sed etiam coegerunt, atque eis præfuerunt, & litigatores citarunt, & omnino hasta posita totum iudicium pro suo arbitrio moderati sunt, non in foro, sed in basilicis, id est in aulis, quæ eius officij causa constructæ erant, quarum illustres fuere Porcia, & Iulia. Ipsa uero Centumuiralia iudicia in plura Consilia distributa erant. & cognitio causarum centumuiralium in orbem per ea consilia circumducebatur, perinde atque hodie fit in Italia in iudicialibus, quæ appellantur, Rotis. Quin etiam aliquot causæ eiusmodi fuerunt, ut primum à Decemuiris, deinde à Centumuiris iudicatæ sint, eæque præiudiciales appellantur. præiudiciū nimirum ipsum decemuirum iudicium, quod ante Centumuirale factū est, nominatū. Præclara quidem, & ferme noua hæc omnia, sed sine certa ueterū auctoritate infirma. Quare quæ inuenimus, afferemus. Decemuiros Centumuirale iudiciū esse sortitos, docuit Dio libro L III. eorundem consilium coegisse, Suetonius, cum scripsit, *Augustum sanxissimè, ut Decemuirum Centumuiralem hastam cogerent, quam quæstorij cogere consueuerant.* Eisdem præfuisse, Pōponius, cum scripsit, *Decemuiros institutas esse, ut hasta præessent.* Siue enim ea sit hasta prætoris, siue Decemuiralis, siue Centumuiralis, parum refert, cum hasta pro priuato iudicio accipiat. Mihi uero una, eademque omnium hasta uidetur, nempe prætoris, quam Decemuirum, & Centumuirum posuerunt, ut iudicium

iudicium prætorium esse demonstraretur. Eisdem inde citasse litigatores, ostendit Ouidius scribens ad Pisonem:

*Seu trepidos ad iura decem citat hasta uirorum,  
Et firmare iubet centeno iudice causas.*

Itaque cum scripsit Suetonius in Domitiano: *Ambitiosas Centumuirum sententias rescidit, recuperatores, ne se persuasorijs assertionibus accomodarent, identidem admonuit, nummarios iudices cum suo quæque consilio notauit;* nescio an Decemuiros. intellexerit, qui Consiliis centumuiralibus præsidebant, an eos iudices, qui iuris peritos in consilium aduocabant. Ceterum Centumuiralia iudicia aucto numero iudicum procedente tempore in quattuor Consilia fuere tributa. Ostendit id aperte Plinius, & si regrediamur, ac tempora Plinio antiquiora consideremus, idem etiam Quinctiliani tempore, id est Domitiano imperante obseruatum apud ipsum Quinctilianum reperiemus. & quod multo insignius est, Valerium idē significasse, prioribus etiam obseruatum temporibus inueniemus. Plinius ita loquitur epistolarū lib. VI: *Femina splendide nata nupta prætorio uiro, exheredata ab octogenario patre intra undecim dies quàm ille nouercam ei amore captus induxerat, quadruplici iudicio bona paterna repetebat. sedebant iudices centum, & octoginta, tot enim quattuor Consilijs cōscribuntur, ingens utrinque aduocatorum, & numerosa subsellia præstantium corona, latissimum iudicium multiplici circulo ambibat.* & lib. quarto: *Cum apud Centumuiros dixissem, subiit recordatio, egisse me iuuenem æque in quadruplici iudicio.* Quinctilianus lib. X I: *Trachalum, cum in basilica Iulia diceret, primo tribunali, quattuor autem iudicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremarent, & auditum, & intellectum, quod agentibus ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quattuor tribunalibus, memini.* Valerius libro VII: *Cum improbißimis hereditibus de paternis bonis apud Centumuiros, omnibus non solum consilijs, sed etiam sententijs superior discessit.* Hic uidemus quattuor consilia, & quattuor tribunalia primum nominari. ergo Valerius, cum omnibus consilijs dixit, centumuiralibus intellexit. De basilica Iulia idem Plinius in epistolis: *Descenderam in basilicam Iuliam auditurus, quibus proxima comperendinatione respondere debebam.*

Fuerunt porro quædam causæ, quæ & à Decemuiris, & à Centumuiris cognitæ sunt, ut de libertate, quæ duplex assertio dicta, & de ventre agnoscendo, & aliæ. Iudicasse Decemuiros de libertate, docet Cicero pro Cæcina, his uerbis: *Cum Arretinae mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemuiris religionem iniectisset, Decemuirum prima actione non iudicauit.* & pro domo: *Si Decemuirum sacramentum in libertatem non iudicasset, tamen, quotiescunque uellet quis, in hoc genere se rem iudicatam referri posse uoluerunt.* Itaque libet suspicari, quæ apud iuris consultos Præiudicia in causis priuatis dicuntur, ea Decemuirum fuisse, iudicia inde subsequuta Centumuirum. Satis enim constat, Iustinianum in libro de Actionibus, *Præiudiciales actiones* uocare de libertate, & ventre agnoscendo. de libertate autem cognitum esse & à Decemuiris, & à Centumuiris ex testimonio Ciceronis est demonstratum. ex quo intelligitur, iudicium Decemuirum ratione subsequentis iudicij Centumuiralis fuisse præiudicium. Atque in hanc quidem sententiam uerba Vipiani mihi uidentur esse accipienda D. de in Ius uocando: *Vel si qui præiudicio pronuncietur esse libertus, cum non fuerit.* Item D. de liberali causa: *Si ea persona desit cognitioni, quæ alicui status cōtrouersiam faciebat, amittit suam causam, nec ea res ingenuum facit eum, qui non fuit. nec enim pecunia aduersarij ingenuitatem solet tribuere. Recte, atque ordine iudices puto facturos, si hanc formam fuerint. consequuti, ut ubi desit is, qui in seruitutem petit, electionem aduersario deferant, utrum malit cognitionem circumduci, an audita causa sententiam proferri. & si cognouerint, pronunciare debebunt, seruum illius non uideri.* Silicet significat, ut ego opinor, optionem esse dandam ei, cuius de libertate agitur, an cognitionem causæ suæ malit per Centumuiralia iudicia circumduci, an audita à Decemuiris causa non præiudicium,



cium, sed sententiam proferri. Ceterum Iudicium Decemuirum Præiudicium appellari, elici mihi quoque aperte videtur posse ex eodem Vlpiano D. si ingenuus esse iudicetur: *Quoties, inquit, de hoc contenditur, an quis libertus sit, siue operæ petantur, siue obsequium desideretur, siue etiam famosa actio intendatur, siue in ius vocetur, qui se patronum dicit, siue nulla causa interueniat, redditur præiudicium. sed quoties quis libertinum quidem se consuetur, libertum autem C. Seij se negat, idem præiudicium datur, redditur autem alterutro desiderante.* Ex quibus verbis illud colligi præterea potest, si Decemuiri præiudicium causis Centumuiralibus fecerunt, non omnibus tamē fecisse. Hinc Quintilianus libro v scripsit: *Præiudicia etiam dicuntur, cum de eadem causa pronuntiatum est. ut in reis deportatis, & assertione secunda. & in partibus Centumuiralium, quæ in duas hastas diuisæ sunt.* & libro xi: *Succurret etiam si apud alios iudices agatur, ut in secunda assertione, aut in centumuiralibus iudicijs duplicibus, parte victa.* Quippe assertionem secundam appellasse videtur secundum iudicium de libertate à Centumuiris factum, cum primum Decemuiri fecerint, partes Centumuiralium causarum causas aliquot, quæ duplicia sunt naturæ iudicia, vnum Decemuirum, alterum Centumuirum, itémque hastas duas, vnam Decemuirum, Centumuirum alteram. Ex quo factum est, ut ex duobus de eadem re iudicijs factis primum præiudicium, secundum Iudicium dictum sit. centumuiralium porro causarum quanquam nullæ extant neque apud Ciceronem, neque apud alium quenquam orationes, cū inter priuatas essent grauissimæ, exempla tamen similibus iudiciorum multa attulit Valerius loquens de testamentis. Has autem causas egere oratores eodem, quo superiores, artificio. cuius rei testimonio verba Ciceronis sunt in Rhetoricis: *Quidam pupillum heredem fecit. pupillus autem ante mortuus est, quam in suam tutelam veniret. De hereditate illa, quæ pupillo venit, inter illos, qui, patris pupilli heredes sunt, & inter agnatos pupilli controuersia est. possessio hereditibus secundis à prætore secundum tabulas data est. Intentio agnatorum erit, Nostra pecunia est, de qua is, cuius agnati sumus, testatus non est Depulsio. Immo nostra: quia heredes secundi testamenti patris sumus. Questio, utrorum sit. Ratio. Pater enim & tibi, & filio testamentum scripsit. & secundum heredem non filio. sed sibi iussit esse. Quare, præterquam quòd ipsius fuit, in testamento vilius vestrum esse non potest. Iudicatio. Possit ne quisquam de filij pupilli de re testari. An heredes secundi ipsius patris familias, nō filij quoq; eius pupilli heredes sint.* Huc igitur omnia oratorum ex vtraque parte argumenta intenta sunt. Oratorum autem dixi, quia Aconius ita scribit: *Qui defendit alterum in iudicio aut patronus dicitur, si orator est; aut aduocatus, si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator, si absentis negocium suscipit; aut cognitor, si presentis causam nouit, & sic tuetur, ut suam. vnde Cicero pro Murena loquens ad Ser. Sulpicium Iuriconsultum: Si turpe existimas te aduocato, illum ipsum, quem contra venis, causa cadere.*

Hoc loco quemadmodum se gerere iudicem oporteret, Cicero tertio de officiis declarauit his verbis: *At neque contra rem. neque contra ius iurandum, ac si dem amici sui causa vir bonus faciet, nec si iudex quidem erit de ipso amico. Ponit enim personam amici, cum induit iudicis, tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut perorandæ litis tempus, quo ad per leges liceat, accommodet. Cum vero iurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit ipse Deus diuinius. Itaque præclarum accepimus à maioribus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, quæ salua fide facere possit.*

De sententiæ latione. CAP. XXXIX.



AVSSA demum vtrunque perorata post meridiem ad ferendam sententiam, quodcunque fuerit iudicium, ventum est. Sic enim scriptum erat in lege: *Post meridiem præsentem litem addicito, si ambo præsentem. Sol occasus suprema tempestas esto.* Supremam autem nominat, quia post supremam ius dici, aut causa cognosci non poterat. Quod si iudices causam non intellexerint, dixerunt, *sibi non liquere.* atque inde secunda actio instituta est. Gellius libro XIII: *Ut absoluerem, inducere animum non quivi. iuravi mihi non liquere. atque ita iudicatu illo solutus sum.* Cicero pro Cæcina: *Vtrum recuperatores his testibus non credidistis, cum, quid liqueret, non habuistis?* & in eadem: *Decemuiri prima actione non iudicauerunt.* Si vero in causa nihil obscuritatis habuerunt, sententiam tulerunt. cui

Sententiæ porro ferendæ non vna omnium iudicium, neque in omnibus causis ratio fuit. In nonnullis enim causis, ut de libertate, & de ventre cognoscendo pronuntiarunt, *sibi videri hominem aut liberum, aut ingenuum, aut seruum, aut libertum, aut filium eius esse, aut non:* Sic enim scribit Vlpianus D. de liberali causa: *Pronuntiare debebunt iudices, seruum illius non videri:* Item. *Cum non ingenuus pronuntiat, sed seruus non videri:* In actione vero iniuriarum pronuntiarunt, aut iure fecisse, aut *Non iure fecisse videri.* Hoc est apud Iustinianum titulo de iniuriis. *Iniuria, inquit, est aduersa, id est iniquitas. Itaque cum prætor, vel iudex, Non iure, contra quem pronuntiat, iniuriam accepisse dicitur.* Hinc nota illa vox est Cincinnati dictatoris, *Se Mælium iure casum, pronuntiare.* & Scipionis: *sibi Gracchum iure occisum videri.* & Tacitus libro XIII: *Pronuntiemus vltro dominum occisum videri.* Hoc cum ita sit, tamen summi iurisperiti hanc ex verbis Iustiniani sententiam adhuc elicere non potuerunt. siquidem *Non iure pronuntiare,* interpretantur iniustam sententiam ferre, locumque corrigunt ita, ut pro iniuriam accepisse reponant iniuriam fecisse, hoc sensu: *Cum iudex iniuste pronuntiat, iniuriam ei fecisse dicitur, contra quem pronuntiat, cum potius hic sit. Cum iudex, Non iure videri fecisse, pronuntiat contra quem, tum demum qui passus est iniuriam, accepisse dicitur, id est tum demum est iniuria, cum iudex iudicauit, Non iure factum esse.* Item in causa exheredationis. Pinius libro v. epistolarum: *Ego ex consilij sententiâ, videtur, inquã, Curiane mater tua iustas habuisse causas irascendi tibi?* In aliis causis alterum cōdemnabant, alterum absoluebant. Dicebant autē aut *Condemno, aut ille debet, aut Solue, aut Redde.* Macer D. *Quæ sentent. si iudex ita pronunciauerit: Cum constet, Titium Scio ex illa specie quinquaginta, item ex illa viginti quinque debere, idcirco Titium Scio centum condemno.* Vlpianus D. de re iudicata: *Si is, qui petit, summam expresserit, & iudex ait Solue quod petitum est, vel Quantum petitum est, valet sententia.* Plautus in Rudente: *Quis me est mortalium miserior, qui viuit alter hodie. Quem modo damnauit ad Recuperatores Pleusidippus. Abiudicata à me est Palestra. perditus sum.* Cicero in II de finibus, *Priuatarum litium iudices sumus. nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicij, in quo frustra iudices solent addere, si quid est nostri iudicij.* & ad fratrem in epistolis: *Prætor iudicare solet debere.* Absoluendi vero formula fuit: *Secundum illum litem do.* Cicero pro Q. Roscio: *Quominus secundum eos lis detur, non recusamus.* Seneca controuersiarum libro VI: *Centumuiri dixerunt, dare ipsos secundum aduersarium Albutij, si iuraret.* Neque vero illud præterire oportet, quod est apud Iustinianum, omnia iudicia fuisse absolutoria, quia si ante rem iudicatam reus satisfaceret actori officio iudicis conueniebat, eum absoluere, licet in ea causa fuisset iudicij accipiendi tempore, ut damnari deberet. Hinc Cicero in eadem: *Veniisti domum Roscij, satisfacisti, quod temere commississes in iudicium ut denunciare, rogasti, ut ignosceret te affirmaturum negasti, debere tibi ex societate nihil clamitasti. iudici hic denunciauit. absolutus est.* Non tamen omnia iudicia fuisse talia existimauerim. Etenim in iis, quibus

non

non res, sed pœna repetebatur, restituta re non tamen absoluebantur. vt Venuleius ostendit, D. Quæ in fraudem creditorum. *Hæc actio*, inquit, *rei restituenda gratia, non pœna nomine datur, ideoque absolutus debet reus, si restituerit.*

In arbitriis præcipua aliqua obseruatio fuit. Arbitri primum pronunciarunt arbitrium, deinde, nisi reus arbitrio paruisset, sententiam protulerunt, eumque condemnarunt. Arbitrium autem pronunciarunt ita: *Arbitror, te hoc modo satisfacere actori debere.* Sententiam vero pronunciarunt hoc modo, vt scribit Pomponius D. de arbitriis. *Quantum ei debes, redde. Diuisioni vestrae stari placet. pro ea parte, quam soluisti creditoribus, accipe.* Paulus D. de dolo malo: *Arbitrio iudicis in hac quoque actione restitutio comprehenditur, & nisi fiat restitutio, sequitur cõdemnatio, quanti ea res est.* Quod si reus arbitrio iudicis non parebat, tum arbiter actori iusiurandum in litem deferebat, id est iubebat illum iurare, quanti litem æstimaret, vt reum non modo damnaret, quãti ea res erat, sed etiam quanti actor æstimaret. Vlpianus D. de rei vindicatione. *Qui restituere iussus iudici non paret, contendens nõ posse restituere, siquidem habeat rem, manu militari officio iudicis ab eo possessio transfertur. siquidem dolo fecit, quo minus possit, is quantum aduersarius in litem sine vlla taxatione in infinitum iurauerit, damnandus est. Si vero non potest restituere, nec dolo fecit, quo minus possit, non pluris, quam quanti res est, id est, quanti aduersarij interfuit, condemnandus est. Hæc sententia generalis est, & ad omnia siue interdita, siue actiones in rem, siue in personam sunt, ex quibus arbitrato iudicis quid restituatur locum habet.* Est porro intelligendum, iudicem in arbitriis liberiores fuisse, quàm in iis, quæ stricti iuris sunt. quòd in iis, neque pluris, neque minoris damnare poterat, quàm quantum petebatur, in hoc quantum actori restitui oporteret, æstimabat, in iis exquirebatur tantum, quod lingua nuncupatum esset, in his non tam quod in contrahendo dictum erat, quàm quod bonæ fidei ratio exigebat, in iis compensationis rationem habere non licebat, in his licebat. Vt si quis peteret decem, & deberet quinque, iudex in illis debitorem damnabat decem, in his quinque. Arbitros tamen prætoris & ipsos imperio fuisse subiectos, docet Vlpianus D. de receptis arbitriis scribens: *Tamen & si neminem prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera, ac soluta est, & extra necessitudinem iurisdictionis posita, attamen, vbi semel quis in se receperit arbitrium, ad curam, & sollicitudinem suam hanc rem pertinere prætor putat non tantum, quòd studeret, lites finire, verum quoniam non deberet decipi, qui eum quasi virum bonum disceptatorem inter se elegerunt. Finge enim post causam iam semel, atque iterum tractatam, post nudata viriusque intima, & secreta negotia aperte arbitrum vel gratia dantem, vel soribus corruptum, vel aliqua de causa nolle dicere, quisquam ne potest negare, æquissimum fore, prætorem interponere se debuisse, vt officium, quod in se receperit, impleret?* Notauit etiam Asconius in causis leuioribus singulos iudices sententiam de tabula pronunciaffe.

## De in integrum restitutionibus.

CAP. XX.



**L** V D I C I O causæ perfectæ sequuta sunt tria alia iudicia, vnum de reo, alterum de petitore, tertium de iudice. Rei iudicium fuit duplex, vnum pro reo, *Restitutio in integrum* appellata, alterum contra reum, *Addictio*. Petitoris autem iudicium *Calumnie*, iudicis, *Falsi* iudicium est vocatum. dicamus de singulis. Restitutio in integrum fuit huiusmodi. Quoniam fieri poterat, vt aliquis in actio ne vel recusanda, vel accipienda multis modis lapsus esset, post sententiam semel latam dabatur damnato potestas litis retractandæ, atque ea dicebatur Restitutio in integrum. Cuius rei monumenta extant multa, D. de in integrum restitutionibus: quorum aliquot huc afferam. Paulus: *Integri restitutio est redintegranda rei,*

*vel causæ actio.* Item: *Integri restitutio est actio prætoria, qua rem certam, aut ius, aliamve quamlibet causam redintegrari postulamus, cum quid per metum, vel dolum, vel status permutationem, vel iustum errorem, vel necessariam absentiam, vel ætatis infirmitatem gestum est.* Vlpianus: *Vtilitas huius tituli non eget commendatione, ipsa enim se ostendit. Nam sub hoc titulo plurifariam prætor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subuenit, siue metu, siue calliditate, siue ætate, siue absentia inciderunt in captionem, siue, vt addit Paulus, per status mutationem, aut iustum errorem.* Itaq; in Edicto fuit: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habeo.* vbi notat Vlpianus, idem olim ita edici consueuisse: *Quod vi, metusve causa, sed postea detractam esse vis mentionem, ideo quia quodcumque vi atroci sit, id metu quoq; fieri videtur.* Item in eodem: *Quæ dolo malo facta esse dicuntur, si de his rebus alia actio non erit, & iusta causa esse videbitur, iudicium dabo.* Item: *Quodcumque à minore viginti quinque annis gestum esse dicetur, vt quæque res erit, animaduertam.* De quo Vlpianus: *Hoc edictum prætor naturalem æquitatem secutus proposuit, quo tutelam minorum suscepit. nam cum inter omnes constet, fragile esse, & infirmum eius ætatis cõsiliu, & multis captionibus suppositum, multorum insidijs expositum, auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus est, & aduersus captiones opitulationem.* Item: *Qui, quæ de postea quam quid cum his actum, contractumve sit, capite diminuti, diminuta dicentur, in eos, in easve, perinde quasi id factum non sit, iudicium dabo.* In quod Vlpianus. *Pertinet hoc Edictum ad eas capitis diminutiones, quæ salua ciuitate contingunt. ceterum siue libertatis, siue ciuitatis amissione contingat capitis diminutio, cessabit Edictum. neque possunt hi penitus conueniri. dabitur plane actio in eos, ad quos bona peruenierint.* Item: *Si cuius quid de bonis diminutum erit, cum is, metu, aut sine dolo malo reip. causa abesset, siue in vinculis, seruituteve esset, hostiumq; esset potestate, siue cuius actionis eorum dies exisse dicetur.* Item: *Si quid vsu suum fecisset, aut quod non vtendo amisit, est consecutus, actione ve qua solutus est, ob id, quòd dies exierit, cum absens non defenderetur, siue in vinculis esset, secum ve agendi potestatem non faceret, aut cum eum inuitum in ius vocare non liceret, neque defenderetur, cum ve magistratus de ea re appellatus esset, siue cui per magistratum sine dolo ipsius actio exempta diceretur, earum rerum actionem intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit, dabo. item si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam, quo ad eis per leges, plebiscita, senatus consulta, edicta, decreta principũ licebit.* Seneca Epistolarum libro vi: *Quid aliud agitæ, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quàm vt formula cecidisse videatur? sed quemadmodum illum prætor, sic hos philosophia, in integrum restituit.*

## De Addictione.

CAP. XXXI.



**A** D D I C T I O inde, quæ fuit iudicium contra reum, huius fuit generis. Post triginta dies, quàm quis debere iudicatus fuerat, iterum in ius rapiebatur, & ni iudicatum faceret, id est pecuniam debitam solueret, à prætore creditori nexus addicebatur, nisi sponforem dedisset. atque à creditore abductus priuatum in carcerem condebatur, donec aut pecunia, aut opera satisfecisset. Cicero pro Flacco: *Iste cum iudicatum non faceret, addictus Hermippo, & ab hoc ductus est.* Gellius libro xx: *Confessi æris ac debiti iudicatis xxx dies sunt dati conquerendæ pecuniæ causa, quam dissoluerent, eosq; dies Decemviri iustos appellauerunt, veluti quoddam iustitium, id est iuris inter eos quasi interstitutionem quandam, & cessationem, quibus diebus nihil cum his agi iure posset. post deinde nisi dissoluerant, ad prætorem vocabantur, & ab eo, quibus erant iudicati, addicebantur, neruo quoq; aut compedibus vinciebantur. sic enim sunt, opinor, verba legis. *Æris confessi, rebusq; iure iudicatis xxx dies iusti sunt.* Post deinde manus iniectio esto. in Ius ducito: ni iudicatum faxit, aut quis pro eo endo Iure vindex sit, secum ducito, vincito, aut neruo,*

aut compedibus xv pondo ne minore, aut, si volet, maiore vincito. Si volet, suo viuito. Ni suo viuit, qui cum vincitum habeat, libras farris in dies dato, si volet, plus dato. Erat autem ius interea paciscendi. Ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies lxx. Inter eos dies trinis nundinis continuus ad prætozem in Comitium producebantur, quantæq; pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. tertijs autem nundinis capite pœnas dabat aut trans Tiberim peregre venum ibant. sed capitis pœnam sancienda fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu, nouisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare si vellent, atque partire corpus additi sibi hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa Legis dicam, ne existimes, me inuidiam istam forte formidare. Tertijs nundinis, inquit, partes secanto. si plus, minusve secuerunt, sine fraude esto. Nihil profecto immutius, nihil immanius, nisi, vt re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad eam vnquam perueniretur. Addici nanque nunc, & vinciri multos videmus. quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audiui, quoniam seuitia iustæ pœnæ contemni non quita est. Hinc Liuius lib. vi: An placere stœnore circumuentam plebem, ni potius, quàm sortem, creditum soluat, corpus in neruum, & supplicium dare, & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vincetis nobilium domos? & vbiunque patricius habuerit, ibi carcerem priuatum esse? Hi vero addicti, & nexi vocati; addicti propter iudicium prætoris, nexi propter vincula creditoris. Addictus est autem, vt inquit Quinctilianus, quem lex seruire, donec soluerit iubet. Nexus teste Varrone liber, qui suas operas in seruitute pro pecunia, quam debet, dum, solueret, dat. De quibus pluribus diximus in primo libro de iure Ciuium Romanorum, vnde hæc repetenda fuerunt.

## De iudicio calumnie.

CAP. XXXII.



V D I C I V M vero in petitorum fuit, si calumniatus fuisse argueretur. Erant autem calumniatores, qui accepta pecunia litem falso intenderant, aut prætermiserant. De iis Vlpianus D. de calumniatoribus: *In eum, qui vt calumnie causa negocium faceretur, vel non faceretur pecuniam accepisse dicitur, intra annum in quadruplum eius pecuniæ, quam accepisse dicitur post annum simpli in factum actio somperit. Item: Hoc edicto tenetur, qui non depectus est. Depectus autem dicitur turpiter pactus.* Cicero pro Milone: *Qui calumnia litium fundos alienos petebat.* Gellius libro XIII: *Is cum suis patronis clamitabat, probari apud iudicem debere, pecuniam datam consuetis modis, expensilatione, mensæ rationibus, chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessionem. ex quibus omnibus si nulla re probaretur, dimitti iam sane oportere, & aduersarium de calumnia damnari.*


## De iudicio falsi.

CAP. XXXIII.



M I S T I M V M iudicium fuit in iudicem: si ob iudicandum pecuniam accepisset, de quo in XII tab. scriptum fuit. Vnde Gellius lib. x: *Nisi duram esse legem putes quæ iudicem arbitrum de datum, qui ob rem iudicandam pecuniam accepisse conuictus est, capite punit.* Qui vero iudex sciens dolo malo iniuste iudicabat, is litem suam facere dicebatur. Vlpia. D. de iudiciis: *Iudex tunc litem suam facere intelligitur, cum dolo malo in fraudem legis sententiam dixerit. dolo autem malo videtur hoc facere, si euidentem arguatur eius vel gratia, vel inimicitia, vel etiam sordes, vt veram æstimationem litis præstare cogatur.* Is etiam videtur litem suam fecisse, qui ad constitutum tempus in iudicium non venit. Macrobius in oratione Titij de iudiciis: *Inde ad comitium vadunt, ne litem suam faciant.* Abrogata inde lege XII tabularum, lege repetundarum de hoc crimine quæsitum est. quemadmodum, qui falsum testimonium dixerunt, lege de falso postulanti pœnas dederunt, vt mox ostendemus. Ac de priuatorum quidem iudiciorum consuetudine hæc hæctenus.

C A R O



# CAROLI SIGONII DE IUDICIIS LIB. SECVNDVS.



## Quæ publica iudicia fuerint.

CAP. I.



S E Q V I T V R deinceps, vt de iudiciis publicis agendum esse videatur. Iudiciorum vero publicorum longe alia ratio fuit, quàm priuatorum: *Neque enim, vt inquit Iustinianus, per actiones ordinata sunt, neque omnino simile quidquam cum priuatis iudicijs habuerunt, magnaq; diuersitas eorum fuit & in instituendo, & in intendendo.* Publica vero dicta sunt, quòd cuius è populo actio permitteretur. Ceterum iudicia publica fuerunt decreta, quæ de criminibus, quæsitore aliquo iudicium exercente, iudices ab eo dari fecerunt, prout leges de singulis criminibus cognoscendis latæ iusserunt. Quo constituto sequitur, iudiciorum publicorum perfectam haberi notitiam non posse, nisi & quæ crimina, & qui quæsitores, & qui iudices, & quæ exercendæ quæstionis ratio, ac deimur quæ de quoq; crimine leges fuerint, cognoscamus. Quamobrem agamus primum de criminibus, deinde de quæsitore, tunc de iudicibus, inde de quæstionum exercitationibus, atque ad extremum de legibus.

## De criminibus.

CAP. II.



C R I M I N A maleficia fuerunt, quæ aut aduersus remp. commissa sunt, aut populus Rom. aduersus remp. commissa existimauit, atque iudicio legibus constituto pœna vindicanda putauit. Itaque non solum iniuriæ factæ senatui, aut populo, aut magistratibus, sed etiam nonnullæ priuatis illatæ publicorum iudiciorum legibus comprehensæ sunt. Reipub. directo factæ dicuntur, vt si quis maiestatem populi Ro. aut magistratuum eius minuisset, publicam, sacræve pecuniam auertisset, populi suffragia honoris adipiscendi gratia corrupisset, socios spoliasset, aut pecuniam ob iudicandum cepisset, armis magistratum, aut priuatum coegisset. quæ crimina appellarunt maiestatis, peculatus, ambitus, repetundarum, & vis publicæ. Priuatis factas ad se pertinere populus existimauit, si quis hominem telo occidisset, si veneno necasset, si parentibus manum intulisset, si falsum testamentum, falsumve nummum fecisset, si vxorem alterius corrupisset, si seruum alienum aut celasset, aut vinxisset, aut emisset sciens insciente domino. vnde hæc crimina nomen acceperunt, inter sicarios, veneficij, parricidij, falsi, adulterij, plagij. Quin etiam quæcunque cum priuatos attingerent, de iis quæstionem publicam constitui lege aliqua voluerunt, ea pro criminibus habita sunt, vt circumscriptio pupillorum lege Lætoria de qua Cicero, de natura deorum: *Inde iudicium publici re priuata lege Lætoria.* Vt autem non omnia rerum priuatarum iudicia priuata fuerunt

P fuerunt

fuerunt, sic non omnia in quibus crimen versatum est, fuerunt publica, sed ea demum, quæ legibus publicarum questionum sunt constituta. Sic enim scribit Maicer libro primo de Iudiciis publicis: *Non omnia iudicia, in quibus crimen vertitur, & publica sunt, sed ea tantum, quæ ex legibus iudiciorum publicarum veniunt, ut Italia maiestatis, Italia de adulterijs, Cornelia de sicarijs, & Veneficis, Pompeia parricidij, Julia peculatus, Cornelia de testamentis, Julia de vi priuata, & publica, ambitus, repetundarum, annonæ.* Quoniam autem causæ publicæ crimen ferme complexæ sunt, hinc nomen etiam criminalium inuenerunt.

## De pœnis.

## CAP. III.



RIMINIBVS ipsi adijci debet disputatio de pœnis, quibus ipsa crimina vindicata sunt. Ceterum pœnarum genera ex auctoritate Tullij octo prodidit Isidorus, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem, & mortem. quarum alia bona læserunt, ut dānum; alia corpus, ut vincula, verbera, & talio; alia ius, ut ignominia, exilium, & seruitus; alia vitam, ut mors.

DAMNVM alio nomine multa est dicta. Hæc Sabinum vocabulum fuit, eaque in ouibus & bubus æstimandis constitit, quibus primis temporibus Italia abundauit. Itaque, ut scribit lib. x i Gellius, *suprema multa erat duarum ouium, & triginta bouum pro copia scilicet bouum, & penuria ouium. Sed cum eiusmodi multa pecoris, armentiq; a magistratibus dicta erat, adigebantur boues, ouesq; alias pretij parui, alias maioris. eaq; res faciebat inaequalem multæ punctionem. idcirco postea lege Ateria constituti sunt in oues singulas æris deni, in boues æris ceteri. minima vero multa fuit ouis vnius. Quando autem a magistratibus Populi Romani more maiorum multa dicebatur vel minima, vel suprema, obseruari solebat, ut oues genere virili appellarentur, atque ita M. Varro hæc legitima verba, quibus minima multa diceretur, cœcepit: M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei vnum ouem multam dico. ac nisi eo genere diceretur, negauerunt, iustam videri multam.* Hæc, ut dixi, ex Varrone Gellius. Festus autem ita: *Multam Osci dici putant pœnam quãdam. M. Varro ait, pœnam esse, sed pecuniariam, de qua in primo libro epistolicarum questionum refert. Maximam multam dixerunt trium millium, & viginti assium, quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, & duabus ouibus quenquam multare. æstimabaturq; bos centussis, ouis decussibus.* Quam autem legem Ateriam vocauit Gellius, eam Tarpeiam nominat Festus in voce peculatus, quod Aterius cū Tarpeio consul eam tulerit. Pro multa vero sæpe pecuniam dixerunt.

Vinculorum nomine complexi sunt compedes, pedicas, manicas, cathenas, neruos, boiam, & carcerem. Plautus Afinaria: *Qui aduersum stimulos, laminas, cruceq; compedesq; neruos, cathenas, carceres, numellas, pedicas, boias.* De ceteris Nonius scripsit, & Festus. Carcerem ædificatum fuisse ab Anco rege scribit Lilius immimentem foro ad terrorem crescentis audaciæ. omnia ad coercendos, & constringendos homines comparata. Vnde illa Ciceronis in v i i in Verrem: *Quæret, quam obrem fasces prætoribus præferantur, cur securæ datæ, cur carcer ædificatus, cur tot supplicia more maiorum in improbos constituta.* Ceterum reorum custodia duplex fuit, carcer, & priuata domus. Ante confessionem in liberâ custodiam tradere consueverunt. Liberæ autem custodia dicebantur, cum apud magistratus domi, aut apud priuatos hobilis ponebantur custodiendi, quemadmodum de indice Bacchanalium scripsit Lilius, & de coniuratis Sallustius. Post confessionem vero in vincula publica coniiciebantur. Venuleius D. de custodia reorum: *Reus confessus, donec de eo pronunciaretur, in publica vincula coniiciendus.* item Scæuola: *Reus confessus ob solam confessionem conijci in vincula consuevit.* Fuit autem custos quidam carceris, quem commentariensem vocat Plinius libro v i i, cap. x x v i i i, qui triumuiro capitali, cuius summa carceris, & animaduersionis cura fuit, parebat. ostendit

Valerius

Valerius libro v. scribens, custodem carceris pietatē filia, quæ in carcere matrem lacte sustentauit, ad Triumuirum detulisse.

Verbera inflictæ sunt virgis, & fustibus. Virgis vsi sunt magistratus, cum expeditis fascibus lictores animaduenterunt in terga: præcessit autem verberatio extremum mortis supplicium. Fustigationem in castris adhibuerunt. ut in lib. de Iure ciuium Rom. ostendimus, & priuatim. Valerius libro v i: *Metellus uxorem, quod vinum bibisset, fustim interemit.*

De Talione sic Isidorus: *Talio est similitudo vindictæ, ut taliter quis puniatur, ut fecit. hoc enim & natura, & lege est institutum, ut ledentem similis vindicta sequatur. vnde & illud est legis: Oculum pro oculo, dentem pro dente.* item Festus citat hæc verba legis: *Si membrum rapti, ni cum eo pacit, talio esto. Permittit autem, inquit, lex parem vindictam.* Hinc Iustinianus scripsit: *Pœna iniuriarum per membrum ruptum talio erat.* Gellius autem libro x i, cap. i, addit, *reum habuisse facultatem paciscendi, & non necesse habuisse pati talionem, nisi eam elegisset.*

Ignominia fuit infamia. Cicero libro i i i i de rep. teste Nonio: *Censoris iudicium nihil fere damnato affert, nisi ruborem. Itaque quod omnis ea iudicatio versatur tantummodo in nomine, animaduersio ista ignominia dicta est.* Infames autem lege, & edicto prætorio factos, & quare, apparet ex Digestis de iis, qui notantur infamia. Ceterum infamia ius munerum, honorumque ciuiliū ferme ademit.

Exilium intellexerunt, cum aqua, & igni interdixerunt. siquidem consuetudo loquendi obtinuit, ut omnes, quibus aqua, & igni interdictum esset, quoniam exilij causa solum vertere cogebantur, exules appellarentur, ut est in Rhetoricis ad Herennium libro i i. Exilium autem non nominabatur in irrogatione pœnæ, sed aquæ, & ignis interdictio, quam necessario sequebatur exilium. neque enim sine aquæ & ignis vsu esse quisquam in vrbe poterat. quod docet Cicero pro Cæcina: *Exilium non est supplicium, sed perfugium, portusq; supplicij. nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, eo solum vertunt, hoc est locum, ac sedem mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras ciuitates, maleficium vllum exilio esse multatum. sed cum homines vincula, necesse, ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt, quasi ad aram in exilium. qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quam vitam amitterent.* Exilio autē ciues iure ciuitatis nudati sunt. Relegati autem dicti, teste Festo, quibus ignominia, aut pœnæ causa necesse fuit, ab vrbe Roma, aliōve quo loco abesse, lege senatusq; consulto, aut edicto magistratus. De seruitute autem, qua ius libertatis est violatum, & extremo supplicio, quo vita adempta, ut quæ horum iudiciorum non sint, post alio loco magis idoneo differam. Quoniam autem has pœnas omnes duobus nominibus incluserunt, pecuniæ, & capitis, ob id factum est, ut iudicia publica alia capitalia fuerint, alia nō fuerint. Quod etiam scripsit Paulus ad Edictum principis, his verbis: *Publicorum iudiciorum quædam capitalia sunt, quædam non capitalia. capitalia sunt, ex quibus pœna mors, aut exilium est, hoc est aqua, & ignis interdictio. per has enim pœnas eximitur caput de ciuitate. nam cetera non exilia, sed relegationes proprie dicuntur. tunc enim ciuitas retinetur. Non capitalia sunt, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercitio pœna est.* Ut autem non omnes causæ criminales capitales fuerunt, veluti si maiestatis reus multatus esset pecunia, sic non omnes capitales crimen continuerunt. ut causa Quintij, quæ à Cicerone capitalis dicitur, (cum tamen sit sine crimine) quia infamiam afferebat. Quintius autem vadimonium deseruisse dicebatur. Modestinus D. de verborum significatione: *Licet capitalis Latine loquentibus omnis causa existimationis videatur, tamen appellatio capitalis mortis, vel amissionis ciuitatis intelligenda est.* Cicero pro Q. Roscio: *Si qua sunt priuata iudicia summæ existimationis, & prope dicam capita, tria hæc sunt, fiducia, tutela, societatis.*

De pratoribus quaestoribus.

CAP. IIII.



RIMINIBVS explicatis trāseamus ad quaestores. quaestores dicti, qui iudicium publicū exercuerunt, quā quaestionē vocarunt. Huic autem rei operā dederunt primū reges, deinde consules, post magistratus ij, quos ei muneri senatus, aut populus praefecit. De regibus auctor est Dionysius, qui Romulum regem delicta maxima cognouisse, minora senatoribus permisisse scribit. & Liuius, qui cū Superbum regem scribat, vt metum populo incuteret, *cognitiones capitalium rerum sine consilijs per se solum exercuisse, propterq; eam causam occidere, in exilium agere, bonis multare potuisse*, non obscure, quid ceteri superiores reges seruarint, ostendit. De consulibus ex eo elicere possumus, quod in regum locum successerunt. & quod Brutus primus consul de coniuratis vltimum supplicium causa ipsa cognita sumpsit. Verum eodē anno id ius lege Valeria de prouocatione lata est imminutum. cautūque in posterum, ne consul de capite ciuis Rom. iniussu populi quaereret, verum ij demum, quos populus quaestoribus publicis praetecisset, qui inde Quaestores parricidij sunt appellati. quos non multo post reges exactos institutos esse, ex eo perspicitur, quod eorum in lege xii tabularum mentio fiebat. Sic enim scribit Pomponius D. de origine iuris: *Quoniam de capite ciuis Rom. iniussu populi Rom. non erat permittum lege consulibus ius dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus praessent, & appellabantur Quaestores parricidij, quorum meminit lex xii tabularum.* Vnde Festus scribit, *Quaestores parricidij appellatos, quos solebant creare causa rerum capitalium.* Horum autem apud Liuium saepius memoria celebratur, vt Cossio, & Medullino Cōsulibus anno cccxl: *Senatusconsultum factum, vt de quaestione Postumiana caedis tribuni pl. primo quoque tēpore ad plebem ferrent, plebesq; praeficeret quaestioni, quem vellet, a plebe consensu populi cōsulibus negocium mandatur.* item anno cccxlix: *Cum omnia infida Romanis essent, Capua quoque occulta principum cōiurationes factae de quibus cum ad senatum relatum esset, dictatorem quaestioneibus exercendis dici placuit. C. Maenius dictus.* Anno dlxvi: *Petillij tribuni pl. rogationem ad plebem tulerunt: Velitis, iubeatis, vt quaeratur, quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho, quod es publicum relatum non est, vnde ea Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam rem senatus velit quaerere, de ijs, qui praetores nunc sunt, omnes tribus. Vti rogasset, iusserunt Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillij quaerere vellet, Q. Terentium Culleonem patres iusserunt. Ad hunc reus L. Scipio factus, & recepta nomina legatorum eius, & quaestoris. Damno Scipione, & nullo vestigio pecuniae regiae in bonis eius inuento, inuidia vertit in praetorem, & consilium eius, & accusatores.* Atque in hunc quidem modū vsq; ad annū d ciiii quaestiones publicae exercitae sunt, vt quotiescunq; res posceret, aut cōsules, aut dictator, aut praetor senatuscōsulito, aut lege quaerere iuberetur.

Anno autē ipso d ciiii perpetuae quaestiones esse, ac proprium quaestorem habere coeperunt. Legem enim L. Piso tribuni pl. tulit, qua quaestionem repetundarum perpetuam fecit, vt scribit Cicero in Bruto his verbis: *Carbone forum tenente plura iudicia fieri coeperunt. nam & quaestiones perpetuae hoc adolescente constituta sunt, quae nullae ante fuerant. L. enim Piso trib. pl. legem primus de pecunijs repetundis censorino, & Manlio Cos. tulit.* ij vero eo anno, quo dixi, consules fuerunt. Quaestio vero perpetua facta intelligitur, cum praetori in singulos annos mādatur. mādatur vero, cum haec verba in lege de aliquo vindicādo crimine lata ponuntur: *De ea re praetoris quaestio esto. itē: Praetor, qui ex hac lege quaeret, facito, vt.* Post quaestionem de repetundis quaestio inde de peculatu, de maiestate, & de ambitu perpetua facta est. cumque sex tum crearentur in vrbe praetores, mutata est tota ratio fortitionis praetoriae. Ante enim praetores bini singulas domi iurisdictiones, ex S. C. fortiebantur. urbanam, & peregrinam; reliqui quattuor prouincias foris gubernandas. Ab hoc vero tempore duae iurisdictiones, & quattuor quaestiones in sortem ex S. C.

ex S. C. a praetoribus sex conici ceptae. praetura vero Romae acta prouincias sortiti sunt, in easque pro praetore profecti sunt. Demum L. Cornelius Sylla dictator, vt inquit Pomponius, *quaestiones alias quattuor publicas tulit, de sicarijs, veneficijs, falso, & parricidio, & propterea praetores quoque quattuor, vt de ijs quaerent, addidit.* Sic enim exponit Cicero in Verrem: *Lex Cornelia testamentaria, vnummāria* (haec est, quae quaestionem de falso continet.) *ceterae complures, in quibus non ius aliquod nouum in populum constituitur, sed sancitur, vt quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad praetorem perueniret ex certo tempore.* Quoniam autem numerus praetorum, & ratio cognitionum earum iam inde ab initio permittita erant arbitrio senatus, ob id factum est, vt raro, aut fortasse nūquam, nisi octo praetores, quotannis sint creati, ita vt cum essent octo praetores, & decem cognitiones, in ijs deferendis pro voluntate senatus variatum sit. Vt enim ante aliquando binae iurisdictiones, & binae prouinciae singulis sunt tributae; sic posthac & binae iurisdictiones, & binae quaestiones singulis, & iurisdicō cum quaestione vni, & vna quaestio duobus ex S. C. commissa est. Nam Catulo, Lepidoque Cos. L. Cornelius Siffenna vtramque iurisdictionem, & C. Verres praetor urbanam iurisdictionem cum veneficij quaestione, & M. Fannius inter sicarios, & parricidij, & M. Latorius, ac C. Flaminius quaestionem inter sicarios, praetores omnes cum essent, sortiti sunt. Ita Crasso, & Pompeio primum Cos. vt Cicero scribit in Verrinis, cum praetores designati fortirentur, M. Metello praetori obtigit, vt de pecunijs repetundis, Lepido vero, & Tullo Cos. Q. Nasoni, vt de veneno quaestionem exerceret. M. vero Rictorius, & C. Flaminius inter sicarios sortiti sunt, C. Orchinius peculatus, M. Cicerō de repetundis, C. Aquilius de ambitu. Etenim cum in Cluentiana dixisset, Q. Nasonem quaestionem de veneno gubernare, addidit: *Quid ergo est? Haec quaestio sola ita gubernatur? quid M. Platorij, & C. Flamini inter sicarios? quid C. Orchinij de peculatu, quid mea de pecunijs repetundis? quid C. Aquilij de ambitu? quid reliquae quaestiones?* Reliquarum autem quaestionum nomine intellexit quaestionem de maiestate, quam P. Cassium praetorem eodem anno exercuisse in Cornelianam scribit A. Sconius; & quaestionem de falso, quam, vt verisimile est, praetor urbanus, aut peregrinus sortitus est C. Antonius. is enim in eum annum praeturam gessit. Nam Q. Nasonem praeter veneficij quaestionem alteram etiam iurisdictionum sortitum esse, coniectura ducor ad suspicandum. siquidem paucis etiam ante annis C. Verres praetor urbanus quaestionem de veneno exercuerat, vt Cicero scribit. Parricidij autem quaestio cum quaestione de sicarijs a M. Fannio praetore tractata est, vt idem docet in Rosciana. Cotta vero, & Torquato Cos. L. Murena praetor urbanam iurisdictionem, Ser. Sulpicius quaestionem peculatus est sortitus eodem tempore in oratione pro Murena.

Quamquam autem post annum d ciiii praetores primum quattuor, deinde sex perpetui singularum quaestionum quaestores sunt constituti, vt eas quotannis fortirentur, non tamen omnia iudicia publica ab ordinariis illis quaestoribus facta sunt. verum extra ordinem multae quaestiones, aut S. C. aut plebiscito, vt ante, aut consulibus, aut alijs magistratibus, aut etiam priuatis hominibus mandatae sunt. siue quia nulla dum lex de ijs constituendis erat lata, siue quod lata erat illa quidem, sed pro rei atrocitate extra ordinem quaerendum esse videbatur. Nam anno d cx i P. Scauola tribuni pl. tulit ad plebem, vellet ne quaeri de L. Tubulo, qui praetor cum quaestionem inter sicarios exerceret, ob rem iudicandam pecuniam ceperat. eoque plebiscito quaestio Cn. Cypioni Cos. decreta est, vt inquit Cicero in ii de finibus. Anno inde d cx v D. Brutus, & P. Scipio Cos. ex S. C. quaestionem de caede facta in sylua Scantia exercuerunt, vt idem scribit in Bruto. at vero anno d cx xxi x, eodem teste, Sex. Peduceus criminatus est L. Metellum pontificem maximum, totūque collegium pontificum male iudicasse de incestu virginum Vestalium, quod vnam modo Aemilianam damnauerat, abtoluerat duas;

Muciam, & Liciniam. Populus L. Cassium creavit, qui iisdem de virginibus quaereret. isque omnes damnauit. Post annos quinque C. Mamilius Limitanus legem tulit, ut quaeretur in eos, qui cum Iugurtha pactiones fecissent, & ut tres quaesitores constituerentur. quod Sallustius in Iugurthina, & Cicero in Bruto prodidere. Inde post aliquot annos Consules Piso, & Messalla ex S. C. rogationem promulgarunt de quaestione in Clodium constituenda de pollutis caeremoniis, ut Cicero scribit ad Atticum. & post Cn. Pompeius Consul tertium anno D C C L tulit, ut quaeretur de caede facta in via Appia, & quaesitor ex consularibus crearetur. suffragio populi creatus est L. Domitius. isque quaestionem de caede P. Clodij exercuit, teste Asconio; *cum tamen*, ut inquit Cicero, *veteres essent leges vel de caede, vel de vi.*

Ac quaesitorum quidem, siue ordinarij, siue extraordinarij essent, quanquam potestas ab ea lege, qua creati erant, tota manauit, tamen omnium in his rebus collocata fuit, ut in foro, atque in tribunali, & in sella curulisedentes, iudice quaestionis aliquo operam, fidemque nauante, gladio, ut dixi, posito iudicium exercerent, cum eis iudicibus, qui eis obuenerunt, sedentibus in suis subselliis, scribis vero, accensis, praecombus, lictoribus, aliisque apparitoribus assistentibus. Vnde Cicero pro Cluentio: *Quid sibi illi scribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaestioni video, volunt?* & in Bruto: *Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit, cum esse dicturum, locus in subsellijs occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribae sint in dando, & sedendo loco?*

Ceterum quaestio euerfa rep. merum est imperium appellata. sunt enim tria magistratum imperia celebrata, merum, non merum, & mistum. merum fuit cognitio rerum capitalium, non merum priuatarum, quod proprie iurisdictio est appellata, mistum vtrarumque. Indicat Vlpianus, cum scribit D. de iurisdictio: *Imperium aut merum est, aut mistum. merum est imperium habere gladij potestatem ad animaduertendum in facinorosos homines. mistum est imperium, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit. iurisdictio est etiam iudices dandi licentia, id est, merum imperium continet causarum capitalium cognitionem; mistum non solum cognitionem rerum capitalium, sed etiam iurisdictioem, id est priuatarum cognitionem; quae cum multis alijs in rebus versetur, tum vel maxime in danda bonorum possessione, & dando iudicio posita est, ut supra ostendimus. & Paulus de officio eius, cui mandata est iurisdictio: *Mandata iurisdictioem etiam imperium, quod non est merum, videtur mandari.* Gladius autem, de quo dictum est, insigne, opinor, fuit magistratus publicum iudicium exercentis. de quo supra diximus, cum praetores vrbanos hasta, quaesitores gladio vfos esse ostendimus. Itaque D. de officio proconsulis dixit Vlpianus; *Qui vniuersas prouincias regunt, ius gladij habent, & in metallum dandi potestas eis permessa est.**

Praeterea vero hanc quaestionem, siue hoc merum imperium, publicae iudicij cognitionem, aut exercitationem mandari alteri non potuisse, satis constat. nisi fortasse eadem lex, quae de quaestione erat lata, quaestionem illam transmitti licuisse, fanciuerit. atque hoc est, quod scripsit Papinianus D. de officio eius, ut supra etiam diximus: *Quaecunque specialiter lege, vel senatusconsulto tribuuntur, mandata iurisdictioem non transferuntur. quae vero iure magistratus competunt, mandari possunt. & ideo videntur errare magistratus, qui cum publici iudicij habent exercitationem lege, vel S. C. delegatam, veluti legis Iuliae de adulterijs, & si quae sunt aliae similes, iurisdictioem suam mandant. Huius rei fortissimum argumentum, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur, ut is, cui obtigerit exercitio, possit eam, si profisciscatur, mandare. non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coeperit, cum alia iurisdictio etiam a presente mandetur. Et si a familia dominus occisus esse dicatur, cognitionem praetor, quam ex S. C. habet, mandare non poterit. Qui mandatam iurisdictioem suscepit, propriam nihil habet, sed eius, qui mandauit, iurisdictioem utitur, verus est enim iurisdictioem*

*iurisdictioem quidem transferri, sed merum imperium quod lege datur, non posse transferre. quare nemo dicit, animaduersionem legatum proconsulis habere mandata iurisdictioem.*

## De iudicibus quaestionum.

CAP. V.



**E**XCEPTIS praetoribus, quos summos quaesitores fuisse diximus, erant etiam iudices quaestionum. de quibus diuersas eorum, qui hac aetate scripserunt, inuenio fuisse sententias. Alij enim iudicem quaestionis eundem, ac praetorem fuisse putarunt, alij non solum non praetorem, sed hominem omnino priuatum. Neutra opinio mihi probatur. Non fuisse praetorem haec argumento sunt. primum, quod in iisdem causis, in quibus iudex quaestionis uersatus esse dicitur, in iis etiam praetor praefuisse inuenitur. ut in causa Oppianici praetor Verres, iudex quaestionis C. Iunius; in causa Verris praetor M. Glabrio, iudex quaestionis Q. Curtius; & in causa Cluentij praetor Q. Naso, iudex quaestionis Q. Voconius; deinde, quod in legibus de iudicijs publicis haec uerba fuerunt: *Magistratus quique, cum iudicio publico praesesset.* Item: *Magistratus iudex de quaestione.* scilicet nomine magistratus praetorem intelligendo, atque a iudice quaestionis apertissime discernendo. item in alijs, *Praetor qui ex hac lege quaeret, iudex, qui eam rem quaesierit, quid iudex ex hac lege factus erit.* postremo, quod Quintilianus scribit, praetorem occupatum fuisse in iis, quae essent imperij; iudicem quaestionis in iis, quae essent cognitionis. Non fuisse autem priuatum, haec ostendere possunt. primum, quod iudex quaestionis in Legibus *quaesisse*, & ab Asconio *quaesitor fuisse*, & *quaestionem exercuisse* dicitur. deinde, quod in lege Cornelia de ueneficijs erat: *Iudex quaestionis cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quaerit, qui uenenum fecerit*, & Cicero, atque Asconius iudicem quaestionis fortitioni iudicum operam dedisse aperte scribunt. quaestionem uero qui habuit, & iudicum fortitionem exercuit, is priuatus omnino esse non potuit. est enim quaestio rei capitalis cognitio. Cum autem iudex quaestionis a lege cognitionem accipiat, non a magistratu, magistratus est, ut apparet ex D. de officio eius, cui mandata est iurisdictio. His adde, quod idem fuit in iudicio publico iudex quaestionis, atque in priuato Decemuir litibus iudicandis. at Decemuir fuit magistratus, ergo multo magis iudex quaestionis. Qui uero priuatum esse dicunt, ij iudicem faciunt. quod esse non potuit. Iudex enim sorte obuenerit quaesitori, at iudici quaestionis sorte iudices obuenerunt, ex locis commemoratis. Si ergo ipse sortitus est iudices, profecto non ut iudex sorte lectus, sed ut magistratus suffragio, creatos quaesuit. Ego uero censeo, iudicem quaestionis neque praetorem fuisse, neque omnino priuatum, sed tamen cum potestate eum uero magistratum captum esse post aedilitatem, ut post quaesturam capiebatur decemuiratus litibus iudicandis. Hoc apparet ex C. Visellio, quem scribit Cicero in Bruto, cum post aedilitatem curulem iudex quaestionis esset, mortuum esse. & ex uetere monumento C. Octauij, in quo ipse item post aedilitatem, & ante praeturam iudex quaestionum uocatur.

C. OCTAVIUS C. F. C. N. C. PRON.

PATER AVGVSTI

TR. MIL. BIS. Q. AEDIL. PL. CVM TORANIO

IUDEX QVAESTIONVM

PR. PRO COS. IMPERATOR APPELLATVS

EX Prouincia MACEDONIA.

His adde Cluentianam, in qua Cicero C. Iunium iudicem quaestionis, hominem aedilicium iam praetorem opinionibus hominum constitutum scribit, & Roscianam, in qua sic loquitur ad M. Fannium praetorem iudicium tum inter ficarios exercentem: *Te quaeso M. Fanni, ut qualem te antea populo Roma. praebuisti, cum huic ei-*

dem quæstioni præfess, talem te hoc tempore impertias. Quando enim ante alias M. Fannius, qui tum prætor erat, præfesse quæstioni inter sicarios potuit, nisi cum iudex quæstionis fuit? Adde Suetonium, qui Cæsarem inter ædilitatem, & prætoriam quæstionem inter sicarios exercuisse scribit, & eundem, cum esset prætor urbanus, Nouium quæstorem in carcerem duci iussisse, quod ipsum prætorem apud se compelli passus esset, maiorem scilicet potestatem à minore. vbi aperte Nouium quæstorem cum potestate, sed minore fuisse ostendit, non ita dicturus, si Nouius prætor id iudicium, erat autem de maiestate, exercuisset. Cum ergo prætores omnibus prætoriis actionibus, quæ multæ erant, interesse non possent, iudices quæstionum constituti sunt, qui partes prætorum implerent etiam prætoribus absentibus. Vnde dixit Cicero in Vatinius: *Disturbato iudicio iudices quæstionum de proximis subsellijs esse depulsos*, grauiore sine dubio verbo prætorum vsurus, si prætores in tribunalibus tum fuissent. At Aconius eum *principem iudicum* vocat recte. Iudex enim quæstionis respectu maiestatis, & imperij prætorij prope vim habuit iudicis. at respectu iudicum, cum & ipse iudex vocaretur, magistratus, vt princeps iudicum existimaretur. Nam prætor dabat actionem, & negabat, cogebat iudices, & dimittebat; iudex quæstionis datam actionem exercebat, iudices fortiebatur, testes audiebat, quæstiones habebat, tabulas inspiciebat. quæ prætor fere propter occupationes, aut propter dignitatis fastigium non curabat.

## De iudicibus. CAP. VI.



**P**OSTREMI ad cognoscendum sunt iudices. Iudices vero dicti sunt, qui ex lege ad iudicandum adhibiti sunt. quorumque sententiam prætor ipse pro tribunali pronunciauit. Horum autem legendorum diligens admodum ratio fuit. Primum enim cautum est, ex quibus ordinibus essent legendi, deinde quo numero in singulos annos, inde qua conditione, & qua ætate. De ordinibus si quærimus, vt in libris de iure ciuium Roma. ostendimus, primum lecti sunt ex ordine senatorio, antiquo, ac regio instituto, deinde ex equestri lege Sempronii C. Gracchi, tum ex vtroque lege Seruilia Cæpionis, deinde ex equestri lege Seruilia Glauiciæ. deinde iterum ex senatorio tantum lege Liuiæ Drusi, tum ex tribus ordinibus, senatorio, equestri ordine, plebe, lege Plautia Siluani. tum ad senatores solos res traducta lege Cornelia Syllæ. inde ad tres ordines, senatorum, equites, tribunos ærarios; hi enim erant à plebe, lege Aurelia Cottæ: postremo redacta ad senatores, & equites lege Iulia Cæsaris. Numerus autem eorum à legibus ipsis, præscribatur. vt à lege Seruilia Glauiciæ quadringentorum quinquaginta. Itaque non idem semper fuit. Aetatis item non eadem ab omnibus habita fuit ratio. Nam lege Seruilia Glauiciæ cautum est, ne minor annis triginta, maior sexaginta legeretur. Cum autem aliis legibus triginta quinque præscripti essent, Augustus ad triginta redegit. Si quidem Suetonius ita scribit: *Iudices Augustus à tricesimo ætatis anno allegit, id est quinquennio maturius, quam solebat*. Ea vero lectio per prætorem urbanum, aut peregrinum iuratum celebrabatur, prout lege sancitum fuerat, iique selecti iudices appellati. De urbano agitur in lege Cornelia, vbi est: *Prætores urbani, qui iuratos optimum quenque in selectos iudices referre debent*. De peregrino in lege Seruilia Glauiciæ, in qua est: *Prætor, qui ius dicet inter peregrinos, C. D. L. viros legat, dum ne quem legat, qui in magistratu sit, aut fuerit, aut senator sit, aut fuerit, eoque in concione pronunciet, iuretque se eos dolo malo scientem non legisse*. Quotannis autem lectos indicat Cicero in Verrem: *Nunc iudicem ex Kal. Ianuarijs non habebimus*. Munera vero iudicum fuerunt, vt in legem iurarent, citati à prætore iudicium exercente adessent, in subsellijs, quæ subiecta tribunali erant, ex lege sederent, ne inter se disputarent, postremo iurati sententias ferrent.

## De exercitatione Actionis, siue de Actione instituenda. CAP. VII.



**C**RIMINIBVS, quæstionibus, & iudicibus cognitis, deinceps de exercitatione quæstionis, siue de instituenda actione, atque tota apud prætorem agendi ratione differendum est. Ordo vero agendi talis fuit. Priuatus ciuis, qui priuati nomen deferre in animo habuit, eum in Ius vocauit, & prætorem in foro adiens, qui de crimine illo cognoscebat, quod ipse deferre volebat, dicendi potestate accepta, postulauit, vt si bi nomen eius deferre liceret: qua re impetrata nomen detulit. Nomine recepto, atque à scribis iussu prætoris in tabulas relato, ille reus est dictus. Ita primum præcessit in Ius vocatio, deinde postulatio, tum nominis delatio, ad extremum inde sequuta est accusatio. His de rebus in vniuersum agendis præter antiqui moris obseruationem duæ leges celebrantur, vetustior vna Memmia, quam volunt eandem esse cum ea, quæ in Pandectis Remnia dicitur, quam commemorat Valerius, alteram recentior em Iuliam Augusti, quæ in Pandectis Iulia publicorum Iudiciorum vocatur. Agamus ordinatim de singulis.

## De in Ius vocatione. CAP. VIII.



**E**T ERVM in ius vocatio ita locum habuit, si ille, cui negotium parabatur, in vrbe fuit. habuit enim, vt puto, prehensionem, & educationem perinde, atque in priuato iudicio. Quod ostendit Seneca libro IIII controuersiarum: *Subinde nactus eum, in Ius ad prætorem voco, & postulauit, vt prætor nomen eius reciperet, lege inscripti maleficij. ad alterum prætorem eduksi & Ingrati postulauit*. Item in Ludo: *Ducit illum ante tribunal Acaci. is lege Cornelia, quæ de sicarijs est, quærebat*. Indicat etiam Macer D. de accusationibus, cum scribit, *qui sunt in magistratu accusari non posse, quia sine fraude in Ius euocari non possunt*. In ipsa vero vocatione eadem obseruata esse in iudicio publico, quæ in priuato seruata sunt, videtur verisimile.

## De postulatione. CAP. IX.



**V**T autem in iudicio priuato aduersario in Ius vocato postulabatur à prætore, vt sibi liceret actionem intendere, sic in publico postulabatur, vt sibi liceret nomen deferre. Testis est Cælius ad Ciceronem: *Illud mihi occurrit, quod inter postulationem, & nominis delationem vxor à Dolabella discessit*. & Cicero in Diuinatione: *L. Piso delationem nominis in P. Gabinium postulauit, & contra Cælius petijt. & ad fratrem: Cum de ambitu Gabiniij vellet postulare, neque prætores diebus aliquot adiri possent, vel potestatem sui facerent, in concionem ascendit*. Item Seneca in Ludo: *Ducit illum ante tribunal Acaci. is lege Cornelia, quæ de sicarijs est, quærebat. postulat nomen eius recipi*. Postulatio vero fiebat non solum præsentem, sed etiam absentem illo, in quem fiebat. vt Cicero ostendit scribens ad fratrem, cum Gabinium, postquam accessit ad urbem, nec dum ingressum, à Lentulis de maiestate postulatam nunciat. item Cælius ad Ciceronem: *Appius à Dolabella reus factus, sanequam non ea, qua existimaueram, inuidia, neque enim stulte. Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abiecerat*. Item M. Antonium Valerius libro III postulatam scribit, cum esset Brundusij.

Neque vero leges potestatem temere concesserunt, vt quicumque postulare, aut quicumque postulari possent. Scribit Macer D. de accusationibus: *Qui accusare*

sare possunt, intelligemus, si scierimus, qui non possunt. Itaque prohibentur accusare alij propter sexum, vel etatem, ut mulier, ut pupillus; alij propter sacramentum, ut qui stipendium merent; alij propter magistratum, potestatemve, in qua agentes sine fraude in Ius euocari non possunt; alij propter delictum proprium, ut infames; alij propter turpem quaestum, ut qui duo iudicia aduersus duos reos subscripta habent, nummosq; ob accusandum vel non accusandum acceperint; alij propter conditionem suam, ut libertini contra patronos. Quod autem scriptum est de muliere, idem tradidit eodem tit. Pomponius, sed cum aliqua exceptione. Non est permissum mulieri publico iudicio quengquam reum facere, nisi scilicet parentium, liberorumq; & patroni, & patrona, & eorum filij, filiae, nepotis mortem exequantur. Item de pupillis Papinianus: Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupillae aui sui mortem exequi concessum est.

Quae vero de iis, qui accusare non potuerunt, à Iuriscōsultis scripta sunt, ea ex legibus singulis de quoque crimine sumpta sunt. Neque vero solum leges praescripisse videntur, qui postulare nō possent, sed etiam ipsi praetores pro potestate multos à postulatione videntur repulisse. ut quaestores, ne praetorum suorum nomina deferrent, propter necessitudinem, quae inter illos intercedebat. siquidem dixit Cicero in Diuinatione: *L. Philoni in C. Seruilius nominis deferendi potestas non est data, neque Scauro in Flaccum, neque Pompeio in Albutium; ne libido violanda necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur.* Eadem ratione nō omnes postulari poterant. primum non magistratus; deinde nō ij, qui reip. causa abfuit. De magistratibus notū est illud libro x l v apud Liuium, vbi Seruilius reprehendit Galbam, quod si nocere Paulo voluit, non postridie, quam triumphauit, cum primum eum priuatum visurus esset, legibus interrogarit. De iis, qui reip. causa abessent, lex Memmia sanxit, cuius Valerius libro tertio meminit: *M. Antonius quaestor proficiscens in Asiam Brundisium iam peruenerat, vbi litteris certior factus incesti se postulat apud L. Cassium praetorem, cum id vitare beneficio legis Memmiae liceret, quae eorum, qui reip. causa abessent, recipi nomina vetabat, in urbem tamen recurrit.*

Satis etiam constat, apud Romanos accusationis munus probro fuisse. laudem tamen attulisse iis, cui, ut inquit Cicero in secundo de officiis, aut reip. causa, aut patrocini gratia, aut paternarum, aut propriarum inimicitiarum causa ad accusationem accederent. eamque rem summo honori adolescentibus fuisse. quod etiam in Lucullo scripsit Plutarchus.

Iam vero in causa repetundarum illud praecipue obseruatum est, ut populi qui repeterent pecuniam, ac spoliatos se per legatos quererentur, patronos quoque nominandi potestatem postulerent. Liuius libro x l i i i: *Anno d c l x x i i i l. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, à quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosq; quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est S. C. iusque nominare patronos, quattuor nominauerunt.* Et Cicero in primo de oratore: *Vt ille Siculus, cui Scipio praetor dabat patronum causae hospitum suum.* Itaque in Legibus de pecuniis repetundis praecipue sanctum est de patronis dandis, & repudiandis. Hi vero, qui sociorum patroni fuerunt, reorum accusatores extiterunt.

Saepe etiam euenit, ut duo, aut plures non solum in causa repetundarum, sed etiam ambitus, & aliorum criminum accusationem sibi deposcerent. Quod cum accidit, tum iudicium factum est, vter deberet nomen deferre. Quod Vlpianus ostendit D. de accusationibus: *Si plures existant, inquit, qui in iudicijs publicis accusare volunt, iudex eligere debet eum, qui accuset. causa scilicet cognita, aestimatis accusationum personis, vel de dignitate, vel ex eo, quod interest, vel etate, vel moribus, vel alia iusta de causa.* Hoc autem iudicium Diuinationem dixerunt. Diuinatione

porro

porro dicta est, teste Asconio, quia non de facto quaeritur, sed de futuro, vter debeat accusare. alij putant diuinationem dici, quod iniurati iudices in hac causa sedeant, & quod velint praesentire de vtroque possint. alij, quod res agatur sine testibus, & sine tabulis, & bis remotis argumenta sola sequantur iudices, & quasi diuinent. Gellius autem libro i i ita scribit: *Cum de constituendo accusatore quaeritur, iudiciumq; super ea re redditum, cui nam potissimum ex duobus pluribusve accusatio, subscriptio de in reum permittatur, ea res, atque iudicium cognitio Diuinatione appellatur. Bassus Diuinatione, inquit, iudicium appellatur, quoniam diuinare quodammodo iudicem oporteat, quam sententiam se se ferre par sit. & quae sequuntur. Quale autem hoc iudicium fuerit, facile ipsa Ciceronis in Verrem Diuinatione, in qua cum Cæcilio disputat, potest docere. Meminit item Diuinationis Asconius in Milonianam: Diuinatione de ambitu accusatorum facta est quaestore A. Torquato.*

Ex multis autem accusatoribus, qui primas egit, is accusator est dictus, qui secundas, & tertias, Subscriptor. Hic vero, ut inquit Asconius, *accusatorem adiuvare est solitus.* Horum autem meminit Nepos in vita Attici: *Neminem neq; suo nomine, neque subscribens accusauit.* Asconius in Cornelianam: *Cornelium reum duo fratres Cominij lege Cornelia de maiestate fecerunt. detulit nomen Publius, subscripsit Caius.* item in Scaurianam: *M. Scaurus à P. Valerio postulatus est apud M. Catonem praetorem repetundarum. subscriperunt Triario in Scaurum L. Marius, & Pacuuij fratres.* Cicero in Verrem: *Ei, qui istius quaestor fuisse, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, cum id postularet, fecerunt potestatem.* Item: *Quartum subscriptorem quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege oratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuiusque vos delationem dedissetis.* Plutarchus etiam in Catone maiore scribit, legem fuisse, ut reus accusatori daret custodem ad obseruandam accusationem eius. Tamen cum Cicero dixisset de Cæcilio, *Custodem Tullio me apponite,* Asconius interpretatus est, custodem accusationis subscriptorem.

De nominis delatione.

C. A. P. X.



**D**E inde constituta venerunt in Ius Accusator, & is, qui accusatio parabatur, ac praesente praetore delatio nominis facta est. Primum autem Accusator calumniam iurauit, deinde nomen detulit. Iura re calumniam fuit, solemne iurandum concipere, se non calumniandi causa nomen delaturū esse. Liuius libro x l i i i: *Si delut accusatores calumniam in eum iurarent, nomenque deferrent.* Coelius: *De diuinatione Appius, cum calumniam iurasset, contendere ausus non est, Pilioq; cessit.* Asconius in Cornelianam: *Metellus bis iurauit, Curionem accusaturum, semel adactus à patre, iterum lege, tum cum calumniam iurauit.* Hoc in lege Sexuilia deiurare calumniam dicitur.

Quonia autem idem est Delatio nominis in iudicio publico, quod in priuato Intentio litis, verisimile est, easdem formulas actionum, quo ad res passa est, obseruatas. Nempe qui vadimonium promiserat, dixit. *Eccce me, sisto me, & tu sistite te. quid ais?* cui accusator respondit: *Aio, te peccasse contra legem hanc vel illam.* Hoc innuit Liuius libro i i i i: *Vocat te, inquit, dictator. Cum ille quaereres, quid vellet? Seruilius, causam et dicendam esse proposuit, crimenque à Minucio delationem diluendum.* Formula vero intentionis eadem ferè in omnibus criminibus fuit. In crimine certe repetundarum talis fuit: *Aio, te in pratura spoliaste Siculos contra legem Corneliam, atque eo nomine sestertium milles à te repeto.* sic enim inquit Cicero: *Sicilia tota, si vna voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit, quod ius in vnaquaque re beneficio senatus, populique Ro. habui, id mihi tu C. Verres eripuisti, atque abstulisti. que nomi*

ne



ne abs te sestertium millies ex lege repeto. quoniam id non potest, harum rerū actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit. In peculatu ita: Aio, te pecuniam publicam, cum quaestor esses, auertisse, & falsas ad ararium rationes retulisse. atque eo nomine sestertium quingenties à te repeto. in ambitu ita: Aio te in petendo consulatu pecuniam dedisse tribubus, prandia, locum gladiatoribus contra legem Tulliam, atque poenam, quae lege continetur, à te repeto. Quod si ille aut tacuisset, aut confessus esset, tum in repetundarum crimine lis aestimabatur, ut victo, aut poena repetebatur: si inficiatus esset, postulabatur, ut nomen inter reos reciperetur, ac delatio nominis scribebatur, & tempus inquirendi postulabatur. Qui vero hoc faciebat, is dicebatur, Reum facere, & legibus interrogare. Asconius, Reum fieri, inquit, est apud praetorem legibus interrogari. cum in ius ventum esset, dicebat accusator apud praetorem reo: Aio, te Siculos spoliasse. si tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victo; si negasset, petebatur à magistratu dies inquirendorum eius criminum, & instituebatur accusatio. Cicero pro domo: Quis me unquam vlla lege interrogauit? quis postulauit? & Sallustius: Autronius, & Sylla legibus ambitus interrogati sunt. Item: Ipse Plautia lege interrogatus erat ab L. Paullo. & Liuius libro XLV: Cur non postero die, quam triumphasset, cum priuatum eum visurus esset, nomen deferret, & legibus interrogaret? Ut autem in iudicio priuato petere, & repetere pecuniam dicebatur actor, sic in publico petere, & repetere multam, & poenam accusator. Cicero pro Cluentio: Vno iudicio multa petita est, quod iudex ex lege non sedisset, & in III in Verrem: Petita multa est apud istum praetorem à Q. Opimio, quod, cum esset tribunus pl. intercessisset contra legem Corneliam. Itaque intentio tum his verbis formari potuit: Aio, te, cum esses tribunus pl. intercessisset contra legem Corneliam, & eo nomine à te multam talem peto. In libris etiam de Inuentione dixit poenas ab reo petere, & in legibus: Plus poenarum habui, quam petui. Inde fluxit, ut repetere poenas ab inimicis dicamus, cum eos vlciscimur, translatione è iudicio deriuata. Vbi vero voce res peracta erat, tum vero ad scriptum veniebatur, ac crimen, quod obiiciebatur, libello subscriptum relinquebatur. Subscriptionem autem libelli ita conceptam docet Vlp. D. de accusatoribus: Si cui crimen obiiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio. quae res ad id inuenta est, ne facile quis profiliat ad accusationem, cum sciat inultam sibi accusationem non futuram. caueant itaque singuli, quod crimen obiiciant. Item Paulus: Consul, & dies apud illum praetorem. L. Titius professus est, se Mauiam lege Iulia de adulterijs deferre, quod dicat eam cum C. Seio in ciuitate illa, domo illius, mense illo, consulibus illis adulterium commississe. Hinc Asconius in Milonianam: Apud Consulum quaestorem lege Plautia de vi accusat subscriptione ea, quod loca occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. & Cicero pro Cluentio: In compluribus rejs, quos contra leges pecunias accepisse subscriptum est. Ex quibus intelligitur, accusatoris & voce, & libello omnia, & singula, quibus reus legem illam, quam nominasset, transgressus esset, esse complexum. ut in pecunijs repetundis, abstulisse, inique iudicasse, supplicia de ciuibus Ro. sumpsisse, aut alia, quae se probare aduersus illum posse confideret.

Vbi vero nomen eius hoc modo detulerat, postulabat, ut reciperetur, id est ut in tabulas inter reos referretur. Praetor enim hoc ius habebat, ut recipere, & non recipere posset. Seneca in Iudo: Postulat nomen recipi, edit subscriptionem, occisos senatores triginta. Coelius ad Ciceronem: Nec L. Aterensis praetor postulante Paulania, quod ea pecunia peruenerat, nomen recipere voluit. Erant autem crimina quaedam, quae propter atrocitatem, ac magnitudinem suam extra ordinem accipiebantur, ut parricidij, & de vi. Cicero in Rhetoricis: Cum benefici cuiusdam nomen esset delatum, & quia parricidij causa subscripta esset, extra ordinem esset acceptum. & pro Coelio inquit, Legem Plautiam de vi queri quotidie voluisse. Ex quo apparet, nomen etiam rei de vi extra ordinem acceptum esse. Vnde dixit Coelius: Faccius Rufum accusatorem suum post ludos Romanos reum fecit lege Plotia de vi, hoc consilio

lio, quod videbatur, si extraordinarius nemo reus accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam, i. ne causam diceret hoc anno, quo reus erat factus, accusauit de vi accusatorem suum, id est eius criminis fecit reum, quod quanuis post se esset delatum, tamen quia extra ordinem esset acceptum, etiam extra ordinem, nimirum ante suum iudicium, esset cognoscendum.

Recepto autem vel ordine, vel extra ordinem rei nomine praetor certam diem, qua accusator, & reus ad iudicium adessent, constituebat. Is dies in alijs legibus decimus, in alijs tricesimus fuit. Asconius in Cornelianam: Detulit nomen Publius, subscripsit Caius. & cum L. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset. Cicero in Vatiniū: Quero de te, postulatus ne sis lege Licinia, Iunia? edixerit ne C. Memmius praetor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? In crimine autem repetundarum accusator diem longiorem ad inquirendum poposcit. Vnde Asconius: Cicero causa Verri ad se traducta inquisitionis aduersus Verrem tempus postulauit dies centum decem. Item: Pacuuij accusatores in Scaurum inquisitionem in Sardiniam, itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt. Item: Scaurus Capionem contra reum detulit, & breuiore die inquisitionis accepta effecit, ut ille prior causam diceret.

His rebus actis reus vestem mutauit, & patronos conquisiuit. De veste haec ratio fuit. Toga alba deposita atram induit, & barbam, capillumque promisit, squalorēque contraxit. Narrat Gellius libro III, Scipionem Aemilianum, cum esset reus, neque barbam desisse radi, neque non candida veste uti, neque fuisse solito cultu reorum. Plutarchus item scribit, Macrum, cum se putaret absolutum, vestem resumpsisse, & caput rasisse. Valerius libro VI, Rutilium reum ait, neque obsoletam vestem induisse, nec insignia senatoris deposuisse, nec supplices ad genua iudicij manus tetendisse.

De patronis haec accepimus. Scribit Asconius, ante bellum civile Caesaris raro quenquam pluribus, quam quattuor patronis esse usum. post bella vero ciuilia ante legem Iuliam vsque ad duodenos patronos esse peruentum. Defensorum porro idem, ut supra diximus, quattuor genera facit, quorum patronum eum vocat, qui orator esset, & voce causam orandam susciperet, & sese accusatori opponeret. In his iudicijs non licuisse tribunos plebis appellare, significat Cicero in Vatiniā: Quero, postulatus ne sis lege Licinia, & Iunia? edixerit ne C. Memmius praetor ex ea lege, ut adesses die tricesimo? cum is dies venisset, feceris ne, quod in hac rep. non modo factum ante nunquam, sed in omni memoria sit inauditum, appellaris ne tribunos pl. ne causam diceres?

De citando accusatore, & reo.

CAP. XI.



QUONIAM autem saepe accidit, ut perficiendi iudicij causa accusator, & reus citandus fuerit, deinceps antequam ad alia veniamus, quid in ea re obseruatum sit, videamus. Quoties igitur dies constituta alicui actioni à praetore accessit, si praetor adesse non potuit, rem in alium diem differendi ius habuit. Asconius: Cum Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset accusatores, eoque die ipse non affuisset, seu auocatus propter frumenti publici curam, seu gratificans reo, circumuenti sunt accusatores ante tribunal eius. Si affuit, accusatores, & reum, & patronos citari per praetorem iussit. Tum vero, si accusatores non affuerunt, nomen rei ex reis exemptum est, si reus non accessit, absens damnatus est. Asconius eodem in loco: Postero die, cum Cassius assedisset, & citati accusatores non adessent, exemptum est nomen de reis Cornelij. Cicero in Verrem: Omnis mea festinatio fuit ob eam causam, ne tu ex reis eximerere, si ego ad diem non affuissem. Asconius in Milonianam: Milo postero die factus reus ambitus apud Torquatum absens damnatus est.

Etiam illa causa cognitionis differendae fuit, si extraordinarius aliquis reus es-

Q set

set delatus. de qua paullo ante diximus. Item si qua caussa cum ea, quæ agebatur, coniuncta in iudicium esset adducta. nam propter coniunctionem, & quasi affinitatem eam ante ordinarias peragi voluerunt. vt Cicero pro Cluentio: *Fabricium statim reum fecit, atque vt ei locus primus constitueretur propter causæ coniunctionem, impetrauit.*

## De iudicibus legendis.

CAP. XII.



**V**I vero prætor affederat, & accusatores, reus, & patroni prodierant, de iudicibus legendis agebatur. quod munus plerunque Iudici quæstionis assignabatur. Numerus autem iudicum legebatur, qui à lege erat præscriptus, qua iudicium illud exercebatur, & quo modo erat præscriptum. Modus autem fuit duplex, sortitio, & editio. Sortitio fuit eiusmodi. Prætor, aut iudex quæstionis in urnam coniciebat omnes iudices selectos, id est qui ad iudicia eius anni à prætoribus ex lege fuerant delecti; ac forte eum numerum educebat, quem lex ipsa præscribebat. Quo facto dabatur potestas reo, & accusatori reiiciendi, quos parum sibi putarent idoneos. in locum vero reiectorum alios siue prætor, siue iudex quæstionis subfortiebatur. Quem morem his verbis exponit Aconius: *Cum multi iudices in consilio cum prætore suo iudicaturi essent, qui quæstor fuisset in causa publica, necesse fuerat, eos primum de curia senatoria conscribi, cum senatus iudicaret, deinde in urnam mitti, vt de pluribus necessarius numerus sortito confici posset; tertio permitti accusatori, & reo, vt ex illo numero reiiciant, quos putauerint, sibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore. Reiectione celebrata in eorum locum, qui reiecti fuerant, subfortiebatur prætor alios, quibus ille iudicum numerus legitimus completeretur.* & alibi: *Sortitus erat iudices prætor Verres in eorum locum, vt mos est, aliorum.* Quibus verbis ostendit, hanc lectionem multarum adeo legum, ac quæstionum fuisse, vt more facta dicatur. In hac tamen re variatum esse vi legum, satis postea apparebit. Reiectionis item meminit Cicero pro Sylla: *Vos re interposita nihil suspicantibus nobis repentini in nos iudices confediistis ab accusatoribus delecti ad spem acerbitatis.* Item: *Vestra virtutis est, declarare, non esse eos nos, ad quos potissimum interposita reiectione deuenire conuenerit.* Sed de reiectione Cicero plura in tertia in Verrem. De editione mentio fit in lege Seruilia Glaucix, qua iubetur, vt actor ex C D L iudicibus centum edat, reus ex centum edat quinquaginta. sic autem scriptum est: *Prætor, ad quem nomen delatum erit, facito, vti is die vicesimo ex eo die, quo cuiusque quisque nomen detulerit, centum viros ex eis, qui ex hac lege quadringenti quinquaginta viri in eum annum lecti erunt, legat, edatque. Quos is centum viros ex hac lege ediderit, de eis ita facito, iuret palam apud se coram, se eos scientem dolo malo non legisse. Vbi is ita Centum viros ediderit, iurariq; tum eis facito, vt is vnde petetur, die vicesimo, postquam nomen eius delatum erit, quos centum is, qui petet, ex hac lege ediderit, de eis iudices quinquaginta legat, edatque.* Eadem ratione lex Licinia de fodalitiis potestatem dedit accusatori edendi iudices reo, verum non ex delectis ad iudicandum, sed ex vniuerso populo. Qua de re conqueritur Cicero pro Plancio: *Nos neque ex delectis iudicibus ad iudicandum, sed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, vt neminem reiiciamus?*

Hac re transacta iudices lecti citabantur, quique adesse non poterat, excusationem afferebat. Cicero in v Philippica: *Quero, si Lysitades citatus iudex non responderit, accipiet ne excusationem is, qui quæstioni præerit?* Qui vero accedebant, & iudicium accipiebant, ij iurandum suscipiebant, atque eorum nomina inscripta in arcis reponerentur. Ex quo scripsit Aconius: *Subscriptione perfecta iurabant in leges iudices, vt obstricti religione iudicarent. Cum iurassent omnes præter ipsum prætorem,*

*tozem, nomina eorum libellis consignabatur, ne pro selectis iudicibus, vt fit in multitudi-  
dine, aliqui suppositi corruptissime iudicarent.* Addit vero alibi: *Facile vero pro veris  
iudicibus improbi supponi poterant volente hoc iudice quæstionis, & illis patientibus,  
qui non veri iudices erant, quia nisi citati non confidebant. & graue onus erat, & in-  
commodum iudicare.* Iurasse autem eo modo, quo iudices priuatarum caussarum,  
facile existimauerim.

## De prima actione.

CAP. XIII.



**I**S actis inde cognoscendæ causæ opera dari est cœpta. Cognitio vero ferme omnis in duas actiones diuisa fuit, primam, & secundam; quarum secunda à comperendinatione manauit in iis caussis, in quibus comperendinatio est permessa. vtraque vero actio accusacionem, & defensionem complexa est. Quoniam autem accusatio testimoniiis maxime nitetur, propterea prius de testimoniorum ratione, deinde de accusacione, agamus.

Testimoniorum nomine omnes probationes extrinsecus sumptæ sunt appellatæ, quæ etiam expertes artis ab iis, qui de artificio oratorio scripserunt, sunt dictæ. Hæc vero in tres potissimum partes tributa sunt, quæstiones, testes, & tabulas. De quibus singulis separatim est disputandum. Nam in his maxime studium accusatoris fuit collocatum. atque earum, & eiusmodi rerum parandarum gratia dies aliquot post nominis delationem ad inquirendum sumptæ sunt. quod maxime in lege repetundarum est obseruatum. Quanquam nõ omnia crimina iisdem testimoniis confirmata sunt. Nam cædes quæstionibus, & testibus probata est, tabularum fidem non desiderauit. repetundæ & peculatus testes, & tabulas poposcerunt, quæstiones repudiarunt. maiestas autem, & ambitus solis etiam testibus fuit contenta.

## De quæstionibus.

CAP. XIII.



**Q**UÆSTIONES fuerunt testimonia seruorum vi tormentorum expressa. Itaque propria accusatoris fuerunt, vt reum ex dictis seruorum conuinceret. Itaque accusator, vbi primum quæstor cum iudicibus affedit, seruos rei in quæstionem postulare consuevit, & ab eo datos in tormentis habere. Aconius: *Damianus quæstor Milonem de vi reum adesse iussit apud Domitium. Appius accusator postulauit à Milone seruos exhiberi numero LIIII, & cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum pronunciauit, vt ex seruorum eorum numero, accusator, quot vellet, ederet.* Ceterum serui contra dominos torqueri non poterant, excepta causa incestus, & coniurationis. Cicero pro Deiotaro: *Cum more maiorum de seruo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, exortus est seruus, qui quem in eculo appellare non posset, cum accuset solutus.* & in Partitionibus: *Nostri maiores cum de seruis in dominos quæri nolissent, de incestu tamen, & coniuratione, quæ facta me consule est, quærendum putarunt.* Ob eam causam Minucia virgo Vestalis probri infimulata, teste Liuius libro VIII, decreto pontificis iussa est, *sacris abstinere, familiamq; in potestate habere.* nimirum, quod in causâ incestus serui torqueri in caput domini possent. Ceterum ratio quærendi qualis fuerit, pro Cluentio Cicero ostendit: *De Stratone, inquit, & de affecta quodam seruo suo quæsturum se dixit. præterea seruum illum Nicostratum ab Oppianico in quæstionem postulauit. hic, cum esset illo tempore puer, nihil ausus est recusare. aduocatur amici Oppianici, & ipsius mulieris. tormentis omnibus vehementissime quæritur. cū essent animi seruorum, & spe, & metu tentati, vt aliquid in quæstione dicerent, tamen auctoritate aduocatorum, & vi tormentorum adducti in veritate manserunt. nec se quidquam*

scire dixerunt, quæstio illo die de amicorum sententia dimissa est. Satis longo interuallo iam iterum aduocatur. habetur de integro quæstio. nulla vis tormentorum acerrimorum præmittitur. auersari aduocati, & iam dix ferre posse. cum iam tortor, atque ipsa essent tormenta defessa, quidam ex aduocatis intelligere se dixit, non id agi, ut verum inueniretur, sed ut aliquid falsi dicere cogentur. hoc postquam ceteri comprobauerunt, ex omnium sententia constitutum est, satis videri esse quæsitum. Item pro Milone: Sed quæstiones vrgent Milonem, quæ sunt habitæ in atrio Libertatis. quibusnam de seruis? rogas? de P. Clodij. quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. vnde? ab Appio. dij boni, quid potest agi seuerius? age vero, quæ erat, aut qualis quæstio? heus vbi Ruscio, vbi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit, certa crux. nullas fecit, sperata libertas. quid hac quæstione certius? subito arrepti in quæstionem tamen separantur à ceteris, & in arcas conijciuntur, ne quis cum eis colloqui possit. hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quæstione dici potest integrius? Quæstione habita, & in tabulas relata, tabulæ obliuabantur, ut ibidem dixit Cicero: Nam tabellæ quæstionis plures proferuntur, quæ recitatae, vobisq; editæ sunt ille ipse, quas tum obliuatas esse dixit. Quæstio autem habita est in eucleo. de quo post dicam.

## De testibus,

CAP. XV.



VAESTIONIBVS cognitis testes sunt attingēdi. Hi liberi homines fuerunt, qui testimonium extra tormenta dixerunt. Quoniam autem non omnibus dicere testimonium licuit, propterea ante de testium conditione quærendum est. Callistratus D. de Testibus: Testium fides diligenter examinanda est. ideoq; in persona eorum exploranda erunt in primis conditio cuiusque, vtrum quis decurio, an plebeius sit, & an honestæ, & inculpatae vitæ, an vero notatus, & reprehensibilis, an locuples, vel egens sit, ut lucri causa quid facile admitat, vel an inimicus ei sit, aduersus quem testimonium fert, vel amicus ei sit, pro quo testimonium dat. nam si careat suspitione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit, vel propter causam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiae causa sit, dimittendus est. Arcadius ibidem: Testimoniorum vsus frequens, ac necessarius est, & ab ijs præcipue exigendus, quorum fides non vacillat. Adhiberi quoque testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniarijs litibus, sicubi res postulat, & ij, quibus non interdicitur testimonium, nec vlla lege à dicendo testimonio excusantur. item Papinianus: Quæsitum scio, an in publicis iudicijs calumniæ damnati testimonium perhibere possint, sed neque lege Remmia prohibentur, & lex Iulia de vi, repetundarū, & peculatus eos homines testimonium dicere non vetuerunt. De iis, qui testimonium dicere non potuerunt, lex XII tabularum loquuta est, verba quædam sunt apud Gellium libro xv. Cap. XIII: Quæ si testator erit, libripensve fuerit, ne testimonium feratur, improbus, intestabilisq; esto. quorum verborum prima adeo lacera sunt, ut sanari non possint. sunt qui ita emendent: Qui se scierit testari, libripensve fuerit, ne testimonium feratur, improbus, intestabilisq; esto. quo loco testari volunt esse testem adhiberi, posteriora vero declarantur ab eodem libro vi. cap. vii: Tarratiam, inquit, virginem Vestæ fuisse, lex Horatia testis est, quæ super ea ad populum lata. quæ lege ei plurimi honores fiunt, inter quos ius quoque testimonij dicendi tribuitur. testabilisq; vna omnium feminarum ut sit, datur. id verbum est ipsius legis Horatiæ. Contrarium est in XII tabulis scriptum. Improbus, intestabilisq; esto. Intestabilis autem est, ut inquit Caius, & qui lege iubetur, ne eius testimonium recipiatur, neve ipsi dicatur testimonium. Testium porro illa diuisio fuit, ut alij testimonium sponte dicerent, alij inuiti. his lex iubeat, ut testimonium denunciaretur ab accusatore, qui uti eorum testimonio cupiebat. quam intellexit Valerius libro VIII: Scantus, inquit,

inquit, adeo perditam defensionem in iudicium attulit, ut accusator diceret, lege sibi centum, atque viginti hominibus denunciare testimonium licere. & Cicero in Verrem: Non putasti, me in hanc rem tuis familiarissimis testimonia denunciaturum. Paulus D. de testibus: Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denunciatur, ut testimonium dicat aduersus socerum, generum, vitricum, priuignum, sobrinum, sobrino matris, eosq; qui propiore gradu sunt, item ne liberto ipsius, liberorum eius, parentum, viri, vxoris, item patroni, patronæ, & ne patroni, patronæ aduersus liberos, neque liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere. Papinianus D. de accusationibus: Certis de causis concessa est mulieribus publica accusatio, veluti si mortem exequantur eorum, earumq; in quos lege publicorum testimonium inuitæ non dicunt. De his testibus, si testimonium dicere respuissent, sic scriptum erat in XII: Cui testimonium defuerit, is tertijs diebus ob portum obuagulatum ito. i. si quis, cui testimonium denunciatum sit, ipsum testimonium deseruerit, tum ad ædes eius ad dicendum conuicium ito. Portus enim ibi est domus, obuagulare conuicium dicere, teste Festo. Quoniam vero testes protulit, & accusator, & defensor, inuitos quidem accusator, voluntarios vterque, diligenter, quemadmodum eos interrogarent, animaduertere debuerunt. fuit enim in interrogando teste summa industriæ oratoriæ laus posita. Itaq; Quintilianus sic scripsit, vbi agit de Testibus: Quoniã duo genera sunt testium, vnum voluntariorum, alterum eorum, quibus iudex in publicis iudicijs lege denunciare solet. quorum altero vtraque pars vitur; alterum accusatoribus tantum concessum est; qui voluntarium producit, scire, quid is dicturus sit, potest, ideoq; faciliorem videtur habere in rogando rationem. Sed hæc quoque pars acumen, & vigilantiam poscit. prouidendumq; ne timidus, ne inconstans, ne imprudens sit testis. turbantur enim, & à patronis diuersæ partis inducuntur in laqueum. & post multa: At in eo, qui verum inuitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est, extorquere quod is noluerit. Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. respondebit enim quæ nocere causæ non arbitrabitur. ibique de tota ratione interrogandorum ab vtraque parte testium pluribus, ac subtilius agit. In eandem vero etiam sententiam hæc scripta sunt ab Aconio: Tenere debemus interrogationes testium & accusatoris, & defensoris fuisse, & eius, qui producit, & eius contra quem producantur. Item à Cicerone pro Flacco. An quisquam esse testis potest, quem accusator sine cura interroget, nec metuat, ne sibi aliquid, quod ipse nolit, respondeat? vbi est igitur illa laus oratoris, quæ vel in accusatore antea, vel in patrono spectari solebat? Bene testem interrogauit, callide accessit, reprehendit, quo voluit, adduxit. conuicit, & elinguem reddidit? Item: Inuidisti ingenio subscriptoris tui, quod ornabat facile locum, quem prebenderat, & acute testes interrogabat. Formula vero interrogandi testis fuit: Quæro de te, arbitreris ne? Liuius: Sexte Tempani, quæro de te, arbitreris ne, C. Sempronium consulem in tempore pugnam inisse? Ipsi vero testes respondebant iurati, respondentisque dicebant: Arbitror. Aconius: Religione adducti testes à Cicerone dicuntur, quia iurati testes produci solent, non solum ne falsa dicant, verum etiam, ne quæ vera sint, taceant. Cicero in Lucullo: Maiores nostri voluerunt, ut qui testimonium diceret, arbitrari se diceret etiam, quod ipse vidisset. & pro Fonteio: Primum illud verbum consideratissimum nostæ consuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tunc vitimur, cum ea dicimus iurati, quæ comverta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio sustulit. Ceterum interrogatio testium ipsam accusationem præcessit. id quod cum alijs legibus cautum est, tum Pompeia de vi. de qua Aconius in Milonianam: Apud Domitium quæsitorem de vi Appius accusator postulauit à Milone seruos exhiberi numero quattuor, & quinquaginta. & cum ille negaret, eos, qui nominabantur, in sua potestate esse, Domitius ex sententia iudicum pronunciauit, ut ex seruorum eorum numero accusator, quot vellet, ederet. citari deinde testes secundum legem, quæ iubeat, ut prius, quam causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum iudices consignarent, quarta die adesse omnes in posterum iuberentur.

beretur. primo die datus erat in Milonem testis Casinius. quem cum interrogare M. Marcellus cepisset, tumultu Clodianæ multitudinis exterritus est. testimonium alij diebus dixere alij. dimissum iudicium est. Aliæ leges post causam actam testes dari voluerunt, vt lege Cornelia de repetendis in Verrem Cicero. Addit Quintilianus, testimonia aut à præsentibus dicta, aut per tabulas. simpliciorum fuisse contra tabulas pugnam. Nam & minus videtur, inquit, obstitisse pudor inter paucos signatores, & pro diffidentia premitur absentia. si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Adiecit illud etiam, sæpe contigisse, vt testes laudare opus esset. cuius rei ratio ex artificio oratorio repetenda fuit. Non omittendum est illud etiam, quod est apud Isidorum de testibus alligatis: *Testes sunt, à quibus queritur veritas in iudicio, quos quisque ante iudicium sibi placitis alligat, ne cui sit postea liberum, aut dissimulare, aut subtrahere se, & alligati appellantur.* Itaque Cicero scripsit ad fratrem: *Nerius index edidit ad alligatos, Cn. Lentulum & C. Cornelium.*

## De tabulis.

CAP. XVI.



ABVLARVM vero nomine omne genus scripturarum appellabant, quo causam confirmare suam possent. In primis autem erant tabulæ dati, & expensæ, quas accusator à reo postulabat in certis causis, vt repetendarum, & peculatus. de quibus sic Asconius, *Moris fuit, vnumquæque domesticam rationem sibi totius vitæ suæ per dies singulos scribere, ex qua appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fœnore, lucròve seposuisset, quòque die, & quid item sumptus, damniue fecisset. sed postquam ob signandis litteris reorum ex suis quisque tabulis damnari cepit, ad nostram memoriam tota hæc consuetudo cessauit. Dicit igitur Tullius, habere se patris eius tabulas, quoad vixit, & ipsius Verri, quoad confecisse dixit. ex quibus proditur, quàm multæ tabulæ pictæ, quot signa apud eum nulla emptionis origine furto capta noscantur.* Hinc Cicero: *Cum ab eo tabulas postularem, vsque ad M. Terentium, & C. Casium consules, respondit confecisse, postea destitisse.* Item: *Negabat opus in acceptum referre posse, & causam in me conferebat, quod tum codicem ob signassem.* & pro Balbo: *Cum Q. Metellus causam de pecunijs repetendis diceret, & ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causa, audui fuisse iudicem ex illis equitibus Rom. quin remoueret oculos, & se totum auerteret, ne forte quod ille in tabulas publicas rettulisset, dubitasse quisquam, verum ne, an falsum esset, videretur.* Fuerunt etiam tabulæ auctonariæ. in quibus argentarij, quarum rerum auctio futura esset, perscripserat. Cicero in Catilinam: *Meo beneficio tabulæ nouæ proferuntur, sed auctonariæ.* Quintilianus lib. xi: *Hortensius auctione dimissa, quod cuique vendidissent, testibus argentariorum tabulis reddidit.* Fuere etiam pactionales. in quas ob signatas pacta referebantur. Cicero in primo de oratore: *Tu mihi cum in circulo decipere aduersarij stipulatiuncula, & cum ob signas tabellas clientis tui, quibus in tabellis illud sit scriptum, quo ille capiatur, ego tibi vllam causam maiorem committendam putem?* Quin etiã litteræ, & syngraphæ omnes vno tabularum nomine comprehenduntur, ex quæ ab accusatore inquisitæ, & ob signatæ, ne corrumpentur, ad prætorem delatæ sunt, vt scribit Cicero pro Flacco, & in Tusculana v: *Tu quidem ob signatis tabellis agis mecum, & testificaris quod dixerim aliquando, aut scripserim.* Item tabulæ rationum relatarum, de quibus Festus: *R. R. duobus in compluribus orationibus, cum de actis differitur, perscribi solet, id est rationum relatarum, quod ijs tabulis docentur iudices, quæ publice data, atque accepta sint.*

De

## De Accusatione.

CAP. XVII.



QUESTIONIBVS, testibus, tabulisque, quæ ad accusationem afferbantur, explicitis, deinceps ipsam accusationem aggrediamur. Cum igitur die cognitionis prætor consilium aduocasset. atque citatus accusator, & reus adesset, tum accusator dicendi potestate accepta actionem instituit. quippe primis diebus crimina singula exposuit, atque ad extremum ea producendis testibus confirmauit. Itaque tota illa interrupta oratio fuit. deinde productis testibus alteram alio die orationem habuit, quæ perpetua fuit. Priorem orationem Cicero in Verrem dixit, sed ad singula crimina testes produxit, atque interrogauit. sic enim inquit: *Faciam hoc non nouum, sed ab ijs, qui nunc principes ciuitatis sunt, ante factum, vt testibus vtar statim. illud à me nouum iudices cognoscetis. quod ita testes constituam, vt crimen totum explicem. Vbi id argumentis, & ratione firmauero, tum testes interrogando ad crimen accommodo. vt nihil inter illam vsitatam accusationem, atque hanc nouam intersit, nisi quod in illa tunc, cum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur, vt illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendique sit. si quis erit, qui perpetuam orationem, accusationemque desideret, altera actione audiet.* atque hanc orationem ille Testium interrogationem vocauit. est autem ea, quæ proxime Diuinationem sequitur. Posteriores vero, quæ alio die accusator eandem causam retractabat, ac perpetua oratione declamatorio more reum insequabatur, criminæque testimoniis confirmata oratorie amplificabat, Cicero prætermisit. quod Verres, & patronus eius Hortensius testium multitudine territi defensionem sui reliquissent. Asconius: *Cicero, cum videretur id agi, vt à Glabrione prætore, & ab ijs iudicibus, qui tunc erant, ad alium annum aliamque prætorem res tota transfiret, eripereturque sibi reus patrocinio Hortensij, ac Metelli, qui tunc consules futuri erant, hoc commentus est rationis, vt orationem longam præmitteret, neque in criminibus declamatione cumulandis tempus absumeret, sed tantummodo citaret testes ad vnumquodque crimen expositum, & eos Hortensio interrogandos daret. qua arte ita est fatigatus Hortensius, vt nihil contra, quod diceret, inueniret. ipse etiam Verres desperato patrocinio sua sponte discederet in exilium.* Hæc igitur & longa, & perpetua oratio Accusatio dicta est. de qua pro Cælio: *Accusatio crimen desiderat, rem vt definiat, hominem vt notet, argumento probet, teste confirmet.* quam non vnus accusator peregit, sed partitis inter se muneribus multi. Eadẽ proœmia habuit ad odium, & inuidiam inflammandam composita. Narratio inde, si incidebat (neque enim omne crimen, vt ambitus, narrationem admittit) ad confirmationem fuit appositæ. vtraque vero, vt ad eum, qui iam rem tenebat, accommodabatur. Contentio non crimen illud solum, quod intendebatur, sed totius præteritæ vitæ criminationem complexa est. Itaque non solum testimonia adhibuerunt, sed etiam argumenta, id est ex ipsa re, & vita rei superiores sumptas coniecturas, suspiciones, & signa. omnemque eò industriam suam intenderunt, vt factum fuisse, quod intendebatur, ostenderent. id enim erat, in quo lex violata obiciebatur. contentioni inde peroratio grauis, & vehemens erat subiecta. Itaque Accusatio omnino nihil aliud fuit, quàm perpetua oratio ad crimina inferenda, atque augenda artificiose composita. Dixit autem accusator, quæ voluit, & per quot dies legis permisso voluit. Cicero pro Cluëtio: *Quo iure Actius, nempe accusator, quæ voluit, dixit? opinor, lege.* Asconius etiam viginti dies datos ad accusandum, & viginti ad defendendum, lege, opinor, Cornelia, scripsit.

Q 4

De



ACCUSATIONE perfecta patroni defensionem aggrediebantur, eo die, qui esset ex lege à prætoribus concessus. ut pro Cluentio: *Citatur reus, agitur causa paucis verbis accusat ut de re iudicata Canutius. incipit respondere Canutius.* Ceterum ut accusatores crimina inferenda, sic patroni diluenda partitis inter se munibus susceperunt. & quoniam tres erant defensionis arces, aut factum negare, aut nomen facti, aut iure factum probare, si, quod firmiter videbatur, factum negassent, ferme testes non dabant, sed orationem adhibebant, qua aut testes, tabulæque poscebant, aut qui producti erant, refutabant. Hoc docet Asconius cum inquit: *Testes tabulæque facti dari solent. ergo nihil profunt à parte defensoris. quid ergo fuit pro defensore? oratio scilicet. cuius potestatem non habuit Hortensius tacente accusatore.* Cicero pro Fonteio: *Flagito testes. plus ego in hac causa labori consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis.* item: *Cur eorum tabulae nulla proferuntur?* Quin etiam contra testes dixit in eadem, & pro Flacco, & pro Cornelio; & pro testibus contra tabulas pro Archia; contra quaestiones pro Milone. quanquam locus erat communis, atque anceps. extat etiam oratio in Vatinius, qua testem Vatinius ut inconstantem, & leuem infectatus est in causa Sextij; quæ interrogatio dicta est. Ut autem accusatori testimonia, sic defensori argumenta aptiora fuerunt, quæ rhetores in verisimilia, & signa distribuerunt. cuius rei clarissimum exemplum Miloniana suppeditabit. quod si de nomine facti aut de iure controversia fuit, tum aut subtilibus definitionibus, aut eruditio de iure siue absoluto, siue assumptiuo disputationibus negotium confecerunt. Erant autem quædam causæ, quæ commodissime inficiatione defendebantur, ut repetundarum, & ambitus; aliæ quæ definitione, ut maiestatis; quædam iure, ut cædes. primarum exemplum erit defensio Foteij, Flacci, Murenæ, & Plancij; secundarum Cornelij; tertiarum Miloniana. Quin etiã Gracchi, & Saturnini iure cæsi fuisse defensi sunt. Principia adhibebant ea, quibus incendium odij ab accusatore conflati restinguerent, & amorem iudicum reo reconciliarent. narrationes, cum incidere, ad defensionis rationes accommodabant, easque futuræ fidei seminarium statuebant. In contentione aut vitam rei, si probis affecta fuisset, purgabatur, aut si hominum opinione probata fuisset, pro argumento innocentiae proponebant. atque inde partibus accusationis singulis occurrebant, & vulnera ab accusatore facta sanabant. Perorationes vero eiusmodi adhibebant, ut iis misericordiam commouere contenderent. Cum autem multi dicerent, causa non uno die peragi poterat, sed ad multos traducebatur. Cicero quidem scribit, se per tres amplius dies Verrem accusasse, eundem vero Cornelium per quatrimum defendisse, tradit Asconius. Erant autem dies epilogorum, in quibus ad concitandam misericordiam paruuli etiam filij reorum producebantur. unde scripsit Asconius: *Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quod in filio Verri innociam ledat etatem, ignorantes illum accusatoria arte providere, ne in epilogis productus ab Hortensio conciliet misericordiam iudicum patri.* De productione vero infantium in epilogis plura Quintilianus egregie.



MORIS etiam fuit, ut rei præter patronos laudatores etiam adhiberent. Hi fuere aut ciues summa auctoritate viri, qui in periculo capitis vitam rei in iudicio laudarunt; aut municipes rei, quos municipia suo publico nomine eius officij causa Romam miserunt; aut homines prouinciales, quos singulæ prouinciarum ciuitates ab eo administratæ cum publica laudatione ad subleuandum rei periculum miserunt. Hi minimum decem dati dicuntur. Vnde Cicero in Ver

Verrem: *Quis est vestrum Iudices, qui non intelligat, ut in Iudicijs, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei, nullum dare, quam illum quasi legitime numerum consuetudinis non explere.* & in secundo de oratore: *Nostræ laudationes, quibus in foro utimur, testimonij breuitatem habent nudam.* Hæc autem laudatio aliquando defensionis præposita est, aliquando in ea inserta, nonnunquam etiam ipsam est defensionem subsequuta. præcessit, ut pro Flacco. sic enim defendens Flaccum inquit Cicero: *Idem laudationem, quam nos ab Aemonensibus Flacco datam proferebamus, falsam esse dicebat.* Intexta est in defensione Cluentij: *Municipes Larinates cum verbis publice laudant, ut non solum testimonium suum, iudiciumque significant, verum etiam curam animi, ac dolorem. quæ dum laudatio recitatur, vos quæso, qui eam detulistis, assurgite.* post defensionem, ut de Scauro Asconius: *Laudauerunt Scaurum consulares nouem. inter quos Pompeius quoque, vnus præterea adolescens laudauit Faustus Cornelius. is in laudatione multa humiliter loquutus non minus audientes permouit, quam Scaurus ipse permouerat.* & pro Cælio: *Puteolani municipes equites Rom. cum legatione ad hoc iudicium, & cum grauissima, atque ornatissima laudatione miserunt.*

His actis, si iudicibus sententiæ latio permessa esset, ij primo cœtu, & primo iudicasse dicti sunt. Ad Herennium: *Vos veriti estis, si primo cœtu condemnassetis, ne crudeles existimaremini.* tertia in Verrem: *Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus, antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuciari.* & mox: *Ut etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare.*



QUOD si lex comperendinationem haberet, prima actione perfecta post tertium diem secunda est instituta, quæ Comperendinatio dicta est. Comperendinatio vero dicta est, quod perendino die ageretur. Hanc Asconius definiuit *partis vtriusque recitationem*, id est, ut ego interpretor, nouam accusatoris, & rei citationem. In hac vero actione contra factum est, atque in superiore. Ibi enim accusator priore loco dixit, defensor posteriore; hic contra prius defensor, posterius vero iterum actor. Cicero in Verrem: *Adimo comperendinatum, quod habet in se lex molestissimum. bis ut causa dicatur.* Comperendinatio propter accusatorem magis, quam propter defensorem est instituta, aut non magis propter illum, quam propter hunc. si enim numerum dicendi consideres, ex æquo res est. si ordinem, accusator est prior, & vltimus. nam simul accusator dixerit, respondet prima actione defensor, & defensionem tanquam duplicem in medio positam obruit vltimus accusator. & alibi: *Ergo cum prima actione accusatus sit, ac defensus Verres, nunc velut defensus iterum, sic enim mos erat in altera actione, accusatur ad vltimum rursus oratione perpetua.* Cum igitur in Comperendinatione defensio præcederet accusationem, sanè intelligendum est, in ceteris eandem fuisse rationem, atque superiorum fuit, probationum, atque argumentationum. Accusationis huius secundæ exemplo sint quinque libri in Verrem, quorum vnus de prætura urbana inscribitur, alter de iurisdictione Siciliensi, tertius de re frumentaria, quartus de signis, quintus de suppliciis.



HÆC autem omnia quaestoris prudentia regebantur. siquidem scriptum est in Rhetoricis ad Herennium: *Accusatoris officium esse inferre crimina, defensoris diluere, testis dicere, quæ scierit, quaestoris vnumquemque eorum in officio continere.* Interim vero dum causa agebatur, quaestor, & dimittere iudices, & inuitos retinere pro potestate potuit. Cicero in Bruto: *Intelligens dicendi existimator videt iudicem oscitantem, loquentem cum altero, mittentem ad horas, quaestorē ut dimittit*

mittat rogantem. & libro primo de oratore: *Adolescentulus sic initio Accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simul ac me fractum metu viderit.* & pro Murena de quaestore peculatus: *Cogendi iudices, inuiti retinendi.* Custodiebat etiam urnas in tribunali paratas siue ad sortes ducendas, siue ad sententias iudicum, quæ in tabellis scriptæ erant, recipiendas. in Vatinium: *Quæro de te, num quis reus in tribunal sui quaestoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas delcuerit, eas denique omnes res in iudicio disturbando commiserit, quarum rerum causa iudicia sunt constituta?* Itaque huc alludens Virgilius dixit:

*Quæstor Minos urnam mouet. ille silentium  
Conciliumq; vocat, vitasque, & crimina discit.*

De latione sententiæ.

C A P. X X I I.



**P** O S T Q V A M autem aut prima, aut secunda actio perfecta fuit, tum vterque orator, se dixisse significauit. quo audito præco eos dixisse pronunciauit. prætor vero iudicibus tabellas dedit, & ut sententias ferrent, in consilium misit. Prioris moris meminuit Asconius. *Moris, inquit, fuit veterum, cum satis visum esset fluxisse verborum. hanc sibi necessitatem finiendæ orationis imponere, ut dicerent ad vltimum, Dixi quod ab vtraque parte oratione consumpta, ut iudices in consilium mitterentur, præco soleret pronunciare, Dixerunt.* & alio loco: *Præco dixisse pronunciat.* & pro Flacco: *Cum tabella vobis iudices de Flacco dabitur.* Mittere autem, aut dimittere in Consilium iudices erat, iubere illos ad urnas ire, atque in eas tabellas sententiam continentes coniiicere. Hoc docet Asconius, inquit: *Mittere iudices in consilium, est dimittere iudices ad sententiam dicendam, vbi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, Dixi.* Cælius: *Mittit in consilium eosdem illos, qui litem æstimarant, iudices.* Tum vero confurgentes iudices in Consilium ibant. Pro Cluentio: *Confurgitur in Consilium.* Item cum Cicero dixisset in Diuinatione: *Non singulos iudices ferre sententiam, sed vniuersos constituere,* exposuit Asconius, *singulos sententiam, de tabula pronunciasse in leuioribus causis, & ob id neque nota, neque custode opus fuisse; Constituere autem fuisse tabulas in cista ponere.* Rursus pro Cluentio: *Cum in Consilium iri oporteret, quaesuit ab eo quaestor ex lege Cornelia, clam an palam de se sententiam ferri vellet. responsum est, clam velle ferri. itum est in Consilium. omnibus sententijs Scamander condemnatus est.* item: *Magni hominis est & sapientis, cum illam iudicandi causa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcumque concupiuerit, licere, sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem, fidem.* Scribit etiam Plutarchus in Cicerone, *Euntibus ad tabellam iudicibus, Macrum reum domum se recepisse, cum se pro certo absolutum putaret, ac vestem albam resumpserit.* Urnæ vero, siue cistæ tot fuerunt, quot iudicum ordines qui iudicarunt. tres quidem, cum omnes adhibiti sunt, vna senatorum, altera equitum, tertia tribunorum ærariorum. Tabellæ vero, quæ datæ erant iudicibus, quarum vnâ in urnam mitterent, erant tres, vna absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliacionis, eaq; ceratæ erant.

Ampliatio vero, in quibus causis adhibebatur, neque enim omnes eam leges admiserunt, erat, quoties iudices significabant, rem sibi non liquere, & secundam actionem instituendam esse. & prætor ex Consilij sententia pronunciauit, *Amplius cognoscendum esse.* Itaque ut nota Absolutionis in tabula fuit A, Condemnationis C, sic Ampliacionis N. L. id est: *Non liquere.* Harum rerum hæc testimonia habemus. Asconius: *Mos veterum hic fuerat, ut si absoluendus quis esset, statim absolueretur; si damnandus, statim damnaretur; si causa non esset idonea ad damnationem, absolui tamen non posset, Amplius pronunciaretur.* Item: *Ante legem*

Glau

*Glauca de comperendinatione in repetundarum iudicio aut statim sententia dicebatur, aut Amplius pronunciauit, cum dixissent iudices, Non liquet, hoc est obscura causa est. Itaque ea pars interposita dilatione dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas* Cicero in Verrem: *Testibus editis ita mittam in Consilium, ut etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare.* Pro Cæcina: *In eum quid dicam, nisi id, quod ipse negare non possit, venisse in Consilium publicæ quaestionis, cum eius consilij iudex non esset, & in eo consilio cum causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse sibi liquere. dum incognita re iudicare voluisset, maluisset condemnare, quam absoluere.* Pro Cluentio: *In consilium erant ituri iudices triginta duo. sententijs decem, & sex absolutio confici poterat. Homines sapientes, qui neque absoluere hominem nocentissimum possent, neq; re incognita primo condemnare vellent, Non liquere dixerunt.* Et ad fratrem: *Senatorum urna copiose absoluit, equitum adæquauit, tribuni ærarij condemnarunt.* Ad Herennium: *Quid fuit iudices, quare in sententijs ferendis dubitaueritis? aut istum hominem nefarium ampliaueritis? non apertissimæ res erant crimini data? non omnes hæc testibus comprobata? non contra tenuiter, & negatorie responsum. hoc vos veriti estis, si primo cœtu condemnassetis, ne crudeles existimaremmini.* Liuius lib. x l i i i: *Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. ite: Grauisimis criminibus accusati ambo, cum dicenda de integro causa esset, excusati exilij causa solum vertisse, Furius Præneste, Matienus Vibur exulatum abiere.* Valerius: *Scipio L. Cottam ad prætorem accusauit. cuius causa quanquam grauisimis criminibus erat confossa, septies ampliata, & ad vltimum octauo iudicio absoluta est.* Hoc loco prætor gratificari potuit reo, ut C. Licinius M. Popillio. de quo Liuius libro x l i i: *M. Popillius apud C. Licinium prætorem bis causam dixit. tertio prætor precibus vltus Idibus Martijs adesse reum iussit. quo die noui magistratus inituri erant honorem, ne diceret ius, qui priuatus futurus esset.* Moris autem fuit, ut dum iudices sententiam ferrent, rei ad pedes eorum se proiicerent. Asconius in orationem pro Scauro: *Ad genua iudicum, cum sententiæ ferrentur, bifariam se diuiserunt, qui pro eo rogabant.* Valerius de iudicijs publicis: *Per id tempus, quo tristes de Pifone sententiæ ferebantur, repentina vis nimbi incidit: cumque prostratus humi pedes iudicum oscularetur, os suum cœno repleuit.* Coniectæ inde in urnas tabellæ promiscue dirimi solebant, ut numerus absoluentium, & condemnantium, & ampliantium iudicum conciperetur. Cicero in Pisonem: *An ego expectem, dum de te quinque, & septuaginta tabellæ dirimantur, de quo iam pridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum iudicauerunt?* & ad fratrem: *Cato diremptis tabellis de circulo se subduxit.* Postquam autem diremptis tabellis prætor iudicium cognouit iudicum, tum id pronunciauit. Moris autem fuit, ut si condemnatum pronunciaturus esset, prætextam poneret, ut inquit Plutarchus in Cicerone.

Formula vero pronunciauit condemnationis fuit: *Videtur fecisse, aut, Non iure videtur fecisse, Absolutionis: Non videtur fecisse, aut: Iure videtur fecisse.* Ampliacionis: *Amplius cognoscendum.* Festus: *Patruisse videri, pronunciat magistratus, cum de consilij sententia aliquem capitis condemnaturus est.* Cicero in Lucullo: *Maiiores, quæ iurati iudices cognouissent, voluerunt, ut ea non esse facta, sed ut videri pronunciant.* In Verrem: *Fecisse videri pronunciant.* libro i i i i ad Atticum: *Drusus, Scaurus Non fecisse videntur.* id est absoluuntur. in Verrem: *Verres prætor pronunciat, Sthenium litteras publicas corrupisse videri.* in Pisonem: *Tum tu ipse de te Fecisse videri, pronunciauit:* Liuius libro i i i i: *Cincinnatus, dictator Sp. Malium iure cesum pronunciat.* Adde illud, in formula condemnationis non solum crimen commissum, sed etiam pœnam sumendam comprehensam esse. exempli gratia: *Videtur, vim fecisse, atque eo nomine aqua, & igni illi interdico. Videtur, prouinciam spoliasse, atque eo nomine litem ei æstimandam esse.* Siquidem D. de Interdictis, Pomponius sic scribit: *Is, qui relegantur, dies excedendi dari à præsidibus solet. etc.*

nim

*nim moris est, ita pronunciarī: Illum provincia illi relego.* Fieri tamen etiam potuit, ut de pœna reticuerit, & ad legem rem reiecerit. Marcianus D. ad S. C. Turpilianum scribit: *Si pronunciauit, Calumniatus es, condemnauit eum.* & *quanuis de pœna nihil subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur.* De ampliatio-  
ne Cicerō in Brūto: *Cum consules re audita Amplius de consilij sententia pronunciauissent, paucis interpositis diebus iterum dixit Lælius, iterumq; eodem modo à cōsulibus res est prolata.*

Diuerſa vero fuit Ampliatio à Comperendinatione. quòd Comperendinatio facta est, etiam si iudices primo cœtu non iudicassent; Ampliatio vero ex incerta iudicium sententia nata est. Ampliatio ex arbitratu prætoris quocunq; die, Comperendinatio ex præscripto legis tertio die. Ex causa comperendinationis bis tantū causa dicta est, ex causa ampliatio-  
nis sæpissime dici potuit. In cōperendinatione potuit esse ampliatio, in ampliatio-  
ne nequaquam comperendinatio. In comperendinatione defensor primum dixit, deinde accusator; in ampliatio-  
ne defensor, si autem per ampliatio-  
nem iterum acta est, non minus secunda actio dicta est, quàm si per comperendinationem, ut scribit Afconius. His actis prætor reum aut absolutum, aut condemnatum referebat in tabulas. Cœlius: *Mittit in Cōsiliū eosdem illos, qui lites æstimant, iudices. cum æquonumero sententiæ fuissent, Laterensis prætor leges ignorans pronunciauit, quid singuli ordines iudicassent.* & *ad extremum, ut solet, ait, Referam.* Postquam discessit, & pro absoluto Scruilius haberi cœptus, legisq; vnum & centesimum caput legit, in quo ita erat: *Quod eorum iudicium maior pars iudicauit, id ius, ratumq; esto, in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit.* Ius autem, ratumque id erat, quia ab his iudiciis prouocatio non erat. Declarauit lex Antonij, qui, teste in Philippicis Cicerone, ad extremum tulit, ut damnatis de maiestate & de vi esset prouocatio ad populum.

## De æstimatione litis.

CAP. XXIII.



**C**ONDEMNATVM inde reum duæ res sequebantur, æstimatio litis, & animaduersio. Æstimatio litis præcipue erat in causa repetundarum, & peculatus. Erat autem iudicium: quo lis ei æstimabatur, id est furtorum omnium ratio inibatur, atque inde pecunia reddebatur, cui erepta dicebatur. Afconius: *Lis æstimata est pecunia, de qua lis fuit, propter quam condemnatus est, in summam redacta, quæ de rei rebus exigatur. duæ enim res corsequebantur (nempe lege Cornelia) damnationem; altera redditio pecuniæ ijs, ad quos pertinebat, in quo, vel simpli, vel dupli, vel quadrupli rati dicebatur; altera exilij.* Item: *Repetundarum causa ita se habet, ut si conuictus reus sit, atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est in pretium redactis omnibus furtis, quam summam pecuniæ proscriptis eius bonis sectores curabant.* Cicerō pro Cluentio: *Hic profertur id, quod iudicium appellari non oportet. P. Septimio litem eo nomine esse æstimatam. nunquam enim ea diligentia quæ solet adhiberi in ceteris iudicijs, eadem reo damnato adhibita est. In litibus æstimandis fere iudices aut quod sibi eum, quem semel condemnarunt, inimicum putent esse, si qua in eum lis capitis illata est, non admittunt, aut quod se perfunctos iam esse arbitrantur, cum de reo iudicarunt, negligentius attendunt cetera. Itaque & maiestatis absoluti sunt permulti, quibus damnatis de pecunijs repetundis lites essent æstimatæ, & hoc quotidie fieri videmus; ut reo damnato de pecunijs repetundis, ad quos pecunias peruenerit in litibus æstimandis statutum sit, eos illi iudices absoluant. quod cum sit, non iudicia rescinduntur, sed hoc statuitur, æstimationem litium non esse iudicium.* In Verrem: *P. Septimio senatori damnato Q. Hortensio prætor de pecunijs repetundis lis æstimata est eo nomine, quod ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset.* & pro Postumio: *Lites, quo ea pecunia peruenerit, non suis proprijs iudicijs, sed in reum factis condemnari solent.*

De

## De animaduersione.

CAP. XXIII.



**A**NIMADVERſIO vero fuit multa, pœnæ legitimæ persecutio, quæ prætoris curæ mandata est. In multa sic acta res est. Pecunia per magistratū exigebatur. quòd si ille soluendo non esset, bona auctioni subiiciebantur. ea qui emissent, sectores vocati sunt. Liuius libro II: *Pecunia à patre Cæsonis exacta crudeliter.* & libro XXXVIII: *In bona Scipionis possessum publice quæstores prætor misit, neque in ijs non modo vestigium ullum comparuit pecuniæ regie, sed nec tantum redactum est, quantæ summæ damnatus fuerat.* Afconius in Verri-  
nas: *Repetundarum causa ita se habet, ut si conuictus reus sit, atque damnatus, pecuniam reddat æstimata lite, hoc est in pretium redactis omnibus furtis. quam summam pecuniæ proscriptis eius bonis sectores curabant. Sectores autem dicti sunt, qui spem lucri sui sequuti bona condemnatorum simul auctionabantur, pro ijsq; pecunias pensabant singulis, ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant.* & alibi: *Quæstoris cura est, ut socijs omnia rapta reddantur. Quæstor est, ad quem rediguntur pecuniæ ex proscripti bonis, & à quo socijs annumerantur. Sector autem est æstimator, redemptorq; bonorum damnati, atque proscripti, qui spem sectatus lucri sui, id est secutus spem æstimationis suæ bona omnia auctione vendit, & simul infert pecuniam vel ærario, vel socijs.* Cicerō in Verrem: *Cum viderent, te iam non contra accusatorem tuum, sed contra quæstorem, sectoremq; pugnare, id est in te iam damnatum animaduerti.*

Verberatio, coërcitio, & talio per lictores magistratus eius sunt facta, cuius fuit illa iudicatio. Plautus Amphitryone: *Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem compegerint, Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum. Ita quasi incudem me miserum homines octo validi cadant.* In Afinaria: *Vbi causam sæpe dixeris pendens aduersus octo astutos audaces viros, valentes virgatores.* Scribit etiam Afconius, fures, & seruos nequam apud Triumuiros capitales ad columnam Mæniam puniri solitos.

Infamium cura mandata fuit censoribus, ne eos paterentur in rep. munera illa, quibus per infamiæ notam priuati erant, obire.

Exilij obeundi exemplum sit Marcius Coriolanus, de quo sic libro VI Dionysius: *Marcius damnatus cum multorum lacrymis domum reductus est, ipse ad eum casum nec gemitum, nec dictum, gestum de illum magnanimo viro indignum edidit. Ingressus autem ædes cum videret uxorem, matremq; lugentes, & ut in carissimorum digressu vociferantes, nihil permotus valere eas dixit, ac filijs commendatis ne viatico quidem sumpto ad portam contendit.*

## De iudicio calumniæ, &amp; præuaricationis.

CAP. XXV.



**R**Eo vero absoluto duo relinquebantur iudicia, contra accusatorem ambo instituta, vnum calumniæ, alterum præuaricationis: calumniæ, si falsum crimen intulisse constaret, præuaricationis, si cum defensore colluisset, & vera crimina occultasset. De calumniatore sic Marcianus titulo ad S. C. Turpilianum: *Calumniari est falsa crimina intendere. Calumniatoribus pœna lege Remnia irrogatur, sed non utique qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur. nam eius rei inquisitio arbitrio cognoscentis permittitur, qui reo absoluto de accusatoris incipit consilio querere, qua mente ductus ad accusationem processit.* & *si quidem iustum eius errorem reppererit, absoluit eum. si vero in euidenti calumnia eum deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat, quorum alterutrum ipsis verbis pronunciationis manifestatur. nam si quidem ita pronunciauerit, Non probasti, pepercit ei; sin autem pronunciauit, Calumniatus es, condemnauit eum; & quanuis de pœna nihil subiecerit, tamen legis potestas aduersus eum exercebitur.* Hinc Afconius in Scaurianâ: *Cato prætor cum abso-*

R luto

luto Scauro vellet de accusatoribus in consilium mittere, multiq; è populo manus in accusatores intenderent, cessit imperita multitudini, ac postero die in consilium de calumniis accusatorum misit. C. Triarius nullam grauem sententiam habuit, subscriptores eius Pacuuij denas, & Marius tres graues habuerunt. Cicero pro Cluentio: Nec tibi alio accusatore poterat Albius, nec sine ignominia calumnia relinquere accusationem Cluentius. Coelius ad Ciceronem: C. Sempronius calumnia maximo plausu tulit, cum M. Tuccium accusatorem suum lege Plotia de vi fecisset. In declamatione cõtra Salustium: Est quaedam calumnia, quam vnusquisque nostrum testante animo suo fert de eo, qui falsum crimen bonis obiecit. Pœnam calumniae frõtis inuisionem, & notam fuisse, significat Plinius in Panegyrico, cum scribit: Neque, vt antea, exâquem illam, & ferream frontem nequicquã conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas videant, sed spectent paria damno præmia. quod intellexisse quoque videtur Cicero, cum in Rosciana calumniatores dixit litteram calumniae ita odisse, vt omnes litteras oderint. eamque litteram iudices ad caput affixuros: Sed si hos iudices bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita debemeter ad caput affigent, vt postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis. Papinianus D. de testibus: Calumniae damnatis iudicio publico testimonium dicere licet. Hæc de calumnia.

Quid vero Præuaricatio fuerit, docet idem Marcianus eodem loco: Præuaricari, inquit, est vera crimina abscondere. Præuaricator est, qui colludit cum reo, & translatio munere accusandi defungitur. & qui proprias rationes dissimularet, fallas vero rei excusationes admitteret. Item Vlpianus de verborum significatione: Præuaricatores eos appellamus, qui causam aduersarijs suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt. Ceterum vt de calumnia, sic de præuaricatione iudicium constitutum fuisse, ostendit Cicero in Partitionibus, in exemplo præuaricatoris præcepta locorum oratoriorum exercens: Defensor testatur consuetudinem sermonis, verbiq; vim ex contrario reperiet quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen præuaricatoris. ex consequentibus quod ea littera de accusatore soleat dari iudici. ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrarijs causis quasi varie esse positus videatur. Plinius libro III epistolarum: Lege cautum erat, vt reus ante perageretur, postremo de præuaricatore quæreretur. videlicet, quia optime ex accusatione ipsa accusatoris fides æstimatur. & post: In dubijs, atque incertis quoque probationibus accusator præuaricari potest. reus vero non alijs, quam certis, & manifestis argumentis condemnari debet. præterea vt de aliquo pronuncietur, videri hunc præuaricatum esse, sufficere, si doceatur, instrumenta corrupisse, quæ ad accusationem pertinebant, sed reus contra peragi nõ potest, nisi quid omnino instrumentis his, aut testimonijs corruptis contineretur, liquido appareat. Demum Cicero ad fratrem: Quo die hæc scripsi, Drusus de præuaricatione à tribunis ærarijs absolutus in summa quattuor sententijs, cum senatores, & equites damnassent. & de aruspicum responsis: Clodius à Catilina pecuniam accepit, vt turpissime præuaricaretur. Asconius: Hoc iudicio absolutus est Catilina infamia iudicium, vt & Clodius infamis fuerit, quippe qui præuaricatus est. nam & reiectio iudicium ad arbitrium rei videbatur esse facta.

## De legibus iudiciorum publicorum.

CAP. XXVI.



**A** T O V E hæc quidem in vniuersum de iudicijs publicis disputata sunt. Quoniam autem in singulis præcipua quædam ratio agendi, quærendi, cognoscendique seruata est, eaque tota à legibus, quæ de quoque iudicio, ac maleficio latæ sunt, vt diximus, est profecta; sequitur, vt quæ nã hæc fuerit, ex veteribus cuiusque legibus eruamus. Causa vero legum de vno crimine sapius ferendarum fuit; quod aut primæ vetustate obsolescerent, aut pœnæ leuitate negligenterentur, aut

aut aliqua ex parte gliscete hominum libidine & ipsæ essent augenda. Primis autem legibus crimen tantum, ac pœna videtur esse comprehensa. de ratione exercendæ quæstionis nihil præcipue videtur esse cautum, cum id aut legibus de quæstionibus singulis pro re nata constituendis, aut more ipso maiorum fieret. Itaque in iis legibus, hæc tum, vt puto, inerant verba: Vt quæstio à populo, aut à senatu lectus cum consilio, quod ei obtigisset, quæreret. Post quæstiones autem perpetuas institutas, id est post annum DCIII, hæc fuerunt: Vt prætor, siue iudex quæstionis, cui ea obtigisset, aut qui in eum annum iudex factus ex ea lege esset, quæreret, hoc, aut illo modo. Quod ostendit Cicero in Cluentiana de lege Cornelia Veneficiorum loquens: Iubet eã lex, qua lege hæc quæstio est constituta, iudicem quæstionis cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, quære de veneno. Item: Est sapientis iudicis animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. item in alijs hæc verba sæpe repetita: Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt. Neque vero solû criminum capita singula, ac pœnarum comprehendebantur, sed etiam actionis partes singulæ, de patronis dandis, iudicibus legendis, testibus audiendis, atque citandis, de comperendinando, aut ampliando reo. quin etiam de præuaricatione, ac calumnia accusatorum, quid præcipue in quoque exercendo iudicio seruari oporteret, præscribebatur. quanquam multa ex vna in alteram legem iisdem verbis transferebantur, vnde etiam translata dicta sunt. Postremæ autem omnium leges fuere Corneliae, Pompeiæ, & Iuliae. Cornelia tulit L. Cornelius Sylla in dictatura, Pompeias Cn. Pompeius maxime in tertio consulatu; Iulias alias C. Iulius Cæsar consul, & dictator, alias C. Cæsar Octavianus Imperator. Quæ causa est, vt harum tantummodo in Pandectarum libris memoria celebretur, quod reliquæ superiores his vnis obseruatis oblitteratæ essent. neque enim post Cæsarem Octavianum leges vllæ sunt latæ, cum comitia populi ad senatum traducta sint.

## De legibus de pecunijs repetundis.

CAP. XXVII.

**D** I S P U T A T V R I autem de singulis legibus iudiciorum agemus primum de pecunijs repetundis, quod hæc quæstio prima perpetua facta sit, & prætorem certum habuerit. Repetundæ pecuniæ dictæ sunt, quas siue socij, siue ciues priuati à magistratibus, aut iudicibus, aut publicis curatoribus iudicio repetiuerunt. quas illi aut in prouincia, aut in vrbe, aut ob ius dicendum, aut ob iudicandum, aut ob aliud aliquid publice curandum cepissent. Quod genus furri cum exprimere vellent, pecuniam ablatam, captam, coactam, conciliatam, auersam dixerunt. quas voces cum Cicero in acculatione Verris repetundarum rei, tum legum veterum fragmenta celebrant. Ac repetundarum quidem quæstio primum constituta videtur sociorum, & prouinciarum causa aduersus prætores, quæstores, legatos, ceterosque, qui in prouincijs cum imperio, aut potestate versarentur; deinde ad vrbanos etiam magistratus, iudices, curatoresque translata, qui aliquid pecuniæ à priuatis cepissent. Video enim legem repetundarum legem socialem à Cicerone vocari in Verrem. Ciuibus, inquit, cum sunt ereptæ pecuniæ, ciuili fere actione, & priuato iure repetuntur. lex repetundarum socialis est. Primus autem, quod compererim, M. Porcius Cato, cum ex prætura Sardiniam obtineret, sumptus prouincialium in prætores coërcuit. anno quingentesimo sexto; de quo Liuius: Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat. fugati ex insula feneratores, & sumptus, quos in cultum prætorum socij facere soliti erant, circuncisi, aut sublati. In vetere etiam plebiscito de Thermentibus supra prolato nominatur lex Porcia, qua iuberetur, quid quenque dare præbere oporteret. quæ nescio an ad hunc Porcium pertineat: Ne quis magistratus, prouide magistratu, legatus, neu quis alius facito, neve imperato, quo quid magis i dent, præbeant, ab ijs de auferatur. nisi quod ed. S. ex lege Porcia dare, præbere oporteret, oportebit. Per ea vero tempora, cum



nullis adhuc legibus hoc crimen vindicatum esset, hæc causa priuata fuit, & extra ordinem ex senatusconsulto à recuperatoribus cognita est. vt anno DLXXXVII, quemadmodum narrat Liuius libro XLIII: *Hispaniæ vtriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Hi de magistratum Romanorum auaritia, superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios foedius spoliari, vexarique, quam hostes, patiantur. cum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas, L. Canuleio prætori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, vt in singulos, à quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. vocatis in curiam legatis recitatum est S. C. iusque nominare patronos. quattuor nominauerunt, M. Catonem, P. Scipionem, L. Paullum, C. Gallum. Cum M. Titinio primum, qui prætor M. Manlio, M. Iunio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumpserunt. bis ampliatus, tertio absolutus est reus. dissensio inter duarum prouinciarum legatos est orta. Citerioris Hispaniæ populi Catonem, & Scipionem, vterioris Paullum, & Gallum patronos sumpserunt ad recuperatores adducti à citerioribus populis P. Furius Philus, ab vterioribus M. Matienus. Grauisimis criminibus accusati ambo, ampliatique, cum dicenda de integro causa esset, excusati exilij causa solum vertisse, Furius Præneste, Matienus Tibur exulatum abierunt. Narrat idem Liuius, ante L. Postumium Albinum Consullem, qui ante triennium fuerat, neminem vnquam locis in vlla re oneri, aut sumptui fuisse. Ideo magistratus, inquit, mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent socijs. priuata hospitia habebant, ea benigne, comiterque colebant. domusque eorum Romæ hospitibus patebant, apud quos ipsis diuertere mos esset. Legatis, qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. aliam impensam socij in magistratus Romanos non faciebant. Huc autem pertinent illa, quæ Cicero in sexta in Verrem de cultu eorum, qui in prouincias cum imperio, aut potestate mitterentur à maioribus, antequam peccari coeptum esset, constituta scribit: *Videte maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur; veruntamen ea, quæ paruis in rebus accidere poterant, providebant. neminem, qui cum potestate, aut legatione in prouinciam esset profectus tam amentem fore putarunt, vt emeret argentum; dabatur enim de publico: vt vestem; præbatur enim legibus. mancipium putauerunt, quo et omnes vtimur, et non præbetur à populo sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum.**

LEX CALPURNIA. His autem ita constitutis, crescente in dies magis magistratum in prouincijs libidine, L. Calpurnius Piso tribunus plebis anno, vt dixi DCIII Manilio, & Censorino Cos. extitit, qui legem tulit, qua non solum poena grauiore, vt verisimile est, hoc crimen vindicandum sanxit, sed etiam, vt certum hæc quæstio posthac haberet prætorem, instituit, ita vt noua lege opus non esset socijs, sed certum, ad quem confugerent, prætorem haberent. Hoc autem docet Cicero in II de officijs, his verbis: *Caput in omni procuratione negotij et muneris publici, vt auaritiæ tollatur etiam minima suspicio. modo hoc malum in reip. inuasit. nondum centum, et decem anni sunt, cum de pecunijs repetundis à L. Pifone lata lex est, nulla cum antea fuisset. at vero postea tot leges, et proximæ quæque duriores, tot rei, tot damnati, tanta sublatis legibus, iudicijque expilatio, direptioque sociorum, vt imbecillitate aliorum, non virtute nostra valeamus.* & in Bruto: *C. Carbone forum tenente plura iudicia fieri coeperunt. nam et quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt, quæ ante nullæ fuerunt. L. enim Pifone tribunus pl. legem primus de pecunijs repetundis tulit Censorino, et Manilio Consulibus.* Eodem autem tempore nominatur à Valerio lex Cæcilia libro V, cum scribit: *L. Lentulus consularis lege Cæcilia repetundarum crimine oppressus censor cum L. Censorino creatus est.* Etenim, cum Lentulus, vt est in fastis, censor fuerit anno ipso DCVI, id est biennio, quàm Pifone legem tulit, fit, vt anno ipso DCV. fit damnatus. vt mirer, quo modo lege noua tam cito opus fuerit. Itaque aut Cæciliam eadem esse cum Calpurnia velim, vt à duobus tribunis lata modo hoc,

do hoc, modo illo nomine appelleretur, aut apud Valerium Calpurniam pro Cæcilia oportere legi. Neque enim Calpurniæ Cæcilia, sed Iunia est substituta. hæc autem lege litis æstimationem, non item aquæ, & ignis interdictionem, id est exiliū esse propositum, apparet ex eo, quod Lentulus damnatus altero anno censor fit factus. Neque vero hæc lex ad vrbanos magistratus, iudicisque, qui pecuniā ob iudicandum cepissent, videtur pertinuisse. quia anno DCXII quæstio pecuniarum ob iudicandum captarum consuli extra ordinem à senatu commissa, non autem à prætore, qui ex ea lege quæreret, cognita sit. vt Cicero in II de finibus demonstrat, cum ait: *L. Tubulus, cum prætor quæstionem inter scarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, vt anno proximo P. Scauola tribunus pl ferret ad plebē, vellent ne de ea re queri. quo plebi scito quæstio decreta à senatu est Cn. Cæpioni consuli.* Quin etiam eodem anno, quantum ex epitoma Liuianorum quinquagesima quarta intelligi potest, socialis causa ad senatum, non ad prætorem est delata. sic enim ibi scriptum est: *Cum Macedonum legati conquestum venissent de Iunio Silano prætore, quod acceptis pecunijs prouinciam spoliasset, ac senatus de querelis eorum vellet cognoscere, T. Manlius Torquatus Silani pater petijt, impetrauitque, vt sibi eiusmodi cognitio mandaretur. et domi causa cognita filium condemnauit.* & in primo de finibus apud Ciceronem: *T. Torquatus illam seueritatem in filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipauerat. vt eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias prætorem in prouincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet, reque ex vtraque parte audita, pronunciarer, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent.* Eodemque tempore P. Scipio Æmilianus, postquam Numaniam deleuit, teste pro Murena Cicerone, L. Cottam virum consulem ad prætorem accusauit. cuius causa, vt scribit Valerius libro XIII, *quanquam grauisimis criminibus erat confossa, septies ampliata, et ad vltimum octauo iudicio, absoluta est.*

LEX IUNIA. Legem Calpurniam subsequuta est Iunia, quam tuit, vt arbitror, M. Iunius Pennus, qui tribunus pl. teste in Bruto Cicerone, fuit Lepido, & Oreste Consulibus anno DCXXVII. hæc autem lege præter litis æstimationem exilium etiam damnato est irrogatum. Itaque C. Cato, qui consul fuit anno DCXXXIX ea, vt puto, lege Macedonibus accusantibus vtraque poena multatus est. de quo sic Velleius libro II: *Mandetur memoriæ seueritas iudiciorum. quippe Cato consularis repetundarum ex Macedonia damnatus est. cum lis ei IIII millia æstimaretur.* & Cicero in Verrem: *C. Catone consulari damnato, tum cum seuera iudicia fiebant, festerium quinque millia lis æstimata est.* Eundem autem exulasse Tarracone, scribit idem in oratione pro Balbo. Hanc autem legem ego Iuniam esse puto, quod in sequenti lege Seruilia repetundarum mentio fiat Calpurniæ, & Iuniæ legis, vt earum, quæ se inter se consequuntur sint. verba legis Seruiliæ sunt hæc: *Aut quod lege Calpurnia, aut lege Iunia sacramento actum fuit. aut quod hac lege nomen delatum fuit.* Calpurnia certe lege damnari Cato non potuit, quod exilium nullum damnato irrogauit.

LEX SERVILIA. Post annos inde XXIII lex Seruilia lata est, à C. Seruilio Glaucia prætore C. Mario sextum consule anno DCXLIII. Cuius fragmentum ego, cum Patavij profiterer, reperi in nobilissimo Petri Bembi Cardinalis musæo in æneis tabulis vetustissimis incisum. quod à me magno multis in locis propter excessas, consumptasque litteras cum labore lectum, atque descriptum in hunc librum esse putavi coniciendum, additis, ne fructus eius inanis esset, supplementis, quæ ego ad eliciendam sententiam minoribus, vt internoſcerentur, litteris effingenda curavi. Quorum pleraque ex altero eiusdem legis fragmento item æneo sumpsi. Hanc autem Seruiliam legem esse Glauciæ, non leuibus ad suspicandum coniecturis adducor, primum quod cū legi Calpurniæ, & legi Iuniæ hæc lex subiecta proxime sit, neque Iuniæ alia, quam Seruilia, subiecta reperitur; deinde quod iudices CDL viros in perpetuum legi statuit, qui in senatu non essent, neque fuissent. Diximus autem Seruilia lege Glauciæ iudicia solis equitibus data. His adde, quod ca-

pita, quæ legis Seruiliæ apud scriptores extant, eadem in hac etiam lege, quâquam valde debilitata, visuntur. sunt autem hæc:

*Qui prætor ex hac lege quæret, de ijs quærito, qui consules, prætores, dictatores, magistrum equitum, aut in alio magistratu pecuniam ab aliquo priuato abstulerint, ceperint, coegerint, conciliarint, auerterint. Iudicum, qui ex hac lege facti erunt, iudicatio, litigatio, estimatio esto.*

*De hisce, dum magistratum, aut imperium habebunt, eorum nomen deferri non licent.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret ei, qui petet, patronos sumendi, et repudiandi dato.*

*Prætor, qui ius inter peregrinos dicet, C D L viros in perpetuum legito, qui in hac ciuitate iudicent. Idem facito, vt C D L viros legat, qui quotannis de pecunijs repetundis iudicent.*

*Qui ex hac lege pecuniam petet, ad eum prætorem, qui ex hac lege factus erit, cū vnde petet, in ius educito, nomenq; deferto.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt is, qui nomē detulerit, die vicesimo ex C D L viris, qui in eum annum facti erunt, centum aduersario suo legat, edat vnde. Quos vero is ediderit, ex ijs is vnde petetur, quinquaginta edito, legito vnde, qui iudicent.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt iudicum, et patronorum nomina in tabulis scripta habeat.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt qui ita lecti erunt iudices in eam rem, eius perpetuo iudices sint.*

*Si is, vnde petetur, prius vrbe cesserit, et in exilium abierit, quam ea res iudicata erit, prætor ab ijs item quærito, ad quos eam rem peruenisse constiterit.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt testes audiantur, ac citati omnes adsint testimonio dicendo.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, vt testes interroget, iudices pronunciet, nequis iudex disputet.*

*Prætori, qui ex hac lege quæret, iudicium in alium diem proferre ius sit.*

*Si prætor, qui eam rem quæret ex hac lege, causam non nouerit, ei amplius pronunciare ius sit.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, causam semel à reo dictam in tertiam diem differo.*

Legis autem verba, vnde hæc summatim hausimus, hæc cum supplementis sunt.

LEGIS SERVILIÆ FRAGMENTA DVO  
EX ÆNEIS TABVLEIS PROPE VETVSTATE  
CONSVMPPTIS EXSCRIPTA,  
ET SVPPLETA.

LEGIS



deque.co.homine.d  
 eius.esto.Pr.quei.ex.H.L.q  
 x.co.Mag.Inperioque.abierit.quomin  
 neiquem.eorum.det.fciens.D.M.quoiei.is.q  
 quaestione.ioudicioe.publico.condemnatu  
 um.Pr.quei.ex.H.L.quæret.alium.patronum.eiei.quem  
 rum.A.D.A.siet.fueritue.queiue.in.senatu.siet.fueritue.eiei.quei.  
 e.erit.quos.legerit.eos.patrem.tribum.cognomenque.ioudicet.q  
 x.H.L.CDLuiros.legerit.facito.recitentur.in.contione.iuratoque.sese.  
 que.eorum.eum.mag.coiperit.facito.vtei.CDL.viros.ita.legat.quei.ha  
 nnos.LX.gnatus.siet.queiue.in.vrbe.Romæ.propiufue.vrbem.Rom.  
 em.Tribum.cognomenque.tributumque.difcriptos.habeto.eosque.propofitos.fuo  
 De.nomine.deferundo.iudicibusque.legundeis, Quei.ex.H.L.pequuniam.ab.a  
 rit.de.CDL.uireis.quei.in.eum.annum.ex.H.L.lectei.erunt.aduorfario,edat.eos.om  
 non.attingeret.fcientem.D.M.itaque.is.edito.couratoque.upei.is.ita.ediderit.tum.in.ea.  
 ex.siet.quoi.is.queique.quei.petet.gener.focer.vitricus.priugnufue.siet.queiue.ei.fobrinu  
 abierit.queiue.trans.mare.erit.neiue.amplius.de.vna.familia.vnum.neiue.eum.  
 neceffitudine.attingat.quæ.fupra.fcripta.fient.Q.vnde.petitum.erit.quom  
 en.ex.H.L.delatum.erit.L.iudices.ex.hac.lege.non.legerit.edideritue.feiue.  
 em.legat.quei.ita.lectei.erunt.eis.in.eam.rem.ioudices.funto.eorumque.ciu  
 uei.petuerit.et.unde.petitum.erit.quei.eorum.volent.ex.taboleis.popli  
 uei.pequuniam.ex. . . eum.ob.eam.rem.quod.pequuniam.ex.H.L.ceper  
 rit.aut.in.exilium.abierit. Quoium.nomen.ex.H.L.delatum.erit.  
 nomen.ex.H.L.ad.fe.delatum.erit.facito.utei.ioudicum.P  
 conquæri.in.terra.Italia.in.oppedeis.foreis.concilia  
 audierit.quod.eius.rei.quærundæ.cenfeant.referre.et.c  
 um.eius.fide.quærat.queiue.in.fide.eius.siet.maiorefu  
 it.fecumue.duxerit.dum.taxat.homines.IIL.eorum.rerum.  
 iue.de.ea.re.volent.apud.Pr.is.prætori.moram.ne.facito.  
 m.rem.iudices.erunt.antequam.primum.cauffa.d  
 let.vtei.testium.quei.eam.rem.erunt.verba.audiat.  
 ecitentur.profcipra.propofitaque.palam.apud.forum.  
 e.iudicium.adeffe.poffit.de.ea.re.Pr.quei.ex.H.L.  
 let.quoius.ex.H.L.nominis.delatio.erit.ei.eius.rei.pe  
 quei.eam.rem.quæret.ex.H.L.cauffam.non.nouer  
 iudicium.fieri.oportebit.ter  
 re.quam.ibunt.facito.iurent.fefe  
 aturum.efe.iudice  
 fatione.primo.quo.

NE QVE vero dubium est, quin multo plura capita in his legibus fuerint, quàm, quæ ego indicaui, quorum partim vestigia aneis in tabulis extant, partim non extant. Sed ea coniectu difficillima sunt, nisi si diuinatione potius, quàm coniectura stare velimus. Hac vero lege interpretatur Cicero solos senatores alligatos, quia dicit: *Qui dictator, consul, prætor, magister equitum*. sic enim inquit pro Postumo: *Glaucia solebat populum monere, ut cum lex aliqua recitaretur, primum versum attenderet. si esset dictator, consul, prætor, magister equitum, ne laboraret, sciret, nihil ad se pertinere; sin autem, Quicumque post hac legem, videret, ne qua noua quaestione alligaretur*. Non solum autem litis æstimationem, sed etiam exilium lege Seruilia esse irrogatum, ostendit idem in oratione pro Balbo. & Liuius in epitoma LXX. de quo illud est in lege: *si prius vrbe cesserit, aut in exilium abierit*. De persequendis autem pecuniis ab iis, ad quos peruenerint, Cicero pro Postumo: *Iubet lex Iulia persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit; qui damnatus sit, peruenerit. quod totidem verbis translatus caput est non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Seruilia*. Quod autem scriptum est, petitorum die vicessimo, postquam nomen detulerit, iudices edere aduersario debere, & reum die vicessimo suos, idem scribit disertè Asconius, *Viginti dies accusatori ad agendum, totidemque reo ad defendendum datos*. De comperendinatione rei idem est apud Ciceronem in tertia in Verrem: *Verum, ut opinor, inquit, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus; antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronuntiari*.

Ceterum hac lege postulatos esse M. Aquilium consularem, P. Rutilium quaestorem, M. Scaurum consularem, & Q. Metellum Numidicum inuenio. De Aquilio sic in epitoma LXX: *M. Aquilius cum de pecunijs repetundis caussam diceret, ipse rogare iudices noluit. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam à pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet. quibus conspectis indubitanter absolutus est*. Vnde Cicero in 11 de oratore Antonium ita fecit dicentem: *Nolite existimare, cum mihi M. Aquilius in ciuitate retinendus esset, quæ in illa caussa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse*. De P. Rutilio ita in eadem epitoma: *P. Rutilius, qui legatus Q. Mucij pro cos. à publicanorum iniurijs Asiam defenderat, repetundarum damnatus in exilium missus est*. Cicero in Verrem: *Q. Mucij Scaeuola quaestor Rutilius damnatus, quod eum prætoris cõsensit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua. eundem Smyrnæ exulasse scribit item pro Balbo. De M. Scauro sic ille idem pro Scauro: M. Scaurus pater reus factus est à Q. Seruilio Capione lege Seruilia, cum P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret. & in ea verba Asconius: Q. Seruilius Capio ob legationis Asiaticæ inuidiam, & pecuniarum contra leges captarum reum fecit lege repetundarum, quam tulit Seruilius Glaucia. De Metello pro Balbo: Q. Metello caussam de pecunijs repetundis dicente, cū ipsius tabula circumferrentur inspicendi nominis caussa, fuit iudex ex illis equitibus Romanis nemo, quin remoueret oculos*.

LEX ACILIA. Deinde post Seruiliam legem lata est Acilia à M. Acilio Glabrone, in qua illud fuit noui: *ut neque ampliari neque comperendinari reus possit*. Cuius meminit Cicero in Verrem loquens ad M. Acilium Glabronem prætorem repetundarum eius filium, qui legem Aciliam tulerat: *Fac tibi paterna legis Acilia veniat in mentem, qua lege populus Ro. de pecunijs repetundis optimis iudicijs, seuerissimisq; iudicibus vsus est. & in eâ Asconius: Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecunijs repetundis seuerissimam, ut qua ne comperendinari quidem reum liceret*. & alibi Cicero: *Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi accusati semel dicta caussa, semel auditis testibus condemnati sunt. & ibi Asconius: Acilia lex Glabronis patris huiusce prætoris neque comperendinationem, neq; ampliationem habet*.

LEX CORNE. Aciliam inde Cornelia subsequuta est à L. Cornelio Sylla dictatore lata. qua lege iudicia omnia de repetundis vsque ad primum Cæsaris consulatum peracta sunt, ut Cn. Dolabellæ, Cn. Pisonis, C. Verris, quæ ædilis accusa-

uit Cicero, C. Maeri, quem damnauit prætor, M. Fōteij, & L. Flacci, quos prætorius, & consularis defendit. capita vero legis hæc fuisse videntur, quantum intelligi ex monumentis scriptorum licet.

*Qui prætor ex hac lege quæret, de eo, quærito, qui dictator, consul, prætor, magister equitum pecuniam dono ceperit, abstulerit, coegerit, conciliarit, auerterit, nec solum auare, sed etiam libidinosè, superbe, crudeliter se in prouincia gesserit.*

*Item de eo, qui iudex non suæ decuriæ munere functus erit, aut non perpetuo sederit, aut ob iudicandum pecuniam ceperit.*

*Item de eis, ad quos ea pecunia peruenerit.*

*Facitoq; uti viginti dies accusatori det, totidemque defensori. Item de eis, qui pro cos. rationes ad ararum non retulerint, aut qui pro cos. priuatim aliquò profecti fuerint, aut trans marinas res accersuerint.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, iudices ex senatoribus sortiatur, reo, & accusatori reiectionem permittat, atque in eorum locum subsortiatur. Item facito, uti accusatori viginti dies, totidemque reo concedat.*

*Si causam non noverit, ei comperendinare, & ampliare reum, ius sit.*

*Prætor, qui ex hac lege quæret, facito, ut reo damnato lis aestimetur, & aqua, & igni interdicator. Qui in reatu decesserit, ei ne lux aestimetur.*

Atq; hæc quidē, quæ dixi, hac lege esse iudicata, vna Verris accusatio testis esse potest, quem Cicero pecunias ob ius dicendum ita Siculis eripuisse arguit, ut omnia genera furtorum persequutus sit, pecuniæ captæ, coactæ, ablatae, conciliatae, auersæ in quarta; in quinta frumenta; in sexta signa surrepta; in septima supplicia iniqua ostenderit. Item Sallustius, qui dixit: *Cn. Piso propter Transpadani iniustum supplicium de repetundis accusatus est.* De quæstione autem eorum, ad quos pecunia peruenerit, quod etiam in Seruilia lege fuit, sic Cicero pro Cluentio: *Hoc quotidie fieri videmus, ut damnato de pecunijs repetundis, ad quos peruenerit pecunias in litibus aestimandis statutum sit, eos illi iudices absoluant. quod cum sit, non iudicia reieciuntur, sed hoc statuitur, aestimationem litium non esse iudicium.* De itinere priuato proconsulum, & rebus in prouincia emendis idem ita in septima in Verrem: *Priuatim nec proficisci quoquam potes, nec accersere res trans marinas ex ijs locis, in quibus tibi habere, mercari nihil licet, deinde cur quidquam contra leges parasit? De iudice, qui non suo officio functus sit, elicitur ex Cluentiana. C. Fidiculanus iudex, inquit, causam dixit, & bis dixit. Vno iudicio multa ab eo est petita quod non suæ decuriæ munere, neque ex lege sedisset. prima actione facillime est absolutus. non numero, hanc absolutionem, nihilo minus enim potest, ut illam multam non commiserit, accepisse tamen ob rem iudicandam pecuniam, quam captam nusquam Stalenus eadem lege dixit proprium crimen illius quæstionis non fuit. Fidiculanus quid fecisse dicebatur? accepisse à Clætio sestertium cccc. cuius erat ordinis? senatorij. quale in eo genere à senatore ratio repeti solet de pecunijs repetundis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus. adducti iudices sunt, non modo potuisse honeste ab eo reum condemnari, quod non perpetuo sedisset, sed si aliud is iudex nihil scisset, nisi quæ præ iudicia de eo facta esse constaret, audire præterea nihil debuisse. De sortitione iudicum, reiectione, & subsortitione auctor est Aconius in Verrinas. Neque vero Cornelia lex, edi iudices ab accusatore, & reo, ut Seruilia, voluit, sed rem sorti permitti, quod ex eo apparet, cum in caussa Verris ita factitatum sit, quæ lege Cornelia agebatur. Aconius autem ita: *Cum multi iudices in consilio cum prætore suo iudicaturi essent, qui quæstitor constitutus fuisset in caussa publica, verbi gratia repetundarum, ambitus, maiestatis, necesse fuerat eos primum de curia senatoria conscribi, cum senatus iudicaret; deinde in urnam mitti, ut de pluribus necessarius numerus sortito conscriberet; tertio permitti accusatori, ac reo, ut ex illo numero reiciant, quos putauerint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re in omnimodis fore. reiectione celebrata in eorum locum, qui reiecti fuerant, subsortiebatur prætor alios, quibus ille**

*iudicum legitimus numerus compararetur. his perfectis iurabant in leges iudices, ut obstructi religione iudicarent. cum iurasset omnes præter ipsum prætorem, nomina eorum libellis consignabantur, & ubique habebantur, ne pro selectis iudicibus aliqui suppositi corruptissime iudicarent.* De comperendinatione, & ampliacione restituta Cicero in Verrem tertia, cum defensores Verris Corneliæ legem, quæ comperendinatum dabat, accusatori Ciceroni vtilem esse iactarent, sic respondit: *Admo comperendinatum, quod habet lex in se molestissimum, ut bis caussa dicatur. ego tibi illam Aciliam legem restituo. qua lege multi semel accusati, semel dicta caussa, semel auditis testibus condemnati sunt. puta te, non hac tam atroci (nempe Cornelia) sed illa mitissima, (nimirum Acilia) causam dicere. accusabo; respondebis. testibus editis ita mittam in consilium, ut etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare.* Quo in loco Aciliam mitissimam, Corneliæ atrocem non ex suo, sed ex aduersariorum iudicio vocat. sequè Acilia causam acturum libentius profitetur, comperendinatione, & ampliacione sublata; quàm Cornelia, quæ vtriusque rei dat potestatem. Hinc est, quod Fonteium repetundarum reum lege Cornelia duabus actionibus accusatum scribit. *M. Fonteius, inquit, ita duabus actionibus accusatus est, ut obiectum nihil sit, quo significari vestigium libidinis, petulantia, crudelitatis, audaciæ possit. & in III in Verrem dixit de Dolabella repetundarum reo: Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabella spiritus proferam? Postremo de iis, qui in reatu decessissent, Valerius itaq; Licinius Macer repetundarum reus, dum sententiæ dicerentur, in Manianum conscendit, deinde M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, pretextam ponentem eum vidisset, misit ad eum, qui diceret, se non damnatum, sed reum perijisse. nec sua bona haste posse subijci. ac potius sudario, quod forte in manu habebat, ore, & faucibus coarctatis incluso spiritu poenam morte præcurrit. qua cognita re Cicero de eo nihil pronunciauit.*

**LEX IULIA.** Postremo C. Julius Cæsar legem de pecunijs repetundis tulit, quæ vsque ad extremum seruata etiam num in Pandectis celebratur. statam autem esse in primo consulatu eius, colligitur ex oratione Ciceronis in Vatinius, qui Cæsare consule tribunatum plebis gessit: *Quæro ex te, sis ne ex pauperrimo diues factus illo ipso anno, quo lex lata est de pecunijs repetundis acerrima. ut omnes intelligere possent, amicissimi tui legem esse contemptam?* & ex oratione pro Sextio, cum in Clodium ita agit: *Etiam ne eius, quem sua lege, suo beneficio ornatum, munitum, armatum solet gloriari, C. Cæsaris de pecunijs repetundis legem, non putat esse legem.* Huius legis hæc capita reperiuntur:

*Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui cū aliquā potestatem haberet, pecuniā ob iudicandū, decernendūve acceperit, vel quo magis aut minus quid ex officio suo faceret. Itē de eo, qui comes iudicum pecuniam ceperit. Qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium pecuniam acceperit, cui damnato testimonium publice dicere, aut iudex esse, postulareve non liceat. Item de eo, qui ob militem legendum, mittendumve æs acceperit, quide ob sententiam in senatu, consiliove publico dicendam pecuniam acceperit, vel ob accusandum, vel non accusandum. Item de ijs, qui magistratus urbani plus domi muneris in anno acceperint, quàm quod sit aureorum centum. Item de eo, qui ob iudicem arbitrumve dandum, mutandum, iubendumve, ut iudicetur; qui ve ob non dandum, non mutandū, iubendumve, ut iudicet. quide ob hominem in vincula publica conijciendum, vincendū, vinciri ve iubendum, ex ve vinculis dimittedū, quide ob hominem condemnandum, absoluendumve; quide ob licem aestimandam, iudiciumve capitis, pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit. Qui in acceptum tulerit opus publicum faciendum, frumentum publice dādum, præbendum, facta tecta tuenda, antequam perfecta, probata, præstita lege erunt. Quod contra hanc legem proconsuli, vel prætori donatum erit, non liceat vsucapi. Venationes, locationes eius rei caussa pluris, minorisve factæ irritæ sunt, neque vsucapio esto prius quàm in potestatem eius, à quo profecta res sit, heredisve eius veniat. Item*

de eis, qui munus publice mandatum accepta pecunia ruperunt. Item de eo, qui ob negocium faciendum, aut non faciendum per calumniam pecuniam accepit. Atque hæc quidem sunt in Pandectis D. ad legem Iuliam de repetundis, & D. de calumniatoribus. Apud Ciceronem vero, & alios hæc præterea inueniuntur.

Prætor, qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito, qui pro cos. aut propr. cædes, adulteria, & stupra in prouincia fecerit. Qui ius in liberos populos de pecunijs creditis dixerit. Qui de prouincia exierit, aut exercitum eduxerit, & sua sponte bellum gesserit. Qui modum in imperato, & æstimato frumento exigendo excesserit. Qui libertatem socijs non conseruauerit. Qui aurum coronarium aut imperauerit, aut acceperit sine S. C. Qui quidquam à socijs præter fœnum, & quattuor lectos, & ligna acceperit. Qui rationes in prouincia apud duas ciuitates non reliquerit, & easdem totidem verbis ad ærarium non retulerit, & ultra triginta dies comites in beneficijs detulerit. Vt prætor quaerat ab ijs, ad quos pecunia peruenerit. Quod eorum iudicium maior pars iudicari, id ius, ratumque esto. Horum criminum pleraque obiecit Pisoni Macedoniae proconsuli Cicero in oratione in eum habita: Notata nobis sunt, inquit, prima illa scelera in aduentu, cum accepta pecunia à Dyrrachinis ob necem hospitum tuorum Platoris eius ipsius domum euertisti, & Pleuratium comitem eius necauisti. Atque Iouis Pelfuriam sanctissimum direptum est. Nō ne sestertium centies & octogies, ex æro tibi attributum Romæ in quaestu reliquisti. nō ne cum C. C. talenta tibi Apolloniata Romæ dedissent, ne pecunias creditas soluerent, vltro Fufidium equitem Romanorum debitoribus suis addixisti? non ne cum hiberna legato præfectoq; tradidisses, euertisti miseræ funditus ciuitates? Qui modus tibi fuit frumenti æstimati? qui honorarij? si quidem potest vi, & metu extortum honorarium nominari. Qui lego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes, libidiniosissimas liberationes, proferam? quid vectigalem prouinciam iniquis rebus, quæcunque venirent, certo portorio imposito seruis tuis publicanis à te factam esse non meministi? quid centuriatus palam venditos, quid per tuum seruulum ordines assignatos? quid stipendium militibus per omnes annos à ciuitatibus mensis propositus numeratum, & annuo aurum coronarium. lex enim generi tui (Cæsarum significat) & decerni, & accipere vetabat, nisi decreto triumpho. mitto diplomata tota in prouincia passim data. mitto numerum nauium, summamque prædæ. mitto rationem exacti, imperatiq; frumenti. mitto ereptam libertatem populis, ac singulis, qui erant affecti præmijs nominatim. quorum nihil est, quod non sit in lege Iulia, ne fieri liceat, sanctum diligenter exercitum dimisisti, neque vllam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire, quàm numerum tuorum militum, reliquiasque cognoscere. Et in eadem de Gabinio Syriæ proconsule loquens: Eduxit exercitum è Syria. quilibet extra prouinciam? tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. quid hoc turpius? Hic si sanæ mentis esset, ausus esset, mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnū iniussu populi, aut senatus accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecunijs repetundis planissime vetant. Idem Ciliciæ proconsul scribit ad Atticum: De me scire fortasse maius hæc sunt. Adhuc sumptus nec in me aut publice, aut priuatim, nec in quenquam committum nihil accipitur lege Iulia. Item: Lenantur miseræ ciuitates, quod nullus sumptus fit in nos, neque in legatos, neque in quaestorem, neque in quenquam. Scito non modo non fœnum, aut quod dari lege Iulia solet, non accipere. sed ne ligna quidem, nec præter quattuor lectos, & tectum quenquam accipere quidquam. & alibi: Caue putes, quidquam homines magis vquam esse miratos, quàm nullum teruncium, me obtinente prouinciam, sumptus esse factum nec in me, nec in quenquam meorum. Derationibus referendis, & comitibus deferendis scribit ad Rufum libro v epistolarum. De pecunia persequenda ab ijs, ad quos peruenerit, in oratione pro Postumo: lubet lex Iulia persequi ab ijs, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, peruenerit. si hoc est nouum in lege Iulia, sicut multa sunt seuerius scripta, quàm in

antiquis legibus, & sanctius iudicata, sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua. sin hoc totidem verbis translatum caput est, quot fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in Seruilia, quem hunc morem nouorum iudiciorum in remp. inducimur? & Cælius: Postquam legis vnum, & centesimum caput legit in quo ita erat: quod eorum iudicium maior pars iudicari, id ius, ratumque esto, in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit.

De legibus peculatus, pecuniarum residuarum, & sacrilegij.

CAP. XXVIII.



PECVLATVS dictus est furtum pecuniæ publicæ; & peculator qui furtum pecuniæ publicæ fecit, teste Afconio. Nomen autem accepit, vt scribit Festus, à pecore, quia ab eo initiū eius fraudis esse cœpit. siquidem ante æs, aut argentum signatum ob delicta pœna grauiissima erat duarum ouium, & triginta boum. Vt autem ceteræ quaestiones, sic etiā peculatus primis temporibus certum prætorem, aut quaestorem non habuit, sed lege, prout vsus incidebat, prætoribus, aut etiam consulibus mandabatur. Sit exemplo iudicium L. Scipionis Africani fratris factum anno D L X VI. de quo in hunc modum Liuius: Q. Petellius tribunus pl. ad plebem tulit, Velitis, iubeatis, quaeratur, quæ pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est, quique sub eius imperio fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, vt de ea Ser. Sulpicius prætor vrbani ad senatum referat, quem eam rem velit senatus quaerere de ijs, qui prætores nunc sunt. omnes tribus, Vti rogas iusserunt. Ser. Sulpicio deinde referente, quem rogatione Petillia quaerere vellent, Q. Terentium Cullionem patres iusserunt. ad hunc prætorem reus extemplo factus L. Scipio. simul & delata, & recepta nomina legatorū eius, & quaestoris, & vt omnia contacta societate peculatus viderentur. scribæ quoque duo, & accensus. Vt autem intelligatur, quæ iam tū fuerit huius iudicij, & quaestionis forma, paucis agamus. Crimen obiectum est L. Scipioni pro consuli, quod quò commodior pax Antiocho daretur, ipse sex millia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisset, quàm in ærarium rettulisset. A. Hostilius legatus octoginta pondo auri, argenti quadringenta tria, Furius quaestor auri centum triginta, argenti viginti pondo. Accusati autem prædes dabant, aut in carcerem trudebantur, lis æstimabatur, in bona damnatorum quaestores mittebantur. siquidem inquit Liuius: Iudicij à prætore perfectis Hostilius, & Furius damnati prædes eodem die quaestoribus vrbani derunt. Scipio cum contenderet, omnem, quam accepisset, pecuniam in ærario esse, nec se quidquam publici habere, in vincula duci cœptus est. In bona L. Scipionis possessum publice quaestores prætor misit.

LEX VETVS PECVLATVS. Postquam autem quaestio repetundarum perpetua constituta proprium prætorem est naeta, tum vero quaestio etiam peculatus præcipuo prætori eodem modo mandata est. id vero ante dictaturam L. Syllæ, i. ante annum D C L X I. Qua tamen lege acceperit, adhuc inuenire nō potui. A Sylla vero non accepisse, apparet, quia Pomponius D. de origine iuris scribit, Syllam tulisse tantum de sicariis, veneficijs, parricidio, & falso, & propterea quatuor prætores adiecisse, non prætermisurus crimen peculatus, si à Sylla ad certum prætorem esset redactum. Post Syllam vero habuisse, multa sunt argumenta, sed maxime insignia tria; vnum, quod Cicero M. Crasso, Cn. Pompeio consulibus anno D C L X X I I I minatur Verri, quem de pecunijs repetundis reum agebat, iudicium peculatus; & quod Cluentium defendens Lepido, & Fullo consulibus anno D C L X X V I I inquit, se prætorem de pecunijs repetundis quaerere, C. Orchiniam de peculatu; & sequenti anno, in defensione Murenæ, L. Murenam prætorem vrbani iurisdictionem esse sortitum, Ser. Sulpicium quaestione peculatus. Quæ autem in lege peculatus hæc fuerint, qua Verri iudicium comminatur, epe-

re pretium est ex ipsius verbis accipere: *Reperiemus, inquit, quibus probemus, istum in quaestura pecuniam publicam Cn. Carboni consuli datam auertisse, istum alieno nomine a quaestoribus urbanis pecuniam abstulisse. erunt qui in eo quoque audaciam eius reprehendant, quod aliquot nominibus de capite frumenti decumani detraxerit, erunt etiam fortasse iudices, qui illum eius peculatum vel acerrime vindicandum putent, quod iste M. Marcelli, & P. Africani monumenta, quae nomine illorum, re vera populi Ro. erant, ex sanis sociorum abstulerit.* Item de ratione iudicij ex oratione pro Murena: *Ser. Sulpicij fors tristis, atrox, quaestio peculatus. ex altera parte lacrymarum, & squaloris, ex altera plena cathenarum, & iudicum. cogendi iudices inuiti, retinendi contra voluntatem. scriba damnatus. ordo totus alienus. Syllana gratificatio reprehensa. multi viri fortes, ac maior pars ciuitatis offensa est. lites seuerae estimatae.*

Ad quaestionem porro peculatus adiuncta est quaestio de pecuniis residuis. De quibus sic Asconius in Cornelianam: *Quia defuerat superioribus temporibus in arario pecunia publica, multa & saepe eius rei remedia erant quaesita, in quibus hoc quoque, ut pecunia publica, quae residua apud quenque essent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum Dictatoris filium, quia Sylla per multos annos, quibus exercitiis praesuerat, & temp. tenuerat, sumpserat pecunias ex vestigalibus, & ex arario populi Ro. eaque res saepe erat agitata, saepe omissa; partim propter Syllanarum partium potentiam; partim, quod iniquum videbatur, post tot annos quam quisque pecuniam acceperat, eius reddere rationem. Videtur autem de eare C. Cornelius trib. pl. legem tulisse, cum dicat in defensione eius Cicero: Idem, nisi haec ipse lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decreuissent senatui non placere, id iudicium de Syllae bonis fieri. & pro Cluentio: Nuper apud C. Orchinium collegam meum peculatus quaestorem locus ab iudicibus Fausto Syllae de pecunijs residuis non est constitutus. non quo illi aut ex lege Syllae, aut causam pecuniae publicae contemptam putaret, sed quod accusante tribuno plebis conditione aequa disceptari posse non putauerunt.*

**LEX IULIA.** Postremo C. Iulius legem tulit, qua peculatum, sacrilegium, & residuas pecunias est complexus. Eius legis capita in Digestis haec extant.

*Prator, qui ex hac lege quaeret, de eo quaerito, qui ex pecunia sacra, religiosa abstulerit, interceperit, in suam rem verterit, aut quo quis auferat, intercipiat, vel in rem suam vertat, fecerit. Qui in aurum, argentum, aes publicum quid indiderit, immisceuerit, aut quo quid indatur, immisceatur, fecerit dolo malo, quo id peius fiat. Quique tabulam arcam legis, formamve agrorum, aut quid aliud continentem refixerit, vel quid inde immutauerit, ei aqua, & igni interdicitur. atque pecunia ab herede repetatur. Quique publicam pecuniam delegatam in usum aliquem retinuerit, neque eam rem consumpserit. Item de eo, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione ex pecunia, quam accepit, alia de qua pecunia resedit, is damnatus amplius tertiam parte, quam debeat, soluat.*

*De legibus maiestatis.*

CAP. XXXIX.



**M**INIMUM criminum grauiissimum, atq; antiquissimum fuit, cum populi Ro. est imminuta maiestas. Itaq; Vlp. Maiestatem sic definiuit: *Maiestas est crimen illud, quod aduersus populum Ro. aut securitatem eius committitur. id est in quo laeditur aut dignitas, aut securitas eius. De dignitate idem quoque expressit Cicero in Rhetoricis, cum dixit: Maiestatem minuere esse de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare.* De securitate ex iis, quae dicuntur, facile cognoscetur. His ergo constitutis sequitur, ut quaecunque aut populo, aut magistratibus eius directo iniuria facta sint, ad maiestatis crimen pertineant.

**LEX XII. TABULARUM.** De maiestate vero primus Romulus tulit cum legem

legem de prodicione sanxit, cuius Dionysius meminit. Neque vero aut ipsum, aut ceteros, qui consequuti sunt, reges vlli rei prius consuluisse, verisimile est, quam ei, quae regia ipsam rationem, & totius populi, ac reip. contineret. L. autem Brutus iudicium maiestatis tum exercuit, cum filios, qui aduersus patriam coniurauerant, & de ea regibus prodeda consilia agitauerant, ultimo supplicio affecit. In XII etiam tabulis sancta maiestas videtur. si quidem Marcianus ad legem Iuliam maiestatis, scribit, *legem XII tabularum iussisse, eum, qui hostem cocitasset, quique ciuem hosti tradidisset, capite puniri.* In declamatione quoque Latronis contra Catilinam sic scriptum est: *Primum XII tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in vrbe coetus nocturnos agitaret.* Ex quo apparet, coetus nocturnos qui celebrarunt, eos maiestatem, id est securitatem populi imminuisse.

**LEX GABINIA.** Ex legibus autem post XII tabulas, quibus defensa maiestas sit, vetustissima Gabinia fuit, ne quis coitiones clandestinas conflaret; qui fecisset, capitali supplicio plecteretur. Cuius in eadem declamatione mentio est: *Primum XII tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in vrbe coetus nocturnos agitaret, deinde lege Gabinia promulgatum, qui coitiones vllas clandestinas in vrbe conflauisset, more maiorum capitali supplicio mulctaretur.* Haec autem iudicia sero proprium praetorem adepti sunt, sed a populo huic, aut illi pro re nata commissa sunt. Liuius libro IX: *Capuae multae principum coniurationes patefactae. de quibus cum ad senatum relatum esset, quaestiones decretae, dictatoremque; quaestionibus exercendis dici placuit. C. Manius dictus. Ut quaestioni Campanae materia decessit, versa Romam interpretando res. non nominatim qui Capuae, sed in vniuersum, qui vsquam coisissent, coniurassent de aduersus populum Rom. quae senatum iussisse. & coitiones honorum adipiscendorum causa factas aduersus remp. esse. Idem libro XXXIX prodidit, extra ordinem de iis, qui sacrorum causa coisissent, a consulibus esse quaesitum. Post annum inde DCIII leges quattuor de maiestate latae, Appuleia, Varia, Cornelia, & Iulia.*

**LEX APPULEIA.** Appuleiam tulit, ut opinor, L. Appuleius Saturninus, qui tribunatum gessit anno DCLIC. Mario quintum consule, cumque in insequentem annum continuauit, in quo est interfectus. Hac lege C. Norbanus est postulatus, quem M. Antonius censorius defendit, ut in II de oratore scribit Cicero. Antonius autem censuram biennio post gessit. Ea vero lege vim in vrbe, ac seditionem vindicatam esse apparet, ex verbis Antonij apud Ciceronem de oratore, quem ita cum Sulpicio accusatore loquentem inducit: *Habueras tu omnia in causa superiora. vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Caepionis graui, miserabilique casu in iudicium vocabas. deinde principem & senatus, & ciuitatis M. Aemilium lapide percussam esse constabat. vi pulsum ex templo L. Cottam, & T. Didium, cum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare. & addit: In illa omni defensione, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Appuleia dicerem, ut quid esset minuere maiestatem, explicarem, per quam breuiter perstrinxi.* Atque hac quidem lege ego quaestionem de maiestate perpetuam constitutam putarim.

**LEX VARIA.** Legem Variam Q. Varius tribunus pl. tulit anno DCLXII. de qua sic Valerius: *Q. Varius propter obscurum ius ciuitatis Hybrida cognominatus, tribunus plebis legem aduersus intercessionem collegarum perrogauit. qua iubebat quaeri, quorum dolo malo socij ad arma ire coacti essent. & Asconius in Scaurianam: Italico bello exacto cum ob socijs negatam ciuitatem nobilitas in inuidia esset, Q. Varius tribunus pl. legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum opera, consiliove socij contra populum Rom. arma sumpserunt.* Scribit autem in Cornelianam lege Varia multos damnatos. quod innuit etiam Cicero in Bruto, cum ait: *Exercebatur vna lege iudicium Varia. & pro C. Cornelio: Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, Cn. Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse.*

**LEX CORNELIA.** Non multis inde post annis L. Sylla dictator legem de maiestate rettulit, qua populus Rom. vsque ad Caesarem Dictatorem est vsus. Huius legis haec capita apud scriptores dispersa leguntur:

S Prator,

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui intercessionē sustulerit, aut magistrati, quominus munere suo fungatur, impedimento fuerit. Qui exercitum è prouincia duxerit, aut sua sponte bellum gesserit. Qui exercitum sollicitauerit. Qui ducibus hostium captis ignouerit, aut pecunia liberarit. Qui ducibus prædonum captis ignouerit. Qui potestatem suam in administrando non defenderit. Qui ciuis Romanus apud regem externum versatus fuerit. Mulieris testimonium accipiatur. Calumniatoribus nulla pœna sit. His damnatis pœna aquæ, & ignis interdictio sit.

Hæc autem capita ex his, quæ proferam, locis sumpta sunt. Cicero in Pisonem loquens de Gabinio Syriae præcōsule: Exercitum eduxit è Syria, qui licuit extra prouinciam? tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino, in Aegyptum venit, si gna contulit. hic si mentis sanæ esset, ausus esset, mitto exire de prouincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi, aut senatus accedere. quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulie de pecunijs repetundis planissime vetant. & in oratione pro Cluentio, quam caussam egit multis post Syllæ dictaturam annis: At Bulbus est condemnatus. adde maiestatis. legionem ab eo sollicitatam in Illyrico, multorum testimonijs planum factum est. quod crimen erat proprium illius quæstionis, & quæ res lege maiestatis tenebatur. Scribit porro Afconius, C. Cornelium lege Cornelia maiestatis eodem tempore reum factum, quod cum legem tribunus plebis ferret, contra collegarum intercessionem legis codicem recitaret, atque intercessionem sustulerat. & Cicero, cum maiestatis iudicium intentat Verri, sic loquitur: Meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberauit. videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reseruauit. meminerit, se confessum esse, duces à se prædonum securi non esse percussos. fateatur, se priuatum hominem prædonum duces viuos, atque incolumes domi suæ tenuisse. hoc in illo maiestatis iudicio si sibi licuisse ostenderit, ego oportuisse cōcedam. Afconius in III in Verrem: Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti maiestatis læsæ, reus est. Suetonius in Claudio: Quendam, quod comes regis in prouincia fuisset, damnauit, referens maiorum temporibus Rabirio Postumo Ptolemaum Alexandriam crediti seruandi causa sequuto maiestatis crimen apud iudices motum. Quin etiam mulieris testimonium in coniuratione Catilinæ ex lege Cornelia de maiestate valuisse, scriptum est D. ad legem Iuliam maiestatis. Omnino autem Syllæ pœnam calumniatoribus in hoc crimine deterendo nullam proposuisse videtur. Si quidem Cicero scribit ad Appium maiestatis reum: Maiestas est, ut Syllæ voluit, ut in quenuis impune declamari liceret. Hoc crimine accusatus est Gabinius. unde idem in III ad fratrem: Hodie Gabinius, cum hora octaua edicto C. Alfij de maiestate adesse oporteret, concursu magno populi pene afflictus est. & post: Gabinius absolutus est. omnino nihil illo accusatore Lentulo, subscriptoribusque eius infantius. nihil illo consilio sordidius, quid plura de iudiciis? duo prætorij sederunt, Domitius Calvinus, is aperte absoluit, ut omnes viderent; Cato, is diremptis tabellis de circulo se subduxit.

LEX IULIA CAESARIS. Legem Corneliam sequuta est Iulia à C. Iulio Cæsare item dictatore lata. cuius mentio est apud Ciceronem in prima in Antonium. Nam cum Antonius consul post mortem Cæsaris legem promulgasset, ut de vi, ac de maiestate damnatis ad populū prouocatio non esset, dixit Cicero legibus Cæsaris obrogari, qui tulerat, ut de vi, & de maiestate dānatis aqua, & igni interdiceretur.

LEX IULIA AVGVSTI. Ad extremum C. Iulius Cæsar Augustus alteram Iuliam tulit. cuius hæc capita extant apud Vlpianum, Marcianum, Scæuolam, Venuleium, Modestinum, Papinianū, Hermogenianum D. ad legem Iuliam maiestatis.

Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, Cuius opera, dolo malo consilium initum erit, quo obsides iniussu principis interciderent, quo armati homines cum telis, lapidibusve in vrbe sint, conueniantve aduersus remp. locaue occupentur, vel tēpla. quodve cœtus, conuentus fiat, hominesve ad seditionem conuocentur. cuiusve opera, consilio, dolo malo consilium initum erit, quo quis magistratus populi Ro. quiue imperium, potestatemve

tēme habet, occidatur, quodve quis contra remp. arma ferat, quodve hostibus populi Romanuntium, litterasve miserit, signumve dederit, feceritve dolo malo, quo hostes populi Ro. iuuentur aduersus remp. quiue milites sollicitauerit, concitaueritve, quo seditio, tumultusve aduersus remp. fiat.

Item de eo, qui in bellis cesserit, aut arcem non tenuerit, aut castra concesserit.

Qui iniussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparauerit, quodve, cum ei in prouincia successum esset, exercitum successori non tradidit, quodve imperium, exercitumve populi Ro. deseruerit, quodve priuatus pro potestate, magistratusve quid sciens dolo malo gesserit, quodve quid eorum, quæ superscripta sunt, facere curauerit. Cuiusve dolo malo iureiurando quis adactus est, quo aduersus remp. faciat, cuiusve dolo malo exercitus populi Ro. in insidias deductus, hostibusve proditus erit. factumve dolo malo cuius dicitur, quo minus hostes in potestate populi Rom. veniant, cuiusve opera dolo malo hostes populi Ro. comæatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave qua re adiuti erunt, ut ne ex amicis hostes populi Ro. fiant, cuiusve dolo malo factum erit, quo rex exteræ nationis populo Rom. minus obtemperet, cuiusque opera dolo malo factum erit, quo magis obsides, pecunia, iuramenta hostibus populi Rom. dentur aduersus remp.

Item de eo quærito, qui confessum in iudicio reum, & propter hoc in vincula coniectum emisit. Item cuius ope consilio, dolo malo prouincia, vel ciuitas hostibus prodita est. Qui statuas, aut imagines Imperatoris iam consecratas constauerint, aliudve quid simile admisserint. Qui famosos libellos scripserint. Famosi, qui ius accusandi non habent, ad hanc accusationem admittantur, itemque milites. Serui deferentes audiantur, & quidem dominos suos, & liberti patronos. Itemque mulieres accipiantur. Qui in reatu maiestatis decesserit, nisi à successoribus purgetur, hereditas fisco vindicetur. Qui ex alia causa legis Iulie maiestatis reus est, quam perduellionis, mortis crimine liberetur, qui perduellionis capite puniatur.

Perduellionis autem reū Vlpianus interpretatur, hostili animo aduersus remp. vel principem animatum. ita ut perduellionis crimen grauissimum inter maiestatis crimina videatur, & perduellio nunc non pœna grauissima, sed crimen grauissimum sit. Atque ex his quidem omnia sunt apud eos, quos dixi, iurifconsultos. de famosis autem libellis apud Tacitum libro primo: Primus, inquit, Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis de maiestate tractauit, commotus Cassij Seueri libidine, qua viros, feminasque illustres procacibus dictis diffamauerat. mox Tiberius consultante Pompeio Macro prætore, an iudicia maiestatis redderentur, exercendas leges esse respondit. Item: Legem Tiberius maiestatis reduxit. cui nomen apud veteres idem, sed alia in iudicium veniebant. si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta re maiestatem populi Ro. minuisse. facta arguebantur, dicta impune erant. Item Suetonius: Sub idem tempus Tiberius consulente prætore, an iudicia maiestatis cogi iuberet, exercendas esse leges respondit, & atrocissime exercuit. Statua quidam Augusti caput dempserat, ut alterius imponeret. acta res in senatu, & quia ambigebatur, per tormenta quæsitum est. damnato reo paulatim hoc genus calumnie eo processit, ut hæc quoque capitalia essent, circa Augusti simulachrum seruum occidisse, vestem mutasse, nummo, vel annulo effigiem impressam latrina, aut lupanari intulisse. dictum vllum factumve eius existimatione aliqua læsisse. Perijt denique & is, qui honores in colonia sua eodē die decerni sibi passus est, quo decreti & Augusto olim eras.

De legibus ambitus.

CAP XXX.



AMBIVM autem appellarunt crimen illud, quo quis se in ambiendo magistratu obstrinxit. Ambire vero erat petere, verū studiosius impensiusque, quàm mores, legesque ciuitatis ferebant. Quoniam autem multis modis ambitus committi, legesque in petendo magistratu poterant violari, propterea videtur faciendum, ut antequam leges latas de ambitu exponamus, partes ipsius ambitus exquiramus, easque distinguere contendamus.



DE PARTIBVS ambitus. Est igitur intelligendum, omnem petitionis rationē positam fuisse in amicorum, & populi voluntate concilianda. Amicorū nomen latius in hoc genere patuit, quā in reliquā vitæ consuetudine. nā & propinqui, & necessarii, & omnino, qui aliquid voluntatis ostenderunt, inter amicos habiti sunt. popularis autem ratio quattuor habuit partes, nomenclationem, assiduitatem, blāditiam, & benignitatem. Vtrunque est apud Q. Ciceronem in libro de petitione consulatus: *Petitio magistratuum, inquit, diuisa est in duarum rationum diligentia, quarum altera in amicorum studijs, altera in populari voluntate ponēda est. Hoc nomen amicorum in petitione latius patet, quā in reliqua vitæ. quisquis est enim, qui ostēdat in te aliquid voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus. sed tamen qui sunt amici ex causa honestiore cognationis, aut affinitatis, aut sodalitatē, aut alicuius necessitudinis, his earum, & iucūdam esse maxime oportet.* & post: *Popularis autem ratio desiderat nomenclationem, blanditiā, assiduitatem, & benignitatem.* de quibus singulis exponamus. A M I C O S igitur primum in petitione colendos existimat. amicos autem vocat propinquos, necessarios, & qui aliquid ostendunt voluntatis. Propinqui fuere, qui aut cognatione, aut affinitate coniuncti fuere. Necessarii, quos non sanguis, sed consuetudo vitæ coniunxit, vt familiares, vicini, tribules, clientes, municipes, eiusdem sodalitatē, collegij, societatis, & ordinis. Ac qui ceteri quidem fuerint, liquet. Sodalitates autem fuerunt, de quibus Cato apud Ciceronem loquitur: *Primum habui semper sodales. Sodalitates autē me quaestore constitutæ sunt sacris Idæis Magnæ matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice.* Collegia vero opificum, artificumque sodalitia dicta sunt. quæ Numa rex instituit, vt in libris de iure ciuium Rom. est demonstratum. Quin etiam collegia fuerunt augurum, & pontificum, & eiusmodi sacerdotum. Societates autem cœtus publicanorum fuerunt, qui in societates diuisi vectigalia populi Rom. conduxerunt. Ordines autem fuere senatorius, equester, & plebis. Horum autem omnium studia plurimum ad petitionem valuisse sæpissime Cicero docuit. Qui vero aliquid voluntatis ostenderunt, ij ferme aut salutatores, aut deductores, aut sectatores, aut suffragatores fuerunt. De quibus item Quintus hoc modo: *Affectionis tres partes sunt, vna saluatorum, cum domum veniunt, altera deductorum, tertia sectatorum. In saluatoribus hoc efficiendum est, vt hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur. Deductorum autē officium, quod maius est, quā saluatorum, hoc gratius tibi esse significato, & quoad eius fieri possit, certis temporibus descendito. magnam affert opinionem, magnā dignitatem quotidiana in deducendo frequentia. Tertia est ex hoc genere assidua sectatorum copia. in ea, quos voluntarios habebis, cura, vt intelligant, te sibi in perpetuum summo beneficio obligari. qui autem tibi debent, ab ijs plane hoc munus exige, qui per ætatem, ac negotium poterunt, ipsi tecum vt assidui sint. qui se sectari non poterunt, necessarios suos in hoc munere constituāt. Quibus ex verbis apparet, salutatores fuisse, qui prima hora domum petitoris veniret, vt salute dicta inde discederent; deductores, qui præterea tantisper expectarent, dum illum domo exeuntem in forum deducerent, qui etiam obseruare dicebatur; sectatores, qui assidui cum eo omnibus horis essent, eiusque latera stiparent. Ac petitorum quidem morem fuisse, vt summo mane domi inambularēt, ac sui copiam saluatoribus facerent, significat Cicero in sexto epistolarum ad Atticum, cum inquit: *Aditus ad me minime prouinciales. nihil per cubicularium. ante lucem inambulabam domi, vt olim candidatus.* Sectatores autem homines obscuros, ac tenues fuisse, indicat idem in oratione pro Murena disputans contra Catonem: *Noli, inquit, eripere hunc inferiori generi hominum fructum officij Cato. sine eos, qui omnia à nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint. ipsi, vt solent loqui, non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt. atque hæc à nobis petunt omnia. neque vlla alia re, quæ à nobis consequuntur, nisi opera sua compensari putant posse. Itaque legi Fabiæ, quæ est de numero sectatorum, restiterunt.**

NOMENCLA

NOMENCLATIO vero, quæ præcipua popularis rationis pars fuit, eam habuit vim, vt petitor suo quæque ciuem nomine appellaret, ac salutaret. Vnde Quintus scripsit: *Primum vt homines noris, significa, vt appareat, & auge, vt quotidie melius fiat.* Fuit ergo illud in primis petitori elaborandum, vt singulos ciues nosset, eorumque nomina teneret. siquidem qui aut non tenet, aut oblitus est nomen alterius, is parum eius rationem videtur ducere, teste in Rhetoricis Aristotele. Quare cum Ap. Claudius Scipioni Æmiliano suo in centura competitori obliuisceret, quod is neminem ciuium nosset, respondit Scipio, non mirandum id videri. se enim dedisse operam, vt à ciuibus suis cognosceretur, non vt ipse eos cognosceret. Vnde dixit Quintus: *Quin incipiat Antonius homines adiungere, atq; inuitare ad amicitiam, quos per se suo nomine appellare non possit? mibi quidem stultius nihil videtur, quā existimare, eum studiosum tui, quem non noris.* Sed quoniā in tanto populo, & tātis vitæ occupationibus fieri non poterat, vt æque omnes cogniti essent, hinc ministrum instituerunt, qui petitori nomina ciuium, vt quisque occurreret, suggereret, eumque nomenclatorem vocarūt. Eundem vero Cicero pro Murena monitorem appellat. *Quid, quod habes, inquit, Cato nomenclatorem? in eo quidem fallis, ac decipis. nam si nomine appellari abs te ciues tuos, honestum est, turpe est, eos notiores esse seruo, quā tibi. Sin, si etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt, cur non ante petis, quā insurravit? aut quid cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita saluas?* Festus autem fartorem dictum tradit, quia clam veluti inferebat in aures candidati nomina salutandorum ciuium. Ceterum hunc his verbis descripsit Horatius:

*Si fortunatum species, & gratia spectat,  
Mercesur seruum, qui dicet nomina, læuum  
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram  
Porrigere. hic multum in Fabia valet, ille Velina.  
Cui libet hic fasces dabit, eripietq; curule  
Cui libet importunus ebur.*

Suadet igitur, vt qui honoribus studet, paret seruum, qui dicet ciuium nomina, & læuo latere fodiendo admoneat petitorē officij sui, nimirum cogat trans pondera dextram porrigere, id est trans togam, quam scimus brachium cohibuisse, teste in Vatinius Cicerone. Dum enim irent lentius, dextris pondere togæ grauatæ, admonebat eos nomenclator, vt dextra è toga exerta prentarent, quod cum aliquo incommodo faciebant.

Iam vero quam BLANDITIAM in petitione desiderat Quintus, idem ipse declarat, cum ita præcipit fratri: *Deinde, quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, vt natura facere videare. opus est magnopere blanditiā, quæ etiam se vitiosa est, & turpis in cetera vita, tamen in petitione necessaria. tibi enim cum deteriorum aliquem assentando facit, improba est, cum amico rem, non tam vituperanda petitori vero necessaria est, cuius & frons, & vultus, & sermo ad eorum, quos tanque conuenerit, sensum, & voluntatem commutandus est.* Blande autem appellare est non proprio nomine, sed honestiore salutare, vt patrem, aut fratrem, aut patronum. quod loco superiore declarauit Horatius addens:

*Frater, pater adde.*

*Vt cuique est ætas, ita quenque facetus adopta.*

Hinc Aufonius ad Gratianum de consulatu ab eo accepto: *Consul ego Imperator Auguste munere tuo non prensavi manus, non cum salutantium confusus occursum aut sua amicis nomina reddidi, aut aliena imposui, tribus nō circui, centurias non adulaui.*

ASSIDUITATIS inde vis qualis fuerit, declarat idem Quintus, cum subiicit: *Assiduitatis nullum præceptum est. verbumq; ipsum docet, quæ res sit. prodest quidem debementer nunquam deesse. Sed tamen hic fructus est assiduitatis, non solum esse Romæ atq; in foro, sed assidue petere, sæpe eosdem appellare. non committere, vt quisquā possit dicere, quod eius sit, consequi possis, si abs te, non sit rogatum, ac valde ac diligenter*

S 3 rogatum.

*rogatam.* Ex quo apparet, ad affiduitatem pertinere ambire, prensare, ac rogare. Ambire erat circuire. vnde ambitio, & ambitus nata sunt, quod petitores, vt inquit Festus, *circum forum irent.* vnde scripsit Valerius capite de verecundia: *Consulatum petens L. Crassus cum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogere.* Neque vero Romæ solum, & in foro ambibant, sed etiam in conciliabulis Italiæ, in quibus ciues multi negotiandi causa versari solebāt. Prensare autem erat rogandi causa singulorum dextram prehendere. quod ostendit idem, qui scripsit, Scipionem Nasicam ædilitatis repulsam tulisse, quod cum rustici cuiusdam manum rustico opere duratam prehendisset, quæsiuerit, an manibus ambularet. & Plutarchus, qui in Coriolano prodidit, morem fuisse magistratum petentibus *ἄξιον τὸς πολιτας*, id est, dextram ciuium attingere. & Crassus apud Ciceronem: *Equidem cum peterem magistratus, solebam in prensando dimittere à me Scæuolam, cum ei ita dicerem, me velle esse ineptum, id quod erat petere blandius, quod nisi inepte non fieret, bene non posset fieri.* Hinc Liuius de Tarquinio Superbo rege cum peteret regnum, *circuisse, prensasse minorum maxime gentium patres.* & de Decemuiris: *Tanta exarsit ambitio, vt priuores quoque ciuitatis prensarent homines honorem suppliciter petentes.* Rogare porro erat precibus petere, ac beneficium reposcere. De precibus testis est Cicero pro Plancio: *Si populus tecum congregiatur hæc dicat: Ego tibi Laterensis Plancium non anteposui, sed cum essetis, æque boni viri, meum beneficium potius ad eum detuli, qui à me contenderat, quam ad eum, qui mihi minus summis supplicarat, semper se dicet rogari voluisse.* De commemoratione beneficij Liuius, qui inquit, Superbum regnum petentem *patres admonuisse paterni beneficij.* Atque in hoc quidem munere supplicationis, aut admonitionis aut ipsi versabantur, aut alios claros viros adhibebant, qui vices suas sustinerent, qui suffragatores dicti sunt. Hi vero cum virtutes petitorum populo commemorabant, tum vero beneficia accepta exponebant. quod indicat Cicero pro Murena: *In consule declarando multum apud vniuersum populū Rom. auctoritatis habet suffragatio militaris. quare grauis est illa oratio, me sauciū recreauit, me præda donauit, hoc duce castra cepimus, signa contulimus.* & pro Plancio, cum se ei petenti affuisse scribit: *Aliquid præterea non opibus, non inuidiosa gratia, sed commemoratione beneficij, sed precibus aliquid attulimus etiam nos, appellauit populū, tribubus submisit me, & supplicauit. Vltro me hercules se mihi etiam offerentes, vltro pollicentes rogauit, valuit causa rogandi, non gratia, neque ego sic rogabam, vt petere viderer, quia familiaris esset meus, quia vicinus, quia parente eius semper plurimum esset usus, sed vt quasi parci, & custodi meo.* Sic accepimus à Liuiio, Ap. Claudium consularem rogasse pro P. Claudio fratre, L. Flaminium pro Tito, P. Nasicam pro Africano patruele, Catonem pro Flacco censore competitore. apud Plutarchum vero legimus P. Scipionem pro C. Lælio, C. Gracchum pro C. Fannio, apud Ciceronem Q. Metellum Pium pro Q. Callidio. Idem scribit Valerius. *Cicerius, inquit, vt vidit omnibus se centurijs Scipioni anteferri, templo descendit, abiectaq; candida toga competitoris sui suffragatorem agere cepit.*

Attulit etiam aliquid ad hanc rationem **T O G A C A N D I D A**, quam induisse petitores perspicuum est, vnde ipsi candidati vocati. Docet hoc præter ceteros Macrobius: *Mos fuit, inquit, petitoribus, vt sumpta candida toga nudinis in Comitium venirent, & in colle considerent, vnde coram possent ab vniuersis videri.* Narrat etiam Plutarchus in Coriolano, petitores, cum in campum descenderunt, tunicam deposuisse, siue, quemadmodum idem inquit in Quæstionibus, ne in sinu pecuniam gestare possent, qua suffragia emerent, siue vt cicatrices aduerso pectore acceptas commodius possent ostendere omnibus, qui occurrerent, aut quemadmodum prensationibus, & supplicationibus, sic etiam habitu, & nudatione corporis se deprimerent.

Sequitur **BENIGNITAS**, quæ posita fuit in conciliando populo, congiariis dandis,

dandis, prandiis præbendis, gladiatoribus exhibendis, locis parandis, & pecuniis diuidendis. De congiariis testis est Liuius, vbi loquitur de comitiis cenforiis M. Acilij Glabronis: *In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, fauor se populi inclinarat.* De conuiuiis sic Quinctus: *Benignitas late patet, & est in re familiari, quæ quanquam ad multitudinem peruenire non potest, tamen ab amicis laudatur, & multitudini grata est. est in conuiuijs, quæ facere abs te, & amicis tuis concelebrentur, & passim, & tributim.* De muneribus gladiatorum extat testimonium in oratione pro Murena. in qua orator gladiatores datos populo à Murena, à Sulpicio neglectos plurimum Murenæ ad consulatum profuisse, Sulpicio obfuisse contendit. Quin etiam in iis muneribus dandis multos consumpsisse patrimonia constat, vt de Milone, & Q. Gallio scribit Afconius. Fuisse etiam multos, qui locis tribulibus suis, cum gladiatores darentur, in foro commodandis gratiam eorum quæsiuerint, post apparebit. Quin etiam postremis temporibus consuetudo obtinuit, vt præsentem pecunia populi suffragia emerentur, ad eamque rem ministri adhiberentur, nempe interpretes, sequestres, & diuifores. Interpretes, teste Afconio, erant, per quos pactio inducebatur, sequestres, apud quos pecunia deponeretur, diuifores, qui singulis nummos distribuabant. Vnde dixit Quinctus: *Si sequestribus metum injicimus, diuifores ratione aliqua coercemus, perfici potest, vt largitio nulla fiat.* & Marcus contra Verrem: *Vnum illud ex hominibus certis reperiebam, fiscos complures cum pecunia Siciliensi à quodam senatore ad equitem Ro. esse translatos. ex his quasi decem ad senatorem illum relictos esse comitorum meorum nomine, diuifores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit, demonstrat qua oratione iste usus esset, commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, etiam ante cum iste præturam petisset, & proximis consularibus, prætoribusque comitijs. deinde esse pollicitum, quantum vellet pecuniæ, si me ædilitate deiecerent. hoc alios negasse audere, alios respondisse, non putare id perfici posse. inuentum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia, ex optima diuiforum disciplina, patris istius discipulum, qui sestertium quingentis millibus depositis id se perfecturum polliceretur.* & Antonius ad Gratianum de consulatu suo: *Nihil cum sequestre deposui, cum distributore nihil pepigi.*

Præter profusam benignitatem adhibita est in comitiis, vltimis præsertim reip. temporibus, quasi vis quædam, quæ quia sodalibus contractis adhibebatur, proprio nomine **S O D A L I T I O R V M** est appellata. Sodales autem hoc in loco erant quasi eiusdem factionis, & coitionis. Si quis autem tribules decuriallet, & conscripisset, vt corrumperet populum, quoniam multitudine cogere videbatur, vis videbatur, quoniam pecunia contendebat, ad ambitum pertinebat. erant tamen sodalitia ab ambitu diuersa. nam in sodalitiis per sodales decuriatos, & conscriptos res agebatur, in ambitu per sequestres, & diuifores. Itaque scriptum est apud Afconium, Milonem eodem tempore de ambitu, & de sodalitiis apud diuersos quæsitores, & à diuersis accusatoribus esse postulatam, & Mamertinus dixit ad Iulianum imperatorem: *An vero si centuriatis comitijs consul creatus essem, gloriosus mihi vniuersi populi suffragijs declaratus viderer? minime. siquidem etiam illis præscis temporibus multorum ambitu fuit campus infamis. nota diuiforum flagitia, nota libellorum præstigia, tum operarum ad vim, & seditionem manus emptæ.* Sodalitytes etiam ad ambitum pertinere, ostendit Cicero pro Plancio, cum inquit: *Hoc igitur sensimus, cuiuscumq; tribus largitor esset, & per consensionem magistrorum, quam quisque tribum turpi largitione corrumperet, eum maxime ijs hominibus, qui eius tribus essent, esse notum.* magistrum autem vocat diuifores, quos Plautus, teste Afconio, magistrum curiarum vocauit. ad vim autem spectasse, cum addit: *Decuriatio tribuliam, descriptio populi, suffragia largitione deuincta seueritatem senatus, & bonorum omnium vim, ac dolorem excitarunt. doce decuriasse Plancium, conscripsisse, se-*

questrem fuisse, pronunciaſſe, diuiſiſſe. Præclare. Decuriatio enim, & descriptio populi ad vim adhiberi ſolebat. vt pro Sextio: *Hominēs vicatim deſcribere, ac decuriare.* & pro domo: *Cum deſperatis ducibus decuriatos, & deſcriptos haberes exercitus perditorum.* & in II Philippica: *Cuius etiam familiares de vi condemnati ſunt, quod tui nimis ſtudioſi fuiſſent.* & pro Plancio: *Ego Plancium habuiſſe in petitione multos cupidos ſui gratioſos dico, quos tu ſi ſodales vocas, officiōſam amicitiam nomine inquinas criminōſo: Iam, vt ego doceo, gratioſum eſſe tribulibus Plancium, ſic tu doce, ſequere ſtrem fuiſſe, largitum eſſe, conſcripſiſſe, tribules decuriauiſſe.* Ac de ambitu quidem, & partibus eius hæcenus.

**LEX DE AMBITU VETVS.** Leges autē, quibus eiufmodi crimen eſt vindicatū, multæ fuerunt. Primæ legis, quæ ad ambitum pertineret, mentio eſt apud Liuium libro IIII, L. Pinario, L. Furio tribunis militum conſulati poteſtate anno CCCXXII. qua togæ candidæ uſus eſt interdictus: *Placuit, inquit, ſenatu tollendæ ambitionis cauſſa tribunos legem promulgare, ne cui album inueſtimentum addere petitionis cauſſa liceret. vicerunt tribuni, vt legem perferrent.* Hanc tamen legem obſeruata non eſt, ſatis conſtat.

**LEX POETELIA.** Liuius tamen de ambitu primum latum eſſe C. Fabio, & C. Plautio eos ſcribit anno CCCXCVIII, aduerſus eos, qui nundinas, & concilia bula præfandi cauſſa obirent: *De ambitu, inquit, à C. Poetelio tribuno pl. auctoribus patribus tum primum latum ad populum eſt. eaque rogatione nouorum maxime hominum ambitionem, qui nundinas, & conciliabula obire ſoliti erant, compreſſam credebant.* Verum & hanc legem tacito poſt conſenſu abrogatam exiſtimare poſſumus, quippe cum petitores magistratum etiam in prouincias ad coloniarum, & municipiorum gratiam colligendam, accuriſſe conſtet. anno inde CCCXXXIX C. Mænium dictatorem quæſtiones exercuiſſe ſcribit aduerſus eos, qui magistratum petendorum cauſſa coitiones feciſſent, quod aduerſus remp. eſſent.

**LEX BÆBIA, ÆMILIA.** Poſt autem anno DLXXI lex de ambitu lata eſt à M. Bæbio, L. Æmilio cos. vt ſcribit Liuius. verum cuius ſententiæ eæ fuerint, neque ipſe addit, neque ego affirmare poſſum. Fieri autem poteſt, vt Æmilius tulerit legem aduerſus ſuffragationes, & coitiones. Nam triennio ante Ap. Claudius conſul ſuffragatorem ſe Publio fratri nouo exemplo addiderat, & poſtero anno magnæ in cenſuræ petitione contentiones, & coitiones exarſerant. Lex autem Bæbia præcipue aduerſus largitores videtur lata. ſiquidem Cato in ea oratione, qua legem Bæbiam defendit, teſte Nonio, ſic dixit: *Pecuniam, inlargibo tibi.* & Feſtus: *Cato in diſſuaſione ne lex Bæbia derogaretur: Hoc potius agam, quod hic rogat.*

**LEX CORNELIA, FVLVIA.** Anno inde DXCIIII lex de ambitu lata eſt conſulibus Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fulvio Nobiliore, teſte Liuius in epitomis. Puto vero hac primum lege capitali pœna cautum eſſe, ne ſuffragia donis, ac pecunia emerentur. Scribit tamen Plutarchus in Coriolano, ſe neſcire, quis primus populum largitione corrupit; ſero tamen largitionem factitatam, ſatis conſtare. Itaque ad eadem tempora illud pertinet Polybij, qui ſcribit ætate ſua ambitum capitalem fuiſſe, id eſt exilij pœna vindicatum eſſe. & quod eſt apud Plinium libro XXXV, Q. Coponium ambitus damnatū, quod vini amphoram diſſet ei, cui ſuffragij latio erat.

**LEGES ALIÆ INCERTÆ.** Poſtquam autem populus in mandandis magistratibus vti tabella cœpit, quod lege Gabinia fieri cœptum eſſe anno DCXIII alio loco docuimus, tum leges illæ latæ ſunt, quarum Cicero meminit in tertio de legibus: *Ne quis tabellam inſpiceret, ne rogaret, ne appellaret. quibus legibus ſtudioſi ſuffragatorum ſublata eſſe,* inquit, qui eam ſedulitatem in campum afferbant, vt quos rogarent, eorum etiam tabellam, ne forte deciperentur, vellent inſpicere.

**LEX MARIÆ.** C. inde Marium tribunum plebis legem tulit de ambitu anno DCXXXIII, ex Plutarcho elicitur. Eā lex, vt ibidem ſcribit Cicero, pontes in comitiis

mitiis fecit anguſtos, nempe ne cui ſuffragatori ad rogandum locus in iis pateret. Ceterum qua lege quæſtio ambitus perpetua conſtituta, & proprium prætorum adeptæ ſit, eſt obſcurum. Latum autem per hæc tempora facile crediderim. Siquidem anno DCXXXIX, cum vnâ petiſſent conſulatum P. Rutilius, & M. Scaurus, vt eſt in Bruto, non Rutilius ſolum, qui repulſam tulerat, accuſauit ambitus deſignatum competitorum, ſed Scaurus etiam abſolutus Rutilium. Nec multo poſt C. Marius, vt addit Plutarchus, cum in præturæ petitione repulſus eſſet, accuſatus eſt de ambitu, quia Caſſius Sabaconis amici feruus intra ſepta conſpectus eſſet inter eos, qui ſuffragium ferrent. Marius autem excuſauit, ſe frigidam, cum æſtuaret, ab eo petiſſe bibendi cauſſa. Quin etiam idem narrat, ſextum ab eo conſulatum pecunia eſſe emptum, & L. Syllam in prætura repulſam paſſum poſt corruptis pecunia tribubus, eam eſſe adeptum.

**LEX FABIA.** Per hæc etiam tempora lex Fabia promulgata eſt de numero ſectatorum, eaque à populo repudiata. Itaque Cicero pro Murena dixit: *Tenuiores legi Fabiæ de numero ſectatorum reſtiterunt.*

**LEX ACILIA, CALPURNIA.** Anno inde DCXCVII, M. Acilio Glabrio, & C. Calpurnio Piſone cos. lex alia eſt lata. de qua ſic ſcribit Dio: *Lex ab Acilio Glabrio promulgata eſt de ambitu, vt qui eius damnati eſſent, ijs neque magistratum capere, neque in ſenatum legi liceret, & pecunia multarentur. nam poſt tribuniciam poteſtatem reſtitutam, cum multi ſenatu moti à cenſoribus eum ordinem recuperare cuperent, de omnibus magistratibus varias coitiones, & conſpirationes faciebāt. legem autem promulgarunt conſules, non quod ab ambitu alieni eſſent, ſiquidem & ipſi alieno ſtudio, & magna contentione magistratum eum adepti erant. & Piſo ambitus accuſatus vix euaserat, ſed à ſenatu coacti, quia C. Cornelius tribunus pl. acerbiſſimas ambitus reis pœnas conſtituere cogitarat, idque maxime populo approbante. Senatus autem intelligebat, immodicam pœnarum denunciatione hominibus terrorem injici, ſed neque qui accuſarent, neque qui condemnarent, reuertum iri modicis autem pœnis propoſitis neque accuſatores, neque iudices deſuturos. Itaque cum ante comitia lex nulla ferri poſſet, atque inter ea candidati multa facinora perpetrariſſent, vt ne à cædibus quidem abſtinerent decreuerunt, vt contra hos etiam lex ferretur. denique tanta cura cauerunt, ne quis largitionibus ſe corrupi ſineret, vt præter pœnas alias, quas damnatis conſtituebant, accuſatoribus etiam honores proponerent.* Hæc Dio, quæ etiam confirmantur ab aliis. Nam Cicero defendens Corneliū, inquit: *Cum ambitum videret populus Rom. & à tribunis pl. doceretur, niſi pœna acceſſiſſet in diuiſores, extingui nullo modo poſſe, legem hanc Cornelij ſtagitauit illum, quæ ex S. C. ferrebat, repudiavit.* & alio loco: *At enim extremi, ac difficiliſſimi temporis vocem illam C. Cornelij conſulem mittere coegisti, qui remp. ſaluā eſſe vellent, vt ad legem accipiendam adeſſent.* Quæ verba exponens Aſconius inquit: *C. Piſo, qui conſul eodem anno fuit quo Cornelius tribunus pl. erat, cū legem de ambitu ex S. C. grauiorem, quam antea, ferret, & propter multitudinem diuiſorum, qui per vim aduerſabantur, è foro eiectus eſſet, edixerat, id quod Cicero ſignificat; & maiore manu ſtipatus ad legem perſeuerandam acceſſerat.* & alibi: *Legem tulit C. Calpurnius Piſo conſul. in qua præter alias pœnas pecuniaria quoque erat adiecta.* & pro Murena: *Legem ambitus ſtagitaſti, quæ tibi non deerat. erat enim ſeueriſſime ſcripta Calpurnia.* Honores autem, quos accuſatoribus conſtitutos ſcribit Dio, hi ſunt. primum ille, de quo Cicero in Cluentiana, quam habuit anno ſequenti: *P. Popillius, & T. Gutta, qui cauſſam de ambitu dixerunt, qui accuſati ſunt ab ijs, qui erant ipſi ambitus condemnati, quos ego non iccirco eſſe arbitror in integrum reſtitutos, quod planum fecerint, illos ob rem iudicandam pecuniam accepiſſe, ſed quod iudicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent, ſe ad præmia legis venire oportere.* & ibidem: *Deinde ſi tanta vis fuit iſtius criminis, vt qua quiſque lege ex illis iudicibus reus factus eſſet, tamen hac plaga periret, cur in tanta multitudine accuſatorum, tantis præmijs ceteri reus facti non ſunt*

sunt? Deinde alter ille in Corneliana Balbi: *Obiectum est etiam, quod in tribum Crustumiam peruenerit, quod hic assecutus est legis de ambitu premio.* Neque vero accusatores huius legis premio magistratum eorum, quos damnassent, adepti sunt. exemplo sunt Torquatus, & Cotta, qui in Autronij, & Syllæ consulum defignatorum locum facti sunt, cum illi de ambitu essent damnati. nō enim T. Torquatus, qui consul factus est, accusauit, sed filius eius Lucius. sic enim scribit Cicero de finibus 11: *L. Torquatus adolescentulus eripuit P. Syllæ consulatum, eumque ad patrem suum retulit.* Hac ergo Calpurnia lege dānatus fuit P. Sylla Lepido, & Tullo cos. ut Cicero pro Sylla docuit: *Abfuit ab oculis vestris, & cū lege retineretur, ipse se exilio pæne multauit.*

**LEX TULLIA.** Deinde L. Cæsare, C. Figulo cos. cum in dies licentia ambitus augetur propter præcipuam Catilinæ, & Antonij audaciam, censuit senatus ut lex ambitus etiam cum pœna ferretur, eique rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercessit, auctore Asconio in orationem in toga. Quod nescio an fenserit Cicero, cum pro Murena dixit: *Itaque tenuiores & legi Babia, quæ est de numero sectatorum, & senatusconsulto, quod est L. Cæsare consule factum, restiterunt.* Cicerone inde, Antonioque consulibus commemoratur senatusconsultum, & lex Tullia lata de ambitu. senatusconsultum in oratione pro Murena: *Dixisti, senatusconsultum me referente esse factum, si mercede conducti obuiam candidatis essent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calpurniam factum videri.* Lex vero in oratione in Vatinius: *Cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat, petiturusve sit, gladiatores dare, nisi ex testamento præstituta die, quæ tanta in te est amentia, ut in ipsa petitione gladiatores audeas dare?* Hac vero lege damnatis etiam exilium fuit intentatum, ut scribit Dio inquit: *Cum Catilina consulatum peteret; eiusque assequendi causa nihil intentatum relinqueret, ex auctoritate senatus latum, ut qui de ambitu condemnarentur, ij præter aliam pœnam decenniali exilio multarentur,* Cicerone consule auctore. Itaque Cicero ipse contra Sulpicium dixit: *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non decrat. erat enim seuerissime scripta Calpurnia. mos est gestus dignitati, & voluntati tuæ. pœna grauior in plebem tua voce efflagitata est, exilium in nostrum ordinem concessit senatus postulationi tuæ. morbi excusationi pœna addita est. voluntas offensa multorum. quibus aut contra valetudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam reliquæ vitæ fructus relinquendi.* Eadem vero in lege continebantur etiam diuiforum indicia, pecuniæ deprehensæ, sectatorum multitudo, prandia data, centuriæ descriptæ, locus gladiatoribus datus. quando quidem hæc ut Murenæ ambitus reo obiecta purgat Cicero. sic enim inquit: *Senatus num obuiam pro dire crimen putat? non, sed mercede. num sectari multos? non, sed conductos. num locum ad spectandum dare? aut ad prandium inuitare? minime. sed vulgo passim. quid est vulgo? vniuersos. Non igitur si L. Natta in equitum centurijs voluit esse graciosus, idem erit eius vitrico fraudi, aut crimini; aut si virgo Vestalis huius propinqua locum suum gladiatorum concessit huic, non & illa pie fecit, & hic à culpa emotus est?*

**LEX AVFIDIA.** Biennio inde post Messalla, & Pisone cos. lex ab Aufidio Lurcone tribuno pl. promulgata est, seuerior etiam, quàm Tullia. Eius meminit Cicero in epistolis ad Atticum, de Afranio loquens, cui Pompeius consulatum emerat, teste in Catone minore Plutarcho: *Nunc est expectatio comitiorum, in qua omnibus inuitis tradit noster Magnus Afranium. atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in qua modo asellus onustus auro posset ascendere. consul autem suscepisse negotium dicitur, & domi diuifores habere. quod ego non credo. sed senatus consulta iam duo facta sunt odiosa, quod in consulum facta putantur, Catone, & Domitio postulante; vnum, ut apud magistratus inquiri liceret, alterum, qui domi diuifores haberent, aduersus temp.*

videri

videri facere. Lurco autem tribunus pl. solutus est Aelia, & Fusia, ut legem de ambitu ferret, quam ille promulgauit. noui est in lege hoc, ut qui nummos in tribu pronunciauerit, si non dederit, impune sit; sin dederit, ut quo ad viuat, singulis tribubus sextertium x x x debeat. Sequenti tamen anno Afranio, & Metello cos. C. Cæsar, ut inquit Suetonius, è duobus consulatus cōpetitoribus L. Luceio, Marcoque; Bibulo Luceium sibi adiunxit, pactus ut is, quoniam inferior gratia esset. pecuniâque; polleret, nummos de suo communi nomine pronunciat. qua re cognita optimates, quos metus cœperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu, & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi, ac plerique; pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente, eam largitionem è rep. fieri.

**LEX LICINIA.** Lex inde lata est Licinia de sodalitiis Cn. Pompeio, & M. Licinio Crasso consulibus anno D C X C V I. Hanc autem rem his ego coniecturis elicio. Priore anno, nempe Philippo, & Marcellino consulibus, Cicero sic scribit ad fratrem: *III Idus Februarius Sextius ab indice Cn. Nerio de ambitu postulatus, & à quodam M. Tullio de vi. eo die S. C. factum, ut sodalitates, decuriatque discederent, lexque; de ijs ferretur, ut qui non discessissent, ea pœna, quæ est de vi, teneretur.* Sequenti vero anno Cn. Pompeius, & M. Licinius Crassus, ut scribit Dio, pœnam grauiorem constituerunt aduersus eos, qui largitionem fecissent. quasi vero ipsi minus deliquissent, quod non pecunia, sed vi magistratum adepti essent. Hac lege causam dixit postero anno L. Plancius. Itaque cum in defensione eius dixit Cicero: *Comitia Plancij ædilitatem petentis primum habere cœpit consul harum ipsarum legum ambitus auctor, consulem legum ambitus auctorem intelligit M. Licinium Crassum.* Post Plancium inde M. Cælius, de quo in oratione: *Haud scio an de ambitu, an de criminibus istius sodalium, ac sequestrium similiter respondendum putem.* & sequenti anno Milo, de quo Asconius: *Milo de ambitu ab Appijs, de vi à L. Cornificio, de sodalitijs à Fulvio postulatus est. erat autem postulatus de sodalitijs, & ambitu ea spe, quod primum iudicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebat, nec postea responsurum.* sodalitia vero supra diximus tribules de curiatos, populum descriptum, & sodales ad vim faciendam paratos esse complexa. quin etiam coitionem cum petitoribus comprehendisse, ostendit Cicero pro Plancio, cum inquit: *Dubitabit, quin coitio facta sit, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius?* & nummorum diuisionem, cū addit: *Illud vero crimen de nummis, quos in circo Flamini deprehensos esse dixisti, caluit re recenti, nunc in causa refrigit. neque enim qui illi nummi fuerint, nec quæ tribus, nec qui diuisor, ostenderit.* & exilij pœnam, cum addit: *Nunc postulatur à vobis, ut eius exilio, qui creatus sit, iudicium populi Rom. reprehendatis.* Quin etiam eadem lex ipsos iudices edi ab accusatore sine reiectione voluit. sic enim idem agit: *Veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniae, quæ est de sodalitijs; omnes ambitus legis complexus es. neque enim quidquam aliud in hac lege, nisi edititios iudices es sequutus, quod genus iudiciorum si est æquum nulla in re, nisi hac tribuaria, non intelligo, quam obrem senatus hoc vno in genere tribus edi voluerit ab accusatore, neque eandem editionem transtulerit in ceteras causas. de ipso denique; ambitu, reiectione fieri voluerit iudicium alternorum, cumque; nullum genus acerbitalis prætermitteret, hoc tamen vnum prætereundum putari.* Quorum verborum hæc videtur sententia: Lex Licinia in eos erat lata, qui sodalitia, & qui ambitum cōmiserunt: de sodalitiis iudices edi ab accusatore voluerat sine reiectione; de ambitu iudices forte legi reiectione reo, & accusatori permissa. Inquit ergo: Tu nomine legis Liciniae de sodalitiis complecteris omnes ambitus, qui in lege Licinia continentur, nec de sodalitiis quidquam attingis, nisi editos iudices, qui edititij iudices si non conueniunt, nisi cum tribus corruptæ sunt, non intelligo, cur magis iudices edi voluerit senatus, cum corruptæ sunt à sodalibus, quàm cum corrumpuntur à diuiforibus, & cur in sodalitiis reici iudices noluerit, in ambitu vero de reiectione iudicium fieri voluerit alternorum, id est

accu

accusatoris, & rei, & cum nullum genus acerbitatis prætermitteret, quo ambitum castigaret, hoc tamen prætermiserit: Itaque paullo post ita inuehitur: *Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos. deinde effundas repente, ut ante confessum eorum videam, quam potuerim, qui essent futuri, suspicari, apud eosq; me ne quinque quidem reiectis, quod in proximo reo de consilij sententia constitutum est, cogas caussam de fortunis omnibus dicere? an vero nuper clarissimi ciues nomen editi iudicis non tulerunt, cum ex centum viginti quinque iudicibus principibus equestris ordinis, quinque, & septuaginta reus reijceret, quinquaginta referret, omniaque potius permiscuerunt, quam ei legi, conditioniq; parerent, nos neque ex delectis iudicibus sed ex omni populo, neque editos ad reijciendum, sed ab accusatore constitutos iudices ita feremus, ut neminem reijciamus?*

LEX POMPEIA. Verum ne lex quidem Licinia profuisse quidquam ad coercendum ambitum videtur. Siquidem Domitio, & Claudio cos. id est proximo secundum Crassum, & Pompeium consules anno scribit Cicero ad fratrem: *Ambitus redit immanis. nunquam fuit par. Idibus Quinctilis foenus fuit Z Z ex Z coitione Memmij, quam cum Domitio habuit, & quæ sequuntur, & post: De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, à Memmio Domitius, à Q. Curtio Memmius, à Q. Pompeio Messalla, à Triario Scaurus. magna res in motu est, propterea quod aut hominum, aut legum interitus ostenditur. opera datur, ut iudicia ne fiant.* Satis etiam constat, postero anno magnam inter consulatus competitores Scipionem, Hypsæum, & Milonem contentionem fuisse, cum non solum largitione profusa, sed etiam factionibus armatorum succincti peterent, ut inquit Asconius. Quo anno comitiis extractis, cum Kal. Ianuariis nulli essent consules, inde v. Kalendas Martias per interregem Cn. Pompeius solus consul creatus statim iniit, & post diem tertium de legibus nouis ferendis rettulit. duas ex senatusconsulto promulgauit, vnam de vi, alteram de ambitu; poenam grauiorem, & formam iudiciorum breuiorem. vtraque enim lex testes prius dari, deinde vno die, atque eodem ab accusatore, & ab reo perorari iubebat, ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Ad dit præterea Dio, Pompeium legisse omnes homines, ex quibus iudices sorte ducendi essent, & certum patronorum numerum statuuisse vtrique parti, & laudatores sustulisse; aduersus autem eos, qui ambitum fecisse arguerentur, eos quoque qui simili de causa postulati fuerant, accusatores constituisse magno præmio proposito. nam quicumque duos reos fecissent, atque vnum damnassent, ei impunitatem dedisse. Vnde scripsit Asconius: *Milo factus reus ambitus apud Torquatium absens damnatus est. illa quoque lege accusator fuit eius Ap. Claudius, & cum ei præmium lege daretur, negauit. post paucos quoque dies Milo apud Fauonium quaestorem de sodalitijs damnatus est, accusatore P. Fulvio, cuius lege præmium datum est.* Plutarchus item latum à Pompeio scribit, ne laudatores darentur, & numerum iudicum centum sexaginta prodit. at Asconius inquit, Pompeium trecentos sexaginta ex amplissimo censu legisse, ex quibus sorte ducendi erant in quaque quaestione. Eodem anno ob eam causam S. C. factum narrat Dio, ne quis consularis, aut prætorius prouincias obtineret, nisi post quinquennium, quam magistratum gessisset.

LEX IULIA CAESARIS. C. inde Iulius Cæsar dictator ambitus flammam restrinxit, cum comitia magistratuum alia sibi referuasset, alia populo concessisset. siquidem scribit Suetonius: *Cæsar comitia cum populo partitus est. ut exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciaretur, pro altera parte, quos ipse dedisset. & edebat per libellos circum tribus missos, scriptura breui. Cæsar dictator illi tribus. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant.* Eodem tempore, cum viueret, M. Varro scripsit in libris de vita populi Roma. teste Nonio: *Tanta inuasit honorum cupiditas plerisque, ut vel coelum ruere, dum modo magistratum*

tum adipiscantur, exoptent. de lingua vero Latina: *Qui populum candidatus circumit, ambit. qui aliter facit, ex ambitu caussam dicit.* Huc etiam pertinent illa ex declamatione contra Sallustium: *Sed si fuerim in honoribus petendis nimis ambitiosus, non hanc dico popularem ambitionem, cuius me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cuius primos ordines Sallustius duxit.*

LEX IULIA AVGVSTI. Postremo C. Iulius Augustus comitorum ius pristinum reduxit, ac multiplice poena coërcito ambitu Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die comitorum, ne quid à quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum à te diuisit, ut Suetonius prodidit. Adicit Dio libro LIII, Augustum statuisse, ut qui largitionibus magistratum petissent, quinquennio vacarent. Deinde vero cum Tiberij tempore comitia ad senatum & à senatu ad principem essent translata, ambitus omnis cessauit. atque ita lex Iulia, de qua scriptum est in Pandectis, teste Modestino, necessaria non fuit.

De legibus inter sicarios, & veneficij & parricidij. CAP. XXX.



VLIVM est crimen, quod aut legibus, aut iudiciis vetustioribus vindicatum sit, quam cædes hominis. Id vero maleficij genus primo parricidium dictum. testis est Plutarchus, qui scribit, Numam regem homicidium quodcumque nomine parricidij esse complexum. item Festus, qui parricidam vocatum esse ait à Numa rege, quicumque hominem occidisset. *Parricida, inquit, non utique is, qui patrem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numæ Pompilij regis his composita verbis: si quis hominem liberum dolo sciens mortiduit, parricida esto.*

Postremo autem si cædes facta esset ferro, aut telo, crimē illud inter sicarios dictum est; si veneno, veneficium; si parentibus, aut propinquis nex allata, proprie parricidium. Sicarij à sica dicti. Sicam ferreum cultrum fuisse, scribit Iustinianus libro III Institutionum. Qualis vero gladius fuerit, describit Iosephus antiquitatum Iudaicarum libro xx. *Sicarij, inquit, latrones sunt cultellis vtentes magnitudine similibus acinacibus Persicis, recuruis, & similibus ijs, quæ à Romanis sica dicuntur. Vnde & qui latrocinantur nomen sumpserunt. Hi gladij breues erant, ita ut occultari sinu vestis possent, & facile nec opinantes confodi, & maxime in turba possent.* Itaq; odio hominibus erant, & nomen homicidio dederunt. ut idem in secundo de bello Iudaico scripsit. Antiquis porro legibus cultrum habere non licuisse, apparet ex Aulularia Plauti: *Ad tres viros iam ego deferam tuum nomen. c. quam obrem? s. quia cultrum habes. c. coquum decet.* Itaque qui cultrum habebat non occidendi hominis causa, eius nomen tempore Plauti ad Triumuiros capitales deferebatur.

LEX INCERTA INTER SICARIOS, ET VENEVICII. Quaestione vero inter sicarios meminit Cicero in II de finibus, quæ exercita est extra ordinem post annum DCIII. sic enim inquit: *L. Tubulus prætor cum quaestione inter sicarios exerceret, aperte cepit pecunias ob rem indicandam.* Item in Bruto: *De cæde facta in sylua Scantia senatus decreuit, ut consules quaerent, P. Scipio, & D. Brutus.* Hi vero anno DCXV consulatum gesserunt.

DE VENEVICIIS vero sæpe quaesitum superioribus temporibus esse, docet Liuius libro VII, & lib. XL, & XLVIII, semper de mulieribus, quæ viros suos necauerant. in epitoma etiã libri LXVIII: *De veneficij quaestione. Publicia, & Licinia nobiles feminae, quæ viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita causâ cum prætori prædes, vadesq; dedissent, cognatorum decreto necatae sunt.* Verum hoc ante annum sexcentimum quartum, id est antequam quaestiones publicæ instituerentur.

LEX CORNELIA. Sylla vero dictator anno DCLXXI, ut diximus, de sicariis, veneficis, parricidio, & falso tulit, & propterea quattuor prætores adiecit, easque perpetuas posthac esse quaestiones voluit. Docet, ut iã sæpe scripsi, Cicero in Ver-

rem: *Lex testamentaria, nummaria, ceterae complures, in quibus non ius aliquod nouum in populum constituitur, sed sancitur, ut quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad praetorem pertineat ex certo tempore.* ceterum capita legis Corneliae de sicariis, & veneficis, quae extant, haec sunt:

*Iudex quaestionis cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quaerito, qui hominem occiderit, cuius de dolo malo incendium factum erit, quiq; hominis occidendi, surtiue faciendi causa cum telo ambulauerit.*

*Iudex quaestionis cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, de eius capite quaerito, qui veneni malum hominis necandi causa fecit, fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. Deq; eius capite quaerito, qui tribunus militum legionibus quattuor primis, qui de quaestor, tribunus ple. Triumuir capitalis, Triumuir agris dandis assignandis, consul, dictator, praetor, magister equitum, qui de magistratum habuerit, qui de in senatu sententiam dixit, dixerit, qui eorum coit, coierit, conuenit, conuenerit, consensit, consenserit, quo quis falsum iudicium profiteretur, ut quis innocens conueniretur, iudicio publico condemnaretur. Deq; eius capite quaerito, qui testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis daretur, qui de magistratus, iudexq; quaestionis ob capitale causam pecuniam acceperit, ut publica lege reus fieret. Qui contra hanc legem fecerit, is in insulam deportetur, & bonis omnibus spoliatur.*

Capita, quae sunt de caede hominis, de incendiis, de ambulatione cum telo, de falso testimonio, de pecunia ob rem capitalem accepta extant apud Marcianum D. ad legem Cornelianam de sicariis; & apud Theophilum, qui scripsit, dominum occidit serui lege Cornelia de sicariis agere potuisse. Reliqua de veneno, & de coitionibus sunt & apud illum, & apud Ciceronem in Cluentiana. Sic autem scribit Cicero: *Iubet lex ea, qua lege haec est quaestio constituta, iudicem quaestionis cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, quaerere de veneno in eum, quicumque fecerit, vendiderit, emerit, habuerit, dederit. & statim adiungit: Deq; eius capite quaerito, qui tribunus militum legionibus III primis, qui de quaestor, tribunus plebis, deinceps omnes magistratus nominauit, qui de magistratum habuerit, qui de in senatu sententiam dixit, dixerit, qui eorum coit, coierit, conuenit, conuenerit, quo quis iudicio publico condemnaretur. & post: Hanc ipsam legem, ne quis iudicio circumueniretur, C. Gracchus tulit. eam legem pro plebe, non in plebem tulit. postea L. Sylla homo a populi causa remotissimus, tamen cum eius rei quaestionem hac ipsa lege constitueret, populum Rom. alligare nouo quaestionis genere ausus non est. & post: Video, quam infinita quaestio tentetur ab accusatoribus, cum eam legem, quae in nostrum ordinem scripta sit, in populum Romanum transferre conentur. Quae in lege est, Qui coierit. Quod quam late pateat, videtis. conuenerit. aequae infinitum, tum obscurum, & occultum est. falsum de testimonium dixerit. quis de plebe Ro. falsum testimonium dixit unquam? In hac lege notandum est, quod haec quaestio iudici quaestionis mandatur, non quod praetor excludatur, sed ut in uniuersum quicumque perpetuus quaestor notetur. Vnde Cicero de veneficio egit pro Cluentio apud Q. Nasonem iudicem quaestionis. Quod ait lex, cum ijs iudicibus, qui ei obuenerint, eos sorte duci, non edi oportere significat. Adiectio autem veneni mali, ut inquit Marcianus, ostendit esse quaedam & non mala venena. ergo nomen medium est, & tam id, quod ad sanandum, quam id, quod ad occidendum paratum est, continet. sed & id, quod amatorium appellatur. Sed hoc solum notatur in lege, quod hominis necandi causa habet. Post legem Syllae Cicero Varenum de caede reum defendit, quem Quintilianus reum factum scribit lege de sicariis. Scribit etiam Suetonius, Caesarem aedilem in exercenda de sicariis quaestione eos quoque in numerum sicariorum habuisse, qui proscriptione ob relata ciuium capita pecunias ex aulario acceperunt, quamquam exceptos Corneliis legibus. Refert etiam Cicero in oratione pro Cluentio, se praetore de pecuniis repetundis quaerente C. Orchinum, & C. Flaminiu de sicariis quaestionem exercuisse. & Asconius, Caesare, & Figulo consulibus post effecta comitia consularia, & Catilinae repulsam Catilinae reum inter sicarios factum a L. Lucullo. & Cicero in Antonium: *Cupio scire quemadmodum eos inter sicarios sis defensus.**

LEX VETVS PARRICIDII. Parricidij nomine Romulus, ut inquit Plutarchus, cuiuscunque hominis caedem est complexus. de caede parentum praecipue nihil tulit; quod neminem tam nefarium esse arbitraretur, qui tanto scelere se obstringeret. Quin etiam sero admodum Romae tale facinus est patratum. siquidem primus L. Hostius patrem interfecit post bellum Annibalis.

Tum vero admoniti flagitij nouitate Romani aliquid ad deterrendos ceteros tulisse videntur. Lex autem fuisse videtur eiusmodi: *Si quis parentes occiderit, aut verberauerit, ei damnato obuoluetur os folliculo lupino, solea lignea pedibus inducantur, & in carcerem ductus ibi sit tantisper, dum paretur culleus, in quem coniectus in profluentem praecipitetur.* Itaque cum bello Cimbrico anno D C X L. Publius Malleolus matrem necasse iudicatus est, hoc supplicio affectus est. Sic enim de eo scriptum est in epitoma libri L X V I I I Liuiani: *Publius Malleolus matre interempta primus omnium insutus culleo in mare praecipitatus est. & in Rhetoricis ad Herenniu: Malleolus iudicatus est, matrem necasse. ei damnato statim folliculo lupino os obuolutum est, dum culleus, in quem coniectus in profluentem deferretur, compararetur.* Plautus Vidularia, teste Nonio: *Iube hunc insui Culleo, atque in altum deportari, si vis annonam bonam.*

LEX CORNELIA. Cum autem haec quaestio proprium non haberet quaestorem, Sylla eam legem retulit, ac certum, & perpetuum habere praetorem voluit; atque ea de causa numerum praetorum, ut dixi, adauxit. Est tamen propter affinitatem quaestio parricidij coniuncta cum quaestione de sicariis, easque modo vnus, modo duo praetores sortiti sunt. siquidem ipso viuente Sylla M. Fannius praetor idem de sicariis, & de parricidis quaesuit. & Cicerone praetore M. Platorius, & C. Flaminius ambo inter sicarios quaesuerunt. Sylla vero nihil ad veterem legem addidisse videtur. tantum, ut significat Cicero, eam praetor certo commississe existimatur. Itaque cum apud M. Fannium defenderet Sex. Roscium lege Cornelia parricidij reum, de poena eadem, quae supra dicta sunt, rettulit. Quid est, inquit, tam commune, quam spiritus viuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? ita viuunt, dum possunt, ut ducere animum de caelo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant; ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur; ita postremo eieciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conuiescant.

LEX POMPEIA. Post Syllam inde Cn. Pompeius consul legem Pompeiam tulit de parricidis talem.

*Praetor, qui ex hac lege quaeret, de eius capite quaerito, qui patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patrualem, matrualem, patruum, auunculum, amitam, (materteram,) consobrinum, consobrinam, uxorem, virum, generum, socrum, vitricum, (nouercam,) priuiguum, priuigiam, patronum, patroniam, occiderit, cuius de dolo malo id factum erit, siue conscius fuerit. deq; eius matris capite quaerito, quae filium, filiam de occiderit, & aui eius, qui nepotem occiderit, eiusq; qui emit venenum, ut patri daret, quamuis non potuerit dare. is si confessus erit, virgis sanguineis verberatus, deinde culleo insuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & simia, deinde in mare profundum culleus iactetur.* Quod autem Marcianus ait, qui hoc commiserint, poena ea teneri, quae est lege Cornelia de sicariis, Modestinus vero culleum, gallum, viperam, & simiam nominat; id videtur exponi a Iustiniano: cuius de lege Pompeia parricidij haec verba sunt lib. I I I Institutionu: *Lege Pompeia de parricidio cauetur, ut si quis parentis, aut filij, aut omnino affinitatis eius, quae nuncupatione parentum continetur, fata praeparauerit, siue clam, siue palam id ausus fuerit, nec, is cuius dolo malo id factum est, vel conscius criminis exiit, licet extraneus sit, poena parricidij puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alio solemni poena subiiciatur, sed insutus culleo cum cane, & gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus, secundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur. si quis autem alius cognatione,*

vel affinitate coniunctas personas necauerit, poenam legis Corneliae de sicarijs sustinebit.

Addit Venuleius D. de accusationibus: Lex Pompeia parricidij seruis non conuenit. quoniam caput primum eos adprehendit, qui parentes, cognatos, aut patronos occiderint. quae in seruos, quantum ad verba pertinet, non cadunt; sed cum natura est communis, similiter & in eos animaduertetur. Suetonius: Augustus manifesti parricidij reum, ne culleo insueretur, quod non nisi confessi afficiebantur hac poena, ita fertur interrogasse: certe patrem tuum non occidisti? Seneca libro de clementia primo: Augustus non culleum, non serpentes, non carcerem decreuit.

De legib. falsi.

CAP. XXXII.



**R**IMEN Falsi latissime patuit. nam omnia, quae falso dicta, aut scripta, aut facta in alterius damnum essent, hoc nomine complexi sunt. De falso antiquae fuere leges, sed certos non habuere praetores.

**LEX CORNELIA.** Sylla relatis legibus certum etiam praetorem ei crimini addidit. Docet hoc, ut dixi, Cicero, cum inquit: Lex Cornelia testamentaria, nummaria, cetera complures, in quibus non ius aliquod nouum populo constituitur, sed sancitur, ut quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad praetorem pertineat ex certo tempore. Testamentariam vero nummariam vocat, quia praecipue de falsis testamentis, nummisque statuit. ut ex D. ad legem Corneliam de falso intelligitur, unde haec praecipue capita hausimus:

Prator, qui ex hac lege quaeret, de eius capite quaerito, qui testamentum amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, interleuerit, subiecerit, resignauerit, quiq; testamentum falsum scripserit, signauerit, recitauerit dolo malo, cuiusve dolo malo id factum erit. Qui sibi legatum fideicommissumq; ascripserit. Qui nomine praetoris litteras falsas reddiderit, edictumq; falsum proposuerit. Deq; eius capite quaerito, qui ob falsas testationes faciendas, testimonia de falsa inuicem dicenda dolo malo coierit, quiq; iudicem corruperit, corrupendumq; curarit.

Deq; eius capite quaerito, qui nummos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, qui in aurum vitij quid indiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, qui cum prohibere tale quid posset, non prohibuit. Qui nummos stanneos, plumbeos emerit, vendiderit dolo malo. eiq; damnato aqua, & igni interdicito.

Meminit etiam huius legis Cicero de natura deorum tertio: Tum haec quotidiana, inquit, sicca, venena, peculatus, testamentorum lege noua quaestiones. Meminit quoque Suetonius: Augustus, cum de falso testamento ageretur, omnesq; signatores lege Cornelia tenerentur, non tantum duas tabulas damnatoriam, & absolutoriam simul cognoscentibus dedit, sed tertiam quoque, qua ignoscebatur ijs, quos fraude ad signandum, vel errore inductos constitisset.

De legibus de vi.

CAP. XXXIII.



**V**DICIVM de vi legibus antiquis constitutum fuisse, probabile coniectura est. neque enim quidquam saepius in ciuitate factum est, quam vis siue in vrbe, siue in agro siue armatis hominibus, siue inermibus. Tamen, si quaeras, non solum nullam legem latam, sed nullam etiam quaestionem exercitam inuenias. Ferme enim quae post ad vim translata sunt, ea legibus de maiestate, & de sicariis comprehensa erant. Vltimis autem temporibus tres leges latae sunt, Plautia, Iulia Caesaris, & Iulia Augusti.

**LEX PLAVTIA.** Lex Plautia Catulo, & Lepido consulibus lata est, cum enim mortuo eo anno Sylla, Lepidus Marianarum partium assertor cum Catulo Syllano de actis Syllae contendere coepisset, ingens seditio concitata est, victorque pulso vrbe, & in Sardinia interfecto Lepido Catulus hanc legem tulit vna cum P. Plautio tribuno pl. unde etiam nomen accepit, ut in oratione pro Sextio dixit Cicero:

De vi

De vi quaeritis, quam legem Q. Catulus armata dissensione ciuium, resp. p. aene extremis temporibus tulit. & Gellius libro XIII, vna cum Suetonio narrat, Caesarem legem Plotiam suasisse, cum ex Cilicia Syllae morte coperta redisset. Hac autem lege iudicia de vi omnia facta sunt vsque ad Caesarem dictatorem, eaque multa capita legis de sicariis, & de maiestate comprehensa sunt. & mandata quaestio videtur in hunc modum.

Is, cuius haec quaestio erit, de eius capite quaerito, qui aduersus remp. coniuuravit, insidias senatui fecerit, magistratibus vim attulerit, qui cum telo in publico fuerit, aut seditionis causa loca superiora occuparit, alienasve aedes saxis, ignibus, aut ferro occuparit. deq; ijs quotidie quaerito. Itemq; de eius capite quaerito, qui possessorem ex fundo hominibus armatis deiecerit dolo malo, aut armatis obiectis, ut inde profugerent, causam attulerit, prohibetoq; ne praedium, unde deiectus possessor sit, vsucapiatur. Eis damnatis aqua, & igni interdicito.

Iudicia porro, quae deinceps hac lege facta sunt, unde legis sententia colligi potest, haec fuerunt. Suetonius: Caesar victo Sertorio in consulatu primo Pompeij, L. Cinnae uxoris fratri, & qui cum eo ciuili discordia post necem Lepidi ad Sertorium confugerant, reditum in ciuitatem lege Plotia confecit, habuitq; & ipse super ea re concionem. nimirum significat, Caesarem docuisse legem Plotiam aduersus Lepidianos non esse scriptam, sed pro Lepidianis, quanquam seditionis causa ad Sertorium post Lepidi necem confugissent. Narrat item Sallustius, Catilinam patefacta coniuratione a L. Paulo lege Plautia interrogatum. idque iudicium de vi vocat Dio libro XXXVII. Quin etiam reliquos eius coniurationis socios eadem lege postulatos, elicitur ex oratione Sallustij in Ciceronem: Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de rep. consulisti, cum legis Plautiae iudicia domi faciebatis. ex coniuratis alios pecunia condemnabas, cum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam aedificabat, alius domum emebat. qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus. is aut domum tuam oppugnatum venerat. aut insidias senatui fecerat. Cicero etiam pro Sextio inquit, hanc legem fumantes reliquias coniurationis suae extinxisse. Adde etiam, Milonem hac lege de vi Clodij postulasse. Eius iudicij meminit Dio libro XXXIX: Lentulo, & Metello consulibus P. Clodius aeditatem petebat, tanquam iudicium de vi declinaturus. nam ipsum Milo reum fecerat, sed non peregerat: neque enim quaestores, per quos sortitionem iudicium fieri opus erat, designati fuerant, & Metellus consul praetori interdixerat, ne cuius nomen acciperet, antequam iudicium sortitio facta esset. opus autem erat, aediles ante quaestores creari. Itē Cicero ad fratrem: Marcellinus cum grauius de Clodianis incendijs, trucidationibus, lapidationibus questus esset, sententiam dixit, ut ipse iudices praetor urbanus sortiretur. iudicium sortitione facta comitia haberentur. & pro Milone: Clodius dum vixit, reus Milonis de vi lege Plotia fuit. Clodius autem domum Ciceronis oppugnat. Item de aruspicum responsis: Decreuit senatus, ut qui vastitatem meis aedibus intulisset, lege de vi, quae est in eos, qui remp. oppugnassent, teneri. Eodem etiam tempore P. Sextius, qui pro Cicerone restituendo cum armatis contra Clodium steterat, de vi accusatus est. Cum autem Cicero dicat, lege, quam Q. Catulus tulit, mihi interpretandum videtur, lege Plotia ex auctoritate consulis Catuli lata. siquidem supra dictum est, lege Plotia in coniuratos vindicatum esse, & legem Catuli fumantis coniurationis reliquias extinxisse. & ipse in epistolarum ad Atticum quarto de iudicio Sextiano loquens inquit: Non puto, te de iudicijs, quae Plautia lege fiunt, quaerere. Hac vero lege quotidie quaeri potuisse, significat in oratione pro Caelio, cum ait: Lex est, quae de seditionis, conscleratisq; ciuibus, qui armati senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, remp. oppugnarint, quotidie quaeri iubet.

Cn. inde Pompeius in tertio consulatu legem tulit de vi, qua nominatim eadem in Appia via factam, & incendium curiae, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit, & poenam grauiorem, & formam iudicij breuiorem, quam legem, quia non in vniuersum lata erat, sed nominatim certum crimen continebat,

T 3 in hunc

in hunc numerum non debemus referre. Quod reprehendit Cicero pro Milone orans: *Erant veteres quæstiones vel de cæde, vel de vi; nec erat necesse, ut noua quæstio constitueretur.* & in Antonium: *Quid attinebat noua lege quærere de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quæstio constituta?* Lege autem Pompeia quæstitor à populo creatus est extra ordinem, qui de vi in Appia via facta quæreret. Itaque lex etiam Plautia eodemmet anno in eodem reo est obseruata. Nam Milo idem, qui apud Domitium quæstorem reus factus est de vi lege Pompeia, factus est etiã apud L. Fabium quæstorem lege Plautia de vi, & M. Saufeius socius eius apud Confidii quæstorem lege Plautia de vi, subscriptione ea, quòd loca occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Hos vero quæstores credo eosdem fuisse, ac iudices quæstionum. Quoniam enim sæpe his temporibus contra hanc legem peccabatur, propterea præter prætorem multis aliis quæstitoribus erat opus. Quod si alicui prætori aliarum quæstionum quæstori hæc quæstio commissa esset, tum vero cum vim habebat, ut cogeret, illum propriam quæstionem relinquere, & hæc subito cognoscere. siquidem quotidie lex quæri volebat, ne diebus quidem festis omittis. tumque is reus extraordinarius dicebatur. Cælius: *Rufus M. Tutium accusatorem suum post ludos Rom. reum lege Plotia de vi fecit, quia videbat, si nemo extraordinarius reus accessisset, causam sibi eo anno esse dicendam.* Exilium porro ea lege indictum, ex causis superioribus omnibus intelligitur. Quæ vero dixi de deiectione è fundo armatis hominibus dolo malo, ea eliciuntur ex oratione pro M. Tullio, quæ est de vi. in qua hæc verba sunt: *Dico vim factam à Fabij familia. aduersarij non negant. damnatum datum esse M. Tullio, concedunt. vici vnam rem. vi, hominibus armatis. non negas. vici alteram. dolo malo. factum negas. de hoc iudicium est.* item ex Iuliano D. de vscapionibus: *Si dominus fundi homines armatos venientes existimauerit, atque ita profugerit, quanuis nemo eorum fundum ingressus sit, vi deiectus videtur. Sed nihilominus id prædium etiam, antequam in potestatem domini redeat, à bonæ fidei possessore vscapitur. quia lex Plautia, & Iulia ea demum vetuit longa possessione capi, quæ vi possessa fuissent, non etiam ex quibus vi quis deiectus fuisset.*

**LEX IULIA CAESARIS.** Post legem Plautiam Iulia lata est à Cæsare dictatore, cuius tenuis memoria extat. vnus enim tantum meminit Cicero; qui in prima in Antonium inquit, lege, quam Antonius consul post mortem Cæsaris promulgat, ut de vi damnati ad populum prouocarét, obrogari legi Cæsaris, quæ iubet, ei, qui de vi damnatus sit, aqua, & igni interdici. quam pœnam non à Cæsare primum irrogatã esse constat. Neque vero lex Antonij inter leges est referenda, quia tantum sit promulgata, non lata. Postero autem anno Q. Pedius cum C. Octauio consul legem tulit nominatim de Cæsaris interfectores, quæ siue de vi, siue de ficariis, siue de maiestate dicatur, pro lege non est habenda, cum, neque in vniuersum, neque in futurum sit lata. Huius meminit Velleius libro II: *Lege Pedia, quam consul Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerat, aqua, igniq; damnatis interdictum est.*

**LEX IULIA AVGVSTI.** Demum C. Cæsar Augustus leges tulit de vi publica; & de vi priuata, publicam appellans, ut inquit Iustinianus, quæ armis; priuatam, quæ sine armis esset facta. Prioris legis hæc capita fuerunt:

*Qui arma, tela domi suæ, agròve in villa præter vsum venationis, vel itineris, vel nauigationis coegerit præter ea, quæ quis promercij causa habuerit, hereditatève ei obuenerint. Qui turba, seditionisve faciendæ consilium inierint, seruosq; aut liberos homines in armis habuerint. Qui pubes cum telo in publico fuerit. Qui pessimo exemplo conuocatu, seditione villas expugnauerint, & cum telis, & armis bona rapuerint. Qui ex incendio rapuerit aliquid præter materiam. Qui puerum, vel feminam, vel quenquam per vim stuprauerit, qui in incendio cum gladio, aut telo rapiendi causa fuit, vel prohibendi dominum res suas seruare. Qui hominibus armatis possessorem domo, agròve suo, aut nauis suæ deiecerit, expugnauerit cõcursu, utq; id stare, homines commoda-*


*dauerit. Qui cœtu, cõuersu, turba, seditione incendium fecerit, quiq; hominè dolo malo incluserit, obsederit, qui de fecerit, quo minus sepeliatur, quo magis funus diripiatur, distrahatur, qui de per vim sibi obligauerit. Qui cum imperium, potestatem de haberet, ciuem Rom. aduersus prouocationem necauerit, verberauerit, iusseritque quid fieri, aut quid in collum iniecerit, ut torqueatur. si legatorum, oratorum, comitumq; quem pulsauerit, siue iniuriam fecerit. Qui reum vincerit, impeditur de, quo minus intra certum tempus adsit. Qui dolo malo fecerit, quo minus iudicia tuto exerceantur, aut iudices, ut oportet, iudicent. vel is, qui potestatem, imperium de habeat, quam ei ius erit, decernat, imperet, faciat. Qui ludos, pecuniam de ab aliquo inuito publice, priuata de per iniuriam exegerit. Qui cū telo dolo malo in concione fuerit, aut vbi iudicium publice exercebitur, præter eum, qui propter venationem habeat homines, qui cum bestijs pugnent. Qui conuocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberetur, & pulsetur, neque occisus homo sit. Qui ades alienas, aut villas expilauerit, effregerit, expugnauerit, siquidem in turba cum telo fecerint. Qui noua vectigalia exercuerint. Prætori, cui exercitio hac lege obuenerit, eam, si proficiscatur, mandare licet. Damnatis de vi publica aqua, & ignis interdictio esto.*

Hæc autem capita omnia sunt in Digestis ad legem Iuliam de vi publica, ex Marciano, Scæuola, Vlpiano, Mæciano, & Paulo. Addit Paulus, armatos non utiq; eos intelligendos esse, qui tela habuerunt, sed etiam, qui quid aliud, quod nocere potest, & telorum appellatione omnia, ex quibus singuli homines nocere possunt accipi. Ceterum qui telum tutandæ salutis suæ causa gerunt, non videri hominis occidendi causa portare. Iustinianus autem in quarto Institutionum, pœnam hac lege fuisse deportationem interpretatur, quòd in locum interdictionis successerit. De mandanda vero quæstione est in titulo de officio eius, cui mandata est iurisdicção: *Lege Iulia de vi nominatim cauetur, ut is, cui obrigerit exercitio, possit mandare, si proficiscatur. non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse cœperit, cum alias etiam iurisdicção à præsentem mandetur.*

Capita vero legis de vi priuata hæc fuerunt: *Qui cœtum, & concursum fecerit, quo minus quis in ius producat, qui de quæstionem de alterius seruo habuerit. Qui quem ex agro suo hominibus congregatis sine armis deiecerit. Qui creditor sine auctoritate iudicis res debitoris occuparit. His damnatis tertia pars bonorum publicetur. neque senator, neq; decurio sit, aut vllum honorem capiat, neve in eum ordinem sedeat, neve iudex sit.* Hæc ex Scæuola, Paulo, Vlpiano, Modestino Digestis ad legem Iuliam de vi priuata.

Atq; hæc quidem de iudiciis publicis dicta sint. Nunç  
ut totum negotium iudiciale conficiamus,  
de iudiciis populi, quæ inuenierimus, afferamus.





CAROLI SIGONII  
DE IUDICIIS  
LIB. TERTIVS.



*Quæ fuerint iudicia populi.* CAP. I.



**L**EXPLICATIS iudiciis, quæ iussu populi à magistratibus exercita, & à iudicibus disceptata sunt, sequitur, ut de iis agamus, in quibus populus ipse disceptator, & iudex fuit. Hæc autem non aliter, ac superiora, & priuata, & publica fuerunt. Priuata dico, quæ de controuersis aut ad res, aut ad personas, aut ad obligationes pertinentibus constituta sunt; publica, quæ de criminibus. Priuatorum vni cum est exemplum, plurima publicorum. Liuius lib. 11: *Victoriam honestam ex hostibus partam turpe domi de finibus sociorum iudicium populi deformauit. Aricini, atq; Ardeates de ambiguo agro cum sepe bello certassent, ad Romanos se contulerunt. consilio populi à magistratibus dato magna contentione actum, iamque editis testibus cum tribus vocari, & populum inire suffragia oporteret, consurgit P. Scaptius, & Si licet, inquit, consules de rep. dicere, errare ego populum in hac causa non patiar. data dicendi potestate, dixit, agrum, de quo ambigebatur, finium Coriolanorum fuisse, captisq; Coriolis iure belli publicum populi Ro. factum. Consules, cum Scaptium non silentio modo, sed cum assensu etiam audiri, animaduertissent, deos hominesque testantes flagitium ingens fieri, patrum primores accersunt. cum his circumire tribunos, orare, ne pessimum facinus peiore exemplo admitteret, iudices in suam rem litem vertendo. Vocatæ tribus iudicauerunt, agrum publicum populi Romani esse. Nec abnuetur ita fuisse, si ad iudices alios itum foret.*

De publicis vero, quæ subtilior est disputatio, hæc accepimus. Populus Rom. iudicandi potestatem iam inde à Romulo rege acceptam vsque ad Augustum Imperatorem retinuit. verum non iisdem semper comitiis. nam curiatis quidem tantum sub regibus, centuriatis autem, & tributis rep. dominatu regio liberata. Iudicauit autem de criminibus, & pœnis criminum omnibus, quæ ad se à magistratu essent delata. Neque enim, quod in iudiciis prætoris euenit, de iis tantum criminibus cognouit populus, quæ aliqua lege continerentur, sed de omnibus, quæ magistratus ad se detulisset, & de omnibus pœnis, quas ille irrogasset, sed tamen ea forma actionis, quæ legibus, & moribus contineretur. neque enim ut illa duo arbitrio, & iuri magistratum, sic etiam agendi ratio fuit permilla. Quamobrem iudicia populi publica tractaturi primum de criminibus, deinde de pœnis, tum, de forma actionis, postremo de animaduersione dicemus. siquidem hæc tria magistratui ad populum data sunt, cognitio, irrogatio, animaduersio. Vnde queritur

ritur Cicero, dari Decemuiris agrariis à Rullo cognitionem sine consilio, pœnam sine prouocatione, animaduersionem sine auxilio.

*De criminibus.* CAP. II.



**C**RIMINA, ut dixi, maleficia fuerunt. Quæ vero maleficia ad populi iudicium à magistratibus adducta sunt, ea potissimum duo fuerunt, maiestas, & peculatus. quorum in illo dignitas, in hoc fortunæ reip. actæ sunt. Ad maiestatem autem pertinere existimatum est, si quis tyrānidis, aut regni occupandi consilia habuisset; si aduersus rep. coniurasset, si hostes ad bellum reip. faciendum concitasset, aut iuuisset; si magistratum populi Roma. in ordinem coëgisset, si sacra imminuisset, ciues Roma. aut carcere, aut morte indicta causa affecisset, male sua culpa pugnasset, plebis commodis aduersatus esset, populo Roma. maledixisset. Quorum quæ prodita litteris fuerunt, hæc fere, ut quidque deinceps actum est, exempla sunt. Nam Coriolano dies dicta est, quod plebis commodis restitisset; Sp. Cassio, quod tyrannidem affectasset; T. Menenio, quod Cremeræ præsidium amisisset; Sp. Seruilio, quod male cum Tuscis pugnasset; Ap. Claudio, quod legem agrariam oppugnasset; Cæsoni Quinctio, quod legi agrariæ resistens tribunos pl. de foro pepulisset; M. Postumio, quod cum Veientibus male pugnasset; M. Sergio, quia ad Veios fugisset; P. Virginio, quia collegam prodidisset; M. Manlio ob affectati regni suspicionem; P. Manlio Imperioffo, ab acerbitatem in delectu adhibitam; Tusculanis, quod ipforum consilio atque ope Veliterni populo Roma. bellum fecissent; Claudia, quod pressa in turba dixisset, *Vtinam P. Claudius frater meus viueret, atque iterum classem duceret*; Cn. Fulvio, quod male bello Punico secundo pugnasset; C. Claudio. & Ti. Sempronio censoribus, quod concionem à tribuno pl. auocassent; Ser. Galbæ, quod Lusitanos contra fidem datam trucidasset; P. Popillio Lænati, quod indicta causa ciues Roma. necasset; L. Opimio, quod eisdem in carcerem coniecisset; M. Scauro, quod eius opera sacra multa populi Roma. essent diminuta; M. Junio Silano, quod bellum cum Cimbris iniussu populi gessisset; Merello Numidico, quod in legem Saturnini agrariam iurare noluisset; P. Furio, quod Numidici restitutioni obstitisset; M. Ciceroni, quod falsum senatusconsultum de ciuibus indicta causa necandis rettulisset. Quæ omnia iudicia de maiestate fuerunt, quanquam maiestatis imminutæ nomen nullum reis obiectum sit, præterquam Claudia, auctore Suetonio in Tiberio. Peculatus autem exempla sunt iudicium M. Camilli propter prædam Veientanam, M. Curij propter interuersam Samnitium pecuniam, M. Liuij Salinatoris propter Illyricam prædam non æqualiter militibus diuisam, P. Africani propter Antiochinam, M. Postumij propter eumentum cum detrimento populi Rom. naufragium, Catuli propter Capitolij restitutionem. Quin etiam cædis, falsi, repetundarum, adulterij, tentatæ pudicitia, & vis illatæ crimina in iudicium populi esse vocata inuenio. Siquidem P. Horatius de cæde sororis populi iudicium subiit; P. Sestius, quod apud eum effossum cadaver esset; Ap. Claudius, quod vindicias in seruitutem ab libertate contra leges dedisset; C. Lucretius, quod provinciam spoliasset; C. Scantinius, quod puerum de stupro appellasset; Cn. Sergius Silus, quod matri familias nummos promississet; T. Milo, quod vim armatam fecisset. Ex quibus apparet, omnia crimina, quæ aut directo, aut non directo rempublicam ipsam attigerunt, ad populi iudicium pro magistratus arbitrio esse adducta, aut ab ipso cognita, & damnata post per prouocationem ad populū esse translata.



**P**ENARVM autem genera in his iudiciis fuerunt damnus, exilium, seruitus, & mors. Hæc vero in duo nomina diuiserunt, multam, & caput. Quos enim damno affecerunt, id est pecunia condemnarunt, in iis multæ nomen usurparunt. vnde illa, *pecunia iudicare, pecunia anquirere, multam dicere, & multam irrogare*, sunt nata. quem exilio, seruitute, morteve affecerunt, in eo nomen capitis factitarunt. Ex quo illa profecta *diem rei capitalis dicere, capitis iudicare, aut anquirere, rei capitalis accusare*. pro quibus etiam *perduellionem iudicare, & perduellionis actionem inuendere* posuerunt. atque ipsi multæ vt capitis, sic perduellionis nomen tanquam idem valens opposuerunt. vt Liuius: *Bis pecunia anquisitum est. ter: io cum capitis se anquirere diceret, tribuni pl. permiserunt, vt aut capitis, aut pecuniæ iudicaret priuato. ille perduellionem iudicauit.* item Cicero: *Diem, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat.* Nomen vero perduellionis & crimen, & pœnam significauit. si crimen, quod erat grauissimum inter crimina, nempe imminutæ maiestatis, si pœnam, quæ erat acerbissima, nempe mortis. vt in P. Horatio, Sp. Cassio, M. Manlio, C. Rabirio. quorum Horatio, & Rabirio crux, Cassio, & Manlio saxum fuit propositum. Liuius tamen etiam, cum de iudicio M. Postumij, Cn. Fuluij, Gracchi, & Claudij, quibus aqua, & igni interdicebatur, nomen perduellionis usurpauit. Ceterum de multa, & exilio supra dictum est.

Pœna seruitutis lege Ser. Tullij regis, teste Liuius, & Dionysio, proposita fuit iis, qui nomen suum in censum non detulissent, itemque, qui citati nomen in militiam non dedissent. Nam Cicero in oratione pro Cæcina de hac re loquens captiose potius, quam vere ita dixit: *Populus cum vendit eum, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat, non esse eum liberum, qui vt liber sit, adire periculum nolit. cum autem incensum vendit, hoc iudicat, cum ij, qui in iusta seruitute fuerint, censu liberentur, eum, qui cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem ab iudicauisse.*

Mortem autem attulerunt, aut securi percutiendo, aut arbori infelici suspendendo, id est in crucem agendo. quorum vtrunque verberatio præcessit, aut de Saxo Tarpeio, aut de Robore præcipitando, aut in culleo insutum in profluentem proiciendo, aut denique laqueo gulam frangendo. de quibus supplicij post agam pluribus, cum de animaduersione disputabo.

Atque de his quidem criminibus magistratus ad populum priuatos homines accusarunt, atque has pœnas pro arbitrio irrogarunt. aut certe multa pœnave prius pro iure magistratus indicta, cum parem, maioremve potestatem appellassent, & ad populum prouocassent, eos reos ad populum peregerunt. populus autem multam, pœnamve aut iussit, aut remisit, sed, vt dixi, sub regibus comitiis curiatis, post exactos reges centuriatis, & tributis.

## De iudicijs curiatis.

CAP. IIII.



**E**TERVM de ratione iudiciorum curiatorum vix habemus, quid dicamus, quod vnicum tantum extet P. Horatij iudicium curiatis comitiis factum. id quod primum, vt inquit pro Milone Cicero, Romæ capitis iudicium fuit. P. autem Horatius tum de parricidio interrogatus est lege Numæ, quæ fuit; *si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto.* parricidam scilicet vocauit, auctore Festo, non qui parëtem occidisse diceretur, sed qualemcumque hominem. atque hac lege interrogatum eum tradunt Festus, & Dionysius, & Cice

Cicero, cum dixit pro Milone: *Romana ciuitas primum iudicium de capite vidit P. Horatij, qui nondum libera ciuitate, tamen populi Rom. comitijs liberatus, cum sua manu sororem interfecit esse fateretur.* Actio tamen instituta est ex lege, quam tum rex Tullus tulit. qua lege creati duumviri sunt, vt perduellionem, id est rem capitalem, & mortis pœnam, iudicarent, & si reus ad populum prouocasset, ad eum de prouocatione certaretur. Verba legis, teste Liuius, hæc fuerunt: *Duumviri perduellionem iudicent. si à duumuiris prouocari, prouocatione certato; si vincet, caput obnubito, infelici arbori suspendito, verberato vel intra pomerium, vel extra pomerium.* Res autem acta sic est: Rex concilio populi aduocato duumuiros, qui P. Horatio perduellionem iudicent, inquit, *facio secundum legem.* Duumuiris creatis tum alter ex his inquit: *P. Horati perduellionem tibi iudico. Licetor colliga manus.* accessit licetor, iniecitque laqueum. tum Horatius, auctore rege, *prouoco*, inquit. Ita de prouocatione certatum ad populum est. populus absoluit. Ex quibus apparet, crimen in hoc iudicio fuisse parricidium, id est cædem sororis, pœnam perduellionem, id est mortem in cruce; duumuiros creatos primum iudicasse, deinde de eorum iudicio certatum, ac populum eorum iudicium infirmasse. Atque hoc quidem modo curiatis iudicatum comitiis est.

## Quorum iudicijs tributis, &amp; centuriatis actio fuerit.

CAP. V.



**E**XACTIS autem regibus idem populus, cum iam ius centuriatum conueniendi, ac sciscendi lege Ser. Tullij regis haberet, iudiciorum potestatem adeptus est multis legibus. Nam & anno primo à P. Valerio consule, teste Dionysio, latum est, vt populus consulum decretum irritum facere posset, siquis à consulibus condemnatus ad populum prouocasset. & sextodecimo post anno senatusconsultum in M. Valerij sententiam est factum, vt populus iudiciorum potestatem haberet, & maxime siquis remp. læsisset aut seditione conflanda, aut tyrannide paranda, aut ciuitate hostibus prodenda, aut aliquo eiusmodi facinore patrando argueretur. atq; hæc iudicia comitiis centuriatis facta esse intelligendum est, cum nondum essent tributa. nam iudiciū Coriolani, quod tributis comitiis per ea tēpora factum est, extraordinarium fuit. quippe cum nulla lege, aut more tum primū plebs tributis comitiis iudicaret. Sacratas autem legibus, quæ anno ab exactis regibus sextodecimo latæ sunt, & XII tabularum, quæ post annum quinquagesimum sextum promulgatæ sunt, scitum est, ne de capite ciuis Romæ. nisi centuriatis comitiis agi posset. quod Cicero in oratione pro Sextio, & in secundo Legum scriptum reliquit. Vnde in tertio addidit, *vere L. Cottam dixisse, nihil omnino actum esse de se à Clodio, quia tributis comitijs de capite suo egisset, quæ rata esse non possent.* Quocirca post ea tempora de multa ciuis Romæ. semper actum est tributis, de capite centuriatis. Quam legem fortasse obsolescentem rettulit C. Gracchus anno D C X X. siquidem scribit Cicero pro Rabirio: *C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Romæ. iniussu vestro iudicaretur.* Nam iniussu vestro cum dixit, populi, non plebis intellexit. etenim Cicero tum agebat ad populum centuriatum conuocatum in iudicio perduellionis. Tributis autem comitiis soli minores magistratus egerunt, vt tribuni pl. ædiles curules, & ædiles pl. De tribunis omnes loquuntur. De ædilibus curulibus docet Valerius capite de pudicitia, cum inquit, *M. Marcellum ædilem curulem C. Scantinio tribuno pl. diem ad populum dixisse, quod filium suum de stupro appellasset, & P. Clodium ædilem curulem Miloni de vi ad populum diem dixisse, Cicero testis est.* De ædilibus plebis Liuius libro III. qui Veturio, postquam consulatu abiit, ab C. Alieno ædili plebis diem dictam, eumque decem millibus æris damnatum scribit. & Gellius, qui *Claudia à C. Fundanio, & Ti. Sempronio ædilibus pl. multam æris gratis X X V millium dictam ex Capito-*

ne refert. Comitibus autem centuriatis egerunt consules, prætores, & quæstores. De primis nota res est. De quæstoribus auctor est Liuius. quos diem dixisse Sp. Cassio ob affectatam tyrannidem scribit libro secundo. Quin etiam idem libro secundo auctor est, tribunos pl. accusasse T. Mælium populo centuriatim in campo citato. verum intelligendum est, petita à consulibus potestate. quemadmodum idem libro xxv i aperte explicuit.

Atque ordine quidem priuati tantum in iudicium adducti sunt. Itaque T. Menenius, Sp. Seruilius, Ap. Claudius, C. Sempronius, postquam consulatu, aut decemuiratu abiissent, iudicio à tribunis pl. oppugnati sunt, extra ordinem autem etiam magistratus tentati, vt Scantinius tribunus pl. à Marcello ædili curuli apud Valerium. & L. Flaccus ædili curuli Decianus trib. pl. diem dixit apud Ciceronem in oratione pro Flacco; & Claudio, Gracchusque censoribus tribuni pl. apud Liuium libro xlv. Ex quo declaratur, hoc arbitrio magistratus permiffum, vt priuatum, & magistratum apud populum accusarent.

*Quo ordine comitijs centuriatis, aut tributis actum sit.*

C A P. V I.



**C**ETERVM ordo agendi siue tributis, siue centuriatis comitijs legibus, aut moribus constitutus hic fuit. Magistratus qui reum facere, aut accusare voluit, in Roftra ascendit, & populo per præconem aduocato diem ei, quem reum facere cogitauerat, ad accusationem audiendam prædixit. Vbi vero prædicta dies venit, item è Roftris reum per præconem citauit, atque accusationem instituit, eamque ter intermissa die peregit. Vbi vero ter accusauit, tum rogationem per trinas nundinas promulgatam habuit, in qua crimen, & pœnam criminis comprehendit, ac tertius nundinis quartam accusationem intulit, ac reo causæ dicendæ potestatem fecit. atque inde diem prædixit, qua die ad populum de pœna certandum erat. Quod si qua res illum diem aut auspicijs, aut excusatione sustulisset, iudicium sublatum erat. Qui citati ad diem non affuissent, neque excusati essent, iis exilium iuebatur. Inde rogatio ad populum ferebatur, deque ea populo suffragium permittebatur. Hæc fere Dionysius libro vii scribit obseruata esse in iudicio Marcij Coriolani. Quæ vera esse etiam Ciceronis testimonio in oratione pro domo cognoscitur, in qua ita est: *Moderata populi iudicia à maioribus sunt constituta. primum ne pœna capitis cum pecunia coniungatur. deinde, ne nisi prædicta die quis accusetur. vt ter ante magistratus accuset intermissa die, quam multam irroget, aut iudicet. quarto sit accusatio trinum nundinum prodita die, qua die iudicium sit futurum. multa etiam ad placandum, atque ad misericordiam reis concessa sunt. deinde exorabilis populus, facilis suffragatio pro salute. denique etiam si qua res illum diem aut auspicijs, aut excusatione sustulit, tota causæ, iudiciumque sublatum est.* His summatim expofitis nunc separatim dicamus de partibus singulis.

*De die accusationi dicenda.*

C A P. V I I.



**V**ICVNQVE igitur magistratus alterum reum ad populum facere cogitauit, in Roftra, vt dixi, ascendit. ac concione aduocata palam testatus est, se certa, quam nominabat, die, de certo, quod nominabat, crimine, certum, quem nominabat, hominem accusaturum esse, ac proinde ei, vt ad audiendam sui accusationem adesset, denunciauit. Hæc autem actio diei dictio, & qui ita agebat, diem dicere, dicebatur. Hinc Liuius libro xxxvii: *Gracchus, & Rutilius tribuni pl. Acilio Glabroni diem dixerunt, quod pecuniæ regie, prædeq; aliquantum capte in Antiochi castris, neque in triumpho tulisset, neq; in ærarium detulisset.* & lib. xliii: *Trib*

*Tribunus pl. Claudio diem dixit, quod concionem à se auocasset.* & libro ii: *A. Virginius tribunus pl. Cæsoni diem capitis dixit.* id est, se certo die illum accusaturum esse de crimine capitali denunciauit. & paullo post: *Cui rei capitalis dies dicta sit, & de quo futurum propediem iudicium, indicta causæ non debere violari.* Item: *Appio in carcerem coniecto tribunus pl. Virginius ei diem prædixit. priusquam dies prædicta adesset, Appius sibi mortem consciuit.* & alibi: *Tribuni plebis omiffa multæ certatione rei capitalis diem M. Postumio dixerunt.* Videtur autem diei dicendæ formula hæc fuisse: *Ap. Claudi huc ad me Nonis Septembris adesto, vt te accusari audias, quod vindicias contra libertatem dederis.*

Dicta in hunc modum die in rebus capitalibus vades, in multa prædes ab reis poscebant. Hi erant locupletes sponsores rei in iudicio ad diem dictam sistendi, aut multam, qua damnatus esset, soluendi. Qui si dati non essent, reos in carcerem coniciebant, atque ibi eos vsque ad diem iudicij asseruabant. De vadibus scribit Liuius libro ii: *Virginius tribunus pl. arripit iubet Cæsonem, cui diem capitis dixerat, & in vincula ducti. pater clamitabat, cui reo dies rei capitalis sit dicta, & de quo futurum propediem iudicium, eum indemnatum indicta causæ non debere violari. tribunus negat supplicium sumpturum de indemnato, seruaturum tamen in vinculis esse vsque ad iudicij diem. vt qui hominem necauerit, de eo supplicij sumendi copia populo Rom. fiat. appellati tribuni medio decreto ius auxilij sui expediunt. in vincula conijci vetant. Sisti reum, pecuniamq; nisi sistatur, potulo promitti placere pronunciant. Vades dare senatui placuit. vadem vnum tribus millibus obligarunt. quot darentur, permiffum tribunis est. decem finierunt. tot vadibus accusator vadatus est reum. ac primus vades publicos dedit. & de M. Postumio: *Tribuni pl. omiffa multæ certatione rei capitalis diem Postumio dixerunt, ac ni vades daret, prehendi à viatore. atque in carcerem duci iusserunt. Postumius vadibus datis non affuit.* De prædibus Gellius lib. vii. ex vetere historia ita scribit: *L. Scipioni M. Minucius Augurinus tribunus pl. multam irrogauit, eamq; ob causam prædes poposcit. & post: Augurinus tribunus pleb. Scipionem prædes non dantem prehendi, & in carcerem duci iussit.**

*De citatione rei.*

C A P. V I I I.



**P**OSTQVAM autem dies dicta venit, accusator in Roftra ascendens reum per præconem ex Roftris citauit. Hoc ostendit Liuius, vbi de iudicio P. Scipionis agit. *Vbi dies, inquit, dicta venit, tribuni in Roftris prima luce confederunt. citatus reus. & paullo post: Scribæ viatoresq; tribunos reliquerunt, nec cum ijs præter seruilem comitatum, & præconem, qui reum ex Roftris citabat, quisquam fuit.* Potuit autem aut maior, aut par magistratus intercedere ne citaretur. & si absens fuit, potuit excusari. Quod si citatus, neque excusatus non affuisset, pro arbitrio magistratus potuit ei pœna irrogari. Varro: *M. Terentio, quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei vnum ouem multam dico.* Afconius: *Q. Varius trib. pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iussit. ille per viatorem accersitus, processit in forū.*

*De triplici accusatione.*

C A P. I X.



**V**I vero primum adesse iussus, deinde secunda actione citatus affuit, tum vero accusari est cœptus. Cicero pro domo, vbi agit de iudicio suo: *Hæc cum ita sint in re, vbi crimen est? vbi testes? quid indignius, quam qui neque adesse sit iussus, neque citatus, neque accusatus, de eius capite, liberis, fortunis omnibus suffragium ferre? Accusatio vero triplex fuit. siquidem intermissis diebus ter est habitata. Ea vero eodem artificio confecta est, quo superiores, de quibus differuimus.*

V quippe

quippe accusator crimen certam attulit, idque testibus, & argumentis probauit, unde dixit paullo ante Cicero: *Vbi crimen est, vbi accusator, vbi testes?* Et de testibus quidem insignis est locus in vi i in Verrem, vbi se accusaturum Verrem ad populum de maiestate minatur. *Mihi credite, inquit, arctioribus ad populum laqueis tenebitur. credet ijs equitibus Rom. populus Rom. qui ad vos antea producti testes ipsi inspectantibus ab isto ciuem Rom. sublatu in crucem esse dixerunt. credent omnes quinque & triginta tribus M. Annio, qui se presente ciuem Rom. securi percussum dixit. & alter apud Liuium libro x x x vii: M. Cato testis quae vasa aurea, atque argentea captis castris inter aliam praedam vidisset, ea se in triumpho negabat vidisse.*

## De acquisitione.

CAP. X.



**C**um autem ter accusaret, in singulis accusationibus perorandis multam, poenamve pro arbitrato dicebat, eaque Anquisitio dicebatur. Erat autem eius haec formula: *Quando igitur haec, & illa, quae dixi, fecisti, ob eas res ego multam tibi hanc dico, vel pecuniam hanc, siue perduellionem tibi iudico.* Liuius libro primo: *P. Horati perduellionem tibi iudico.* Varro: *M. Terentio, quando citatus non affuit, vnam ouem multam dico.* Cicero pro Scauro: *Subijt etiam iudicium populi anquirenti Cn. Domitio tribuno pl. Dionysius libro septimo: In extremo accusationis posuit, se Marcio mortem uerax hysce dicit, id est capitalem poenam dicere, quod adules prehendere iussos violasset. Saepem autem euenit, ut cum in prioribus accusationibus pecuniae iudicassent, in tertia capitis anquirent, aut cum in primis capitis anquisissent, in tertia pecuniae iudicarent.* Liuius de iudicio Cn. Fuluij: *Sempronius, inquit, tribunus pl. die dicta Cn. Fuluium ob exercitum in Apulia amissum in concionibus vexabat, multa temeritate, atque inscitia, exercitum in locum praecipitem produxisse dictitans. Reus ab se culpam in milites traeserebat. Bis est accusatus, pecuniaque anquisitum tertio desobus datus, cum iurati permulti dicerent, fugae initium a praetore ortu, tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio acclamaret.* Item de eodem: *Cum Sempronius tribunus pl. bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere diceret, tribuni pl. appellati, cum collegae negarent, se in mora esse, quo minus quod ei more maioru permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret, quoad capitis vel pecuniae iudicasset privato, tum Sempronius perduellionis se iudicare Cn. Fuluius dixit. & de T. Menenio: In multa temperarunt, tribuni, cum capitis anquisissent, duo millia aeris damnato multam dixerunt.* Item: *Multa duumuiro dicta a pontifice, deq; ea, cum pro-uocasset, certatum ad populum.* Item: *Tribuni pl. ducentum millium aeris multam M. Postumio dixerunt.* Dum autem accusator agebat, reus sub Rostris abiectus adolescentum conuiciis expositus stabat. Liuius: *Gracchus tribunus pl. decreuit, se Scipionem absentem accusari non passurum, & si affuerit, & se appellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat. P. Scipionem sub Rostris stare, & praebere aures adolescentum conuicijs, populo Rom. magis deforme, quam ipsi esse.* Ex quo apparet, magistratus non minus accusationi, quam citationi rei intercedere potuisse.

## De multa poenaeve irrogatione.

CAP. XI.



**P**ostquam autem accusator tertiam accusationem perfecerat, tum rogationem scriptam promulgabat, in qua crimen & poenam, multamve comprehendebat. Erat autem lege vetitum, ut inquit Cicero pro domo, *ne poena capitis cum pecunia coniungeretur*, duabus, ut puto, de causis; vna, quod de capite centuriatis comitiis agebatur, de multa tributis; altera, ne populo necessitas imponeretur, ut aut vtramque iuberet, aut vtramque repudiaret. Rogatio vero per trinas nundinas promulgata manebat, ut populo nota fieret, antequam de ea iudicaret. Haec actio accusatoris, multae poenaeve irrogatio, iudicatio populi, multae poenaeve certatio

certatio dicta est. Cicero lib. iii de legibus: *Cum magistratus iudicasset, irrogassetve, per populum multa poenae certatio esto.* Suetonius in Tiberio: *Salinator tribus Romana in censura notauit, quod cum se post priorem consulatum multa irrogata condemnassent, consulem iterum fecerant.* Aconius: *Diem ei dixit ad populum, multamque irrogauit, quod eius opera multa sacra populi Rom. diminuta esse diceret.* pro Milone: *Diem mihi credo dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat.* pro Rabrio: *Quid ego ad id longam orationem comparem, quod est in eadem multa irrogatione per scriptum, hunc nec sua neque aliena pudicitiae pepercisse.* Rogatio autem dicebatur, quod de ea rogandus erat populus; irrogatio, quod aduersus reum con-scripta esset. Vnde Cicero pro domo: *Privilegium pertinuit, ne mihi presenti si multa irrogaretur, nemo intercederet.* Idem autem etiam erat dicere multam. Liuius de M. Postumio: *Tribuni pl. ducentum millium aeris multam M. Postumio dixerunt.* cuius certandae cum dies aduenisset Cicero in Antonium: *Crassus consul Flacco collega multa dixit, quam multa populus Rom. remisit.* Erat autem formula irrogationis eadem, atque acquisitionis. nam vtraque & crimen, & poena comprehendebatur. sed in acquisitione res verbo peragebatur, in irrogatione scripto.

## De quarta accusatione, &amp; defensione.

CAP. XII.



**C**um igitur irrogatio per tres nundinas promulgata mansisset, tum tertijs ipsis nundinis accusator rursus in Rostra conscendit, ac rursus citato reo quartam accusationem instituit. quam Cicero pro domo quartam accusationem trinum nudinum appellauit. eaque perfecta potestatem reo ad causam dicendam fecit. Vnde Dionysius scripsit: *Dies a tribuno pl. Marcio reo ad causam dicendam tertiae nundinae praefinita.* Vbi vero reus causam dicturus, atque accusationi responsurus erat, tum aut ipse, aut patronus eius permisso accusantis magistratus in Rostra ascendebat, atque inde agebat. Ex quo memorabile illud in Caesare praetore, de quo Cicero ad Atticum: *Cesar, qui olim, praetor cum esset, Catulum ex inferiore loco iusserat dicere, Vectum in Rostra produxit.* Reus autem, aut rei patronus non solum crimina diluere oratorio artificio contendit, sed etiam causam suam populo virtutibus suis commemorandis commendauit. Eliciuntur haec ex iudicio M. Manlij, & P. Scipionis apud Liuium: *cum dies venit, inquit, quae praeter caeteros multitudinis, sediciosasque voces, & largitionem, & fallax indicium pertinentia proprie ad regium crimen ab accusatoribus obiecta sunt reo, apud neminem auctorem inuenio. Manlius homines prope quadringentos produxisse dicitur quibus sine foenore expensas pecunias tulisset, quorum bona venire quos duci addictos prohibuisset ad haec decora quoque belli non commemorasse tantum, sed etiam protulisse conspicienda spolia hostium caesorum ad triginta, dona imperatorum ad triginta, & quae sequuntur.* Item: *Vbi dies dicenda causae venit, Scipio iussus dicere causam sine vlla criminum mentione orationem magnificam de rebus a se gestis est exorsus, tribuni pl. vetera luxuriae crimina Syracusanorum bibernorum, & Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem praesentium et inimicum retulissent, suspicionibus magis, quam argumentis pecuniae captae reum accusarunt.* Eodem modo Cicero in secundo de oratore C. Carbonem consulem causam L. Opimij defendisse scribit, ac iure C. Gracchum caesum contendisse. Extrat praeterea oratio, quo idem C. Rabirium perduellionis reum defendit, ex qua quae ratio defensionum ad populum fuerit, elucescit. Aconius: *Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum iussit anno lxxii. ille per viatore accersitus processit in forum, deinde accepto respondendi loco dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse. M. Scaurus princeps senatus negat, testis nemo est. Vtri vos Quirites conuenit credere? qua voce ita omnium commutauit animos, ut ab ipso etiam tribuno dimitteretur.*

De die iudicio indicenda &amp; auxilijs reorum. CAP. XIII.



**Q**UARTA inde accusatione absoluta magistratus accusator de comitiis edixit, quibus rogationem, quā per tres nundinas preculgatam habuerat, ferret. Ea vero res acta est in hunc modū. Si tribuni pl. mulctam irrogarant, diem comitiis tributis dicebant, quod ipsi pro potestate poterant, si perduellionem, diem centuriati comitiis à prætore urbano poscebant. Vnde Cicero pro domo: *Quo ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Seruilius Abala damnati comitijs centuriatis cum in exilium profugissent, ab eodem populo in suam pristinam dignitatem sunt restituti.* Hos vero satis constat, reos à tribunis pl. esse factos. Liuius libro XIII: *Tribunus pl. utriusque censori perduellionem se iudicare pronunciauit. diemq; comitijs à C. Sulpicio prætore urbano petijt. & Antias libro XLV, teste Gellio libro VI: Licinius tribunus pl. perduellionis ei diem dixit, & comitijs diem à Q. Marcio prætore populi.* Sin autem consul, atque prætor mulctam irrogarunt, tributa comitia, si perduellionem, centuriata indixerunt: quanquam harum actionum rara exempla sunt.

Interea vero dum hæc ad rei exitum parabantur, multa auxilia ipse sibi quaerere poterat. quorum vnum à magistratibus, alterum à populo, tertium à lege, quartum ab ipso accusatore profectum est. A magistratibus auxilium latum est, si tribuni pl. aut collegæ accusatori, aut alteri magistratui intercessissent, ne reum citare, ne in carcerem duceret, ne accusaret, ne pœnam irrogaret, ne comitia ei iudicij haberet, aut si ei diem accusationis, & iudicij produxissent. hæc enim omnia facere pro arbitrato potuerunt. Liuius de Scipione: *Tribuni pl. appellati ita decreuerunt, ut si morbi causa excusaretur, sibi placere, accipi eam causam, diemq; à collega produci.* Gracchus tribunus pl. decreuit, se Scipionem absentem accusari non passurum, & si affuerit, & se appellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat. & de Fulvio: *Tribuni pl. appellati, cum collegæ negarent, se in mora esse, quominus, quod ei more maiorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret.* & Cicero pro domo: *Pertinui, ne mihi præsentem, si mulctam irrogaretur, nemo intercederet.* Decretum Gracchi, cuius meminit Liuius, est apud Gellium lib. VII, hoc modo: *P. Scipio Africanus postulauit pro L. Scipione Asiatico fratre, cum contra leges, contraq; morem maiorum tribunus pl. hominibus accitis per vim inauspicato sententiam de eo tulerit, mulctamq; nullo exemplo irrogauerit, prædesq; eum ob eam rem dare cogat, aut si non det, in vincula duci iubeat, ut eum à collegæ vi prohibeamus. Quod contra collegæ postulauit, ne sibi intercedamus, quominus suapte potestate uti liceat, de ea re nostrum sententia omnium data est. Si L. Cornelius Scipio Asiaticus collegæ arbitrato prædes dabit collegæ, ne eum in vincula ducat, intercedemus. Cum autem Augurinus tribunus pl. L. Scipionem prædes non dantem prehendi, & in carcerem duci iussisset, tum Gracchus ita decreuit: Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniecisset, alienum videtur esse à dignitate populi Rom. in eum locum Imperatorem populi Rom. duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium. itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum à collegæ vi prohibeo.*

Populare autem auxilium significauit Cicero, cum dixit, *multas res ad placandum, atque ad misericordiam esse concessas, exorabilem populum, facilem pro salute supplicationem fuisse.* significat autem humiles reorum preces, atque cognatorum, amicorumque pro iis supplicationes, & preces. Etenim cum ipsi die sibi dicta mutata veste sordidati, ac barba, & capillo promisso preces populi, tum nobiles etiā, qui idem pro se facerent, habuerunt. Liuius: *Ap. Claudio tribuni pl. diem dixerunt nunquam antea tam inuisus plebi reus ad iudicium vocatus populi est, senatus eum percellere non potuit, ut vestem mutaret, ac supplex precesaret.* Item: *Virginus tribunus pl. Appio diem dixit. C. Claudius patruus cum gentilibus, clientibusq; in foro precesabat singulos.* item: *Tribuni pl. diem Manlio dicunt. commota plebs est utique, postquam sordidatum reum viderunt. nec cum eo non modo patrum quæquam, sed ne cognatos quidem,*

*dem, aut affines, postremo ne fratres quidem, quod ad eam diem nunquam visu venisset, ut in tanto discrimine non etiam proximi vestem mutarent.* Gellius libro III: *Scipioni Aemiliano dies dicta est ad populum à Claudio. Afello tribuno pl. is cum esset reus, neque barbam desijt radi, neque non candida veste uti, neque fuit solito cultu reorum.* Recte. tum enim vulgo barbam radebant, & quotidiana toga alba fuit. quare in reatu atram induebant. Ceterum, ut inquit Festus, *cum reus populum comitijs orauerat per deos, ut eo periculo liberaretur, iubeat magistratus, eum resecre, id est populum religione absolueret. ut ita demum populus religione teneretur, si is, qui per deos orauerat, insons, innocensq; esset.*

Tertium vero auxilium, quod à lege præbitum est, fuit duplex, auspicia, & excusatio. Vnde Cicero dixit: *Si qua res diem iudicij aut auspicijs, aut excusatione sustulisset, totam causam, iudiciumq; sublatum esse.* Quod autem auspicijs inquit iudicium discussum esse, comprobatur exemplo P. Clodij, qui, ut inquit Valerius, obiectus populo cum effugere debitam pœnam non posset, subito coorti imbris beneficio tutus fuit à damnatione. *discussa enim quaestione aliam, velut dijs interpellantibus, de integro instaurari non placuit.* & Liuius libro XL: *De mulctâ certatum ad populum. Cum plures iam tribus introuocata dicto, esse audiente pontifici duumvirum iuberent, mulctamq; remitti, si magistratu se abdicasset, vitium de caelo, quod comitia turbaret, interuenit.* Excusationis autem ratio fuit huiusmodi. Citato reo licuit non adesse, si excusaretur. Excusatio vero aut morbi fuit, aut exilij voluntarij, aut funeris curandi; morbi, ut in P. Scipione, de quo Liuius: *P. Scipio die longiore producta in Linternum concessit certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. maior animus & natura erat, ac maiori fortunæ assuetus, quam ut reus esse sciret, & submittere se in humilitatem causam dicentium.* Vbi dies venit, citariq; absens coeptus est, L. Scipio fratri morbum causam esse, cur abesset, excusabat. *quam excusationem qui diem dixerant, cum non acciperent, tribuni pl. appellati ab L. Scipione ita decreuerunt: ut si morbi causa excusaretur, sibi placere accipi eam causam, diemq; à collegis produci.* Gracchus cum vetuisset, nomen suum decreto collegarum ascribi, ita decreuit: *Cum L. Scipio excuset, morbum esse causam fratri, satis id sibi videri, se P. Scipionem, priusquam domum redisset, accusari non passurum.* Exilij, ut Cæsoni Quintio, de quo idem: *Iudicij die cum excusaretur solum vertisse exilij causa, nihilominus Virginio comitia habente collegæ appellati dimisere concilium.* Funeris, ut Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Cum ad iudicij moram familiaris funeris excusatio quaeretur.*

Quartum præsidium ab accusatore petatum est. id autem fuit, quoties accusator accepta excusatione, aliā de causa aut diem produxit, aut omnino incepto destitit, ut de Appio Liuius: *Appius adeo constantia sua tribunos obstupescit, ut diem ipsi sua voluntate producerent.* & de Scipione: *Orationibus in noctem perductis dies producta est.* & de P. Manlio: *Filius tribunum iurare mortem intentans coegit, se patris sui accusandi causa concilium pl. nunquam habiturum, iuravit, & præ se deinde tulit, ea vi subactum incepto destitisse.* & de Acilio: *Centum millium aeris mulctâ Acilio irrogata erat. bis de ea certatum est. tertio, cum de petitione destitisset reus, nec populus de mulctâ ferre suffragium voluit. & tribuni eo negotio destiterunt.* item de Milonis iudicio intentato à Clodio Cicero ad fratrem: *Ante diem tertium Nonas Milo affuit. ei Pöpeius aduocatus venit. dixit Marcellus à me rogatus. honeste discessimus, producta dies est in VIII Idus. Ante diem VII Idus Milo affuit. dixit Pompeius, siue voluit. nam, ut surrexit, operæ Clodiane clamorem sustulerunt. idq; ei perpetua oratione contigit, non modo ut acclamatione, sed ut conuicio, & maledictis impediretur. surrexit Clodius. ei tantus clamor à nostris, ut neque mēte, neque lingua, neque ore confisteret. res in posterum dilata est. Clodius in Quirinalia produxit diem.* Ceterum formula dimittendi rei fuit: *Non moror.* Liuius libro III: *Tum Hortensius, Non videbit, inquit, plebs Romana sordidatos tribunos suos. C. Sempronium nihil moror.*



**Q**UOD si reus per præconem ex Rostris citatus ab accusatore non affuisset, in arcem, & ante fores per cornicinem euocabatur. Scriptum hoc est, licet obscure, apud Varronem libro v. de lingua Latina: *Indicat, inquit, commentarium vetus acquisitionis M. Sergij Manij filij quæstoris, qui capitis anquisiuit Trogum. in quo sic est: Auspicio orando sede in templo auspicii, dum aut ad prætorem, aut ad consulem mittas auspiciam petitem eum eat, præco reum vocet ad se, & eum de mæris vocet. præconi id imperare oportet. cornicinem ad priuati ianuam, & in arcem mittat, ubi canat classicum T. Trogo, & comitia edicat e Rostris. argentarij tabernas occludant, patres censeant, exquiras, & adesse iubeas. & paullo post: Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent, uti curent eo die, quo die comitia erunt, in arce classicus canat, tum circumq; mæros, & ante priuati huiusce T. Quintij Trogi scelerosi hominis ostium canat, & ut in campo prima luci adsit. Item Plutarchus in Gracchis: *Moris est Romanis, si quis capitis anquisitus non adsit, cornicinem summo mane ad fores eius venientem classico euocare, neque prius de eo iudices sententias ferre.* Tacitus lib. II: *In P. Marcium consules extra portam Esquilinam, cum classicum canere iussissent, more prisco animaduertere.* Inde, si ne ita quidem affuisset reus, exilium ei sciscitabatur: aut si exilij causa solum vertisset, ei iustum id esse exilium iubebatur. Liuius de Postumio: *Postumius vadibus datis non affuit, tribuni vocauerunt plebem, quæ ita sciuit: Si M. Postumius ante Kalendas Maias non prodisset, citatusq; eo die non respondisset, neque excusatus esset, videretur in exilio esse.* & de Fulvio: *Priusquam dies comitorum aderat, Cn. Fuluius Tarquinius abiit. id ei iustum exilium esse sciuit plebs.* Quo loco notandum est, quicumque citati non affuissent, iis exilium esse iustum tributis comitiis, non centuriatis, quauis centuriatis tantum de capite ageretur, ut diximus; si præsentis fuissent, centuriatis opus fuisse. Quare ne hac quidem ratione defendi Clodius potuit, qui Ciceronem neque citatum, neque excusatum, & absentem tributis in exilium pepulit, ut ipse pro domo queritur.*

## De rogatione ferienda, &amp; iudicio faciendo.



**V**ERO summus iudicij dies est constitutus, tum magistratus, qui accusauerat, & propterea comitia indixerat, reum per præconem citauit, ac populū aduocauit. Req; agi cæpta populū in tribus, aut in cæturiis discedere iussit, omnibus rebus obseruatis, quæ in habedis comitiis solenes erant. quæ repetere non est hoc loco necesse. Inde Rogatione per scribā recitari populū iussit, de qua suffragia populū ferre oportuit. ac demū populū, num eā acciperet, rogauit. Formula rogandi fuit: *Rogo vos, Velitis iubeatis ne, ut M. Tullio, aqua, & igni interdicitur, quod falsum senatusconsultum rettulerit, quod ciues Ro. indicta causa necandos curarit.* sic enim & pœna, & crimen, quæ erat pœnæ causa, rogabatur. Cicero pro domo: *Quæro quid sit aliud proscribere, Velitis, iubeatis, ut M. Tullius in ciuitate ne sit, bonaq; eius ut mea sint. ita enim fecit, & si alijs verbis tulit.* & paullo post: *At quid tulit legum scriptor peritus? ut M. Tullio aqua, & igni interdictum sit, non tulit, ut interdicitur. quid ergo? ut interdictum sit. Quid si his verbis scripta est ista proscripcio, ut se ipsa dissoluat? est enim: Quod M. Tullius falsum S. C. retulerit. Item: Tulisti de me ne reciperer, non ut exirem. Vbi cauisisti, ne meo loco censor in senatum legeret? quod de omnibus etiam, quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus. & post: In me, cui dies dicta nunquam est, qui reus non fui, qui nunquam sum a tribuno pl. citatus, dānati pœna esse potuit ea præsertim, quæ ne ipsa quidem rogatione perscripcia est? Recitata rogatione, & rogato populū populū in suffragia mittebatur ab eodem illo, qui rogator comitorum erat, eo modo, qui in legibus ferendis, & magistratibus*

gistratibus creandis obseruabatur. scilicet ut per pontes in septa transirent. & ad pontes tabellas sententiæ suæ indices custodibus comitorum darent. Asconius in Cornelianam: *Domitius tribunus pl. Silanum ad populū accusauit, criminatus bellum cum Cimbris iniussu populi gessisse. ac de eo tabellam quoque dedit.* Est autem repetendum; primis temporibus suffragia in iudiciis ferri voce solita. Anno vero DCXVI, L. Cassius tribunus pl. legem tulit, ut in omnibus iudiciis præterquam perduellionis populū tabella suffragium ferret. neque ita multo post Cælius idem etiam in perduellione seruari voluit. ut in libris de iure ciuium Rom. diximus. cum autem populū legem accipiebat, rogatus nihil aliud respondebat, nisi *Volo, Iubeo, uti rogas, aut tabellam dabat, in qua scriptum erat, Uti rogas:* quo facto condemnasse dicebatur, aut se rogationem antiquare significabat, quo pacto pœnam remittere, & absoluere demonstrabat. Cicero pro domo: *Tu iure munitam ciuitatem, & libertatem nostram putas esse oportere, ut si tribuno pl. rogante, Velitis, iubeatis ve, Sedulij centum, se velle, & iubere duxerint, possit vnusquisque nostram amittere ciuitatem?* Liuius libro XLIII: *C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni ad plebem accusarunt, multam decies centum millium æris dixerunt. comitijs habitis omnes quinque & triginta tribus eum condemnarunt.* Item Prior Claudius causam dixit. *& cum ex decem & octo centurijs equitum octo condemnassent, multaq; aliæ primæ classis, extemplo principes ciuitatis in conspectu populi annulis aureis positus vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. maxime tamen sententiam mutasse dicitur T. Gracchus, quod cum clamor vndique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis iurauit, si collega damnatus esset, non expectaro de se iudicio comitem exilij eius futurum. adeo tamen ad extremum spei venit, ut octo centuriæ ad damnationem defuerint.* Asconius: *Scaurus ita absolutus est, ut a tribus tribubus damnaretur, a triginta duabus absolueretur, & in eis pauca puncta inter damnationem, & absolutionem interessent.*

Illud etiam post reges exactos in perduellione, id est in mortis pœna retentum est, ut duumuii crearentur, qui perduellionem iudicarent. resque inde per prouocationem ad populū transferretur. Meminit huius consuetudinis Liuius in iudicio Manlij ita scribens libro VI: *Sunt qui duumuiros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint.* & Dio in consulatu Ciceronis: *Tulit, inquit, T. Labienus tribunus pl. ut duumuiri crearentur, qui Rabirio perduellionem iudicarent, quod Saturninum tribunum pl. in tumultu ciuitatis occiderat. atque duumuiri tum a prætore urbano, non ut moris erat, a populo Cæius, & Lucius Cæsares constituti perduellionem ei iudicarent. verum cum prouocasset ad populū, a Cicerone consule oratione, quæ extat, defensio euasit, consilio Metelli Cæleris prætoris, & auguris, qui vexillo e Ianiculo remoto populi scitum, qui in campo centuriatim iudicabat, irritum fecit. nec Labienus eam quæstionem instaurare alio die curauit.* Hanc autem iudicij formam vetustate obsoletam se consule a Labieno tribuno pl. relatam contendit Cicero in oratione ipsa pro Rabirio: *De perduellionis iudicio, quod a me sublatum criminari soles, meum crimen est, non Rabirij. Quod vtiā Quirites ego id aut primus, aut solus ex hac rep. sustulisset. vtiā quod ille crimen esse vult, propriū testimonium meæ laudis esset. quid enim optari potest, quod ego mallem, quam me in consulatu meo carnificem de foro, crucem de campo sustulisset? sed ista laus est propria maiorum nostrorum. qui expulsis regibus nullum in libero populo vestigium crudelitatis regie retinuerunt. deinde multorum virorum fortium, qui vestram libertatem non acerbitate suppliciorum infectam, sed lenitate legum munitam esse voluerunt. & post: Nanque hæc tua, I licitor, colliga manus, ista sunt cruciatus carmina, quæ libentissime commemoras, Caput obnubito, arbori infelici suspendito. quæ verba Quirites iampridem in hac rep. non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt. Atque hæc quidem siue de multa, siue de capite, siue de perduellione tributis, aut centuriatis comitiis ageretur, hoc modo acta sunt.*



**I**UDICIO facto suscepta est animaduersione. Hæc in ceteris pœnarum generibus eodem modo in populi iudicio facta est, atque in prætorio. De quibus, supra satis dictum esse videtur. Nunc, quod reliquum est, de seruitute, & nece dicamus.

Seruitus, ut diximus, per venditionem inducta est. Venditio vero, quæ & auctio dicta est, sub hasta est facta, magistratu ei, qui pluris licitatus esset, hominem addicente. Varro, teste Nonio: *Manius Curius consul in Capitolio cum delictum haberet, nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem.* Idem scribit, & multo clarius Valerius: *Curius coniectis omnibus in sortem tribubus primum nomen vrna extractum citari iussit. neque eo respondente bona adolescentis hasta subiecit. Quod ut illi nunciatum est, ad consulis tribunal currit, collegiumque tribunorum appellauit. Tum Curius & bona eius, & ipsum vendidit.*

Necis autem genera hoc modo suscepta sunt. Percussio securi facta est per licitorem prægressa verberatione, quæ virgis adhibebatur. Liuius libro secundo: *Stabant deligati ad palum nobilissimi iuuenes. consules in sedem processere suam, missique lictores ad sumendum supplicium nudatos virgis cadunt, securique feriunt.* Eadem ratio seruata in aliis; ut in Campanis, libro xxvi: *Producti omnes virgisque caesi, ac securi percussi. inde citato equo Cales proconsul percurrit. Vbi cum in tribunali conseruisset, productique Campani deligarentur ad palum, præconi imperat, ut lege agere iuberet. Ita de ijs quoque sumptum supplicium.*

Iam vero strangulatio, quæ laqueo fiebat, & præcipitatio, quæ de Robore, ambæ suscipiebantur in carcere. Carceris vero duæ præcipue fuerunt partes, Tullianum, & Robur. Tullianum à Ser. Tullio rege est additum. de quo Sallustius: *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur, vbi paullatim ascenderis ad læuam, circiter xii pedes humi depressus. cum muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta tenebris, odore foeda, atque terribilis eius facies est.* De Robore sic Festus: *Robur dictus est in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur.* Carceris vero cura triumuiris erat commissa, ut eorum interuentu supplicium sumeretur. Pomponius D. de origine iuris: *Triumuirii capitales constituti, qui carceris custodiam haberent, & cum animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret.* Vnde Cicero quoque sanxit in Legibus: *Vincula fontium seruant, capitalia vindicant.* & in Catilinam dixit: *Carcerem vindicem nefariorum, ac manifestorum scelerum maiores nostri esse voluerunt.* His cognitis, dico strangulationem factam esse in Tulliano, præcipitationem vero de Robore, vtrumque autem per carnificem iussu Triumuirii capitalis. Audiamus Sallustium: *In Tullianum postquam demissus est Lentulus, iudices reum capitalem, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregerunt.* & Ciceronem in Vatinius: *Quero, fregeris ne in carcere ceruices illi ipsi Vectio, ne quod indicium corrupti iudicij extaret?* Valerius autem de præcipitatione testis est, libro vii: *Quin etiam familiares Gracchorum, ne quis reip. inimicus amicus esse vellet, de Robore præcipitati sunt.* Liuius libro xxxviii: *Vt in carcere vir clarissimus inter fures, & latrones includatur, & in Robore, ac tenebris expiret.* & libro vi: *Eum pati vindictam in carcere in tenebris obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam.* Plautus in Curculione: *At ego faciam vos ambo in Robusto carcere ut pereatis.* De Triumuiro quoque illud est apud Valerium libro vi: *Mulierem damnatam prætor triumuiro necandam in carcere tradidit. quam receptam is, qui custodiæ præerat, misericordia motus non protinus strangulauit, aditum etiam filie dedit, sed diligenter excussæ, nequid cibi inferret, existimans futurum, ut inedia consumeretur. cum vero animaduertisset, filiam lactis sui præsidio sustentantem, rem ad triumuirum, triumuir ad prætorē, prætor ad consilium iudi*

*iudicum pertulit, & remissionem pœnæ mulieri impetrauit.* Deiectio item è rupe, siue è saxo Tarpeio per carnificem facta est, prægressa verberatione iussu magistratus, eoque supplicio liberi homines affecti, ut scribit libro tertio Ciuium Appianus: Gellius tamen lib. x. cap. xviii posuit: *Decemviri seruos manifesti furci præhensos verberibus affici, & de saxo præcipitari iusserunt.* Liuius libro vi: *Manlium tribuni de Saxo præcipitarunt.* id est præcipitari iusserunt. Vt autem liberi de Saxo deiiciebantur, sic serui in crucem agebantur. Cicero decimo tertio ad Atticum: *O mirificum Dolabellam meum. magnam ἀναθεωρησὼν res habet. de Saxo. in crucem. & in prima in Antonium. Talis animaduersione fuit Dolabellæ, cum in audaces, scelerososque seruos, tum in impuros, nefariosque liberos.* nimirum seruos in crucem actos significans, liberos de Saxo præcipitados. Hoc etiam supplicium interuentu Triumuirii per carnificem sumptum est. Valerius libro viii: *Fannij seruus Alexander, cum in summam venisset suspicionem C. Flauij equitis Romani occisi, septies tortus pernegavit ei se culpæ affinem esse; sed perinde atque confessus, & à iudicibus damnatus, & à L. Calpurnio triumuiro in crucem actus est.* Opera vero carnificis triumuirum id fecisse crediderim, siquidem Cicero pro Rabirio gloriatur, se carnificem de foro, crucem de campo sustulisse. De verberatione testatur idem in primo de Diuinatione: *Seruus per circum cum virgis caderetur furcam ferens ductus est.* Verberatio vero fiebat per licitorem. Vnde erant illa solemnia: *Lictor, colligam manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito.* Erant autem Crux, patibulum, & arbori infelici suspensio idem. Sallustius, teste Nonio: *Nobilissimus quisque aut malo dependens verberabatur, aut immutato corpore improbi patibulo eminens affigebatur.* Isidorus libro v: *Patibulum vulgo furca appellatur: sed patibuli minor pœna, quàm crucis. nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem affixos diu excruciat.*

De culleo, & profuente satis supra dictum est. Aliquando etiam contumeliæ causa cadauera in Tiberim, aut in scalas Gemonias proiecta. cuius rei exempla non desunt. His de extremo supplicio explicatis, quoniam supra de tormentis egimus, hic de torquendi instrumento, quod Eculeum dixerunt, nonnulla subiiciemus.



**Q**UIS vero, aut qualis Eculeus fuerit, qui inter antiqua tormentorum genera numeratur, nemo adhuc litteris prodidit. Quantum autem ex veterum non leuissimis elici monumentis potest, Eculeus catasta fuit lignea, cochleata, ad intendendum ac remittendum apta, atque ad torquendos homines, ut facti veritas eliceretur, instituta. Tormenti vero genus erat huiusmodi: Vbi catasta huic brachia, pedesque eius, qui torquendus erat, neruis quibusdam, quæ fidicula dicebantur, alligauerant, tum catasta intenta, atque in altum erecta, ut ex eo quasi ex cruce quadam miser ille penderet, primum compagem ipsam ossium illius diuellebant, deinde candentibus eiusdem corpori laminis admotis; atque bifulcis vngulis ferreis lateribus laniatis doloris acerbiter augebant.

Ac catastam quidem ligneam, atque in altum erigi solitam fuisse, ostendunt aperte Sozomenus Hist. Ecclesiasticæ libro v, & Prudentius in hymno D. Vincentij martyris, quorum ille eculeum *lignum tortorium*; hic *stipitem noxiale* appellat. Siquidem inquit Sozomenus: *καὶ προσάγαγον πρὸς τὸ βασανιστήριον ἑβλὸν αἰωρεῖσθαι προσέτατον.* id est, *Et cum ad tortorium lignum adduxisset, in sublime tolli iussit.* & Eusebius Hist. Eccl. lib. v. *τὴν ἐν τῷ ξύλῳ διατάσας τῶν ποδῶν.* id est *Pedum extensiones in ligno.* Prudentius autem: *Incensus his Asclepiades iusserat*

*Eiuscerandum corpus eculeo eminns*

Pendere. & paullo post:  
Iubet amoueri noxialem stipitem,  
Plebeia clarum poena ne damnet virum.

At paullo post, qui in eculeu effret coniectus, ex eo, quasi ex alto ligno, pependisse, ostendit multo apertius, cum eundē martyre ex eculeo ita vociferantem inducit:

Audite cuncti, clamo longe, ac praedico,  
Emitto vocem de catasta celsior.

Eandem autem machinam cochleatam fuisse, ex versu veteris poetæ Pomponij elicitur, qui à Nonio Marcello profertur:

Et vbi insilui in cochleatum eculeum,  
Ibi totulim tortor. id est, torqueor.

Quod autem brachiis, pedibusque eculeo fidiculis alligatis eculeus distentus offium commissuras cum dolore distraxerit, ex multis locis cognoscitur. primum ex eodem hymno, vbi ita tyrannus imperat:

Vinctum retortis brachijs  
Sursum, ac deorsum extendite,  
Compago donec ossium  
Diuisa membratim crepet.

deinde ex hymno D. Romani martyris, in quo martyr ipse ita ex eculeo loquitur:

Miserum putatis, quod retortis pendeo  
Extentus vlnis, quod reuelluntur pedes,  
Compago neruis quod sonat crepantibus.

& Alconio: De seruo Alicore quæstio ita habita, vt is articulatim consecraretur.

Quibus verbis satis quæ figura fuerit eius, qui in eculeo torqueretur, ostenditur, cum se pendere brachiis, pedibusque retortis extentum ait, neruis scilicet, quibus deincta membra erant, propter summam intentionem crepantibus:

His autem addere possumus etiam Suetonium de Tiberio ita scribentem: Exco-  
gitauerat inter genera cruciatus etiam, vt larga meri portione per fallaciam oneratos  
repente veretris deligatis, fidicularum simul, vrinæq; tormento distenderet. Ex quibus  
apparet, nullum alium cruciatu à fidiculis, quibus membra eculeo adhærebant,  
nisi distensionis esse profectum. Vnde Isidorus nō omnino malus auctor antiqui-  
tatis iure suo, Eculeum dictum, quod extenderet, scripsit. Eusebius autem summe  
distentum ait, cum ad quintum foramen peruenisset. inquit enim libro v: τὸς  
εν τῷ ξύλων διατάσεις τῶν ποδῶν ἐπὶ πέμπτον διατεταμένων τρήπημα.

Vt autem incitandi doloris causa eculeus, aut fidiculæ tendebantur, sic ciul-  
dem remittendi eadem laxabantur. Quocirca Valerius de patientia ita scriptum  
reliquit: Zeno cum à Nearcho tyranno torqueretur, esse dixit, quod secreto audire  
eum maxime expediret, laxatoque eculeo aurem eius morsu corripuit, atque abscondit.  
In Theodoro autem Hieronymus tyrannus tortorum manus frustra fatigauit; rupit  
enim verbera, fidiculas laxauit, soluit eculeum, laminasque extinxit prius, quàm ef-  
ficeret, vt tyrannici odij conscios indicaret. & Quintilianus declamatione vltima  
ita: An quæstionem illam fuisse credis, qualis vernilibus corporibus adhibetur. Ideo  
enim eculeum mouebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione scuitæ, vt leniter  
sedibus suis, remota compago per singulos artus membra laxaret. Ex quibus verbis, qui  
in laxando eculeo leniter fidiculas remisisset, eum aliqua ex parte doloris acerbi-  
tati consuluisse apparet.

Postremo vero laminarum candentium, & vngularum effodientium ita multa  
testimonia extant, vt ea referre putidum magis, quàm necessarium esse videa-  
tur. Cyprianus ad Donat, *Elasta illic, & gladius, & carnifex præsto est. vngula effo-  
diens latera, & deradens, eculeus extendens, ignis exurens, hominis corpus vnum sup-  
plicia plura, quàm membra.* & de laude martyrij: *Hoc vero quod eculeo corpus ex-  
tensum cadentes stridet ad laminas, non exempti sanguinis, sed tentationis est causa.*

& Pru

& Prudentius in hymno D. Vincentij:

Extorque, si potes, fidem,  
Tormenta, carcer, vngula,  
Stridensque flammis lamina,  
Atque ipsa poenarum vltima  
Mors Christianis ludus est.

& post:

Ridebat hæc miles dei  
Manus cruentas increpans,  
Quod fixa non profundius  
Intraret artus vngula,

& in hymno D. Romani:

Amor coronæ pene præuenit trucem  
Lictoris artem sponte nudas offerens  
Costas bisulcis execandas vngulis.

& post:

Non vngularum tanta vis latus fodit  
Mucrone, quanta dira pulsat pleuresis,  
Nec iniusta laminis ardet cutis,  
Vt febris atro felle venas exedit.

Et Cicero in Verrem: *Quid cum ardentis laminae, ceterique cruciatus admoueban-  
tur.* Et Seneca libro i ii de Ira: *Torserat per omnia, quæ in rerum natura tristissima  
sunt, fidiculis, tribularibus, & eculeo, igne, vultu suo.* & in Antonium: *Ponite ante  
oculos vincula, verbera, eculeum, carnificem, tortoremque Samarium.*

Extorquendæ autem de seruis veritatis causa, eculeum adhibitum fuisse &  
supra significauimus, cum de quæstionibus diximus, & docet Cicero pro Deio  
taro, cum ait: *Cum more maiorum de seruo in dominum ne tormentis quidem quæri li-  
ceat, in qua quæstione dolor veram vocem elicere possit etiam ab inuito, exortus est ser-  
uus, qui quem in eculeo appellare nō posset, eum accuset solutus.* pro Milone: *Sed quæ-  
stiones vrgent Milonem, quibusnam de seruis?* item: *Facti quæstio in eculeo, iuris in  
iudicio.* Translatus est inde eculeus ad cruciandos homines, & acerbiorē supplicio  
afficiendos, quod in Christianis martyribus patuit.

De toga.

C A P. X I X.



C de iudiciis quidem Romanorum hæc hæctenus: Nunc, quo-  
niam dum superiora iura tractauimus, vestitus sæpe, cultusque  
Romani meminimus; neque satis is nobis locus præsertim aliò  
properantibus est purgatus, pauca hoc loco de toga, tunicaque  
Romanorum subiicere placet, quæ adeo variatæ sunt, vt ciues à  
peregrinis, viros à pueris, equites à senatoribus, priuatos à magi-  
stratibus, magistratus ab imperatoribus, separarint.

Toga amictus fuit exterior, à tegendo, vt scribit Varro, corpore appellata.  
Hæc fuit lanæ, semicircularis, tunica superior, ad talos fluens, eademque aperta.  
Lanæam fuisse, ostendit multis in locis Martialis. Itemque Varro, cum inquit: *Læ-  
na, quod de lana multa, duarum enim togarum instar.* Semicircularem, docet  
Dionysius in Prisco, cum scribit, *togam pictam amictum fuisse, non vt Lydorum,  
quadratum, sed semicircularem, eamque à Romanis togam, à Græcis Τηβωνον appella-  
tam.* & Isidorus libro x i x scribens, *togam pallium esse parum forma rotunda. men-  
suram vero togæ iustæ esse sex vlnas.* Contra vero quadratum fuisse innuit Athe-  
næus libro v, cum inquit: *Romani in Asia vt vim Mithridatis effugerent, ad tem-  
pla confugerunt, & quadratis vestimentis abiectis pallia sumpserunt.* togas autem  
eas fuisse, Cicero indicat in oratione pro Postumo: *P. Rutilium, inquit, facilius cer-  
te necessitatis excusatio defendet, qui cum à Mithridate Mytilenis oppressus esset,  
crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitauit.* ergo ille P. Rutilius, qui docu-  
mentum

mentum



mentum fuit hominibus nostris virtutis, antiquitatis, prudentia, consularis homo sacros habuit, & pallium. Tunicae porro superiniectam, omnia testimonio sunt, praecipue autem quod, ut scribit Gellius libro v i i, antiquitus sine tunicis sola toga amicti fuerunt. & ut Aconius scripsit in Scaurianam: *Cato praetor iudicium, quia astate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus. in forum quoque sic descenderat, iusque dicebat. idque repetierat ex vetere consuetudine, secundum quam Romuli aetatis statu in Capitolio, & in Rostris Camilli fuerunt togatae sine tunicis.* & quod Plutarchus scribit, Tiberium Gracchum fugientem togam dimisisse, atque in tunica cecidisse. Fluxisse autem eam ad talos, elicitur ex verbis Ciceronis de toga praetexta Quintij tribuni pl. loquentis in Cluentiana: *Facite ut non solum mores eius, & arrogantiam, sed etiam vultum, atque amictum, atque illam usque ad talos demissam purpuram recordemini.* Apertam fuisse, cognoscitur ex Valerio de Nafica loquente libro i i i: *Laevam manum apertae togae circumdedit.* & ex eo, quod toga dicebantur amiciri, ipsaque amictus, & amiculum vocabatur. vnde idem libro i i: *Iussit eum togae lacinijs abscissis amictum, discinctaque tunica indutum nudis pedibus adesse.* & Gellius libro x i: *obtentu togae tanquam se amiciens.*

Huius porro togae partes quodammodo fuerunt lacinia & sinus. Laciniae partes apertae togae fuerunt, sinus praecinctae. Laciniae meminit Velleius: *Scipio Nafica circumdata laevo brachio togae lacinia in Gracchum irruit.* id quod Valerius dixit: *Laevam manum aperta togae circumdedit.* & libro i i: *Iussit eum togae lacinijs abscissis amictum adesse.*

Cinctura vero, vnde sinus profluxit, fuit triplex, laxior, astrictior, & cinctus Gabinus. laxior fuit, qua togae lacinia trahebatur. de qua Macrobius libro i i: *Cesar ita toga praecingebatur, ut trabendo laciniam, velut mollis incederet, ut Sylla tanquam providus dixerit Pompeio, caue tibi illum puerum male praecinctum.* & de eodem Suetonius: *Cesarem fuisse cultu notabilem ferunt: usum enim lato clauo ad manus simbricato. nec ut unquam aliter, quam ut super eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura. vnde emanasse Syllae dictum constat, optimates saepius admonentis, ut male praecinctum puerum cauerent.* & Horatius primo sermonum: *Rideri possit eo, quod Rusticius tonso toga defluit.* Astrictior fuit, qua sinus togae in anteriore parte conficiebatur. nec toga ad pedes deuenire permittebatur. vnde alte praecincti pro expeditis dicti, Suetonius de eodem Caesare iam sene: *Cesar, cum interficeretur, togae caput obuoluit, sinum sinistra manu ad ima crura deduxit, quo honestius caderet.* & Macrobius: *Hortensius ad speculum se intuens togam corpori sic applicabat, ut rugae non forte, sed industria locatas artifex nodus astringeret, & sinus ex composito defluens lateris modum ambiret.* Frontinus libro i i i i: *Pilo Titium praefectum cohortis, quod loco fugitiuis cesserat, cincto togae praeciso, soluta tunica, nudis pedibus, in principijs quotidie stare iussit.*

De cinctu Gabino sic Isidorus: *Cinctus Gabinus dicitur, cum ita imponitur toga, ut togae lacinia, quae post rejicitur, attraheretur ad pectus, ita ut ex utroque latere penderet. ut sacerdotes pingebantur.* Item Seruius exponens verbum illum: *Ipse Quirinali trabea, cinctusque Gabino Insignis reserat stridentia limina consul,* inquit, *Gabinus cinctus est toga sic in tergum reiecta, ut vna eius lacinia a tergo reuocata hominem cingat. hoc autem vestimenti genere utebatur consul bella indicturus. ideo quia cum Gabij Campaniae ciuitas sacris operaretur, bellum subito venit. tum ciues accincti togis suis ab agris ad bella profecti sunt, & adepti victoriam.* vnde hic est ortus mos. Liuius lib. v i i i de Decio consule se deuouente: *Pontifex eum togam praetextam sumere iussit, & velato capite manu subter togam ad mentum exerta super telum subiectum pedibus stantem dicere.* Mox: *Ipse incinctus cinctu Gabino armatus in equum insiluit, & se in medios hostes immisit.* Item Valerius de religione: *Fabius Gabino cinctu cinctus manibus, humerisque sacra gerens ex Capitolio descendit.* Ex his apparet, quemadmodum sinus praecinctae togae pars fuerit. Quin etiam sinus togae gremium fuit.

fuit. vnde illud Liuij de Fabio legato in senatu Carthaginis: *Sinu ex toga facto, ite: sinu effuso.* quod dixit Florus: *Excusso togae gremio.*

Vfus autem togae proprius Romanorum fuit, ut Graecorum pallium. Itaque Togati pro Romanis dicti, ut palliati pro Graecis. & fabulae togatae fuerunt, in quibus Romani inducebantur, ut palliatae, in quibus Graeci. & Galli, atque Hispani, teste Strabone Togati vocati, qui victum, cultumque Romanorum asciuerunt. Quare Suetonius: *Augustus, inquit, inter varia munuscula togas in super, & pallia distribuit lege proposita, ut Romani Graeco, Graeci Romano habitu uterentur.* Cicero pro Rabirio, obiectum dixit Rabirio, quod Alexandriae palliatus fuisset, & Scipioni obiectum inquit Liuius, quod cum pallio, crepidisque inambulasset in gymnasio. Cicero etiam obiecit Verri, quod steterit soleatus praetor cum pallio purpureo muliercula nixus in litore. & in Antonium dixit de iudice Graeco Romae iudicante: *Iudex modo palliatus, modo togatus.*

Eadem toga pacis fuit insigne, ut sagum belli, vnde togati sagatis oppositi. Etenim in tumultu priuati togas, magistratus praetextas ponebant, & saga militaria sumebant. ut idem ostendit eodem in loco. His in vniuersum de toga cognitis, nunc de generibus eius agamus. fuerunt autem haec, pura, candida, pulla, praetexta, paludamentum, pieta, trabea.

TOGA PURA fuit communis toga hominum priuatorum, eorumque virorum. Itaque etiam virilis est appellata. Ac pura quidam dicta, quod albi coloris esset, nulla admista purpura, virilis vero, quia pueris virilem aetatem ingredientibus dabatur. Albam fuisse ostendit Pollux, *τιβεννον λευκον & δολλευκον* appellans, item Martialis, cum ait: *Et toga non tactas vincere iussa niues.* & Papinius: *Nec saltem teneris ostrum iuuenile lacertis Exiit, albertique humeros induxit amictu.* & Gellius qui scribit, *Scipionem Aemilianum reum ad populum factum candida veste, non autem solito reorum cultu fuisse.* & pura quidem etiam dicta respectu praetextae, quae admistam habebat purpuram. itaque a Plutarcho in Bruto dicitur *απορφυρα*, id est expers purpurae.

Praetexta vero utebantur pueri usque ad annum x v i, qui annus tyrocinij dicebatur. tum vero togam virilem, puramve sumebant in Capitolio. Valerius libro v: *Cotta ipso die, quo togam sumpsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, C. Carbonem accusauit.* Plin. lib. v i i i: *Tirones recta tunica simul cum toga pura inducebantur.* Cicero ad Atticum: *Ego meo Ciceroni Arpini potissimum togam puram dedi.* Suetonius: *Augustus duodecimum annum aegens auiam Iuliam defunctam pro concione laudauit: quadriennio post virili toga sumpta militaribus donis triumpho C. Caesaris Africano donatus est.* Seneca primo epistolarum: *Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum praetexta posita, sumpsisti virilem togam.* Haec autem ita totum corpus amicieuit, & ita quodammodo impediuit, ut etiam brachium utrumque cohiberet. vnde loquens Cicero de pueris virile fumentibus dixit pro Caelio: *Nobis olim annus erat vnus, ad cohibendum brachium toga constitutus.* & Horatius loquens de petitoribus honorum, emere eos debere monuit seruum, *Laeuum Qui fodiat latus, & cogat trans padera dextram Porrigere.* nimirum pondus intelligens togae, quae brachium manumque cohibebat.

Ceterum cum communis, & quotidiana toga esset alba, tum vero, si petendi honores erant, induebant candidam, eaque signum erat petitionis. Erat autem candida, ut inquit Isidorus, *cui intendendae albedinis causa creta addiderant.* Est enim plus candidum, quam album. Macrobius libro primo: *Mos fuit petitoribus, ut sumpta candida toga nudinis in Comitium venirent, & in culle considerent, vnde coram possent ab vniuersis videri.* Hinc candidati vocati, de quibus alio loco satis.

Toga vero pulla fuit atrii coloris, quam induebant luctus, & reatus causa. tumque dicebantur veste mutata. In luctu autem atrati, in reatu fordidati appellabantur. De luctu Cicero in Vatinium: *Qua mente fecisti, ut in epulo Q. Arrii cum toga pulla accumberes?* item: *Quis in funere familiari coenauit cum toga pulla?* item: *Quis unquam coenauit atratus, cum ipse epuli dominus Q. Arrius albatu esset?* De reatu

Liuius libro VI: *Tribuni pl. diem Manlio dicunt. conuersa plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt. nec cum eo non modo patrum quenquam, sed ne cognatos quidem aut affines, quod ad eam diem nunquam vsu venisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent.*

Toga vero PRAETEXTA, hęc enim sequitur, fuit toga alba illa quidem, sed cui purpura, vt inquit Macrobius, erat praetexta, id est quę in ora habebat purpuram, vnde eam Gręci scriptores ποδὶ πρὸς πογῶν vocant, id est circumquaque purpuram habentem. Hęc vero fuit puerorum, magistratuum, sacerdotum, & eorum, qui publicum munus curarent. Hoc ostendit Valerius tribunus pl. apud Liuium lib. xxxviii: *Purpura viri vtentur praetextati in magistratibus, in sacerdotijs, liberi quoque nostri praetextis purpura togis vtentur; magistratibus in colonijs, municipijsq; hic Roma in summo genere magistris vicorum toga praetexta habenda ius permittemus, nec id vt diuis solum habeant tantum in signe, sed etiam vt cum eo cremetur mortui, feminis duntaxat purpureo vsu interdicens? & cum tibi viro liceat purpura in veste stragula vt, matrem familias tuam purpureum amictum habere non sines? & equus tuus speciosus instratus erit, quam vxor vestita?* De eadem re sic Macrobius in primo: *Tullus Hostilius rex Romanorum tertius debellatis Etruscis sellam curulem, lictoresq; & togam pictam, atque praetextam, quę insignia magistratuum Etruscorum erant, primus vt Roma haberentur, instituit. Sed praetextam illo saeculo puerilis non vsurpabat aetas, erat enim, vt cetera, quę enumeravi, honoris habitus. Sed postea Tarquinius Priscus rex quintus de Sabinis egit triumphum. quo bello filium suum annos quattuordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudauit & bulla aurea praetextaq; donauit, insigniens puerum ultra annos fortem praemijs virilitatis, & honoris. nam sicut praetexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium. Hinc deductus mos, vt praetexta, & bulla in vsu puerorum nobilium vsurparētur ad omen, & vota concilianda virtutis ei similis, cui primis in annis munera ista cesserunt. Alij putant, eundem Priscum, cum is statum ciuium solertia prouidi principis ordinaret, cultum quoque ingeniorum puerorum inter praecipua duxisse, instituisseq; vt patricij bulla aurea cum toga, cui purpura praetexeretur, vtentur, sed vsque ad eos, quorum parentes ex quo stipendia iusta meruissent. Libertinis vero nullo iure vt praetexta licebat, ac multo minus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. Sed postea libertinorum quoque filijs praetexta concessa est bello Punico secundo. Alij a Romulo hoc institutum rettulerunt, qui primum filium ex Sabinis mulieribus procreatum bulla aurea, ac praetexta insignibus decorauerit. Nonnulli credunt, ingenuis togam praetextam additam, vt ex purpurę rubore ingenuitatis pudore regerētur. Valerius cap. de indole: *Statua bullata, & incincta praetexta S. C. puero posita est.* De praetexta magistratuum non est opus pluribus exemplis, quàm quę supra prolata sunt. Hinc praetextati dicti, & qui in aetate essent praetextata, id est puerili, & qui in magistratu.*

Iam vero paludamentum fuit toga imperatoria, non solum purpura, sed cocco etiam, auroque distincta, vt scripsit Isidorus. Plutarchus purpuream, Silius coccineam, vt supra diximus, appellauit. vnde Plinius scripsit libro x xvii, *Coccum imperatorijs paludamentis fuisse dicatum.* de eo fati etiam supra est disputatū. Hęc Gręco vocabulo Chlamys, teste Nonio, appellata de qua Isidorus: *Chlamys est, quę ex vna parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur.* & Valerius libro III: *L. Scipionis statuam eblamydatam, & crepidatam in Capitolio cernimus. quo habitu quia aliquando vsus erat, effigiem suam formatam poni voluit. L. quoque Sylla cum imperator esset, eblamydato sibi ac crepidato ambulare deforme non duxit.* Quod si chlamys Gręcis non omnino idem, ac paludamentum Romanis fuit, certe tamen & ipsa vestis imperatoria fuit.

Toga vero picta primum purpurea, deinde picta, item palmata, ac triumphalis appellata: purpurea, quod tota coloris esset purpurei; picta, quod in ea imagines aliquot acū depictę essent; palmata, quod victorias cum palmis intextas haberet; triumphalis,

triumphalis, quia ea triumphantes ornarentur. Dionysius de Prisco rege loquens ποδὶ βόλαιον πορφύρεον ποικίλον vocat, id est amictum purpureum varium. Plutarchus in Emilio ἀλσργίδα χρυσοῦ πασσου, id est vestem purpuream auro intextam. Festus: *Picta, quę nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata est, eaq; erat sine pictura.* Isidorus libro xix: *Toga palmata dicebatur, quam merebantur ij, qui reportabant de hostibus palmas, quę vocabatur & toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet.* Liuius libro xx xi: *Dona ampla data, quę ferret rex, toga purpurea, & toga praetexta.* Cicero in Antonio: *Cæsar sedebat in Rostris amictus toga purpurea in sella aurea coronatus.* Plutarchus: *Cæsar sedit in foro in tribunali triumphali veste ornatus.* Aufonius in Panegyrico ad Gratianum: *Palmatam, inquis, tibi misi, in qua Diuus Constantius parens noster intextus est.*

Præter has omnes erat trabea. hanc etiam vt praetextam quoque, & togam pictam ab Etruscis ad Romanos trāslatam scribit Florus. *Trabearum, inquit Seruius, tria genera: vnum, quod dijs sacratum, & est totum purpureum: alterum, quod est regum, quod est purpureum, sed habet aliquid albi: tertium augurale, & purpura, & cocco mixtum.* De regia trabea sic Isidorus libro xix: *Trabea togę species ex purpura, & cocco, qua operti Romanorum reges initio incedebant. hanc primum Romulus inuenisse fertur ad discretionem regij habitus.* Dionysius in secundo: *Trabea toga fuit, quę fibula astringebatur; vbi vero de Saliis loquitur, trabeas vocat togas ποδὶ πορφύρεος, id est praetextas punico colore.* Plinius libro viii: *Trabeis vsos reges accepimus.* & libro ix: *Romulus purpura vsus est in trabea.* & Plutarchus: *Romulus sedit ἀλσργίδα, id est purpurea veste, ornatus.* Præter reges etiam consules trabeam vsurparunt. Virgilius libro vii: *Ipse Quirinali trabea cinctuq; Gabino Insignis referat stridentia limina consul.* Claudianus in Panegyrico secundo: *Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes Induerit, fastisq; suum concesserit annum.* Liuius libro xx xii: *Consul vere primo in continentem trabeatus ad hostem pergit.* Item equites. Valerius de institutis: *Equites trabeati Idibus Quintilibis transfuehi soliti.* Tacitus libro iii: *In funere Germanici atrata plebs, trabeati equites fuerunt.* Hęc de togis, & earum generibus. præter has vero fuit læna, palla, lacerna, & penula.

Læna fuit toga pinguior hiberno tempore apta. Vnde Martialis de læna loquens dixit: *Tempore brumali non multum leuia prosunt, Calfaciunt villi pallia vestra mei.* vnde prouerbiū natum est: *Aestate lanam teris.* De hac Varro ita: *Læna quod de lana multa, duarum enim togarum instar. vt antiquissimum mulierum recinium, sic hoc duplex virorum.* Festus: *Læna vestimenti genus, habitus duplicis. quidam appellatam existimant Tusce, quidam Græce, quam χλωμαῖν dicunt.* Nonius: *Læna vestimentum militare, quod supra omnia vestimenta sumitur.* Virgilius: *Tiroq; ardebat murice læna.* Ibi Seruius: *Læna genus vestis est. est autem proprie toga duplex. amictus auguralis.* Cicero in Bruto: *M. Popillius cum consul esset, eodemq; tempore sacrificiū cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis.* Plutarchus in Numa: *Quas ferebant reges lænas, Iuba inquit χλωμαῖν esse.*

Palla toga scenica fuit. Cicero in Antonium: *Tuditanus insanus cum palla & cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat.* Suetonius: *Caligula tres consulares super pulpitum collocauit, deinde repente magno tibiaram, & scabellorum crepitu cum palla tunicaq; talari prosiluit, ac disaltato cantico abiit.*

Lacerna vero, vt inquit Festus, dicta, quod capitio sit minor. *Hęc vtrinque indui potuit, & vtrinque reijci, & fere togę superiecta est.* diuerforum vero colorum fuit, nimirum aut albi, aut atri, aut purpurei, vsusq; varij; nam & imbris caussa, & frigoris adhibita est, vt in circo ludorū caussa, & in castris. Hęc quę dixi, proximæ probant auctoritates. Martialis libro xiii: *Amphitheatrales nos cōmendamur ad vsus, Cum tegit argentes nostra lacerna togas.* & in viii: *O quātos risus pariter spectata mouebit Trita Palatina nostra lacerna toga.* Iuuenalis satyra ix: *Pingues aliquando lacernas Munimenta togę duri, crassiq; coloris.* Item Horatius in quarto: *Spectabat modo*

*Solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis, Cum plebs, & minor ordo, maximusq; Sancto cū duce candidus sederet.* Item: *Et quæ Tyron toties epotauerit lacerna.* Plinius lib. xii: *Virgilia nubilo occasu pluuiosam hiemem denunciant, statimq; augentur lacernarum pretia.* Valerius lib. ii scribit, Octavianum in bello lacernatū fuisse. & Isidorus togatos pro vrbani, lacernatos pro militibus vsurpatos scribit. Cicero vero obiecit Antonio, quod lacernatus in urbem redisset, non togatus. *Quod querebas,* inquit, *quemadmodum redissem, primum luce, non tenebris, deinde cum calceis, & toga, nullis nec gallicis, nec lacerna.* Quin etiam lacernas pro togis in urbe vsurpatas aliquādo apparet. Indicat Suetonius cum scribit: *Augustus visa pro concione pullatorum turba negotium dedit edilibus, ne quem posthac paterentur in foro, circūve nisi positus lacernis togatum consistere.* & apud Gellium libro xiii: *Castricius Hadriano imperante quosdam senatores reprehendit, tunicis, & lacernis indutos, ac gallicis calciatos, non togatos.*

Extremum præceptum sit de penula. Hæc ex lana alba, aut ex gausape fuit confecta, pluuiæ, atque itineris causa, non togæ, vt lacerna, sed tunicæ superimposita. Lampridius: *Alexander imp. penulis intra urbem frigidis caussa, vt senes vterentur, permisit. cum vestimenti genus semper itinerarium, aut pluuiæ fuisset.* Nonius: *Penula vestis, quam supra tunicam accipimus.* Varro virgula diuina: *Non querenda est homini, qui habet virtutem, penula in imbri.* Quintilianus: *Galba penulam roganti respondit, si non pluit, non est opus tibi, si pluit, ipse vtar.* Horatius in epistolis: *Rhodos, aut Mitylenæ pulchra facit, quod Penula solstitio, campestre niualibus auris.* Spartianus: *Tribunus pl. factus Hadrianus ad perpetuam tribuniciam potestatem omen sibi factum asserit, quod penulas amiserit, quibus vti tribuni plebis pluuiæ tempore solebant.* De penula gausapina sic Martialis:

*Is mihi candor inest, villorum gratia tanta,*

*Vt me vel media sumere messe velis.*

Ac de toga quidem, eiusque generibus, quod ad hunc locum mihi pertinere visum est, hæctenus.

## De tunica.

## CAP. XIX.



**T**OGÆ vero suppositæ tunicæ plures fuerunt. sed quæ togam proxime attigit, ea proprio nomine **TUNICA** dicta est. Hæc angustior, & breuior, quàm toga, fuit, ac primum sine manicis, deinde manicata, ac cinctura constricta est. De modo Tunicæ Quintilianus libro xi: *Cui lati clauis non erit, ita cingatur, vt tunica prioribus oris infra genua paullulum, posterioribus ad medios poplites vsq; perueniant. nam infra mulierum est, supra centurionum.* Hinc talares tunicæ, id est vsque ad talos demissæ, semper probro obiectæ sunt. De manicis Gellius libro vii: *Tunicis vti virum prolixis vltra brachia, & vsque in primores manus, ac prope in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. eas tunicas Græco vocabulo nostri xæpiddros appellauerunt. feminisq; solis vestem longe, lateq; diffusam decere existimauerunt ad vlnas, cruraq; aduersus oculos protegenda.* Viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt, postea substrictas, & breues tunicas citra humerum desinentes habebant. quod genus Græci dicunt *ἐξωπίδ' ας*. Hæc antiquitate inductus P. Africanus Pauli filius P. Sulpicio Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ obiectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis vteretur manus totas operientibus. Qui cum chirodota tunica inferior accubuerit. Item Cicero in Catilinâ: *Quos pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut barbatos videtis manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Scribit porro Plutarchus, Catonem maiorem per hiemem tunica ex omide sumpta, per æstatem nudum opus in agro perfecisse. Iuuenes tunicatos in cæpo se exercuisse, scriptum est apud Ciceronem in Cluentiana, plebeculam vero Romanam tunicatam incessisse, significauit Horatius, cum popellum eam tunicatū vocauit.

Cum

Cum ergo ciues omnes Romani tunica vterentur, factum est, vt tunica ordines distinxerint. nam senatores, & equites tunicam clauatam induerunt, plebs recta, & sine clauis. Clauata tunica fuit, quæ clauos purpureos intextos habuit: aut latos, aut angustos. fuerunt autem clauis, quasi flores panno intexti. vnde Martialis dixit: *Lato mapalia clauo.* Festus clauata vestimenta scribit fuisse clauis intertexta. Varro in octauo addit: *Si quis tunicam in vsu ita consuit, vt altera plagula sit angustis clauis, altera latis, vtraque pars in suo genere caret analogia.* Plinius libro i: *Toga prætexta, & latiore clauo è regibus primum vsu Etruscis deuictis Tullum Hostilium satis constat.* Silius: *Sacrificum lato vestem distinguere clauo.* Varro Modio, teste Nonio: *Istorum vitrea togæ ostentant tunica clauos.* Ceterum tunica latos clauos purpureos intextos habens, quæ & latus clauus, & tunica laticlaui dicta est, propria fuit senatorum. atque amplissimi ordinis insigne. Indicat Suetonius, vt ante dictum est loquens de Augusto: *Sumentur virilem togam tunica lati clauis resuta ex vtraque parte ad pedes decidit. fuerunt qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cuius insigne id esset, quandoque ei subijceretur.* Item: *Liberis senatorum, quo celerius reip. assuescerent, protinus a virili toga latum clauum induere, & curiæ interesse permisit.* & de Tiberio: *Senatori latum clauum ademit.* & de Caio: *Latum clauum, quanquam initio affirmasset, non lecturum senatorem, nisi cuius Ro. abnepotem, etiam libertini filio tradidit.* Vt autem latus clauus fuit senatorū, sic angustus clauus equitū Romanorū. ostendit Paterculus de Mæcenate scribens, qui equestri dignitate contentus erat: *Mæcenus non minus Agrippa Cesari carus, sed minus honoratus. quippe dixit angusto clauo penè contentus.* Lampridius item in Alexandro: *Tum satis esse constituit, vt equites Romani à senatoribus clauis qualitate discernerentur.* Eadēq; ratione Papinius:

*Non sanguine cretus*

*Turmalis, trabeaq; Remi, & paupere clauo*

*Augustam sedem, & Latij penetrale senatus*

*Aduena pulsaſti.*

*Primaq; patricia clausit vestigia luna,*

*Mox Tyrios ex more sinus, tunicamq; potentem*

*Agnouere humeri.*

Quippe turmalis sanguinem, trabeam Remi, & pauperem clauum vocat locum equestris. nam equitum erant turmæ, trabea, & angustus clauus. sed trabeis vtebantur, cum trāsuehebantur Idibus Quintiliis. Item Ouidius in quarto Tristium: *Curia restabat, clauis mensura coacta est.* id est, postquam egressus sum è pueris, restabat ordo senatorius, vt latum clauum continuarem. at clauis mensura coacta est, & angustum sumpsi cum virili toga. Hinc senatores laticlauij, equites Rom. angusticlauij dicti, quorum Suetonius meminit in Augusto: *Ac ne expers castrorum esset, binos plerunque laticlauios præposuit singulis alis.* In Othone etiam angusticlauij meminit.

Recta vero tunica erat, vt arbitror, sine clauis. siquidem scribit Plinius libro viii: *Tanaquil primo rectam tunicam texuit, qua cum toga pura induebantur tirones, & nouæ nuptæ.*

Vt autem tunica recta togæ puræ, clauata prætextæ, sic palmata togæ pictæ respondit. Festus: *Tunica palmata à latitudine clauorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ palmata appellatur.* id est, tunica, quæ ante à latitudine clauorū dicebatur, nunc palmata vocatur à genere picturæ. Vt enim toga picta olim purpurea, post picta fuit, sic tunica socia pictæ togæ olim latus clauus, post palmata à genere picturæ vocata, & simul cū toga picta triumphantibus data. Liuius libro x: *Quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, toga picta, corona triumphali, & laurea honoratis.* & libro x x: *Toga picta, & palmata tunica donat.* Florus addit, ab Etruscis trabeam, prætextam, togam pictam, & tunicam palmatam fluxisse. Idem scribit Dionysius libro tertio, vbi tunicam palmatam vocat tunicam purpuream auro

signatam. & vbi loquitur de Saliis, vocat *tunicam variam*, id est pictam, sic enim quoque togam pictam nuncupat. Eodemque modo Liuius in primo dixit, *tunicam pictam Saliorum*. Tunicam porro multi & priuati, & in magistratu omiferunt. testis est Acro, qui rationem reddens, cur Horatius *Cethegos cinctutos* dixerit, sic inquit: *Cinctuti Cethegi tunicas non gerebant, sed pro tunica cinctum, vel campestre ab umbilico ad pedes reliquo corpore exerto, & nudo nisi toga tegetur*. Vnde Lucanus: *Exertiq; manus vasana Cethegi*. Porphirio vero cinctutos vocatos scribit *a cinctu, qui tunica aptatus esset infra pectus*. sed eo cinctu videntur, tanquam subligaculo, pudenda etiam velata fuisse. Hinc Luperci cinctuti. Ouidius: *Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis*. quod subligaculis essent vincti. Vnde Plutarchus scripsit: *Lupercos nudos in subligaculis discurrere*. Idem etiam candidatos sine tunica cum toga candida prensasse scripsit in Coriolano. Pedianus Catonem ius dixisse, cum esset praetor, sine tunica, campestri sub toga cinctum, notauit, eumque morem repetiisse ex statuis Romuli, & Camilli aetate factis. Eiusdem campestris meminuit Isidorus: *Cincto iuuenes in exercitatione campestri verecunda velabant*. Vnde *& campestre dicebatur*. Cicero item pro Cluentio: *Nobis olim annus erat vnus ad cohibendum brachium togae constitutus, & vt exercitatione, ludoq; campestri tunicati vteremur*. & Horatius: *Facit quod Penula solstitio, campestre nualibus auris*. Scio multa de tunicarum interiorum generibus adiici posse. Verum ego, quae ius distinguere ciuium Romanorum potuerunt, mihi tantummodo attingenda putauit. Quamobrem non nihil de calceis quoque senatorum subiiciam.

## De calceis.

## CAP. XX.



**C**ALCIAMENTORVM porro genera duo fuerunt, calceus, & solea. calceus totum pedem textit, solea plantam tantum: pars enim superior habenis deuincta fuit. sed & calceorum, & solearum multa genera. Ceterum calceus astrinxit magis pedem, quam solea. vnde illud Paulli Aemilij, de quo Plutarchus: *Non ne hic calceus pulcher est? at nescis qua ex parte pedem meum torqueat*. Cicero in Rhetoricis: *Si multus erat in calceis puluis, ex itinere cum venire oportebat*. Horatius Satyra tertia: *Et male laxus in pede calceus haeret*. Suetonius: *Augustus forensis, & calceos nunquam non intra cubiculum habuit ad subitos, repentinosq; casus parata*. Erant praeterea calcei senatorum a calceis aliorum diuersi. Docet hoc multi. in primis Zonaras. *Patricij*, inquit, *gestabant in vrbe calceos vrbanos forma litterae Rho, vt a centum senatoribus trahere originem viderentur. aut quod prima esset littera Romanorum*. Isidorus calceos lunatos senatorum vocat, additq; *Romulum calceos patricios reperisse, assuta Luna*. Luna vero non syderis in eis formam, sed notam centenarij numeri significabat, quod initio patricij centum fuerint. Hinc Cicero in Philippicis: *Asinius quidam senator voluntarius, lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Caesaris mortem, mutauit calceos. repente pater conscriptus factus est*. Suetonius: *Caesar veste laxiore, & calceo alto, & rubro vsus est secundum reges Albanos, ad quos referebat genus propter Iulum*. Itē: *Augustus calciamentis altiusculis vsus est, vt procerior, quam erat, videretur*.

De soleis sic Gellius lib. XIII: *Omnia id genus, quibus plantarum calces tantum infime teguntur, cetera prope nuda, & teretibus habenis iuncta sunt, soleas dixerunt, nunquam voce Graeca crepidulas. Gallicas autem opinor esse verbum nouum non diu ante aetatem M. Ciceronis vsurpari coeptum. itaque ab eo ipso positum in secunda Antonianarum. Cum gallicis inquit, & lacerna cucurristi*. Idem in Verrem: *Stetit soleatus praetor populi Romani cum pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in litore*. & in Pisonem: *Cum ad te quinta ferme hora cum C. Pifone venissem, memini nescio quo e gurgustio te prodire inuoluto capite soleatum*. & in Antonium: *Rediui cum calceis, & toga, nullis nec gallicis, nec lacerna*.


H A E C

**H**AEC SVNT fere, quae de antiquo iure populi Roma. diuturnis quaestibus boribus ego potui reperire. Quod opus cum ego Venetiis, libris duobus de Ciuitate Ro. editis iam ante annos quindecim inchoassem, ac continuo Patavii, & de Italia additis prouexissem, ad extremum Bononiae, (his enim omnibus in locis haec mihi profiteri studia contigit,) Prouinciis, Iudiciisque attextis anno salutis MDLXXIII perfeci. Quod admonuisse volui, ne quis haec praepcepta perinde mihi ad colligendum, digerendumve facilia, atque sibi ad legendum, cognoscendumque procliuia existimaret. verum quae a me de singulis huius iuris partibus constituta sunt, ea sciret longiore animi consultatione confecta. Quod si quis nostram multis in locis diligentiam, aut perspicaciam quaerat, is scito, non nostram illum tam industriam, quam rerum ipsarum, quas tractauimus, naturam arguere. quae quoniam ab hominum voluntate, ac temporum inclinatione tota manarunt, solidam nullam tueri constantiam potuerunt. & propter scriptorum inopiam coniecturis interdum, ac suspicionibus potius, quam certis veteris consuetudinis auctoritatibus nixa fuerunt. Quod in vetere iure populi Roma. enucleando elaborauit, idem in ATHENIENSIVM quoque Rep. libris quattuor Bononiae quoque editis praestiti; atque ad extremum REGVM etiam Italiae memoriae consecrare ingressus rem libris xv ad annum vsque salutis nostrae millesimum ducentessimumq; , sed alia scribendi ratione, perduxit. Ex quibus, aliisque item eiusmodi generis lucubrationibus plurimis facile intelligere homines poterunt, ad haec subleuanda studia non voluntatem mihi, aut industriam, verum aut nervos defuif-

se, aut fortunam,

X 4 CARO

FINIS.



CAROLI SIGONII  
DE REP. ATHENIEN-  
SIVM LIBRI III.



Ad Reuerendiss. virum Pet. Donatum  
Casium Episc. Narniensem.



**V**ETERIS memoria, priscarumque litterarum cognitio quantum hominibus usum, quantamque utilitatem afferat, nec tu PET. DONATE CAESI, vir sapientissime ignoras, et res ipsa, si diligenter attendimus, per se satis ostendit. Ut enim liberalem, atque omnium iampridem vocibus, ac litteris celebratam animi remissionem illam omit-  
tam, quae ex rebus, quae ante quam nos in hanc lucem prodiremus gesta sunt, cognoscendis, et hominum, qui supra nos vixerunt, moribus, studiisque perspicendis incredibilis proficiscitur, quibus nemo tam agrestibus institutis vivit, quin sine ulla alterius fructus expectatione mirifice capiatur: innumerabilia certe virtutis, atque prudentiae monumenta, quibus apud antiquos rerum auctores observandis, atque ad nostram vitam privatam, tum communem vitam accommodandis probe nos, nostramque rempublicam gubernemus, merito nostrum unumquemque ad superioris memoriae studium, et veterum notitiam exemplorum debent impellere. Ac me quidem cum hac ratio vehementer honesta iampridem huius cupiditate scientiae inflammavit, tum illa praeerea, ut huic me totum studio traderem, incitavit: quod videbam me pulcherrima Graecorum, Latinorumque ingenij monumenta, quae sola relictis nobis essent ad ipsam aut eloquentiae, aut etiam prudentiae speciem

intuen

intuendam exempla, veterum illorum incognita et privata, et publica disciplina, haudquaquam consequi posse. postremo autem plurimum etiam apud me tacitus pietatis sensus quidam valuit, ut a quibus hominibus humanitate, litteras, et doctrinae, quaecumque esset, rationem omnem accepissem, eorum iam prope obsolescenti memoria pro virili parte consulerem, et praecleara illorum ad omnem vitam instituta ex tenebris vetustatis extracta ab oblivione hominum, et silentio vindicarem. Itaque quantum superioribus annis in rebus Romanis explicandis industria, atque opera collocarim, satis complures a me editi eo de genere commentarii, ut opinor, ostendunt. Nunc vero Atheniensium rempublicam, ut omnium quondam praedicatione, scriptisque clarissimam, sic praesentium vitio temporum, nostrorumque ignavia hominum hoc tempore obscurissimam cum meis, quae quaecumque sunt, consignare monumentis instituissem, aestimari vix potest, quantum in hoc opere desudarim, ac quantum vigiliarum, curarumque consumpserim; neque enim illud tantum contendi, ne Graecum scriptorem ullum praetermitterem, quem non diligenter ad conquirendam vetustatem, eliciendamque pervolvarem; verum duo illa etiam quaecumque ratione providi, et ut selectis rebus iis, quae mihi illustriores ad memoriam viderentur, eas non casu, sed consilio, quam possem, optimo dispensarem, et Graecorum iura, ac instituta, quamquam a consuetudine saepe, moreque Romanorum aliena, Latinis tamen quam maxime ad rem aptis possem, dicendi formis exprimerem, ut disputationi cum sua natura subtili, tum crebra testimoniorum prolatione impedita non sua solum dignitas, sed etiam suavitas quadam minime auribus legentium iniucunda accederet. Neque enim eorum ego institutum hominum satis probo, qui, nobis pueris, Graecorum verborum significationibus grammaticorum more anxie persequendis laudem restituta Atheniensium reipublicae quaesiverunt, cum et multa memoratu dignissima praeterierint, et trita, leviaque nonnulla auribus nostris magno saepe cum fastidio inculcarent, ac demum ita perturbate, atque inculte omnia tradiderint, ut uni confusione, asperitateque orationis studuisse, de ordine, et lenitate disputationis haud multum laborasse videantur. multoque minus eorum laudare consilium possum, qui magistratus Atheniensium litteris se prodituros magna quadam pollicitatione professi, uno, ut apparet, Pollucis commentariolo lecto duabus pagellis tanto se muneri satisfacturos esse sunt arbitrati. Quod non idcirco dico, ut aliquid


de il

de illorum auctoritate diripiam, quam tum quidem maximis regibus, nunc vero doctis etiam hominibus multis cura esse intelligo, sed ut meum in his libris consiliis non solum utile, sed etiam necessarium esse demonstrarem, qui in magnis adhuc rerum Atticarum tenebris, & in summis veterum monumentorum, unde idonea testimonia peterentur, angustijs, de rep. Atheniensium ita scribere sum ingressus, ut in maxima praeceptorum copia non tam rei veritatem certissimis semper antiquorum vestigijs, quam illi saepe ne in sua quidem, ut ita dicam, paupertate sunt assequuti, sim persequutus, quam ordinem in disputando, & ornatum in scribendo quendam, qua illi prorsus neglexisse videntur, magno studio confectatus sim. Quod se propositum, ut quidem opto, tenuero, non dubito, quin huius aetatis hominibus aliquid & ad dicendum, & ad intelligendum, & ad viuendum opis, atque praesidij compararo. quippe cum ex omni antiquitate clara, atque illustra ad omnem & eloquentia, & doctrina, & vitae praeeptionem Atheniensium fuerint instituta. Cuius tu mihi rei unus omnium optimus esse testis PET. DONATE potes, qui ea non ex veteribus modo litteris, quarum peritissimus es, didicisti, sed etiam in nobilissima hac ciuitate, cui a PIO III PONT. MAX. praefectus es, gubernanda usque adeo expressisti, ut quam multos illa quondam ciuitas iustitiae, bonitatis, & solertia gloria excellentes diuersis temporibus viros tulerit, tam multos tu hoc quadriennio nobis in hac nostra diuina quadam virtutis indole administranda rettuleris. Vere enim dicam, nunquam accidit, ut hac scribens aut in Aristidis, aut Nicia, aut Periclis mentionem inconsiderim, quorum alios Athenis quondam opinione iustitiae floruisse, alios popularibus commodis mirifice studuisse, alios nobilissimis urbem operibus instruxisse prisca ipsorum monumenta loquuntur, quin tua statim assidua cogitationes, curaque quotidiana mihi occurrerint, quas unas tu huic urbi praefectus ad talium emulationem, contentionemque contulisse laudum videris: cum tantam in iure dicundo aequabilitatem, tam inauditam in annonae leuanda caritate sedulitatem, tam incredibile in publicis operibus extruendis diligentiam adhibueris, ut te merito ad praecipuum huius ciuitatis commodum, salutem, & ornamentum omnes natum esse existiment, PIVMQ. ipsum cum alijs multis prudentiae, ac sapientiae in caelum laudibus efferant, tum maxime, quod in te uno ex omnibus, quem tantis rebus praeficeret, eligendo minime opinione, atque iudicio lapsus sit. Itaque in communi-

bus laudum, virtutumque tuarum praconijs alij quidem equitatis, alij prudentiae, alij moderationis, alij benignitatis tuae magnitudinem praedicant, alij, ut cuiusque animus, atque iudicium est, publica opera per te prope infinita curata magna consensione concelebrant, nempe fluuios coercitos, aquas inductas, vias directas, fora constructa, scholas instauratas, regiam multis & magnis in partibus perpolitam, & reliqua eiusmodi memorantes, quae tu unus tanta, ac tam multa hoc quadriennio perfecisti, quanta, & quam multa ne omnes quidem qui huic urbi praefuerunt, omnibus ante saeculis cogitatione sua taciti designarunt. Ego vero cum haec omnia cum ceteris eximia, atque omni laude, & commemoratione dignissima iudico, tum perpetuam istam curam, quam tu in hac restituenda, atque ornanda omnium antiquissima Academia posuisti omnibus tuis aeternae gloriae monumentis, ac laudibus antepono. admiror autem non ipsam solum in studiosa iuuentute undique in hanc urbem allicienda industriam, sed etiam in eadem retinenda, fouenda, & salutaribus ad virtutem capeffendam legibus astringenda prudentiam. nam quid de magnifico ipso, ac prope diuino scholarum opere dicam? quo celeritate incredibili, diligentia singulari ad exitum fastigiumque magna cum omnium admiratione perducto cum omnem antiquorum in simili genere gloriam superasti, tum posteris vix ullam post annos mille laudis eiusmodi spem reliquisti. & nos denique omnes, quos privatae humanitatis promereri officijs nunquam desistis, publico hoc etiam parato commodo tibi in perpetuum deuinxisti. Quae causa fecit, ut ego eo studiosius hoc gratissima mea in te voluntatis argumentum litteris, memoriaque prodiderim, ut quod primum industriae meae munus Bononiae peperissem, id ipsum in tuo multo amplissimo, atque ornatissimo nomine diuulgarem; scilicet, ut cuius potissimum auctoritate me praestantissimus Bononiensium senatus haec in ista Academia studia tractare non obscuro loco iussisset, ei studiorum eorum fructum, ut arbitror, non leuissimum, tanquam ocij auctori, & fauori industriae, ac denique patrono optime merito consecrarem.

Verum de tuis laudibus, meisque partibus uberius fortasse alius dabitur dicendi locus. nunc quod instat, de vetere Atheniensium reipub.

statu, quae dicenda videntur,  
exponere aggrediamur.



CAROLI SIGONII  
DE REP. ATHENIEN-  
SIVM LIBER I,

Qui de forma Reip. inscribitur.

De regno Atheniensium. CAP. I.



OPVLVS ATHENIENSIS, cuius antiqua iura, remque publicam vniuersam his mandare commentariis instituiamus, non vno, neque eo perpetuo reip. genere vsus est, sed pro rerum conditione, & temporum varietate diuerso. si quidem ab initio regium, deinde popularium, aliquando tyrannorum, sæpe etiam paucorum dominatum, atque imperium per tulit. Hæc autem quando instituta, per quos, & quibus legibus in ciuitatem sint inducta, maximèque quæ regalem, popularèque statum attingere videantur, nos quoniam res est

Regum Atheniensium tempora.

præclara, & multis de causis cognitione dignissima, quàm planissime in tanta monumentorum & sæculorum vetustate possumus, exponamus, atque è terra prope temporum caliginè educta in lucem, conspectumque hominum præferamus. Primum igitur Athenis imperium fuit regium, iam inde à Cecrope eo, qui urbem condidit, institutum, ac posteris deinceps vsque ad annum octingentesimum sexagesimum sextum, quasi per manus traditum. quorum decem & septem Regum nomen tulerunt, viginti vero Archontum. constitutum est autem annos ante, quàm à Græcis in Asia Ilium caperetur, trecentos septuagintaquinque; quàm Olympiades in Græcia inirentur, septingentos septuaginta duos; quàm vrbs Roma à Romulo in Latio conderetur, septingentos nonaginta sex. vt merito Athenienses inter alias sapientiæ, fortitudinis, eruditionis, & eloquentiæ laudes, quibus longe Græcis ceteris præstiterunt, antiquitate etiam imperij, & gentis vetustate gloriari posse videantur. Fundatum autem vna cum vrbe, clarissimo futuro summi imperij domicilio à Cecrope regnum hi reges, Eusebio, & Apollodoro testibus, deinceps exceperunt, & quo ad potuerunt, industria, atque virtute auxerunt, Cranaus, Amphictiō, Erichthonius, Padiō, Erechtheus, Cecrops minor, Padiō minor, Ægeus, Theseus, Menestheus, Demophon, Oxynta, Aphidas, Thymæta, Melanthus, & Codrus. Condendo vero imperio hæc causam occasio attulit. Tenebat Actam in Græcia, regionem, quæ post Attica nominata est, cum ditone, & imperio Actæus, quem

Regum nomina. A quo, & quomodo regnum conditum.

quem alij Actæona nuncuparunt, cum eò ex Aegypto vir haudquaquam contemnendus Cecrops accessit. Vbi cum præclara multa prudentiæ exempla, & fortitudinis edidisset, dignus Actæo visus est, cui filiam in matrimonio collocaret. prudentiæ vero eius illud maximo fuit argumento, quod primus in Acta virum femine matrimonio legitimo iunxit, cum antea vulgo ita liberi nascerentur, vt solas matres agnoscerent. Quo factum est, vt biforem eum Attici appellarint, vt vulgatæ fabulæ locum dederint, hominem cum fuisse, atque leonem. quod ad prudentiam nimirum, & fortitudinem eius referentes finxisse sapientes homines non sine causa videntur. Hoc tempore cum Bœoti à terra, Cares à mari Actam crebris latrocinij, & excursionibus, prout illis ferebatur temporibus, diuexarent, auctor fuisse omnibus eius incolis Cecrops dicitur, qui tum in agris dispersi habitabant, vt vniuersi in duodecim oppida commigrarent, seque in his aduersus quotidianos hostium impetus communirent. quorum nomina fuerunt, Cecropia, Tetrapolis, Epacria, Decelia, Eleusis, Aphydna, Thoricus, Brauro, Cytherus, Sphettus, Cephessia, & Phalerus. Quo facto, ipse Cecropiæ, quam à suo nomine appellauit, regem se haud modicis nimirum loceri sui opibus declarandum curauit. quemadmodum Strabo lib. 18, Pausanias in Atticis, & Trogus lib. 11, optimi auctores in primis, memoriæ prodiderunt. Quam vero Cecrops à se Cecropiam nominauit, ea haud ita multo post à Minerua nomen est Athenarum adeptæ. Narrat enim Apollodorus in ijs libris, quos de deorum origine scripsit, cum hoc tempore dijs placuisset, vrbes eas, in quibus priuatos quisque habituri essent honores, occupare, Neptunum, ac Mineruam se in Actam contulisse, atque illum percussio tridente solo fretum, hanc terra oleam produxisse. orta vero inter eos de regionis appellandæ iure controuersia, duodecim deos à Ioue iudices datos sua sententia causam Mineruæ, Cecrope rege testimonium dicente, adiudicasse. Regio autem, quæ ab Actæo, vt aiunt, Actica dicebatur, post ab Athide Cranai regis filia Arthis, atque Attica nuncupari est cœpta, si Strabonis, & Pausaniæ testimonio auctoritatem tribuimus. nam mihi multo ad veritatem propensior eorum videtur opinio, qui, vt narrat Stephanus, & Arpocratio, existimarunt, cum ante Cecropem hæc regio Acta diceretur, quod tota tere acta esset, id est littus (si quidem duabus ex partibus mari aliuatur) inde communem loquendi vsus, vt ἀττικὴ χώρα, id est terram Atticam dicerent, deduxisse. quod cum breuius dicere vellent, primum Atticam, post meliore aliquanto vocis sono Atticam appellasse. Atque hoc quidem modo Cecrops omnibus ferme Atticæ incolis in duodecim oppida congregatis, vnum totius Atticæ regnum, vnamque omnium horum oppidorum remp. collocavit Athenis. Post autem, temporibus aliquot interiectis, Theseo regi, magni animi, summique consilij viro, in mentem venit, magnam urbem vnam ex omnibus, qui Atticæ oppida, populos, agrisque dispersi tenerent, efficere, atque dilatatis Athenarum muris eò Atticos omnes compellere, sedesque eis ad habitandum dare. id quod facillime, qua erat eloquentia, atque industria præditus, persuasit primum, deinde etiam diligentissime obiit. Cuius rei si veterum testimonia quærimus, certissima Thucydides, Strabonis, Diodori, & Plutarchi habemus. Thucydides enim Cecropis, & primorum regum ætate Atticam vsque ad Theseum, κατὰ πόλιν, id est oppidatim fuisse habitatam, Atticosque ex oppidis, & ex agris extractos, in vna vrbe ab eo collocatos, prodit. Strabo Theseum duodecim oppida in vnum contulisse, Diodorus eundem populos Atticæ numero plurimos, magnitudine modicos in urbem vnam redegisse scribit. Plutarchus omnes Atticæ incolas in urbem vnam contraxisse, & vnus oppidi populum vnum, qui ad eam vsque diem dissipatus fuerat, atque ægre ad communia tractanda commoda conuocari potuerat, & sæpe etiam inter se armis, belloque contenderat, effecisse, idque per singulos populos, gentesque persuasisse. Murorum autem ambitum ita propagauit Theseus, vt antiquum Cecropiæ oppidum pro summa arce reli-

xii. oppida Attica.

vrbs Athenarum.

vrbs Athenarum.

vna Athenarum res. Athenis collocata.

vrbs Athenarum.

Y querit,

querit, nouam urbem, quam ille astu vocauit, ciuibus habitandam concesserit. Id quod video à Thucydide eodem etiam in loco memoriæ proditum. *Ante Theseum, inquit, arx fuit oppidum, simulq; pars ea, quæ sub arcem ad austrum potissimum vergit. argumento est, quod sacella in ipsa arce & aliorum deorum sunt, & quæ extra eam sunt, ad hanc partem oppidi magis erecta sunt, vt Iouis Olympij, & Pythium, & Dionysij in Limnis, & alia. Itaque ab Atheniensibus, inquit, propter antiquam habitationem ad hodiernum vsque diem arx oppidum appellatur.* Vt autem Athenæ in media Græcia, sic arx in media vrbe, & vt arx in edito sita loco, sic vrbs in imo, & plano constructa est. quod ab Aristide in Panathenaico, Strabone in sexto, Thucydide in secundo traditum est. Quoniam autem vrbs non longe quidem à mari, sed tamen non ad mare posita fuit, vt è Xenophontis libro de vestigalibus intelligitur, propterea multis portibus cum ad ciuitatis quotidianos vsus, tum ad bellicarum rerum oportunitates indiguit. primus autem Phalerus extructus est, & quidem antequam Theseus ad regnum euocaretur, si quidem scriptum est apud Pausaniam, Theseum in Cretam ad pœnas ob Androgei necem regi Minoi dandas profecturum, & Menestheum regem cum aliquot nauibus ad Troiam iturum, ambos Phalero portu soluisse. Post Phalerum autem Munichia communita est. verum id quidem, vt etiam Piræus, rep. iam dominatu regio liberata.

Qui autem oppidum condiderunt, aut auxerunt, ijdem etiam reip. genus instituerunt, Cecrops quidem regium, Theseus autem populare. quod tamen non est, nisi post multa sæcula, obseruatum. Quæ autem Attici regni iura fuerint (nam multa regnorum genera fuisse tradit Aristoteles) difficile est, ex tanta annalium, & temporum vetustate eruere. si tamen Isocrati rhetori Atheniensi, omnia ad laudem patriæ in Panathenaica oratione trahenti, atque poetico more in maius ornanti credimus, optimum, ac præstantissimum fuisse regnum existimabimus. sic enim ille disputat, causam, cur Atheniensium ciuitas primis temporibus inter alias præcipue floruerit, merito eius esse regibus tribuendam, qui multitudinem ad virtutem, iustitiam, & temperantiam instituisent, atque actionibus suis docuisent, reipublicæ moderationem animam esse ciuitatis, tantam vim habentem, quantam in corpore obtinet prudentia; ipsam enim esse, quæ de rebus omnibus statuatur, & bona tueatur, calamitates deuitet, ciuitatis commoda pareat. huius autem non esse oblitum populum, sed vehementius ad hanc rem, quam ad alias, animum adiunxisse, vt duces eos adipisceretur, qui popularem statum diligerent, ijs vero moribus essent præditi, quibus fuissent, qui sibi ante præfuissent. Quod si ita est, sane non improbarem, Atheniensium regnum eius generis extitisse, cuius fuerunt, quæ Aristoteles heroicis celebrata temporibus inquit. *Quæ primum qualia fuerint, verbis ipsis eius prolatis, ostendemus; deinde vt ad eius descriptionem Atheniensium regum iura, actaque dirigi, atque accommodari possint, considerabimus. sic igitur ille in quarto de republica. Primi, inquit, voluntate populorum, quos artibus, aut bello demeruisent, aut dispersos in vnum congregassent; aut agris, sedibusq; ad habitandum donassent, reges fiebant, eaq; regna posteris iure hereditario prodebantur. & reges imperij summam, dum bellum gererent, habebant, præterantque sacrificijs, quæcumque ad sacerdotes non pertinebant, & causas iudicabant quidam iniurati, alij iureiurando deuincti. erat autem iusurandum erectio sceptri. reges igitur antiquitus tum in ciuitatem, & populos, tum extra fines continenter imperium tenebant. postea vero quedam remittentibus regibus ipsis, alia populis auferentibus, sola sacrificia regibus relicta sunt in alijs ciuitatibus, vbi vero regnum merito vocari posset, imperium duntaxat externorum bellorum obtinebant.* Quæ verba si diligentius attendamus, sanè intelligemus, omnia; aut certe pleraque in reges Atheniensium conuenire. primum enim videmus, Cecropem, quod Atticos in duodecim oppida coëgisset, eosque ab impetu

Regnum  
Atticum  
quale.

Regnum vir-  
tutis opinio  
ne delatum.

ab impetu externorum hostium, & populationibus assiduis tutos præstitisset, quodque leges tum incognitas matrimonij ostendisset, ac virtutes, iustitiam, ac temperantiam docuisset, voluntate eorum ad regnum esse euectum, eodemque modo post aliquot sæcula Melanthum, cum hostem populi Atheniensis bellum grauisimum inferentem singulari proelio prostrauisset, regalem potestatem summo omnium studio assequutum. Regnum autem fuisse hereditarium non est dubium. nã præter Amphictyonem, qui focero suo Cranao pulso, & Erichthonium, qui Amphictyone exacto regnum occuparunt, reliqui ita regnarunt, vt duæ solæ familiæ Athenis fuerint per tot sæcula dominatæ, vna Erechthidarum, altera Melanthidarum. Ac Erechthidæ quidem ab Erechtheo rege nomen, sed ab Erichthonio genus traxerunt, qui Pandionis pater, Erechthei auus fuit. ex quo deinceps Cecrops minor minoris Pandionis pater est natus, vnde Ægeus, & ex Ægeo Theseus, vt Pausanias prodidit. Nam Menestheo mortuo, qui incitato per seditionem in absentem Theseum populo, regem se declarandum curauerat, Demophoon Thesei filius paternum, auitumque regnum, teste Plutarcho, recuperauit; cui, vt versibus Terzes mandauit, Oxyntes frater, Oxyntæ vero filius Aphidas est subrogatus. quem cum minor frater ex concubina ortus Thymætes interfecisset, regalem sibi potestatem asciuit, quemadmodum nos à Pausania, & ab Athenæo accepimus. Melanthidarum autem, quorum princeps, & auctor fuit Melanthus, vsque ad extremum familia integra, incolumisque permansit. Melanthus autem is fuit, qui reuersis in Peloponnesum Heraclidis, Mefene patria amissa, cum se in Atticam contulisset, atque Xanthum Bœeotorum ducem, bellum cum Atheniensibus gerentem secum singulari certamine congressum interemisset, propterea ab Atheniensibus regno, Thymæte se vltro abdicante, donatus est. quod scriptum Pausaniæ, & Strabonis in commentariis reperitur. Atque hic quidem moriens Codrum filium regem reliquit, qui cum in bello contra Dores se pro patria deuouisset, Medonti filio regnum tradidit, qui primus Archontis nomen, atque imperium Athenis obtinuit. ex quo hæc familia modo Codridarum, modo Medontidarum nomine appellata est, atque vsque ad Erycem longo Archontum ordine ad annos quingentos octoginta sex est deducta, quorum nomina fuerunt, Medon, Agastus, Archippus, Therippus, Phorbas, Mecades, Diogenetus, Pheredus, Aripbro, Thepicius, Agameneor, Æschylus, Alcmæo, Charops, Æsimedes, Clidicus, Hippomenes, Leocrates, Absander, & Eryx. id quod Eusebius, quo in primis auctore hæc tempora digessimus, in chronicis notatum, & descriptum reliquit. Quamquam autem Archontum, non Regum Medontidæ nomen tulerunt, non est tamen illud tempus populari statui assignandum, sed regio. eorumque auctoritate, ac testimonio standum, à quibus hæc ad nostram notitiam dimanarunt, qui omnes principatum Archontum pro regno acceperunt, quamquam magna ex parte iam fracto, ac debilitato. Nam & Eusebius, qui profiteretur, se nomina regum omnium, qui Athenis imperium habuerint, expositurum, non in Theseo, qui popularem statum descripsit, neque in Codro, qui vltimus regale nomen usurpauit, sed in Eryce, qui postremus Archontis decennalis imperium gessit, regnum notat Atheniensium defecisse. & Pausanias testatur, ipsum etiam regnasse Theseum, & post Menesthei mortem regnum ad quartum vsque posteritatis gradum in illius familia permansisse. & si de gentilitate sibi sit historia instituta, omnes se, qui à Melantho ad Clidicum Æsimedæ filium, & qui post eos deinceps regnarint, facile enumeraturum. Nam quid aut Elianum in varia historia proferam, qui Athenienses scribit regnum sub Cecrope, & Erechtheo, & Theseo, & Codridis inferioribus passos? aut Heraclidem in libro de rebus publicis, qui post Codridas neminem regem esse narrat creatum, quod viderentur molles nimis, ac delicati? Hippomenem vero vnum ex Codridis iustam hanc

Regnum he  
reditarium.

Ab Ægeo  
Theseus  
natus  
vnde Ægeus  
& ex Ægeo  
Theseus  
vt Pausanias  
prodidit.

in vltimo



familia maculam delere cupientem, adulterum cum filia Limona deprehensum exquisito supplicij genere interfecisse? Quod si ita est, profecto apparet, regnum Atheniensium fuisse, ut probandum susceperamus, hereditarium.

Regum potestas in bello.

Erat alia heroici regni ab Aristotele descripti conditio, quod reges ij summam militiae potestatem haberent, qua reges item Atheniensium praeditos fuisse inuenio. id quod ex bellis, quae ab his gesta sunt, facile declaratur, quanquam tenuis admodum eorum ad nos memoria peruasit. Erechtheum tamen bellum cum Eumolpo Thrace, & cum Eleusiniis gerere, & pacem, quibus placet, conditionibus componere, videmus apud Pausaniam. parique ratione Theseum contra Amazones, Codrum contra Dores in acie ducem cum summo imperio stare. Eisdem etiam ius dixisse, quaestiones exercuisse, & sacris praefuisse, post apertius apparebit. Nam quod inquit Aristoteles, alia iura a regibus remissa, alia a multitudine esse extorta, eorum primum ad Theseum referendum videtur, qui vltro tempore popularem instituit, sequi non regem, sed belli ducem, & legum custodem futurum, reliqua vero populo permissurum pollicitus est; alterum vero ad Medontem, qui post Codri mortem primus Archon perpetuus, & ad Charopem, qui primus Archon decennialis creatus est, vetere & imperio, & imperandi tempore immutato. Quod Pausanias in Atticorum rerum commentarios rettulit, his verbis: *Atheniensium ciuitas Melanthei posteris, qui Medontidae dicti sunt, magna parte potestatis spoliavit, & ex regno redigit ad imperium referendis rationibus obnoxium. deinde cauit, ne vltra decem annos id ipsum continuarent.* & Paterculus libro primo, cum scripsit: *Codri filius Medon primus Archon fuit. ab hoc posterius apud Atticos dicti Medontidae. sed hi insequentes Archontes vsque ad Charopem, dum viuerent, honorem vsurparunt, inde perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset vltimus Alcmaeon. coeperuntque in denos annos creari. quae consuetudo in annos septuaginta mansit, ac deinde annuis commissa est magistratibus respub. Ex ijs, qui denis annis praesuerunt, primus fuit Charops, vltimus Eryx: ex annuis primus Creon.* Atque hoc idem chronicis quoque suis mandauit Eusebius. Ex quibus intelligi potest, quid sit id, quod reges populo Atheniensium remiserint, & quo ab eo quodammodo spoliati sint, quam heroico quoque regno conditionem affinxit Aristoteles. Atque de iure quidem, & potestate regia haec tenet.

## De consilijs.

## CAP. II.



Nunc quam partem reip. ciues Athenienses regibus dominantibus obtinuerint, & quod ius in ciuitate habuerint, exquiramus. Multae autem ciuium diuisiones, comunicandae omnibus reip. gratia prouidentur, ut video, sunt a regibus institutae. quarum quae prima, atque antiquissima fuit, in *φυλὰς*, id est in tribus distributa est. tribus autem quattuor Cecrops maior intulit, Cecropidem, quam a se, Autochthonem, quam ab Atticis, qui se *αὐτόχθονες*, id est indigenas esse gloriabantur; Atriam, quam ab Atticis ad littus habitantibus; & Paraliam, quam ab iisdem ad mare (duobus enim Attica, quemadmodum dixi, lateribus mare attingit) incolentibus appellauit, ut scribit Pollux, & Stephanus. Harum autem numerum seruarunt posterius illi quidem, sed nomina immutarunt. si quidem Cranaus vnam a se Cranaidem; alteram a filia sua Atthidem, tertiam Mesogeam a campestribus Atticae incolis, & quartam a montanis Diacridem nominauit. Cranai vero exemplum imitatus Erichthonius easdem Diadem, Athenaidem, Posidoniadem, & Hephestiadem, nimirum ductis a Ioue, Minerua, Neptuno, & Vulcano nominibus nuncupauit, & Erichthonij vestigijs insistentis Erechtheus, easdem ab Ionis filiis, a quo ipse in bello Eleusinio aditus fuerat, appellauit *ὀπλίτας*, *ἐργάδας*, *γεωργούς*, & *αὐγείνορας*, id est, armatos, opifices, agricolos, & caprarios. quae omnia in Pollucis commentario sunt octauo. Plutarchus tamen in Solone scribit, fuisse, qui putarint, has non ab Ionis

tribus iij.

ab Ionis filiis, ut Herodotus prodidit, sed a vitae generibus vocitatas, bello, opificio, agricultura, & pastura. Atque hic numerus, & haec appellatio vsque ad Clithestis dominatum, de quo postea dicemus, incolumis permanuit. Factum est autem, ut vnaquaeque tribus in tres item partes diuideretur, quas illi ternis item idem valentibus nominibus singulas appellarunt *τριφυλὰς*, *ἄβυ*, & *φρατρίδας*. quas nos vno Latino curias nominabimus. singulas vero curias in partes tricenas descripserunt, quae *γένες*, id est gentes, dixerunt. qua in re naturam ipsam, conditionemque anni acute, industriaeque admodum expresse, qui quattuor tempora ita est complexus, ut eorum vnumquodque tres menses, singulos tricenis diebus praeditos assequutum sit. Quare ut anni tempora quattuor, menses duodecim, dies *CCCLXV* in toto anno solari fuerunt, sic tribus quattuor, curiae duodecim, gentes *CCCLXV* in toto tum Atheniensi populo numeratae sunt. erant autem gentiles, quos illi *γενήτας* dixerunt, non qui genere, ac sanguine inter se coniuncti essent, sed qui ex gentibus essent iis, quae in curias erant coniectae, societatem inter se quandam, ut etiam curiales, quos *φρατρίδας* nominarunt, legem, & instituto colentes. itemque qui ex primo genere triginta gentium fuerunt, quos etiam primis temporibus *δμογενήτας*, id est collactaneos, dictos fuisse, teste Arpocrate, & Suida, scribit Philochorus. Hanc vero diuisionem etiam ante Theseum factitatum, indicat Plutarchus, cum scribit, Theseum per singulas gentes Attico populo demigrationem ex agris persuasisse.

Curiae Gentes.

Fuit etiam altera ciuium descriptio in populos, & quidem ante constitutam a Theseo tempore vsurpata. quod ex iisdem Plutarchi verbis elicitur, cum inquit, Theseum eam demigrationem per gentes, populosque persuasisse. Populos autem iam pridem appello, quos illi *δήμοις* vocarunt. quos, si rei rationem attendamus, vicos appellare non incommode fortasse possimus. si quidem Aristoteles in Poeticis scribit, quas alij *κώμας*, id est vicos, dicerent, eos *δήμους* ab Atticis nominatos. fuerunt autem oppidula, vicique quibus vniuersa est terra Attica frequentata vsque ad Theseum, qui eos ex agris in vnam Athenarum urbem conuocauit. Neque tamen, cogente Atticos in urbem Theseo, deserti propterea agri, populique siue vici Atticae sunt, sed semper frequentissime culti, ac ciuium multitudine celebrati. Quod ostendit Thucydides, cum initio Peloponnesij belli, Periclis consilio, iussuque omnes Atticos in urbem ex agris, quibus mirifice populus ille delectatus sit semper, scribit esse compulsos. atque hoc idem post etiam imminente Atticae terrae Macedonum rege Philippo paulo ante, quam ad Chæroneam pugnaretur, repetitum esse, Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte posuit. Ut ergo ciuis nemo fuit, quin aliquam tribum ex quattuor, sic nemo, qui non aliquem ex populis Atticis obtinuerit, siue ibi, siue in vrbe domicilium habuerit. Nomina vero eorum magna a nobis diligentia conquisita, huic mandare commentario placuit, ut iis demum cognitis, totius Atticae, quam quaerimus, ciuitatis partes, & quasi membra nota, ac perspicua omnibus sint. fuerunt autem Aexone, Athmon, Agraule, Anagyrus, Angele, Araphen, Acharnae, Agnus, Halimus, Aphydna, siue Aphidnae, Aethalidae, Azenia, Amaxantea, Anacæa, Alieus, siue Elæeus, Acherdus, Aegelia, Alopecæ, Anaphlystus, Amphitrope, Achradus, Brauron, Butea, Bate, Bessa, Cedi, Cephessia, Cytherus, Cydathenæum, Cydantidae, Conthyle, Colyttus, Ceramis, Cephale, Choliargus, Cetti, Crepia, Cholliidae, Ceriadae, Corydalus, Crioa, siue Criona, Cothocidae, Colonus, Coele, Dedalidae, Diomea, Dirades, Decelia, Echelidae, Epicidae, Euonimi, Erichthia, Ericea, Erchia, Epicephessia, Ermus, Euripidae, Ecæle, Erocaidae, Eleusis, Echelidae, Gargettus, Hippotamadae, Hephestia, Hyba, Icaria, Ionidae, Iresidae, Leuconæum, Lacia, Lusina, Lambra maritima, Lambra inferior, Lenus, Melite, Myrrhinus, Marathon, Melenes, Oa, siue Oee, Oeum Ceramicum, Oeum Decelicum, Oenoe ad Eleutheras, Oenoe ad Marathonem, Otryna, Phlya,

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Populi.

Phlya, Pambotada, Pergase, Phegus, Pitthis, Prasia, siue Prasiae, Probalinthus, Præania superior, Præania inferior, Philaida, Phegæa, Plothia, Phylla, Ptelea, Perithoedæ, Prospalta, Porus, Potamus, Præonidæ, Pelex, Phreari, Pallene, Phalerus, Pentele, Perrhidæ, Phegees, Pfaphis, Pireæus, Persidæ, Rhamnus, Sypalettus, Sybridæ, Stiria, Sphettus, Sunium, Scambonidæ, Sphendale, Trinemes, Themacus, Tithras, Tyrmidæ, Thria, Thoricus, Thy-moetadæ, Thoræ, Titacidæ, Thyrgonidæ, & Tricorythus. Atque hos quidem ex Strabonis, Pausaniæ, Arpocratonis, Stephani, Suidæ, & Hefychij commentariis hausimus. Fuerunt alij quoque qui numerum explerent centum, ut inquit Strabo, septuaginta, quorum nomina temporum iniuria exciderunt.

Possumus etiam tertiam diuisionem adiungere, qua populus Atticus in campestris, maritimos, & montanos, quos illi *πεδειαίους, παραλίους, & διακρίους* vocarunt, est dispersitus, quæ à Cranao, qui hinc tribuum nomina duxit, ut videtur, illata, vsque ad Pisistrati tempora tristis semper discordiarum, & seditionum intestinarum fuit materia. Nam cum montani popularem statum amarent, campestris autem paucorum, maritimi mediam, atque ex his vtrisque confusam remp. sectarentur, diu ciuitatis ocium perturbarunt. quod Herodotus, & Plutarchus in Solone memoriæ prodiderunt.

His adiaci quarta etiam diuisio potest, patriciorum, rusticorum, & opificum, quos huius distributionis auctor Theseus *εὐπατρίδας, γεωργούς, & ἰαμαργούς* nominauit, ac primos dignitate, secundos vsu, tertios multitudine præstare in ciuitate, eodem teste Plutarcho, voluit. Hic autem populus quomodocumque diuisus duas iam tum tenentibus omnia regibus patrias est adeptus, vnam loci, alteram iuris. Itaque cum & domi propriam haberet rempubl. & Athenis communem, ad vtriusque cum erat opus, administrationem adhibebatur. princeps tamen, quæ Athenis erat collocata, & aliarum quasi domina putabatur, cui regem Atheniensem summo præfuisse cum impenio diximus. Hæc autem ita esse, non dubio veterum testimonio confirmanda mihi videntur. Thucydides libro primo, *Cecropis*, inquit, *ἔσ' ἑσ' primorum regum ætate Attica perpetuo vsque ad Theseum oppidatim est habitata, ἔσ' prytaneis, ἔσ' magistratibus ἔσ' α. neque vero nisi duris temporibus conueniebant ad regem de rebus communibus deliberaturi. sed per se quisque ciuitatem gubernabat, ac consilium capiebat. quin etiam nonnulli eorum aliquando bellum cum regibus susceperunt, ut Eleusini adiuncto Eumolpo cum Erechtheo. postea vero quam Theseus regnum obtinuit, vir non tam prudentia, quam opibus clarus, cum alijs in rebus regionem constituit, tum vero aliorum oppidorum curijs, quæ illi balceteria nominarunt, ἔσ' magistratibus dissolutis in eam, quæ nunc est, urbem vna curia, ἔσ' vno prytaneo constructo, omnes ad incolendum contraxit, ἔσ' tractantes res suas quenque, ut antea, vno vti oppido coëgit. quod omnibus deum ad id conferentibus auctum, ac posteris à Theseo traditum est.* Neque vero Plutarchus aliter censuit, cum seditionem aduersus absentem Theseum à Menestheo concitatam exponens, potentes in ciuitate homines à Theseo alienatos fuisse inquit, quod cernerent, imperium, & regnum singulis populorum patricijs, cum in vnam urbem conclusi sunt, esse ademptum; plebeios autem vehementer commotos, quod patriis, & sacris suis spoliati essent ad id, ut pro multis, & bonis, & legitimis regibus in vnum dominum aduenam, & peregrinum intuerentur. neque enim Theseus ab omnibus pro Ægei regis filio habebatur. Quin etiam idem communem Atticis omnibus fuisse remp. ante Theseum innuit, cum difficiles eos fuisse inquit, quippe in agris dispersos, qui ad publica de communibus commodis consilia conuenirent, additque prytaneis, & curijs, & magistratibus apud quosque euerfis, vnum omnibus prytaneum, vnamque curiam ibi, vbi sua etiam ætate viscebantur, ædificasse. Quibus ex verbis illud elici

Pedias.  
Paralij.  
Diacryj.

Patricij.  
Rustici.  
Opifices.

Atticorum  
res. duplex.

elici mihi videtur posse, quod à verisimilitudine non abhorret, si singuli Atticæ populi ante constitutam à Theseo ciuitatem sua prytanea, & suas curias ad ius dicendum, & consilium de summa rep. ineundum habuerunt, multo verisimilius Athenis post descriptam ab eo remp. & prytaneum, & curiam aliquam extitisse. Ac de prytaneo quidem non dubito, quod urbis penetrare fuit, vbi quibus is honos datus esset, publice vescerentur; quoque magistratus iuris dicendi causa conuenisse traduntur. Senatus autem, ad quem de summa rep. referrent, qualis regibus fuerit, haud sanè mihi certum est. At cum populo eos egisse, eiusque suffragiis multa sanxisset, facile adducor, ut opiner. hoc enim ostendit, si attendimus, aperte fatis Thucydides, cum Atticos ait non nisi dubijs in rebus ad regem Atheniensium conuenisse, & Plutarchus, cum ægre eos Athenas conuocari inquit potuisse. Habeo etiam auctorem Demosthenem in oratione, quam scripsit aduersus Neæram, Athenienses post institutam à Theseo remp. nihilo minus regem ex iis, qui virtute in populo videretur excellere, porrigendis manibus designasse; Lycurgum autem in oratione contra Leocratem, ciuitatem Atheniensium post Codri interitum Cleomanti Delpho, posterisque eius perpetuum in Prytaneo victum publicum decreuisse, quod occultum sibi oraculum, vnde victoriam illam de Dorijs pepererant, indicasset. At quemadmodum aut reges, aut mortuis regibus interreges populum aduocarint, aut eum de rebus publicis consuluerint, aut in suffragia miserint, inter alia nimia vetustate incomperta hoc quoque referendum est.

Senatus.

Concio.

De iudicijs.

C A P. I I I.



**N**EQVE vero reges, & huius reip. fundatores iudicia neglexisse, ac reliquisse, intractata videntur. si quidem fora iudiciorum, ab illis dicasteria nominata, quæ postea magna in laude fuerunt, à regibus sunt omnia constituta. quod de multis affirmare, de nonnullis etiam facile suspicari licet. quorum autem certa ad nos peruenit notitia, omnia de cæde fuerunt, Areopagus, Prytaneum, Palladium, Delphinium, & Phreatium. quorum origo fuisse fertur eiusmodi.

Areopagum Cecrops maior instituit. Eusebio enim ita scribenti potius assentior, quàm iis, quos scribit Plutarchus existimasse, eum à Solone primum esse descriptum. ut autem ei assentiar, me & grauissimorum virorum auctoritas, & antiqua vulgatæ fabulæ fama adducit. quid autem grauius est Aristotele? at ille in secundo de rep. Solonem scribit Areopagitarum consilium, cum esset antea, euertere noluisse. Apollodorus autem, Dædalum, qui Ægei regnante floruit, de cæde in Areopago condemnatum narrat, & Pausanias in Messenicis Messenios tradit, cum in offensionem Lacedæmoniorum primum incidissent, vnde postea grauia inter eos bella multa sunt consequuta, Æsimede decennali Archonte remp. moderante, causam ad Areopagitarum consilium deferre voluisse, quod iudicium antiquitus Athenis de cæde erat constitutum; in Achaicis vero, Spartanos Codri regis tempore ab Atheniensibus in vrbe violatos, ad aras dearum, quæ Seueræ dicuntur, in Areopagum se recepisse. Fabula autem ea est, cuius cum Pausanias in Atticis, tum Demosthenes in oratione aduersus Aristocratem meminere, cum scripsere, deos in hoc foro voluisse, tum dare de cæde pœnas, & expetere, tum vero iudices esse iis, qui inter se iudicio decertarent; expetisse Neptunum de Halirrhottij filij nece à Marte, iudices se Eumenidibus, & Orestideos duodecim præbuisse. Qui vero causas huius nominis indagauerunt, duas in primis attulerunt, vnam, quod ibi iudicium de cæde sit constitutum, quæ nomine Martis exprimitur; alteram, quod ibi Mars, cum à Neptuno in iudicium est adductus, hastam defixerit. id quod Suidas in collectanea rettulit. Addit etiam

Areopagus.

Senatus.

Pausanias, spectatam ibi esse ætate adhuc sua Mineræ Aræ aram, quam Orestes quondam absolutus dicarit, in proximo autem ædem dearum, quæ Seueræ dicerentur, fuisse; eodémque in loco Plutonis, Mercurij, & Telluris signa extitisse ad quæ rem diuinam facerent quicumque capitis periculo emerfissent. Deas autem Eumenides propterea consecratas inquit Vlpianus ad Medianam, quòd, cum de cæde in Areopago cognosceretur, si quid eos lateret, ad id coarguendum, & in lucem proferendum deas vicinas opem laturas existimarint. In hoc ergo loco de cæde consulto facta ab iis iudicibus, qui inde Areopagitæ nominabantur, est iudicatum.

**Prytaneum.** Post Areopagum sequutum est Prytaneum, Erechtheo regnante conditum, in quo de ferro, aliisque rebus inanimatis, vnde mors esset consequuta, quæstio habita est. scribit enim Pausanias, regnante Athenis Erechtheo Buphonum ad Poliei Iouis aram bouem mactasse, statimq; relicta bipenne ex finibus excessisse, bipennem autem iudicio absolutam. Demosthenes autem in eadem, quam modo commemoravi, oratione inquit, si lapis, aut lignum, aut ferrum, aut tale quidpiam illapsum percussisset, atq; aliquis, à quo id coniectum esset, nesciret, sed telum, quo cædes facta esset, nosset, ac teneret, ei fuisse in Prytaneo iudicium intentatum.

**Delphinium.** Successit inde Delphinium ab Ægeio rege Apollini Delphinio, & Dianæ Delphinix, teste Polluce, consecratum. in quo causam dicebant, qui cædem se fecisse faterentur, sed iure fecisse defenderent. Itaque Theseum narrat Pausanias, cum Pallanta, eiusque filios res novas aduersus se molientes interemisset, ibi esse absolutum, cum ante Theseum interfecto exilij causa solum verteret, aut talionis pœnam subiret. Demosthenes tamen ita de eo loquitur, vt post Orestis iudicium, quo matrem se necasse confessus, iure tamen se vlciscendi patris causa occidisse contendit, hoc forum institutum videatur innuere. Orestem autem causam arbitror regnante Demophoonte dixisse. si quidem anno primo Demophoontis regis Ilium ab Agamemnone dicitur esse excisum.

**Palladium.** Palladij certe regnante Demophoonte fundamenta iacta omnes consentiunt, at in exponenda tantæ rei origine prorsus discrepant. Narrat enim Arpocratio, Agamemnone, & Argiuis cum Palladio ab Ilio Athenas appulsis, Demophoontem Palladium rapuisse, & plerosque eorum, qui vim propulsabant, interfecisse, forumq; in quo quinquaginta Athenienses, & totidem Argiui de cæde inconsulta & insidiis iudicarent, constituisse. Pausanias autem Demophoontem refert in hoc foro primum causam dixisse, neminem ambigere; at cuius is criminis reus fuerit, non inter omnes conuenire. *Diomedem quidem, inquit, tradunt, cum in patriam reueberetur, per noctem via errore ad Phalerum appulsum esse, & Argiuis, qui cum eo erant, in agrum, tanquam in hostilem, prædandi gratia excurrentibus, vt qui aliam esse, quam Atticam terram, eam inter tenebras crederent, Demophoontem regem & ipsum nescientem Argiuorum eam classem esse, ad propulsandas populationes excitum; vbi cum aliquot interfecisset Palladio erepto domum rediret, ab eius equo Athenensem hominem subuersum interiisse. Ita Demophoontem alij ab eius, qui interfecit fuerat, propinquis, alij vero ab Argiuis reum factum prodiderunt.*

**Phreatium.** Quintum forum Phreatium eodem Demophoonte rege arbitror excitatum, reuerso à bello Troiano in Salaminem patriam Teucro. Hunc enim primum omnium in hoc foro causam dixisse narrat Pausanias, cum se apud Telamonem patrem nullam Aiadis fratris necis culpam sustinere defenderet. Phreatium autem à Phreato antiquo heroë quodam nomen duxisse, prodidit, teste Arpocratio, in libris de legibus Theophrastus. Meminerunt huius fori Demosthenes, & Pausanias, atque ambo quidem eodem modo. Demosthenes autem verba tantum, quia illustrissima sunt, huc ex oratione contra Aristocratem afferat. *In Phreato, inquit, causam dicere, lege iubetur, si quis ob cædem non cogitatum in exilium profectus, nondum ijs, qui illum exegerant, ei conciliatis, alterius voluntariæ cædis insimuletur.*

*letur. neque enim quia ille huc venire non potest, eum neglexit, qui hæc singula descripsit. neque propterea, quòd prius tale quid patrarit, simile crimen satis in eo probatum censuit, sed rationem inijt, qua & pietati consuleret, & illum nec defensione, nec iudicio spoliaret. deduxit ergo iudices eo; quò huic accedere licebat, demonstrato regionis maritimo quodam loco, qui in Phreato nominatur. deinde ille naui accedens, terra non contacta verba facit. illi vero audiunt, & indicant in terra. quòd si conuincitur, pœnas luit cædi voluntariæ constitutas. sin euadit, eo crimine liberatur, & exilium ob priorem cædem indictum sustinet.* Locum autem hunc ad Phalerum fuisse Pausanias, reum sine retinaculo, ac sine anchora ex naui caussam dixisse, Pollux adiecit. Hæc sunt fora quinque in quibus de rebus capitalibus, quas illi *φονικὰς* dixerunt, est disceptatum. quorum quattuor video mentionem fecisse etiam Aristotelem in Politicis, cum de iudiciis constituendis in ciuitate præciperet. *Causarum, inquit, capitalium genera sunt, siue inter eosdem iudices, siue inter alios res agatur, & quæ de industria, & quæ inconsulto patrantur, & quæ conceduntur illa quidem, sed iure facta defenduntur. & quarto loco quæcunque ijs, qui de cæde exulant, in reditu obijciuntur. quale Athenis dicitur forum, quòd ad Phreatum vocatur.* Quem in locum interpretes omnes mirifica propè portenta quædam loquuntur.

Neque vero hæc sola à regibus fora esse arbitror cõstituta, cuius enim iustitiæ, aut prudentiæ foret, capitalibus causis tam diligenter consuluisse, reliquis vero, quæ propè infinitæ sunt, & publicis, & priuatis iudicium nullum comparare? Itaque & Helixam, & Trigonum, & Parabystum, & Metychium, quæ nomina iudicialibus foris fuerunt, à regibus fuisse descripta omnia puto. Helixam quidem maximum inter omnia fora fuisse testatur Pausanias; Vlpianus autem ita dictum affirmat, aut quòd eò maxima hominum multitudo conuocaretur, aut quòd à sole locus illustraretur. Trigonum autem à loci forma; Parabystum ab obscuro, in quo situm esset, loco; Metychium à Metycho architecto nomen adeptum, Pausanias, Pollux, Arpocratio, & Hetychius memoriæ prodiderunt. quanquam ex eorum verbis non apparet, regia ne in rep. an tantum in populari fuerint celebrata; à Solone certe, qui illam remp. legibus postea temperauit, non videntur inducta.

Narrat porro Arpocratio, Eratosthenem scriptum reliquisse, Lycum heroem ante fora Atheniensium lupi imagine præditum constitutum fuisse, ad quem quidam iudicia corrumpebant, in decem diuisi conuenerint, vnde Lyci decas manarit: Aristotelem autem in Atheniensium rep. Anytum corrumpebentium iudiciorum auctorem prodidisse.

Quòd autem ad iudicium, eorumq; qui iudiciis præessent, rationem, & veterem eorum iudiciorum consuetudinem pertinet, nihil sanè mihi legisse videor, nisi quòd scribit Arpocratio, in Areopago Areopagitas, in Palladio Ephetas iudicasse. Ephetas autem centum Athenientes, ceterumq; Argiuos illos fuisse, qui inconsultæ cædis causis cognoscendis præfecti sunt. His autem iudiciis omnibus aut regem, aut regis amicos præfuisse, easque quæstiones, & lites cognouisse, facile mihi perluaferim: primum quia ex Aristotelis auctoritate supra statuimus, reges iudicia exercuisse, deinde quia magistratus ij, qui in horum locum, semotis à rep. regibus, successerunt, his maxime iudiciorum muneribus occupati fuerunt. Regem enim capitales causas in Areopago introduxisse, eundémque de rebus inanimatis quæstiones exercuisse, vñò in loco notat Pollux, in alio vero suos ipsum amicos, qui Græce *φιλοβασιλεῖς* dicebantur, ei iudicio præfecisse, eosque delapsum telum inanimatum è finibus eiecisse, ex quo intelligi potest; aut regem hæc iudicia exercuisse, aut, si regi non vacaret, amicos eis suos præposuisse.

De



Am vero de magistratibus, quibus reges aliquid publici muneris tractandum permiserint, multo obscurior historia est. Paucos tamen in regno fuisse magistratus, libet suspicari, vel quia res omnino tum parua fuerunt, vel quia penes regem omnia erant, iidemque per amicos fortasse suos pleraque procurabant. Polemarchum tamen, id est belli praefectum, regibus affuisse, Pausanias indicat, cum scribit, Erechtheum regem Ione Xuthi filio in bello Eleusinio polemarcho usum esse. nam de Quæstoribus Pollux, & Vesparum interpretes testes satis idonei sunt, qui antiquos publicarum sacrarumque pecuniarum custodes, Colacretas dictos prodiderunt: itemque in Parallelis Plutarchus, qui Pyrandrum in Eleusinio bello quæstorem fuisse narrat. Reliqui vero fere Naucrari extiterunt in singulis tribubus duodeni, in singulis curiis quaterni, qui præter cetera munera, tributa populis Atticis imposita, eorumque impensas suffragiis subiecisse feruntur, nam vnamquamque Naucrariam equites duos, & nauem vnam præbuisse auctor est Pollux: itemque Phylarchi quattuor, qui, teste Herodoto, singulis tribubus singuli præfuerunt.

Iam vero religionem à regibus constitutam in primis, multa indicio sunt, sed maxime sacrorum multitudo, quæ in ea ciuitate curata sunt. quorum magna ex parte auctores, conditoresque reges fuere. Inter ceteros autem deos Mineruam antiqua religione, & carmonia coluerunt: quippe cui urbem, agrumque iam inde ab initio consecrassent, ac se, fortunamque suas dicassent. Hinc Athenæa sacra Erichthonius intulit, eaque, vt quotannis solemnia permanerent, instituit, nam Panathenæa quinto quoque anno agi, quæ Magna dicerentur, postea sanxit Theseus, quod Arpocratio, & Libanius, & Pausanias in Arcadicis prodidit. Narrat etiam idem in Atticis, cum urbem, tum agrum Atticæ vniuersum Mineruæ sacrum fuisse, & populos cum suis quenque deos priuatim coluisse, tum Mineruæ communiter rem diuinam fecisse, signumque eius omnium sanctissimum de communi omnium populorum consilio dedicatum in arce, tum cum ea oppidi nomine appellaretur. Hinc etiam virgines emanarunt, quæ κανήφοροι dictæ sunt quod in pœpistis ad deam ferrent, in quibus essent, quæ ad sacrificium pertinerent. quas dignitate præcellentes ab Erichthonio rege lectas ex Philochori sententia prodit Arpocratio.

Eadem etiam ratione summos Neptuno honores habuerunt, sacris scilicet Possidoniis, & mense Possidone, & communi ei cum Minerua sacerdote dicatis. Narrat enim Apollodorus, mortuo Pandione, Erechtheo regnum, sacerdotium vero Mineruæ & Neptuni Buti fratri eius esse delatum. Hic est autem Butes à quo qui profecti sunt, Butadæ, & Eteobutadæ fuerunt, ex quibus lectam esse sacerdotem Arpocratio scribit, quæ sacra Poliadis Mineruæ obiuit.

Iam vero Ioui quantum cultum tribuerint, declarant diuersa eius numina, quæ sunt variis inditis cognominibus eleganter expressa. Si quidem Iouem venerati sunt πολιδχον sive πολιέα, Βολάων, φεάτριον, φιλίον, έρκειον, κτήσιον & μελίχιον. eique dies festos, Pandia, Diasia, & Diipolia consecrarunt. Quid de Cerere, & Proserpina dicam? quas illi sanctissima quadam religione videntur obseruasse, nimirum beneficij memores, quo à Cerere Proserpinam filiam quærente affecti sunt, cum ab ea ferendi frumenti incognitam ante rationem didicerunt. Itaque Thesmophoria, quæ & Mysteria, & Initia dicta sunt, ab Erechtheo rege, vt in Eleusine fierent, sancta sunt, quorum originem Arnobius libro aduersus gentes quinto diligenter est persequutus. atque hæc quidem Magna dicta, parua vero, quæ postea Theseus, vt scribit Plutarchus, instituit, vt iis Herculem, tum forte hospitem suum, initiaret. ac parua quidem mense Anthesterione, magna vero Boëdromione confecta ex eiusdem Demetrio, & Phocione didicimus. Hinc in mysteriis peragendis Eumol-

pidæ,

pidæ, hierophantæ, daduchi, ceryces, mystæ, & epoptæ nobilitati. Eumolpidæ autem sacerdotes fuerunt, ab Eumolpo, qui Cereris initia in Eleusine primus fecit, genus ducentes, eorumque sacrorum custodes, de quibus interpretis Oedipi Colonei in hunc fere modum: *Quæritur, cur Eumolpidæ initijs præsent, cum sint peregrini, respondetur, placere Istro, Eumolpum Triptolemi ex Deiope filia nepotæ, non Thracem, Eleusinia mysteria instituisse; Acesidorum vero censere, quintum à primo Eumolpo fuisse, qui initia demonstravit; ex Eumolpo enim Cerycem natum, ex quo Eumolpum, ex quo Antiphemum, ex quo Musæum poetam, ex quo Eumolpum, qui mysteria docuit, quæ quotannis Cereri, & Proserpinæ sunt. Ceryces autem, qui eius sacri ministri fuerunt, à Ceryce natu minimo Eumolpi filio originem duxerunt.* Alij tamen Cerycem non Eumolpo, sed Aglauro Cecropis filia, & Mercurio natum, vt in Atticis exponit Pausanias, prodidere.

Quin etiam magnum honorem Apollini, & Dianæ adhibuerunt. argumento est, quod communiter Apollinem patrium, ex Ionis Xuthi filij instituto, coluere, qui Erechtheo regi, vt diximus, opem in bello Eleusinio tulit, eaque de causa, vt scribit Arpocratio, sacra Boëdromia instituere, & quod, eodem teste, Metagitnia Apollini dedicarunt, à vicinitate populorum inter se contracta. quod in libro de exilio ostendit Plutarchus, inquit: *An vero peregrini, & expertes ciuitatis sunt Athenienses illi, qui ex Melitain Diomidem commigrarunt, ubi etiam mensem Metagitnionem, & sacra commigrationis Metagitnia peragunt, mutuum cum alteris vicinitatem hilari, & lato animo excipientes.*

Nam de Dionysio neminem puto expectare dum dicam, cui Dionysia bina dicata, satis constat. in Demosthenis enim Mediana, & Æschinis Timarchiana scriptum est, Dionysia in vrbe, & in agris confecta. Quem morem declarare Acharnensium videtur interpretis, cum scribit, ludos Dionysio bis in anno actos; primum vere in vrbe, cum tributa à focis pendebantur; iterum in agris in Leno, cum peregrini propter hiemis difficultatem interesse non poterant. cuius rei mentio in Stephani quoque commentario de urbibus reperitur. Quin etiam ille idem eodem loco ex Apollodori sententia prodit, Anthesteria communi nomine festos dies, qui Dionysio agerentur, vocari, partes vero Pirægyam, Choas, & Chytrâ. Choas autem octauo Pyanepsionis, aut, vt aliis placet decimo Anthesterionis concelebrari. Non est consilium, hoc loco sacra omnia Atheniensium persequi, sed tamen Metœcia, siue Synœcia tacitus præterire non possum, quæ scribit cum Plutarcho Thucydides in honorem deæ instituta à Theseo, tum cum Atticos ex agris in urbem compulit, & eos in vnam quasi domum conuocauit: neque Apaturia, quæ Melanthus, qui postea rex fuit, victo per fraudem singulari certamine hoste Xátho, suscepit. quorum quattuor dies fuerunt; primus δ'εσπέια, in quo curiales inter se conuenientes epulabantur; secundus ἀνάξθυσος, in quo Ioui Curiali, & Mineruæ rem diuinam faciebant, tertius καρεώτις, quo pueros, & puellas inter curiales referebant. addunt etiam quartum quidam, vt inquit Suidas, ἐπιβδ'ων. Iam vero summæ etiam antiquitatis sacra fuerunt Thargelia, Plynteria, Hephestia, Promethea, & Chalcea, quæ vetere instituto, & more maiorum Athenis sunt obseruata. His autem sacris operam dedisse reges, & reginas, ad ea, quæ supra ex Aristotele attulimus, Demosthenis etiam non obscura accedit auctoritas, qui in actione contra Nearam ita loquitur: *Quondam erat dynastia in ciuitate, & regnum erat eorum, qui in omni ætate excellere, quia indigenæ essent. Sacrificia vero omnia rex faciebat, & quæ arcana erant, vxor eius curabat, cum esset regina. postea quædam vero Theseus eos in vnum compulit, regem nihilominus populus creabat. vxorem autem eius ciuem lege statuit esse, & quæ nulli antea viro nupsisset, vt arcana sacra pro ciuitate more patrio faceret.* Neque vero solum reges, sed etiam amici regis operati sacris sunt, in Regia porticu confidentes propè Bucoleum, vt notat Pollux. Multos autem sacerdotes propterea à regibus institutos, cum coniectura probabile est, tum quibus

Polemarchus.

Quæstor. Colacretæ.

Naucrari.

Phylarchi.

Sacra.

Minerua.

Arpocratio.

Neptuni.

Iouis.

Cereris.

Apollinis.

Dionysii.

Metœcia.

Apaturia.

Thargelia &c.

sacerdotes.

quibusdam etiam vestigiis indicatur. Aristides enim in Panathenaica refert, Erechtheum, cum in bello Eleusinio filiam deuouisset, referenda gratia causa ab Atheniensibus deorum, qui in arce essent, assessorem esse creatum. Erechtheo vero ipsi post mortem consecrato sacerdotem destinatum Cicero innuit in tertio de natura deorum. *Sed si sunt hi dii, inquit, certe est Erechtheus, cuius Athenis et delubrum vidimus, et sacerdotem.* Præterea Leonis ciuis Atheniensis filiabus, quæ ciuitate pestilentia oppressa deuotæ pro salute publica erant, sacra, templumque nomine Leocorium institutum esse, ibidem Aristides demonstrauit. postremo multa Theseo, multa Herculi fana dicata, in Plutarchi, & Pausaniæ monumentis animaduertimus. ex quibus intelligi potest, in tot deorum, heroumque tantis honoribus magna etiam sacerdotum multitudine religiosæ præsertim, & præter ceteras cultui diuino deditæ ciuitati opus fuisse.

*De populari Rep. Atheniensium. CAP. V.*



**X** P R E S S A, vel potius, quoquo modo in tanta temporum prope caligine potuit, adumbrata Atheniensium regni forma, sequitur, vt popularis reip. statum litteris, quo ad consequi possumus, persequamur. complectemur autem totum tēpus illud, quod est à tertio xiiii olympiadis anno vsque ad secundum centesimæ decimæ octauæ, quod est spatium annorum trecentorum viginti quinque. illo enim demū anno, Archontibus decennialibus abrogatis, fundamenta primum popularis reip. sunt instituta; hoc vero paucorum, qui nuper inuaserat, dominatu euerso, sunt restituta. qua historia nihil esse iudico aut ad dignitatem magnificentius, aut ad vtilitatem fructuosius, aut ad lectiōnis voluptatem certe iucundius. siquidem hoc temporum interuallo extiterunt, quæcunque Athenienses vnquam memoratu digna aut cum barbaris, aut cum Græcis bella gessere, omnes insignes seditiones, omnes illustres populi motus hoc tempore emerferunt. qui aut bellica laude, aut senatoria, aut doctrinæ, aut eloquentiæ gloria Athenis vnquam florere, quos innumerabiles fuisse accepimus, omnes hoc sæculo vixerunt. post olympiadem autem cxviii satis Athenienses habuere, si recuperatam beneficio Demetrii, Antigoni Macedonum regis filij, antiquam libertatis, & reip. possessionem retinere inter tot potentissimorum regum, & florentissimorum populorum arma potuerunt. Etenim post mortem Alexandri Magni adeo multi, magnique in Asia, & in Europa reges sunt exorti, & Romanorum vires in Italia ita creuerunt, vt Romani cum Græcis populis, regibusque facile armis iam contendere, reges autem Græcorum populorum opes, si bello de principatu decernendum esset, nullo etiam negotio euertere, ac labefactare possent.

*Democratia duplex.*

Hanc autem remp. cum complector animo, duplicem fuisse inuenio; vnā, quæ in ditiorum ciuium imperio fuit, alteram, quæ in omnium liberorum. Prior à Theseo rege instituta, post à Dracone, & à Solone legibus, & magistratibus est instructa. posteriorem Clisthenes, Aristides, & Pericles, alique qui popularem gratiam aucupati sunt, induxerunt. Hæc autem per quadringentos primum, deinde per triginta tyrannos, post per Cassandrum Antipatri Macedoniæ regis filiū labefactata, rursus per Theramenē, Thrasibulum, & Demetrium Antigoni filium restituta est. Draco autem primus popularem remp. iam tum à Theseo descriptam legibus, vt significat etiam in Politicis Aristoteles, temperauit. Quæ cum haud ita multo post ciuili seditione, atque partium discordia ad paucorum dominatum recidisset, melioribus à Solone legibus, & magistratibus est astricta. At vero cum paucis post annis Solonis remp. tyrannide in ciuitatem illata, Pistratidæ deleuissent, Clisthenes Alcmaeonis filius, vir & ciuis egregius, exactis tyrannis, eam non solum, vt inquit Herodotus, restituit, sed etiam, vt censuit Aristoteles,

stoteles, auxit. Sequuntur inde res sunt Medicæ, quo tempore virtus Atheniensium maxime in propugnanda libertate Græciæ aduersus incitatos Darij, Xerxisque armorum impetus admirationi omnibus fuit. tum vero Aristides, qui plurimum ex iis bellis auctoritatis erat adeptus, & post eum vir manu, & lingua promptus, Pericles popularem hunc reip. statum amplificauerunt, cum omnia plebi, & imperitæ multitudini tradiderunt, quibus Solonis legibus ei fuerat interdictum. Quoad clade omnium maxima in Sicilia accepta, cum exercitum, ducisque omnes, & præclarum in primis ciuem, & imperatorem Niciam misere amisissent, statum reipub. quadringentis viris commiserunt, atque ex populari paucorum dominatum reddiderunt. Quibus paulo post, cum se impotenter, superbe, & crudeliter in ciuitate gererent, duce Theramene, viro fortissimo, à reip. dominatione semotis, & abrogatis, vetus popularis resp. est reuocata. Quam cum per septem annos tenuissent, rursus amiserunt, cum obsessi à Lysandro Lacedæmonio, fameque afflicti, populari statu cedere, & remp. triginta viris permittere iussi sunt. Qui cadē, qua quadringenti ante, via ingressi eundem exitum ductu Thrasibuli exulis Atheniensis, à quo recepta rep. & reducto à Phyla in urbem populo, armis exacti sunt, facile inuenere. Postremo autem cum bello Lamiaco Antipatrum Macedoniæ regem iam Alexandro mortuo laceffissent, neque postea impetum eius in se, & diuturnam sustinere obsidionem possent, ei ita se tradiderunt, vt populari rep. dimissa, paucorum diuitum dominatum acciperent. quem cum per annos decem & septem, Demetrio Phalereo ciue suo, quem Cassander imposuerat, omnia pro arbitrio gerente, pertulissent, tandem à Demetrio Antigoni filio, atque adeo ab ipso Antigono liberati antiqua instituta, iuræque omnia beneficio illorum singulari recuperarunt, in iisque post per multa sæcula permanerunt.

Nos autem popularem vtranque remp. descripturi, ordiamur primum à priore. Hæc Thesei resp. dici potest, quia ad exemplum eius, quam quondam descripsit Theseus, est instituta. quin etiam resp. potest Draconis vocari, quod ei Draco primus leges dedit. Neque vero quorum consilio, & qua occasione vetere abrogato Archontum imperio popularis potissimum resp. placuerit, in veterum commentariis vllis reperio. Illud tantum inuenio scriptum apud Isocratē oratorem in Panathenaica, Theseum ciuitatem populo administrandam permisisse, Athenienses vero summe laudandos esse, qui institutam à Theseo rempub. receperunt, quod cum rerum publicarum ignari, & rudes essent, non errarint in ea deligenda, quæ omnium confessione non solum communissima, & iustissima, sed etiam utilissima, ac iucundissima esset. instituisse enim popularem reip. statum; non eum, qui præcipiti animi impetu gubernatur, & qui libertatem in intemperantia, beatitudinem in quilibet faciendi licentia poneret, sed qui hæc eiusmodi omnia improbare. Ego autem sic existimo, populum Atheniensem Codridarum, siue Medontidarum diuturni imperij tandem esse pertæsum, quippe qui nimia, vt supra dixi, libidine, luxuriæque diffunderet, ac Thesei, & disciplinæ ab eo quondam traditæ recordatum, vt est suauius libertatis sensus, & rerum nouarum dulcis aspectus, ad eam remp. quæ de libertate vna cogitat, nimirum popularem animo inclinasse. Hanc tamen non statim illi legibus fundarunt, credo, quod nemo dum ita sapientia excellere in ciuitate putaretur, vt leges tum paucis cognitæ, institutæ reip. consentaneas posset excogitare. anno vero postquam populus præesse reip. cœpit, sexagesimo quarto, trigessimæ nonæ olympiadis anno quarto, vt Eusebius, & Clemēs memoriæ prodiderunt, Draconi resp. legibus constringenda commissa est. Huc narrat Gellius ciuem fuisse Atheniensem, virum probum, & multa prudentia præditum, iurisque diuini, & humani peritum, primumque omniū leges scripsisse, quibus Athenienses vterentur: verū, vt inquit Plutarchus, vsq; adeo graues, & acerbæ, vt noxis omnibus pœnam capitalem adscripsit; quippe qui in eos, quos ignauos fuisse, atque olera, pomæve surripuisse cōperisset, æque atque in sacrilegos, & homicidas

*Democratia prior.*

*Democratia posterior.*

*Draconis resp. publica.*

animaduerti voluerit. Vnde illustri vox illa Demadis dimanauit, Draconis leges sanguine fuisse, non atramento descriptas. Cuius rei cum causam ab eo quidam quaesisset, respondisse fertur, paruas quidem se culpas ea poena dignas existimasse, magnis vero quam maiorem constitueret, nullam habuisse. Vbi sunt autem iis per annos xxvii, vsque ad olympiadis quadragesimæ sextæ annum tertium. quo anno Solo temp. intestinis afflictâ discordiis, nouis legibus, & institutis erexit. Popularis autem resp. ea primum placuit, vt populo quidē vniuerso concio, & iudicia, at magistratus, & sacerdotia solis patriciis paterent: Hoc autem Thesei institutum fuerat. de quo Plutarchus, *Cum ciuitatem, inquit, magis augere vellet, omnes ad equalē resp. partem vocauit. Vnde illud, vt narrat, emanauit, quod edictum esse Thesei existimatur. Huc adeste omnes populus. neque tamen democratiam inordinatam, & confusam propter indiscretam multitudinem in ciuitatem influentem est passus, sed primus populum in patricos, & rusticos, & opifices distinxit. atq; patricos res diuinas cognoscere, & magistratus gerere, & leges, ac sacra interpretari voluit. equauit autem eos cum alijs ciuibus, cum dignitate patricij, vsu rustici, multitudine opifices anteirent.* Hæc Plutarchus ferè. Hoc autē post à Dracone quoque in instituendis legibus esse retentum docet idem, cum ait, Solonem pauperes iure magistratuum spoliassē, idque vt ante fuerat, diuitibus, & patriciis reliquissē. Illud autē maxime populare visum est, quod pro vno resp. præfecto, quem in decennium archontem creabant, nouem instituerunt, qui tantum magistratum in annum gererent. Significat autē hoc non obscure Eusebius, cum inquit, expleto archontis Erycis decennio Athenienses resp. nouem principibus mandasse ex cuncta ciuitatis nobilitate selectis; & Velleius, cum scribit, consuetudinem archontum in decem annos creandorū in annos lxx mansisse, ac deinde annuis commissam magistratibus resp. esse; ex iis, qui denis annis præfuerūt, primum fuisse Charopem, vltimum Erycem; ex annuis primū Creontem. Neque vero dubitandum videtur, quin nouem principes fuerint, qui Græce nouem archontes dicuntur, nempe. Rex, Archon, Polemarchus & Thesmothetæ sex. quibus ius omne, quod primum regum, deinde archontum fuerat, ita est diuisum, vt in eorum manu, & potestate tota esset resp. Cur autem his signati nominibus sint, nemo tradidit. Mihi vero in eorū potestatem, & nomen attentius intuenti, illud sequuti Athenienses videntur, vt quoniam regum, & archontum imperio diu obtemperarāt, ne illa omnino vocabula iam propè populo sancta obliterarēt, aliquem etiā regem, & archontem, sed minore multo, eaque breuiore cū potestate in populari resp. esse voluerint, & quia reges in bello Polemarchum adhibuerant, hunc quoq; militiæ retinuerint. ne vero ciuitatis legibus carens administratio in vnus, vt ante, voluntate confisteret, sex thesmothetas, quasi iuris totius custodes, crearent. De communi autem nouem archontū ante Solonis legislationem imperio admonet nos libro primo Thucydides, cum in Cylonia seditione exponenda, quæ ante, quàm Solo leges daret, est excitata, inquit, arce à Cylone occupata statim ex agris omnes accurrissē, & Cylonem obsidione cinxisse; quæ cum in lōgum duceretur; Athenienses fessos plerōsque recessisse, custodia nouem archontibus commissa, & potestate summa rei, vt eis optime videretur, gerendæ concessa, tum enim plerāque res ciuiles nouem archontes administrassē. Confirmat idem Plutarchus in Solone, qui ait, Megaclem archontem, & collegas Cylonios socios ex arce degressos contra datam fidem ad aras deorum obruncasse. Hos autem eosdem prytanes naucrarorum vocauit Herodotus, cum de eadem re loquens scripsit, Cylonios socios ab aras deorum à prytanibus naucrarorum, qui tunc Athenas gubernabant, esse abstractos. erant autem naucrari magistratus in singulis, vt supra dixi, tribubus duodeni, qui, vt ante regibus, sic postea nouem archontibus videntur fuisse subiecti. Quin etiam, quæ scribit Suidas, huc referenda sunt. scribit autē, nouem archontibus vna iudicare ante Solonis legislationem non licuisse, sed regem sedisse ad Bucoleum; qui locus erat propè Prytaneum, archontem ad Eponymos,

*Nouem archontibus commissa resp.*

nymos, thesmothetas ad Thesmothesium, iusque tum absoluti iudicij habuisse. Quibus ex rebus intelligi potest, multo maiore, antequam Solo ad resp. legibus vincendam accederet, nouem archontes fuisse in rep. auctoritate, quàm postquam ille eam legibus temperauit. Quæret quispiam, qua potissimum? non possum de singulis eius partibus in tanto scriptorum silentio affirmare. sed eos tamen populi concioni, iudiciis, sacris, reique bellicæ præfuisse, facile ducor ad opinandum, cum eos in regum, archontumve, penes quos hæc omnia iura erant, locum successisse considero. Quemadmodum tamen illi aut concionem habuerint, aut cum populo egerint, haud sanè extat. eademque ratione quæ quisque eorum iudicia hoc tempore exercuerit, nemo narrat. illud tantum est apud Pollucem, cum rex quaestionem de iis exerceret, qui inuiti eadem fecissent, Draconem à rege ad Ephetas prouocationem instituisse. Quin etiam verba tabulæ tertiae decimæ legum Solonis satis declarant, reges antè Solonem iudiciis aliquot præfuisse, quæ sunt apud Plutarchum: *Quicumque infamia notati erant, antequam Solo magistratum iniret, ea eximantur, præter eos, qui ab Areopago, aut à Prytaneo condemnati à regibus ob cædem, aut ob vulnera, aut ob tyrannidem in exilium pulsi erant, tum cum hæc lex ferebatur.* Archonti vero cum aliarum rerum cognitionem permissam esse, suspicari licet, tum certe honos ille habitus est, vt ab eo tempora, atque anni nominarentur. quemadmodum ante receptam etiam libertatem obseruabatur, vnde ille Eponymus dictus est. Nam Polemarchum ad belli procurationem ex regia resp. esse retentum, non est dubium. Thesmothetæ vero, si nominis rationem spectemus, inducti primum videntur, quod in ciuitate, quæ more potius maiorum, aut regum arbitrio, quàm scriptis legibus regeretur, opus esse annuis legislatoribus putarint. satis enim inter veteres scriptores constat, Thesmothetas inde appellatos, quod institutorum curam haberent, quæ Græce *theqmoi* dicuntur. Quare, vt ad id redeam, quod tractare ab initio cœpi, vniuersam, quæ in archontum potestate fuerat, resp. recuperata ex omni parte libertate, nouem his archontibus dico esse commissam. Magistratus autem hos populi suffragijs ante Solonis legislationem creatos, documento sunt primum Eusebij verba, qui scribit, nouem hos principes ex cuncta nobilitate fuisse delectos; & Plutarchus, qui Solonem archontem, & pacificatorem, & legislatorem declaratum à ciuibus ait, deinde Solonis lex, qua cum cauit, vt forte eligerentur, aperte aliter ante se obseruatum fuisse ostendit. Atque hæc quidem, quæ de Draconis resp. scriberem, vix inueni. est enim horum temporum memoria tantis vetustatis tenebris inuoluta, vt neque per quos hæc resp. instituta, nec quibus magistratibus, nec quo illorum iure munita sit, scire possis. nam Herodotus, qui hæc tempora attigit, alia omnia, quàm ciuilia iura, descripsit, & Draconis leges omnes, præter paucas, quæ de cæde latæ erant, Solo postea sustulit. Quoniam vero populus Atheniensis prima sua quasi vitæ incunabula, ac resp. initia Soloni accepta referre ita solitus est, vt veteribus propè omnibus institutis obliteratis, vnus Solonis resp. & in quotidianis sermonibus celebrarit, & in concionibus ad populum vsurparit, ne nos quidē superiora tempora nimia temporum obscuritate obducta. magni admodum faciamus, sed Atheniensium democratiam à Solone potissimum descriptam consideremus, atque inde quasi à nouo orsi principio, singulas eius partes inuestigamus.

*Nouem Archontum iura.*

*Solonis resp.*

Annus agebatur vrbs à Cecrope conditæ nongentesimus quinquagesimus tertius, qui in annū primū incidit olympiadis quadragesimæ sextæ, cū Athenas pestilentia morbo iandudū propter Cylonios ad aras deorū obruncatos oppressas Epimenides Cres, vir sapientissimus, solēni factō sacrificio liberauit, populūq; Cylonia primum seditione, post morbo grauissimo iactatū ad spem melioris vitæ reuocauit, vt Diogenes, & Plutarchus litterarū monumentis, vterque in Solone mādauit. Quo Athenis profecto alia rursum ciuitatē pestis inuasit, acerba nempe seditio,

quam ciuium impar conditio excitauit, cum alij diuitis parum necessariis abundarent, alij victus etiam quotidiani inopia laborarent. cui malo occurri vix videbatur posse, nisi tyranno resp. mādaretur. nam plebs vniuersa magno ære alieno contracto se diuitibus obstrinxerat; quippe cum aut agros ita colerent, vt sextam fructuum partem eis penderent, qui inde hectemorij, thetésque, id est, mercenarij dicebantur, aut ære alieno super corpus obruti nexos se fœneratoribus præberent; atque alij alibi venum irent; multi etiam filios suos vendere, nulla præsertim lege vetante, atque propter fœneratorum acerbiteriam urbem deserere cogerentur. maxima vero pars, quæ opibus præpollebat, inter se coniurarant, ne rem pro nihilo haberent, sed præfecto vno homine fidei delecto, omnes, qui ad diem non satisfecissent, spoliarent, agrumque eorum diuenderent & reip. formam immutarent. In hoc rerum statu, qui prudentia ceteros anteibant, de rep. vni viro præter ceteros sapienti, ac probo committenda cogitarunt: cumque vnum Solonem esse animaduertent, cum sapientem, si quidem vnus fuit è septem, tum neque diuitum iniuriæ participem, neque cum pauperibus angustiis rei familiaris oppressum, rogarunt eum, vt communi suscepta causa popularem seditionem sedare, & remp. nouis legibus constituere vellet, eumque archontem, & discordiarum arbitrum, & legum latorem, recusantem primum, deinde se in ciuium potestate futurum pollicentem crearunt. Ille vero rem difficillimam, atque omnium in ea ciuitate maxime illustrem aggressus, cum popularem motum nouis tabulis, quam ille *συνταγμα* appellauit, inductis compescuit, tum patriam democratiam sublato paucorum dominatu restituit, ac stabiliiuit. primum enim ciuium census quattuor excogitauit, ita vt qui ex siccis, humidisque modios explerent quingentos, in prima classe collocaret; qui quadringentos, in secunda; qui trecentos, in tertia; reliquos inde omnes in quarta. ac primos quidē quinquemodiales vocauit, alteros equites, tertios zeugitas, quartos thetas. atque iis quidem tantum, qui copiis abundarent, magistratus mandari, quemadmodum etiam ante se obseruatum fuerat, voluit. qui autem paruis præditi facultatibus essent, eos à magistratibus repulso conciones inire, & iudicia exercere tantum concessit. Areopagi vero auctoritatem in rep. non modo non imminuit, sed etiam vehementius auxit. quæ omnia non Plutarchus solum in Solone, sed Aristoteles etiam in secundo de rep. tradidit. *Solonem quidam, inquit, probum legum latorem fuisse putant, qui paucorum imperio intemperanter abutentium dominatum sustulerit, & seruientem populum in libertatem vindicauerit, & patriam democratiam recte temperata rep. constituerit. Nam consilium Areopagi ad paucorum potentiam pertinere tradunt; quod autem suffragio magistratus mandentur, ad optimum imperium, iudiciorum autem rationem popularem esse. Solo autem, vt videtur, illa, quæ prius erant, non sustulit, consilium dico, & magistratuum lectionem, populum autem iudicibus ex omnibus ad iudicia asciscendis constituit. quare non desuere, qui factum Solonis accusarent, quod alteram reip. partem sustulisset, rebus cunctis ad iudicium, qui sorte legebantur, arbitrium reuocatis. & paullo post: Solon, vt videtur, potestatem populo maxime necessariam mandandi, & corrigendi magistratus tribuit. quæ potestas si populo denegetur, seruum eum esse necesse est, & hostili odio dissidere. magistratus vero cunctos nobilibus, & locupletibus mādari voluit ex iis videlicet, quorum census esset quingentorum modiorum, & ex zeugitis, & item ex censu tertio equestri nominato. quartus autem census erat theticus, cui nullus magistratus communicabatur.*

Democratia  
posterior.

Clisthenis  
respublica.

Aristidis.  
Pericles.

Atque hæc quidem Thesei, Draconis, Solonisque resp. fuit. quæ vero post à Clisthene, & ab Aristide, & Pericle inducta, & postremo à Demosthene, atque æqualibus eius administrata est, ea fuit eiusmodi. Clisthenes enim tribuum numerum auxit, in easque seruos, & peregrinos descripsit, & ostracismum aduersus eos, qui virtute excellentes in ciuitate populari obesse libertati possent, induxit. Aristides infimæ etiam plebi magistratus communicauit. Pericles populum mercede plebi ad iudicandum, & ad locos in theatris ludorum causa emendos assignata insolentiorum,

tiorem, atque arrogantiorum effecit, & per Ephialtem summam illam Areopagi potentiam labefecit. Quod Aristoteles eodem etiam in loco tradidit. *Postquam, inquit, populi vires iudiciorum communicatione præualuerunt, populo quasi tyranno gratificantes remp. in statum popularem, quo nunc est, induxerunt. Areopagi consilium Ephialtes, & Pericles imminuit, eiusque auctoritatem afflixit. iudicibus mercedem Pericles idem constituit. Ita assentatores populares populi potentiam augentes remp. in hunc popularem dominatum deduxerunt. id tamen non Solonis voluntate, sed casu factum videtur. nam cum naualis victoriæ auctor Medorum bello fuisset, magnos spiritus, & arrogantiam sumpsit, habuitque prauos duces auræ popularis captatores, bonis ciuibus contra nitentibus. Quamobrem, si quis roget, quæ popularis Atheniensium resp. fuerit, haud absurde responderi poterit, quæ præcipue in Solonis legibus, Clisthenis, Aristidisque contineretur. quorum ille diuites, hi pauperes extulerunt. Nam, si quis diligenter consideret, facile intelliget, ex hoc principio omnes, quæ postea inter ciues de rep. dissensiones sunt consequutæ, tanquam ex vberissimo quodam fonte fluxisse, nempe quod de eadem rep. non idem sentirent omnes, sed alij locupletum, alij tenuiorum partes, causamque suscipientes, immoderatas opes, & parum liberæ ciuitati tolerandas sibi quærerent. sic enim Themistocles cum Aristide, Cimo cum Pericle, & cum eodem Thucydides, & Nicias cum Cleone contendit, vt eorum quisque non suam, sed illi diuitum, hi pauperum causam tueri se simulantes eum ad propriam amplitudinem, & potentiam sibi aditum compararet. Quod malum ne latius serpens remp. funditus aliquando dissiparet, iam tum Clisthenes ostracismo in ciuitatem inducendo prouidit. Solo autem omnes ciuili administrationis partes diuturna consultatione complexus, eas ita legibus astrinxerat, vt in perpetuum, si iis obtemperaretur, ea ratio disciplinæ constaret. cumque leges suas satis multas fore ad omnia consilia domi, forisque expedienda, ancipitesque rerum euentus omnes prouidendos putasset, propterea legum ferendarum exiguam aliis copiam fecerat. Neque tamen, si quando id fieret, id casu, aut temere, sed summo consilio, & magna adhibita diligentia curari voluerat. Ex quo factum est, vt post Solonis legislationem leges à paucis, decreta vero quotidie prope ab innumerabilibus scripta sint. inter quæ illud interfuit, quod leges in vniuersum late sunt, & summam reip. attigerunt; ita vt nec senatus, nec populus, nec iudices, nec magistratus, nec si qua alia in ciuitate consilia fuerint, quidquam, nisi ex præscripto legum decernere, potuerint; decreta vero vni plerunque, & de quotidianis rerum euentis scripta sint, ita tamen vt neque latis legibus repugnarent, & ex receptorum legum præscripto ad senatum, populumque ferretur. Ac leges quidem dictæ sunt, quas Solo, & ex Solonis instituto postea ad Nomothetarum consilium præstantes aliquot ciues tulerunt: decreta vero, quæ senatore, aut ciue aliquo scribente, aut senatus, aut populus accepisset. quæ vt omnem ab legibus Solonis vim, & auctoritatem obtinuerunt, sic iis etiam multo minus firmitatis, & vim habuerunt. hæc vero leges in tabulas descriptæ partim æfæ, partim xypis sunt appellatæ. quanquam sunt, qui scribant, xypis præcipue fuisse, in quas leges de sacris, æfæ vero, in quas reliquæ incisæ essent. Ac primum quidem in arce collocatæ, deinde, vt omnibus paterent, per Ephialtem in Prytaneum, & forum delatæ sunt. vnde legis inferioris vsutatio dimanauit, eius ratione, quæ in summa arce obseruabatur. quod scriptum Plutarchus in Solone, & Paulanus in Atticis reliquerunt. Quas autem leges in Metrob seruatas esse Arceocratio tradidit, eas ferè non tam Solonis, quam eorum, qui post Solonem nouis legibus remp. instruxerunt, leges fuisse crediderim. Quamobrem in populari rep. describenda legum tantum, quibus ea continebatur, mentionem faciemus; decreta vero, vt ab instituto nostro aliena omnino ne attingemus quidem.*

Quoniam autem omnis reip. fundamentum est ciuis, popularis autem Atheniensium resp. fuit duplex, duplicem etiam eius ciuem faciamus necesse est. Nam si ciuem

Ciuis duplex.

uem eum esse Atheniensem definiemus, qui consiliorum, & iudiciorum, & magistratuum in ciuitate potestatem habuerit, haud sanè huic quæstioni cumulate satisfaciemus. neque enim omnes in Solonis rep. ius magistratuum habuerunt. Sin autem magistratus è iure ciuium detrahamus, ciuem ab Aristide constitutum, qui particeps etiam honorum fuit, nō complectemur. nos autem omnem disputationem ad posteriorem reip. dirigentes, & eius regula ciuem, quem quærimus, mentientes, ciuem Atheniensem esse defendimus, qui publicorum consiliorum, iudiciorum, magistratuumque iure præditus fuit. popularem autem reip. Atheniensem vocamus, in qua consilia, iudicia, & magistratus æque omnibus ciuibus patuerunt. atque hanc quidem disputationem à Solone reip. quodam modo conditore vsque ad Demetrium Antigoni filium, per quem est restituta, perducimus, Quo temporum interuallo ciuitas Atheniensium plurimum rei militaris gloria, & inter Græcos auctoritate, atq; opibus floruit. Etenim pulsus iterum, profligatusque terra, marisque Medis, murisque vrbs, quos illi barbara vsi importunitate deiecerat, celeriter, vel aduersa Lacedæmoniorum iustis iam pridem vicinæ ciuitatis laudibus æmulantium voluntate restructis, portuque Piræeo ad classem amplissimam recipiendam extructo, vix æstimari potest, quem aditum ad imperij principatum, in quem toto animo iam inde post exactos tyrannos incumbere cœperat, sibi pararit. Quæ res quo maturior esset, scelerata Pausaniæ Spartani ducis de prodenda Xerxi Græciæ libertate consilia effecerunt. Quibus socij alienatis prorsus ab imperio Lacedæmoniorum animis totos se in Athenienses cum spectata Themistoclis virtute bello proximo claros, tum singulari Aristidis æquitate iam etiam in pace longe inter omnes illustres conuerterunt; atque vt eius consilio libenter commu- ne aduersus barbaros ærarium in Delo constituerunt, sic eiusdem etiam studio facile totius rei maritimæ imperium ad Athenienses à Lacedæmoniis transfulerunt. Huic enim arti se potissimum ciuitas ab Aeginetico bello, Themistocle monitore, dederat. Quare Piræeum ille portum rei nauticæ commoditatem contemplatus construxerat, totamque ciuitatem ad mare transfulerat, contratio vsus consilio, ac reges ab initio fuerant, qui ciues à maritimo studio semper auocarant, eosque in agris colendis occupatos habuerant. Itaque vrbs portui, & terram mari adiunxerat, atque ea re populi opes aduersus optimates, translata ad remiges, naualemque turbam potentia, mirum in modum amplificarat, & inquilinos, ac artifices omnes ad turbam nauticam in vrbs alliciendam immunitate donarat. Vnde Xenophon in libro de rep. Atheniensem æquum esse statuit, vt tenuiores in omnium rerum partem vocarentur, quia plus afferrent ad opes ciuitatis, quam nobiles, cum rem naualem omnem continerent. Pericles autem florentibus iam reip. rebus vrbs ædificiis plurimis instruxit. in primis autem propylæa arcis, & longos muros, quibus Piræeum cum vrbe cōiunxit, ædificauit. ex quo potissimum tempore Piræeus pro ciuitatis parte haberi est cœptus. si quidem narrat Thucydides, cum more maiorum in agris habitarent, imminente bello Peloponnesio, omnes in vrbs se coniecisse, atque vacua omnia loca eius in ædificasse, vt etiam in longis muris, & in Piræeo domos extruxerint, & Pelægicum, locum arci subiectum, quod nefas incolari habebatur, ædificiis occuparint. Verum de magnitudine, & potentia ciuitatis non est nobis hoc loco consilium

scribere, cum vix ad reip. iura, disciplinamque ve-

terem explicandam, quod vnum insti-

tuimus hoc tempore, valea-

mus. Nunc ad reliqua

pergamus.

\*

CAROLI



CAROLI SIGONII  
DE REP. ATHENIEN-  
SIVM LIBER II,

\*

Qui inscribitur de consiliis.



De generibus consiliorum.

C A P. I.



PROPOSITA superiore libro popularis Atheniensium reip. forma, ciueque Atheniensi, quantum perfici diligentia potuit, circumscripto, sanè relinqui videtur, vt quoniam & reip. & ciuis à nobis descripti iura, omnia in consiliis, & iudiciis, & magistratibus collocata sunt, deinceps de his singulis breuiter, quid inuenerimus, explicemus. Ac consilia quidem atque iudicia vsque adeo popularis eius, quæ quærimus, propria status fuerunt, vt ne Solo quidem, qui angustiorem populi dominatum instituit, ea plebi cum magistratus adimeret, eripienda duxerit. probe vero in primis, atque prudenter. Etenim, vt scribit in Politicis Aristoteles, quanquam liberis, & pauperibus hominibus magistratus rectè non committuntur, quia iniustitia, & imprudentia facile modo ad iniuriam, modo in errorem impelli possunt, tamè nihil eis tribuere, nihil cōmunicare, res admodum est plena periculi, quia si multi, isque egentes, honorum expertes sint, vrbs hostibus plenam esse necesse sit. ex quo fit, vt iis salte consilia, & iudicia impertienda sint: Soloque rectè fecerit, qui magistratus legendi, corrigendique ius tribuit, vt autem separam per se magistratum gererent, non permisit. Ac consilia quidem fuerunt, (sic autem appello, quæ illi *συνεδρια* nominarunt) in quibus ferè de rebus iis, quæ statum reip. continent, & commodum ciuitatis conseruant, consultarunt, vt de ciuibus, de legibus, de sacris, de magistratibus, de bello, pace, foederibus, de pecuniis publicis, & de præmiis bene de rep. meritorum. Iudicia vero, in quibus de rebus iis disceptarunt, quæ ferè iustitiam, æquitatemque attingunt. Neque vero sine causa his duabus præcipue rebus vtilibus nimirum, & iustis est in omni ciuitate consultum. siquidem ciuitas nihil aliud est, quàm quædam boni, iustique communitio, ad quam quidem quantopere natura propensum homines sint, facile ex ipso sermonis officio declaratur, qui nobis nulla alia de causa à natura tributus est, quàm vt inter nos, quæ vtilia, iustaque sunt, quorum ipsi soli inter cetera animantia sensum habemus, exprimeremus, cum belluis vox tantummodo data sit ad voluptatem, & molestiam, quibus solis afficiuntur, inter se indicandas. Quoniam autem consilia Athenis multa, nempe tribuum, curiarum, gentium, populorum, senatus, concionis, & Areopagi fue-



runt, res postulate videtur, vt primum de primis agentes, deinceps, qua tribus, curia, gentes, populique auctoritate, iureque fuerint, ostendamus.

De Tribubus, Curijs, Gentibus, Populisq; CAP. III.



OPVLVM igitur in partes quattuor primus diuisit vrbis, vt dixi, conditor Cecrops; quibus autem præcipuis vnâquaque nominibus & ille, & reliqui deinceps reges ornarint, ante cognitum est. Ac Solo quidem in constituendo populo, vt numerum earum, sic nomina etiam ab Erechtheo rege demum imposita conseruauit, nempe Armatorum, Opificum, Agricolarum, &

**Tribus 2.** Pastorum. Clisthenes vero, qui pulsus Pisistratidis cum Isagora ciue potentissimo de principatu certauit, & popularem remp. iam funditus tyrannide Pisistratidarum euersam, traducto ad suas partes populo, excitauit, cum alia multa, tum veterum tribuum numerum, & nomina, vt scribit Herodotus, immutauit. nam ex quatuor decem fecit, & eas à decem heroibus nominauit, qui postea Eponymi sunt appellati, quod ab iis vniuersus esset populus Atticæ nominatus. fuerunt autem reges quattuor, Cecrops, Erechtheus, Pandion, Ægeus, & duo regum filij, Oeneus Pandionis, & Acamas Thesei, & ciuis Atheniensis Leo, qui filias pro salute publica quondam deuouerat. reliqui diis, heroibusque prognati, Hippothoon Neptuno, & Antiochus Hercule fatûs: decimum autem peregrinum, hospitem quondam, atque amicum ciuitatis Aiace[m] Telamonis Salaminium asciuit. Vnde tribus appellatae. Cecropis, Erechtheis, Pandionis, Ægeis, Oeneis, Acamantis, Leonis, Hippothoontis, Antiochis, & Aiaceis, quemadmodum scriptum in veteribus Pausaniæ, & Pollucis commentariis reperitur. Quod idem sensisse videtur etiam Demosthenes, cum in funebri Atheniesium laudatione de his ita disseruit, vt priscam earum originem cum laude ciuium, qui in eas erant descripti, coniunxerit. *Quæ tributum, inquit, singulos ad fortitudinis studium accenderunt, exponam meminerant Erechthidæ, eum, à quo appellantur, Erechtheu[m] pro patriæ regni incolumitate filias suas, quas Hyantidas vocant, ad manifestum exitium deditisse; Ægeidæ vero, Theseum Ægei filium par, æquumq; ius in ciuitate instituisse; Pandionidæ autem quam acriter Procne, ac Philomela illatam sibi à Tereo contumeliam essent ultra; Leonidæ vero, Leonis filias à poetis celebratas, quod se victimas ciuib[us] pro patriâ deuouissent. Acamantidis porro Homerici versus ueniebant in mentem, quibus poeta propter matrem Phædræ[m] Acamantem ad Troiam esse profectum affirmauit; Oenidæ autem, Cadmo natam Semelem, huius vero eum esse filium, quem in hoc genere nominari dedecet, eoq; prognatum Oeneum, qui princeps ipsorum uocaretur; Cecropidæ vero principem suum partim draconem, partim hominem celebratum, quod prudentia hominem, robore draconem æquipararet. Hippothoontidis autem nuptiæ Alopes occurrebant, ex quibus ortus esset Hippothoon, Aiacidis, Aiace[m] erepto pro merito sibi uiuendum non esse existimasse; vt Antiochidæ, Antiochum Herculis filium extitisse. Quo factum est, vt omnes aut pro dignitate acceptæ à maioribus gloria uiuendum, aut honesta morte sibi occumbendum putarint.*

Tribu x. nomina.

Tribu par tes.

Gentium nomina.

His igitur nominibus cum denas tribus Clisthenes affecisset, in his eandem diuisionis rationem seruauit, quæ ab aliis ante in quaternis fuerat instituta, vt tribuum vnâquaque in aliquot curias, singulas autem curias in aliquot gentes diuiserit. at quo numero curias, quo gentes esse uoluerit, nihil, quod pro certo tradi possit, accepi. Gentium certe nomina multa celebrantur, vt Alcæonidæ, Brytiadæ, Eteobutadæ, Chæronidæ, Chonnidæ, Ceryces, Eunidæ, Phyalidæ, Praxiærigidæ, Phylidæ, Cynidæ, quæ apud Arpocratiõnem, Helychium, & Suidam inueniuntur. Brytiadarum autem meminit etiam Demosthenes in oratione contra Neæram, Phyalidarum Plutarchus in Theseo, Praxiærigidarum in Alcibiadæ, Cery

Cerycum vero, & Eteobutadarum in Andocide, & Lycurgo. Hæ uero gentes cum sacra quædam inter se patria obiuerunt, tum præcipue Iouem Hercæum, & Apollinem patrium, quem colerent, habuerunt.

Quod autem ad populos attinet, sanè constat, omnes, teste Herodoto, in singulas denas tribus ab eodem Clisthene esse descriptos, in Cecropidem quidem Æxonam, Athmonem, Dedalidas, Epiecidas, Melitam, Pitthim, Phlyam, Sypaletum, Trinemes, & Xypetem; in Erechtheidem uero Agrælem, Anagyrunta, Cephesiam, Eyonimos, Lambram maritimam, Lambram inferiorem, Pambotadas, Pergafen, Phegunta, Sybridas, & Themacos; in Pandionidem autem Angelem, Cytherum, Cydathenæum, Cydantidas, Conthylem, Myrrhinunta, Oam, Præfias, Probalinthum, Pæaniam superiorem, Pæaniam inferiorem, Phegæas, & Stiriam; in Ægeidem uero Araphena, Buten, Colyttum, Diomeam, Erechthiam, Ericeam, Erchiam, Gargettum, Icariam, Ionidas, Philaida, Phegæam, Plothiam, & Tithranta; in Oeneidæ autem Acharnas, Baten, Epicephesiam, Hippotamadas, Laciã, Lusiam, Phylam, Pteleam, Perithœdas, Tyrmidas, & Thriam; in Acamantidem uero Agnuntem, Cerames, Cephaem, Cholargum, Irefidas, Ermu, Iteam, Hephesiam, Prospaltam, Porum, Sphettum, Thoricum, & Thymoetadas; in Leonidem uero Halimunta, Aphidnam, Æthalidas, Cettos, Crepiam, Chollidas, Diradas, Euripidas, Ecalem, Hybam, Leuconæum, Marathonem, Oeum Ceramicum, Potamum, Pæonidas, Peleces, Phrearros, Scambonidas, & Sunium; in Hippothoontidem autem Azeniam, Amaxanteam, Anacæam, Achardunta, Ceriadas, Chorydallum, Deceliam, Eroeadas, Eleusim, Elæunta, Oenoem de Eleutheras, Oeum Decelicum, Piræeum, & Sphendalem; in Antiochidem uero Aegoliam, Alopecas, Anaphlystum, Amphitropem, Beslam, Crionam, Melenes, Pallenem, Phalerum, Penthelem, Perrhidas, Thoras, & Titacidas; & in Aiacidem decimum Rhamnunta, Tricorithum, Oenoem ad Marathonem, Phegeas, & Phalares. Quæ omnia in Pausaniæ, Stephani, Arpocratiõnis, Suidæ, & interpretum Aristophanis commentariis scripta extant. Reliqui uero populi, vt Corhocidas, uide fuit orator Aeschines, & Colonus, uide poeta Sophocles, & Otrynes, qui apud Demosthenem in oratione aduersus Leocharem, & Achradus, & Cynofarges, & Lenus, qui à Stephano memoratur, in quibus tribubus fuerint, adhuc explicari non potui. An uero Clisthenis hæc utique descriptio fuerit, merito dubitare aliquis possit. præsertim uero cum aliquando ex vna tribu in alteram populos motos constet, vt Aphidnæos, Perfidas, Titacidas, & Thyrgonidas, quos ex Aiacide translatos narrat ex Nicandri sententia Arpocratio; & Aphidnam, ac Marathonem, quos in Aiacidem in primo Symposiacorum refert Darij in bello Plutarchus; in Leonidem uero, posteriorem, vt opinor, consuetudinem respiciens coniecit Stephanus.

Populi in tribus coniecti.

Populi in tribus coniecti.

Iam uero singulis his partibus præfectos quosdam esse constitutos, tribubus quidem curatores tribuum, curijs uero *ἑκατέρωθεν*, & populis *δυνατῶν*, (quos ipsos, nisi Græcum nomen malle[m], curiarum, & populorum præfectos Latine appellare possemus) atque hos omnes tribuum, curiarum, & populorum concilium, cum opus fuit, aduocasse, ad eaque de rebus publicis retulisse, post apparerit. Horum autem conciliorum summa, vt uideo, iura duo fuerunt, vnum, vt de ciuib[us] cognoscerent, alterum, vt curationes quasdam, & sacerdotia publica ex suo corpore proderent. Ciuium autem cognitio multiplex fuit, Nam & peregrini, quos populus ciuitate donarat, non ante se pro ciuib[us] gerere potuerunt, quam in tribus, populisq; coniecti sunt, & pueri indigenæ ciuium munera obire nulla potuerunt, qui non certa ætate apud curiales, popularesque professi sunt; & omnino nulla ciuium, & ciuitatis excussio, nisi inter tribules, curiales, gentiles, popularesque suscepra est.

Tribu, curiarum, gentium, populorumque iura.

Ac primum quidem, quod dixi, peregrinos, cum asciscerentur in ciuitatem, eos

Cives non  
in tribus.Cives non  
in tribus.Professio  
pue  
rorum apud  
curiales, &  
populares.

eosdem in tribus, populosque fuisse descriptos, facile confirmari Clifthenis instituto antiquissimo potest, qui cum, Pisistratidis exactis, ciuium augere numerum vellet, peregrinos, seruosque in ciuitatem, ita vt omnes in tribus referret, accepit, quemadmodum scriptum est apud Aristotelem libro de rep. tertio; & præterea Platænsium, qui Bœotia populis fuit, recentiore confirmari exemplo licet; qui euerfa, teste Diodoro, à Thebanis, archonte Socratide, patria, Athenas cum profugissent, in ciuitatem ita ascripti sunt, vt in tribus, populosque coniecti sint. sic enim est in decreto de ciuitate Platænsibus data apud Demosthenem in oratione contra Neerā: *Hippocrates censuit, Platænses cives esse ab hoc die Athenienses, eosdemq; in populos, & tribus distribui.* Vnde illa sunt etiam in oratione Lyfia contra Panleonem: *Cum dixisset, se Platænses esse, quæ sui, ex quonam populo? respondit, ex Decelia.*

Neq; vero indigenarū ciuiū filij se pro ciuibus gerere potuerunt, nisi planè pueri nomina primū apud curiales, deinde apud populares professi essent. quā professionē *δοκιμασίαν* vocarunt. Annus autē prioris professionis legitimus, annus ætatis decimus quintus fuit, vt scriptū est apud interpretē Vesparū Aristophanis ex auctoritate Aristotelis. cuius cū haud satis certū sumere argumentū possent ij, qui ei probationi præferti erāt, quos illi *δοκιμαστῶρας* nominabāt, pudēda ipsa puerorum studiofus inspiciebāt. Dies autē huic præcipue professioni dicata est, quæ fuit Apaturiorū tertia, quæ propterea *νεπέως* is est appellata. facta verò est per parētes iururando obstrictos, liberos eos suos esse, quos profiterētur, & quidē ex coniuge sua ciue Attica natos. Posterioris autem professionis annus fuit decimus octauus, quod postea demonstrabitur, quo annō ex pueris in ephebos, atque adeo in viros adscribebantur. Atque horum quidem institutorum multa, eaque illustria in primis Demosthenes nobis monumenta reliquit in oratione contra Bœotum. sic enim Mantiheus quidam apud eum loquitur: *Cum pater meus Bœotum, fratremq; eius ex Mantique susceptos agnouisset, eos ad curiales adducere necesse habuit. adduxit, adoptauit; proficetur. Apaturijs nomen huius Bœotum apud curiales, illius vero Pamphilum. ego vero Mantiheus ascriptus sum. cum autem pater ante è vtra decessisset, quam apud populares professio fieret, hic populares adiens. se pro Bœoto Mantiheum inscripsit. & paulo post: Prius me apud populares professus est pater, quam hūc apud curiales. & in oratione contra Ebulidem: Parentes me puerum adduxerunt ad curiales, & in Apollinis patrij adem, & in alia fana, & pater iuratus legitimum ius iurandum professus est, me ciuem ex ciue vxore sua esse natum, scire. & Isæus de hereditate Apollodori: *Vbi Thargelia venerunt, adduxit me ad aras, & gentiles, & curiales ex lege, quæ est, si quis aut naturalem, aut adoptiuum filium proficetur, sacris tactis affirmare, se ex ciue Attica natum profiteri.* iterum idem ille contra Neeram: *Testatur Timostratus Cephalensis, se & Phrastorem Acguliensem ex numero gentiliū esse, qui dicantur Brytiada, & volente Phrastore in numerum gentiliū filium suum profiteri, quod scirent, cum ex Neera filia esse susceptum.* item: *Adduxit ad curiales, & Brytiadas, quorum ipse est gentilis. & Andocides in ea, quam de mysterijs: Puerum iam grandem adducit ad Ceryces, affirmans filium suum esse. Ceryces autem decreuerunt ex lege, quæ est, patrem ipsum iuratum adducere; se vere filium suum adducere.* Adde etiam, moris fuisse, vt, cum pueros profiterentur, iis nomina & patris, & populi adscribenda curarent. quod item ex eadem contra Bœotum elicitur: *Quæ lege ista appellatio instituitur, vt à matre nominatio fiat, aut aliud addatur, quam pater, & populus? & post: Si quis de te quærat, quod nomen professus es? Bœotum dices. hoc enim inscriptus es. & paulo post legem fuisse adiicit, quæ patribus probationem nominis filiis imponendi, atque pro arbitrio adimēdi daret. Erant porro tabulæ aliæ apud curiales, & gentiles, aliæ apud populares; illæ communes, vt scribit Arpocratio, hæ Lexiarchicæ dictæ. quarum in eas referebantur, qui apud curiales profitebantur, in has qui apud populares. quod ex Isæi oratione de Apollodori**

dori hereditate cognoscitur. Quas autem communes tabulas Isæus, easdem modo communes, modo curiales vocat Demosthenes in orationibus aduersus Ebulidem, & Leocharem. Lexiarchicæ vero dictæ sunt, quasi hereditati potentes. *λῆξιν* enim antiquitus hereditatem nuncuparunt, quam quia earum demum tabularum auctoritate pro arbitratu tractare iam adulta ætate pueri potuerunt, propterea Lexiarchicæ dictæ sunt. Quod Arpocratio nobili, credo, Aeschinis adductus testimonio tradidit, qui Timarchum inquit, posteaquam in Lexiarchicas tabulas relictus patrimonij cōpos fuit factus, patrum suum senem, in cuius tutela fuerat, despexisse. Neque vero patrimonij solum, sed etiam totius reip. compotes earum auctoritate tabularum fiebant. scriptum est enim apud Suidam, omnium ciuium Atheniēsiū, qui ætate essent ad magistratus capiendos idonea, nomina, adiunctis etiam populorum nominibus, in iis tabulis esse inscripta, & ex iis tabulis eos magistratuum potestates esse sortitos. Itaque Aeschines in superiore oratione dixit, ciues postquam in tabulas Lexiarchicas essent relati, legibus de impudicitia fuisse obstrictos. Quin etiam in iisdem index concionalis fuit, quem illi *πινάκας ἐκκλησιαστικόν* appellarunt, cuius auctoritate & concionem obire, & communia participare iis licuit. quod elicitur ex oratione aduersus Leocharem: *Primum progressus sustentauit in Otrynensium indicem concionalem semet ipsum inscribere, cum esset Eleusinius. deinde antequam inscriberetur in tabulas Lexiarchicas Otrynensium, communium rerum partem adipisci. cui rei cū nos resisteremus, ille conuocatis paucis quibusdam Otrynensium, & Demarcho suadet, vt cum aperta tabula fuerint, semet ipsum in Archiada nomen inscribant. post autem Panathenæis magnis sub distributionem ad theoreticam pecuniam venit. & cum populares alij cepissent. petijt sibi etiam dari, & in tabulis in nomen Archiada inscribi.* Tantam autem vim ad ciuitatem habuit hæc apud curiales, popularēque professio, vt non solum curialium, & gentiliū ea de re testimonium, sed hanc etiam apud curiales, popularēque professionem pro argumento ciuitatis communicatæ firmissimo Ebulidi apud Demosthenem Euxius opposuerit. merito. vt enim donatæ ciuitatis fundamentum est tribus, & populus; sic tribus, & populi communicati ipsa apud curiales, popularēque professio. vnde illa manarunt in Bœotum: *Age vero, si quis de te quærat Bœote, cur nunc es in Acamantide tribu, & populo Thoricus, & Mantias filius? nihil aliud respondeas, nisi, quod te, dum viueret, Mantias adoptauit. si quis roget, quo argumento hoc probes sanè, quia apud curiales me professus est, dices. Quo argumento, quasi à quodam veritatis impulsus impetu Euxius dixit, omnibus populis pellere, nihil aliud esse, quam ciuitatem adimere. Ac de solemnī quidem ciuium per curiales, popularēque probatione hætenus disputatum sit.*

Excussio vero, quam illi *ἀνακρίσις* appellarunt, fuit, cum eos, qui se pro ciue gerebant, aut vt legitimos probarunt, aut vt adulterinos repudiarunt. Solo enim ab initio sciuit, vt tam nothi, quam legitimi filij ciues à patribus scriberentur. nothos autem vocauit eos etiam, qui è matre peregrina, non ciue Attica essent suscepti. vnde Themistocles, quia matrem habuit Thracem, pro notho, teste Plutarcho, habitus est. Post annos autem aliquot Pericles, cum propter magnam auctoritatem, ac potentiam in rep. dominari videretur, legem, vt idem testis est, tulit, vt soli ciues Athenienses essent, qui ex duobus ciuibus Atheniēsiū orti essent. quam legem intelligit Libanius in argumento orationis contra Ebulidem, cum legem extitisse Demosthenis memoria scribit, vt ciues omnes, qui in tabulis ciuium essent scripti, excuterentur, an veri essent, nec ne, & qui ex ciue patre, matreque nati non essent, expungerentur, populares autem de iis sententiam ferrent. quod si à popularibus peregrini essent iudicati, ad iudices prouocare possent; qui si eos retinissent, ciues essent, sin minus, venum irent. Itaque Plutarchus, hac lege lata, cum quæstiones acerbè in eos, qui se pro ciue ferrent, essent habitæ, paulo minus quinque millibus damnatos tradit, quattuordecim autem millia, & quadraginta

Cives excu-  
tiuntur à po-  
pularibus.

ginta esse retenta. Addit idem, Periclem ipsum postea, cum à populo vix im-  
 trasset, vt filium quem vnum, legitimis omnibus amissis, nothum habebat, lege  
 sua solutus in ciuium tabulas referret, eum inter curiales retulisse, ac Periclis no-  
 mine affecisse. Populares porro de his sententiam, vt scriptum est in lege, tulisse  
 satis aperte commemorata Euxij prouocatio indicat. in qua ille: *Sub noctem po-  
 pulares etate grauiores, qui in urbem suffragij caussa venerant, rus remigrarunt. nam  
 populus quinque & triginta stadia ab vrbe aberat, & maxima pars eorum ibi habita-  
 bant. qui vero remanserunt, ab Ebulide inducti, cum non essent plures triginta, suf-  
 fragia de me plura, quam sexaginta, tulerunt.* Non est illud quoque silentio præter-  
 eundum, quod ex eadem oratione cognoscitur, cum eiusmodi ciuium excussio  
 fieret, obseruatum esse, vt quæreretur de singulis, quos patres, quos curiales, quos  
 Apollinis patrij, & Iouis Hercei gentiles, popularesque haberent. Suffragia ve-  
 ro, quod scribit Pollux, frondibus, in quibus veros, fallósque ciues inscripserunt,  
 tulerunt, vnde ἐκφυλλοφορήσαι fuit, frondium suffragio ciuitate mouere. iudicia ve-  
 ro populorum talia διαψηφίσεις vocata sunt. vnde dixit Æschines in Timarchum:  
*Fiebant διαψηφίσεις in populis, & quisque nostrum suffragium tulit de corpore, qui  
 Atheniēsis vere esset, & qui secus.* Ac de ciuitatis quidē cognitione hæc dicta sint.

Magistratus  
 à tribubus  
 & curijs e-  
 disti.

Tribunū  
 curiarū res  
 publica sepa-  
 rata.

Magistratus  
 à tribubus  
 & curijs e-  
 disti.

Quod autem ad publicas constituendas curationes pertinuit, id eam quidem  
 vim, atque sententiam habuit, vt cum magistratus alij vniuersi populi suffragiis,  
 alij forte, alij editione deligerentur, editio ipsa proprie tribubus, & curijs, & gen-  
 tibus, & populis mandaretur; cuius rei vno exemplo contentus ero. Cum muros  
 Athenarum multis in partibus ruinosos reparare, ac reficere populo placuisset,  
 decretum latum inquit Æschines, vt tribuum consilium, quam ille ἀγορῆν vocat,  
 haberetur, imperatumque vt singulæ tribus operum publicorum curatores, &  
 quæstores ex suo quæque corpore daret. Quare cum Pandionis Demosthenem  
 edidisset, vehemens illa post ei cum Æschine contentio in causa Ctesiphontis  
 exarsit. Ex quo perspicitur, tribus ipsas quandam quasi separatam remp. habuisse,  
 cum non solum magistratus suos quosdam, vt ostendi, ediderint, sed etiam de  
 quibusdam rebus separatim consultarint, atque decreuerint, & quædam iudicia  
 exercuerint, & quod mirabilius videri potest, ærarium etiam Eponymo quæque  
 suo sacratum habuerint. Quæ omnia cum ex iis, quæ diximus, tum maxime ex  
 oratione Demosthenis aduersus Theocrinem intelliguntur. *Cum lex, inquit, iu-  
 beat ἐνδ' αἰῶν (publicæ genus id actionis est) esse aduersus eos, qui ærario debent, & si  
 quis Mineruæ, aut aliorum deorum, aut Eponymorum alicui debeat, iste apparebit  
 debere, neque vnquam pependisse, septingentas drachmas, quibus multatus est in ra-  
 tionibus referendis, Eponymo tribus suæ. item: Præsentes tribules suos non est reueri-  
 tus, cum ita eorum rem communem administrasset, vt eum peculatus dānarint. item:  
 Ipsum autem Theocrinem confiteri, eam manere multam, eumq; pro se, ac pro fratre  
 spondidisse tribulibus, nec seruata religione, ac sine infamia ἐνδ' αἰῶν hanc posse repudia-  
 ri, recita decretum, quod in Scirrhonidæ sententiam factum est inter tribules.*

Tribuum ad  
 multas res  
 vs.

Iam vero vt tribus eadem & senatus, & concionis, & iudicium, & omnium ma-  
 gistratum, & rei demum bellicæ, ac militaris seminarium quoddam vberri-  
 mum fuerint, quoniam res est ab hoc sermone aliena, post suo loco commodius  
 demonstrabitur. nunc, quod sequitur, de senatu dicamus.

De Senatu Quingentumuirum. CAP. III.



Senatus ori-  
 go.

VI ante Solonem senatus Athenis fuerit, parum, vt supra dixi,  
 compertum est. Plutarchus certe ita loquitur, vt Solonem eiusmo-  
 di auctorem, institutoremque consilij prodere videatur, cum se-  
 natum ab eo geminum institutum inquit, vnum Quingentum-  
 uirum, alterum Areopagitarum: nimirum vt his duabus quasi  
 anchoris populi concio fluctuans regeretur. Dicam igitur pri-  
 mum

num de priore, quem illi τὴν τῶν πεντακισίων βουλὴν nominarunt. hunc enim præ-  
 cedere ordine Soio voluit, vt illum alterum dignitate. Hic igitur ob eam potissi-  
 mum rem à sapientissimo legislatore est institutus, vt esset, quemadmodum scribit  
 Plutarchus, qui concionis rudis, & imperitæ, penes quam resp. erat vniuersa, deli-  
 berationes, & consilia gubernaret. neque enim cum magnam cuiunque decreto-  
 rum ad populum ferendorum potestatem permetteret, ea ipsa ferri, nisi ἐν τῷ προβα-  
 λείματι, id est, nisi ex senatus præconsulto, voluit, qui prudentia, & moderatione  
 ceteris antecelleret. Cum enim, vt notat ad Androtianam Libanius, magna popu-  
 li multitudo esset, eaque facile, quod occultam decretorum fraudem non sentiret,  
 in errorem induci posset, propterea ante ad senatum ea mitti Solo instituit, vt vi-  
 tiis demum, si qua hærent, excussis, perferrentur ad populum. Quare lex, quam  
 profert aduersus Androtionem Demosthenes, ne decretum aliquod ad populum,  
 nisi ex senatus præconsulto, feratur, lex mihi hæc esse Solonis videtur, quā postre-  
 mis ille temporibus vetustate iam aliqua ex parte obsoleuisse significat. Itaque de-  
 cretum, quod ad populum Androtio sine senatus præconsulto pertulerat, vt vetus  
 senatus ob remp. bene gestam corona donaretur, ab accusatoribus eo nomine est  
 reprehensum, quod ante senatus cognitioni non esset commissum. ille vero hoc  
 prætermiserat, veritus, ne si ad nouum senatum decretum de veteris senatus hono-  
 re misisset, quæ est hominum improbitas alienæ laudi semper, & eorum maxime,  
 qui ante se remp. gesserint, inuidentium, ab eo fortasse repudiaretur. Hinc factum  
 est, quod narrat Plutarchus, vt Lysias Syracusanus, cū Thrasybulo decretum scri-  
 bente in ciuitatem esset ascitus, haud ita multo post, ab Archimo decreto Thrasy-  
 buli accusato, quod sine senatus præconsulto latum ad populum esset, eadem ipsa  
 ciuitate sit spoliatus. Vnde illa sunt etiam in Timocratea: *Accessit ad senatum, præ-  
 consultum scriptum est, aduocata concione populus decreuit. & in ea, quæ de euentu  
 legatione dicta est: In tyrannorum, & paucorum dominatu omnia ex edicto prope-  
 procurantur, apud vos autem primum rebus de omnibus senatum audire, & præcon-  
 sultare oportet, deinde concionem aduocare.* Neque vero hanc solam potestatem sena-  
 tui largitus esse legislator videtur, vt quæ decreta ad populum ferenda essent, ipse  
 ante perpenderet, sed etiam vt nullo populi scito accedente statuere posset. scribit  
 enim Arpocratio, cum senatus decretum populo esset propositum, populum con-  
 sueuisse statuere, an ea de re sibi sciscendum esset, an satis senatus præconsultum va-  
 leret, eamque προχειροτονίαν esse appellatam. In quo illud attendendum est; quod in  
 Aristocratea eiusdem extat, quanquam ea senatus auctoritas erat, vt de rebus ciuit-  
 tatis omnibus consuli posset, eius tamen decreta ad populum non perlata in annū  
 tantummodo valuisse: quod si à populo essent cōfirmata, populum in perpetuum  
 obstrinxisse. Ex quo mirabile quoddam senatus cum populo vinculum est inueni-  
 um, vt neque populi scita legitima, & rata haberentur, quæ senatus auctoritas ante non  
 approbasset; nec rursus diuturna decreta senatus essent, nisi populi ad ea suffraga-  
 tio accessisset. hæc igitur, vt hunc locum concludam, Solonem hominem sapien-  
 tissimum ratio impulit, vt senatum hunc in hanc remp. introduxerit.

Senatus  
 vsus.

Senatus  
 vsus.

Senatus  
 vsus.

Senatus le-  
 ctio.

Senatus  
 vsus.

Quod vero ad eius lectionem pertinet, mirifice mihi in eo fuisse cautus ille, ac  
 diligens videtur. neque enim cum eā forti permetteret, nisi certo numero senato-  
 res legi, cōsque spectata ætate, probatæque vita esse voluit. Instituit autem eum,  
 teste Plutarcho, ex quadringentis, nimirū centenīs ex singulis tribubus; quæ tum  
 erant quattuor, sumptis. quem numerū postea Clisthenes auctō numero tribuum  
 aliquanto amplificauit, atque ad quingentos perduxit. Sorte autem quotannis le-  
 ctum, & Libanius in Androtianam tradit, & præter alios grauiissimus auctor Thu-  
 cydides libro octauo ostēdit, cum eū τὴν βουλὴν ἐκ κνᾶμων, & τὸς βουλευτὰς ἐκ κνᾶμων,  
 id est senatum, & senatores à faba vocat: & Andocides in oratione de mysteriis,  
 cum τὴν βουλὴν τὸς πεντακισίους λέγοντας τῷ κνᾶμῳ, id est senatum quingentorū sorte  
 fabæ lectum, in quodam vetere decreto recitando appellat. Fabas enim ad sortem

adhibuerunt ita, ut cui alba obtigisset, is honoris beneficium à sorte acciperet; cui nigra, repulsam. quemadmodum perspicue Plutarchus in Pericle demonstrat. unde idem quoque magistratum sortito lectum ἀρχὴν λυαμεντήν appellauit. Fuit autem hæc, quantum ego intelligere possum, sortiendi ratio talis. Singularum tribuum curatores nomina omnium tribuum suorum, qui per ætatem senatores esse possent, eamque dignitatem ambirent, æneis tabellis sigillatim inscripta, quæ πινάκια, ut inquit Arpocratio, dicebantur; in hydriam vnā conijciebant, in alteram vero fabas totidem, ex quibus quinquaginta albæ erant, reliquæ verò nigrae, tam multæ numero, quàm multi erant, qui supra quinquaginta petebant. Ita cum eodem tempore tribulis vnus nomen ex hydria vna, & faba ex altera duceretur, fiebat, ut, qui albæ sortem nactus esset, is senator esset. atque hoc pacto ductis ex singulis tribubus cuiuslibet quinquagenis, numerus erat senatorum quingentorum expletus. Hoc facto inde eos, qui senatui præessent, quos illi prytanes vocarunt, sortiebantur, ita scilicet, ut nominibus decem tribuum in hydriam vnā deiectis, in alterâ vero faba alba vna, & nouem nigris, quæ fabam albam prima tribus tulerat, ea senatui in prima prytanea præesset, quæ secunda, in secunda, atque ita deinceps. Erat autem prytanea spatium dierum triginta quinque: hæc enim decima pars erat anni apud Athenienses, quæ illi ad lunæ cursum dirigentes dierum cccclm numerarunt. Sed quoniam si decies triginta quinque multiplicaueris, numerum dierum tantum ccccl conficies, propterea quattuor illos, qui ex ccccliiii supererant dies primis quattuor prytaneis addebant, ut illæ dierum essent triginta sex, reliquæ vero triginta quinque. Ita ferè Arpocratio. Nam Libanius hos dies quattuor magistratibus creandis esse dicatos, inquit; perque eos dies Atticam sine magistratibus fuisse. Lectis autem prytanibus, tum deinceps proedros, & epistatam legabant, ex quibus autem eos legerint, haud plane cõuenit inter antiquos. Libanius enim proedros decem ex ipsorum prytanum numero, ut senatui præsiderent, lectos scribit, eosque per septem dies præfuisse, ita ut singuli singulorum dierum imperium obtinerent, tribus tantum exceptis, qui ad imperium dici peruenire nequissent, eos vero epistatas esse appellatos, qui per diem in magistratu essent. Atque hoc idem cõfirmare videtur Vlpianus in Medianam, cum proedros nuncupatos scribit, qui à tribu prytaneatum gerente ad senatum, & rursus à senatu ad populum, ut ibi præsiderent, missi essent. Arpocratio vero, quem libentius sequor, proedros nomen non ex tribu prytaneatum gerente, sed ex reliquis reliquarum nouè tribuum senatoribus, ex singulis singulos lectos, ex Aristotelis sententia prodit: huic autem lectioni præfuisse epistatam prytanum, eum, qui in singulos dies imperium obtineret. Quod idem etiam intellexisse videtur Pollux, cum scripsit, vbi prytanes cõgerunt senatum, aut populum, epistatam proedros sortitum ex vnaquaque tribu vnū, præterquam ex ea, quæ prytaneatum gereret. Eorum autem meminerunt etiam Demosthenes, Æschinesque; ille quidem cõtra Androktionem: *Primum qui senatui præsidebant, & qui hæc suffragijs subiiciebat, epistata, rogarunt.* hic vero cõtra Timarchum; *Et cum esset in senatu illius diei proedrus, adesse patruo opem imploranti voluit.* hic enim proedrum pro epistata vsurpauit, ut etiam in Timocratea Demosthenes. His rebus expeditis, deinceps, si erant, qui id peterent, secunda sortitione alios senatores, alios prytanas, alios proedros, aliumque eodem modo epistatam sublegebant; non ut illi extemplo inirent, sed ut si primi forte aut mortui, aut reiecti essent, ipsi extemplo in eorum locum suffici possent. Declarat hoc Arpocratio. *Æschines, inquit, Demosthenem neque λαχόντα, neque ἐπιλαχόντα, id est neque sortitione, neque subsortitione senatorem lectum propterea dixit, quia qui senatores, aut magistratus esse cupiebant, in sortem conijciebantur, deinde vnique sorte ducto alterum subsortiebantur, ut si prior, quem sors tulerat, aut reiectus, aut mortuus esset, qui in eius locum aut senator, aut magistratus subsortito sufficeretur, non deesset.*

Prefectorum  
Senatus le-  
ctio.

Probatio se-  
natorum.

His rebus omnibus rite administratis, tum iudicium constituebatur, quod illi

δικασίαν vocabant, in quo senatorum, qui lecti erant, vita diligenter exquirebatur. qualis est causa, quæ aduersus Phylonem à Lyfia scripta legitur. Solo enim legem tulit, quæ commemorat aduersus Timarchum Æschines, qua cum aliis probis notatos, tum maxime impudicos esse in senatu prohibuit. Quod si parum integra illi vita iudicati fuissent, in eorum locum, qui subsortitione lecti erant, substituebantur: sin autem probati erant, solemne iusiurandum quoddam iurare iubebantur. quod innuit Demosthenes in oratione contra Neæram, cum dicit: *Sortitur senatum Apollodorus, probatusque iureiurando legitimo se obstringit.* Iurabant autem, primum se in ea littera, cuius sortem nacti essent, assecuros; (etenim, quod in Pluti commentario ex Philochori annalibus proditum est, Glaucippo archonte institutum fuerat, ut singuli senatores singula curiæ subsellia, quæ singulis litteris erant signata, in sortem conicerent) deinde, ut est in ipso, de quo dixi, Apollodori iureiurando, se populo præcipue consulturos; tum se neminem vnquam Atheniensium in vincula cõiecturos, nisi aut prodendæ ciuitatis, aut populi euertendi cõsilia iniuisset, aut vestigialium emptor, aut spõsor, aut collector, reip. non satisfecisset. Quæ verba in eos esse scripta Demosthenes in Timocratea interpretatur, nõ de quibus iudiciũ factũ esset, sed qui nõdũ causã dixissent; nimirũ ne vinculis impediti aut incommodius agerent, aut omnino imparati ad eã dicendã accederent.

Primo autem anni die mense Ecatombæone, in senatum venientes vnã sole mne quoddam sacrificium faciebant, quod εὐαγγεῖα nominarunt. votaque pro rebus suscipiebant. Sacrificij meminit Demosthenes in oratione de ementita legatione. *Senatus, inquit, εὐαγγεῖα sacrificauit, conuiuium celebrauit, vna libarunt prætores, & prope dicam, omnes magistratus.* & contra Medianam: *Et tamen tanto flagitio mihi obiecto, me εὐαγγεῖα facere, & sacrificare, & victimas ferire pro vobis, totaque rep. permisit.* Hoc autem factum esse adiicit Vlpianus, cū senatus in curiam ingrederetur, ut ex sententia deliberationes procederent. Vota vero suscepta à senatu esse ad Iouis Bulæi, & Mineræ Bulææ sacella, quæ erant in curia, docet aperte Antiphon in oratione de choreuta, cū inquit: *In curia Iouis Bulæi, & Mineræ Bulææ sacellum est, ad quæ ingrediētes senatores vota faciunt. ex quibus ego etiam tum senator vnus fui, qui hæc feci, & vna cum senatu in alia sacella ingressus sum, & sacrũ, votumque suscepit hac ciuitate, & ad hæc prytaneatũ gessi in prima prytanea tota duobus diebus exceptis, & rem diuinam pro democratia feci.*

Principes ergo, ut dixi, senatus quodammodo prytanes quinquaginta fuerant; ita ut & senatum cogendi, & eos, qui res nouas nunciarent, audiendi, & qui senatum poscerent, producendi, & omnino de rebus omnibus, de quibus cõsuli oporteret, ad senatum referendi potestatem haberent. Ut autem his muneribus commodius inferiret, institutum erat, ut in Tholo, qui locus propè curiam fuit, quotidie versarentur. Itaque in eo loco prytanas vna sacrum fecisse, epulatos esse, ac libasse, Demosthenes in oratione de ementita legatione; & Pausanias in Atticis prodiderunt. Vnde illa demum in oratione de mysterijs apud Andocidem emanarunt: *E dixerunt, ut Athenienses, qui in vrbe habitarent, in forum armati irent; qui in Lõgis muris, in Thesei ædem; qui in Piræo, in forum Hippodamium; equites in Anacæum; senatum in arce futurum, ibique pernoctaturum; prytanes autem in Tholo.*

Ac quotidie quidem prytanas senatum, nisi si vacatio aliqua esset, aduocare solitos, narrat Pollux. res autem nouas ad eos delatas, eosque in repentina re senatum coegisse, Demosthenes in causa Ctesiphontis demonstrat: *Aduersperascebat tum, cum nuncius allatus est ad prytanes, captam esse Elatiam. tum vero eorũ alij medio conuiuio surgentes omnes, qui in tabernis erant, & in foro versabantur, eijciunt, & vela incendunt, alij prætores accersunt, tubicines euocant, in vrbe plena tumultus erant omnia. postridie autem prima luce prytanes senatum in curiam vocant.* Qui vero Aristophanis Pacem exponit, scribit, prytanas in curiam, qui senatum poscerent, produxisse, atque illud officium quæstui habuisse. Fuit autem moris, quod

Senatorum  
iusiurandũ.

Novi Senatus  
ingressus.

Officia præ-  
fectorum se-  
natorum.

scribit Pollux, ut antequam senatus haberetur, in tabella quadam, quibus de rebus agendum esset, proscriberetur. id quod Demosthenes in oratione de ementita legatione significat, cum inquit: *Oportet, senatum audire, & praeconsulere, ubi praeconibus, & legationibus senatum dari proscriptum fuerit.* & contra Euergum: *Iussit senatus, ut eum deferrem, & prytanes ei iudicium intra biduum proscriberent.* Quod etiam ita fiebat; tamen prytanes etiam ad frequentem senatum de rebus omnibus referebant. Ac nescio, an praecipuum illud epistatae officium fuerit. neque enim quo alio in senatu munere functus sit epistata, dispicere satis possum, nisi totius collegij nomine, quae essent in senatu discutienda, proposuerit; summam tamen eum in senatu fuisse auctoritatis ostendit Aeschines, cum Timarcho obiecit, quod cum diei eius proedrus esset, quo de patris sui re in senatu agebatur, pro eo ne verbum quidem fecerit. Sed siue epistata omnium collegiarum nomine, siue singuli prytanes separatim de singulis rebus, vel volentibus, vel inuitis collegis, rettulerint, omnino fixum, ratumque illud est, vniuersam relationem ad prytanas attinuisse.

Sententia  
senatorum.

Relatione autem facta, sententiae à singulis, & quidem surgentibus senatoribus dictae sunt. Quod ostendit Andocides in oratione de mysteriis: *Postquam senatus frequens conuenit, surgens Callias dixit.* & Lyfias in oratione contra frumentarios: *Ubi ad senatum prytanes de frumentarijs rettulerunt, adeo illis successerunt, ut oratores quidam dixerint, eos indemnatos xj viris esse tradendos. ego vero cum acerbum esse putarem, si talia senatus facere assuesceret, surgens dixi, lege mihi videri cum frumentarijs esse agendum.*

Decreti scri-  
ptio.

Dictis sententiis, decretum scribatur, scriptum autem inuenio non solum à prytanibus, sed etiam à quibuslibet senatoribus, à prytanibus, ut quod scripsisse se affirmat Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, tribu Pandionide prytaneatum gerente: fuit enim Demosthenes à Pandionide tribu. & quod in eadem scripsit Aristonicus Phrearij, tribu Leonide prytaneatum gerente: fuerunt enim Phrearij populares à Leonide tribu, à quibuslibet senatoribus, ut in oratione contra Neerā Apollodorus decretum scribit, in senatu, cum esset senator, & senatus praesensulum deferret ad populum. & quale illud est, quod Ctesiphon Anaphlystius de coronando Demosthene scripsit, tribu Oeneide prytaneatum gerente. neque enim Ctesiphon tum prytanis esse potuit, cum Anaphlystij Antiochidem obtinuerint, non Oeneidē, quae tū in prytaneatu fuisse fertur, & quale illud, quod in oratione de ementita legatione à Timarcho senatore scriptum est, ne quis ad Philippū arma deferret.

suffragia  
maiorum.

Decreto vero recitato prytanum aliquis de eo suffragium senatoribus permittebat, quod illi dicebant *ἐπιψηφισαυ*. Atque hoc cum tradit Vlpianus aperte in Medianam, tum significat non obscure Demosthenes in eadem oratione, cum inquit: *Prytane ad suffragia danda inducto.* & Antiphon superiore loco: *Et ego prytaneatum gerens in prima prytanea suffragium dedi, & sententiam dixi de rebus maximis.* Suffragia vero fabas albas, nigraeque fuisse, illas ad iubendū, has ad vetandum; Vlpianus notatum reliquit. Id autē si senatorum maior pars sciuisset, pro rato habebatur, eique nomen & eius, qui scripserat, & tribus, quae tum prytaneatum gererat, affigebatur, ut *Tribu Oeneide prytaneatum gerente, Ctesiphon Leosthenis Anaphlystius dixit.* item *Elippochoontide tribu prytaneatum gerente, Demosthenes Demosthenis Paenienensis scripsit;* & reliqua eius generis infinita.

De quibus  
senatus co-  
suis solius.

Quaeret hoc loco aliquis, quibus de rebus praecipue senatus hic sit consuli solius. difficile est, singula persequi: summam aperit Xenophō in libro de rep. Atheniensium, cum ait, eum de bello faciendo, & de parandis pecunijs statuisset, praeterea tributa accepisse, ac rei naualis, & sacrorum curam gessisse, & quod latissime patet, de quotidianis negocijs omnibus cognouisse. Quod autem de tributis scribit Xenophon, id ipsum lege etiā, cuius meminit aduersus Timocratem Demosthenes, confirmatur. *Est, inquit, apud vos lex praecleara in primis, qui possident sacras, publicasque pecunias, eos in curia soluere: sin minus, senatum ab ijs, leges telonicas adhibentē, exigere.*

exigere. Omnino autē quaecunque ad populum lata, eadem ferē in senatu tractata sunt. Quae vero haec fuerint, commodius dicemus, cum de cōcionis potestate dicemus. Illa vero propria senatus iura fuerunt, primum, ut eos exquireret, qui propter imbecillitatem, & paupertatem à se stipem vitae tuendae cauilla petebant. Hi sunt, qui *ἀδύνατοι* appellati sunt. Stips autem, teste Arpocrate, duo oboli, vel, ut placuit Aristoteli, obolus fuit. eiusmodi vero hominū disquisitionem, *δοκιμασίαν* dictam, senatus quoque cognitioni commissam ostendit Aeschines contra Timarchum: *Arignotum, patrum suum, inter imbecillos stipem petentem despicit, & seni in probatione, quae imbecillis proponitur, superato, & senatus opem imploranti, cum senator, & illius diei proedrus esset, adesse noluit.* & Lyfias item in oratione, quae inscribitur, Ne stips imbecillo detur. in qua in senatu de imbecilli hominis obolum petentis probatione accurate differitur. Alterum fuit, ut de aestimationibus eorum cognosceret, quorum nomina ad se essent delata, quam actionem illi *ἐξέπειν* dicebant. Ea vero à Polluce exposita est: *Si quis, inquit, in ijs rebus, de quibus nulla essent, aut leges, deliquerit, aut magistratus, aut orator, apud senatum ἐξέπειν aduersus eum conceditur: qui si leniter peccasse videatur, à senatu ipso mulctatur; si vehementius, aestimata mulcta, quae et soluere aut pati oportet, tradit eū iudicibus.* Scribit etiā Arpocratio *ἐξέπειν* publicorū fuisse delictorū, quae propter magnitudinē procrastiatio nē nō paterentur, & de quibus neque magistratus, neque leges magistratibus latae essent, quibus adduci in iudiciū possent, sed ad senatum, aut populum primum deferrentur. apud quos si reus cōuictus esset, grauisissima poena mulctaretur, accusator vero, etiam si non damnaret, nullo detrimento afficeretur, nisi, si quintad partem suffragiorum nō ferret, mulcta mille drachmarum; cum antiquitus poena acerbiorē afficeretur. Ut autem in ceteris rebus, sic in eiusmodi delationibus iudicandis omnia per prytanes & acta, & cōfecta sunt, quod ex verbis Demosthenis ex oratione contra Euergū aperte perspicitur. *Cum ego, inquit, & pignoribus spoliatus à Theophemo, & praeterea verberibus affectus essem, veniens in senatum & verbera ostendi, & quomodo mulctatus essem, exigendis resp. armamentis, exposui. ea re offensus senatus, quod nō me, sed se ipsum, & populū, qui legem de exigendis armamentis iussisset, lesum putaret, iussit, ut ego eum deferrem, & prytanes ei, ut homini iniuriōso, & naualem expeditionem impediēti, intra biduum iudiciū proscriberet eo nomine, quod armamenta non reddidisset, & pignora eripuisset, & me, qui exigebam, & resp. interuebam, male affecisset. facto igitur de Theophemo iudicio in senatu ex delatione, quam ego detuleram, & facta utriusque dicendi copia, & suffragijs occultis à senatoribus latis, damnatus est in senatu, & iniuste fecisse visus est. & cum iam in eo senatus esset, ut decerneret, utrum iudicibus traderet, an drachmis quingentis mulctaret, quōt à legibus mulctandi ius habebat, orantibus istis omnibus, & supplicantibus, & quem non allegantibus, & descriptionem armamentorū statim in senatu reddentibus, & se arbitro rem permissuros, cui ego voluissem Atheniensium, dicentibus, concessi, ut Theophemo lis quinque, & viginti drachmis aestimaretur.* Quibus ex verbis aperte, ut opinor, declarantur, quae ab Arpocrate, & Polluce de delatione dicuntur. Illud autē memorabile, has delationes senatum recepisse in summis tantum aerarij angustijs cōstitutum, quod scribit in oratione contra Nicomachum Lyfias. *Non ignorabas, senatum, cum satis pecuniarum ad res gerendas habet, nihil delinquere; cum vero in angustijs est deductus, cogi delationes recipere, & ciuim oratorumque bona publicare.*

Pertinuit illud etiam ad iudiciū, cognitionemque senatus, ut senatorēs, qui parum sanctē se gererent, à senatu demoueret. id quod, quia frondibus nomina senatorum inscriptis administratum est, propterea, teste Polluce, *ἐκφυλάττειν* dicebant, ut Aeschines de Timarcho senatore differens: *Si senatus, ubi hunc improbe fecisse statuerit, & frondibus eiecerit, etiā iudicio tradiderit, donate illum.* Item: *Post haec senatus in curiam ingressus eum frondibus expulit, suffragio vero retinuit, quod autem iudicio non tradiderit, id vero iniquo animo fero.*

Senatus praemium.

Atque hæc quidem huius senatus iura extiterunt. Præmiū vero ei non obscurum fuit, corona, quam si se egregie gessisset, & in primis si triremes nouas aliquot fecisset, à populo petere, atque accipere per legem potuit. quam legem affert aduersus Androtionē orator, cum ille de senatu corona donando, etiam non cōstruētis triremibus decretum ad populum pertulisset. Merces autem quædam pecuniæ summa fuit, quæ non senatui solum, sed etiam concioni, & iudicibus numerata est. Quod vno insigni maxime aduersus Timocratem loco ostenditur, in quo ita orator: *Lex est vobis. si qua alia, præclara, vt qui sacras, publicasque pecunias possident, in curia pendant; sin minus, vt senatus ab eis, legibus vsus telonicis, exigat. hæc igitur lege res cōmunes administrantur. si quidem quæ in conciones, & sacrificia, & senatum, & equites, & alias res pecuniæ impenduntur, huius beneficio legis abunde suppetunt. cum enim vectigalia non sufficiunt, quæ ad pensiones dicuntur, metu legis huius penduntur. quomodo igitur non omnes reip. partes dissoluentur, cum vectigalium pensiones non fuerint satis, neque hæc nisi in exitu anni capere liceat; senatus autem, & iudices, eos qui ad pensiones non soluant, vincendi potestatem non habeat? quid agemus? non conueniemus, nec deliberabimus, si opus erit? & amplius popularem statum retinebimus? non iudicabunt fora & priuata, & publica? non inbit senatus, & tractabit ea, quæ legibus continentur? at gratis scilicet hæc faciemus. quid vero iniquus est, quam si ex lege, quam tu mercede corruptus tulisti. populus, & senatus, & iudices mercede sua priuentur?* Hæc ille. Hanc ergo, opinor, consuetudinem Atheniensium inueniens Aristoteles, qui suos de rep. commentarios diligenti omnium rerum publicarum obseruatione, & maxime, si quis attendat, Atheniensis, confecisse videtur, scripsit, populare maxime esse, mercedem omnibus dare, concionibus, senatui, iudiciis, & magistratibus, & ex concionibus maxime ordinariis, & ex magistratibus in primis iis, qui vna esse, & inter se vesci quotidie cogentur.

## De concione.

## CAP. IIII.



Is expositis transeamus ad concionē, quam illi ἐκκλησίαν dixerunt, in qua populus tantas opes habuit, vt ab ea vna popularis resp. nomen inuenerit. nā concionis arbitrio vniuersum à Solone populare permissum erat imperiū. quod & intellexit Demosthenes, cū in oratione contra Neæram populū Atheniensem, omniū rerum, quæ sint in ciuitate, dominū esse, eundemque pro arbitrato de iis statuere posse scripsit, & res ipsa nemine etiā loquēte testatur. scilicet, quia ad senatū, & ad iudicia nisi forte peruenire nemo potuit: at cōcio omnibus, postea quā per ætatem in populariū cōciones relati tabulas essent, sine vlllo fortis beneficio paruit. idque potissimū ex instituto Solonis, qui, vt inquit Plutarchus, cū magistratus solis diuitibus tribuisset, concionem æque omnibus impertiuit. Est autē concio populi cōuētus legitime aduocatus rei alicuius publicæ causā suffragio suo aut iubēdæ, aut vetandæ. Quod autem dixi legitime, id habet hanc vim, vt & à magistratu legitimo aduocata, & die locoque legitimo habita, & reliqua, quæ cōtinentur in lege de habenda concione, seruata sint. quæ ipsa nos, quoad poterimus, ex infinitis propè vetustatis tenebris, dabimus operam, vt eruamus.

Cōcio quid.

Concionis præfecti.

Ac magistratus quidem, qui populi concionem regebant, erant prytales, proëdri, & epistata. Prytales erant ijdem, atque ij, qui in senatu prytalearum gerebant. Proëdri vero nouem erant, singuli ex singulis nouenis tribubus ijs, quæ in prytalearum non erant, sorte in singulis concionibus lecti. quod & Arpocratio tradit, & Aeschines in oratione de ementita legatione confirmat. *Lecti, inquit, legatis ad iusiurandum à Philippo de pace accipiendum concio habita est, in qua Demosthenes senator sorte lectus est proëdri.* & lex, quam recitat in Timocratea Demosthenes: *Proëdri, quibus sorte obtigerit, vt in ea concio-*

ne præsideant. Epistata vero alius fuit ab eo, de quo supra cognouimus. ille enim prytanum princeps fuit, hic proëdrorum; ille senatui præfuit, hic concioni; ille in diem magistratum obtinuit, hic in cas tantum horas, per quas concio habita est. Duos autem hos fuisse epistatas, vnum, qui lectus sit ex prytanibus, alterum, qui ex proëdri, atque illum quidem huius fortitioni præfuisse, hunc vero ab illo imperium accepisse, Arpocratio ex Aristotelis sententia aperte scriptum reliquit. postremis autem temporibus, quod scribit contra Timarchum Aeschines, lex noua lata est, vt tribus vnus fors duceretur, eaque in tribunali præfideret. Ac prytales quidem vt senatum, sic etiam concionem aduocandi ius habere. quod scriptum est apud Vlpianum in Timocrateam, & Pollucem libro viii. Proëdri vero qui ante prytales in concione sederunt, res, de quibus agendum erat, proponebant. quod in eodem commentario præcipit Vlpianus, cum inquit, satis constare, prytales coëgisse concionem, proëdros vero subiecisse, qua de re conuenissent, & Demosthenes in Mediana, cum legem iubere inquit, vt postquam proëdri retulerint de rebus ab archonte administratis, referant etiam de iniuriis in pompa alicui factis. & Aeschines in Timarchiana, cum ait: *Quomodo iubet lex proëdros referre? vbi solemnis expiatio, & precatio facta fuerit, iubet proëdros προχειροτονειν de sacris patrijs.* Epistata vero in eum vsus institutus videtur, vt cum prytales concionem coëgissent, proëdri rettulissent, ipse populo suffragium daret. Quod declarat Aeschines in accusatione Ctesiphontis: *Iubet lex, prytales concionem cogere, nomothetis inscriptis, epistatam autem proëdrorum suffragiorum potestatem permittere populo.* & Demosthenes, in Androtionis: *Qui præsidebant senatui, & qui hæc suffragijs committebat, epistata rogant, & populo suffragandi potestatem dederunt, cui dignus esse senatus premio videretur, & cui secus.* Tribus autem, quæ præsidebat, opem, vt inquit Aeschines, legibus, & populari statui aduersus improbos oratores afferebat. Cum ergo horum quasi imperio Atheniensis concio teneretur, hinc Demosthenes oratorio more in Aristogitonem decreta contra leges scribentem inuectus dixit, eum non à prythane, non à præcone, non ab epistata, non à præfidente tribu, quæ decima pars esset ciuitatis, coërceri potuisse. Præconis autem mentionem fecit, quia per præconem subiiciente scriba omnia prytanum, proëdrorum, & epistatæ edicta pronunciabantur. Ac per quos quidem conciones haberentur, & regerentur, expositum sit.

Conciones autē aut ordinariæ fuerūt, aut extraordinariæ. Illæ statis cuiusque prytanæ diebus habitæ sunt; hæ, vt res & occasio tulit, illæ de rebus certis, hæ de incertis; illæ ab vno magistratu semper, nimirū à prytanibus, hæ & à prytanibus, & à prætoribus; illæ proprio nomine ἐκκλησίαι, hæ κατεκκλησίαι, & σύγκλητοι ἐκκλησίαι dictæ sunt. Ordinariæ porrò quattuor in quaque prytanæ, auctore Polluce, habitæ sunt: prima, quæ κρηία dicta est, in qua magistratus rogant, an bene haberent, aut abrogarunt, & qui voluerunt, εἰσαγγελίας detulerunt, & bonorum publicatorum tabulas recitarunt ij, quibus hoc negocium datum erat; in secunda permissum est, vt quicumque vellet, de rebus priuatis, & publicis libere diceret; tertia præconibus & legatis data est, si modo ante prytanibus litteras reddidissent; quarta sacris est attributa. Quod autem scribit Pollux, illud totum ex libro de rep. Atheniensium Aristotelis est mutuatus. ex quo hæc recitat Arpocratio: *Quæ sint, inquit, κρηίαι ἐκκλησίαι, docet in Atheniensium rep. Aristoteles, cum scribit, prytales coëgisse senatū, & populum, & senatum quidem quotidie, nisi si vacatio aliqua esset, populum vero quater in singulis prytanæ, proscribunt autem, inquit, etiam κρηίαν ἐκκλησίαν, in qua magistratus abrogant, qui male gerere magistratum videantur, & de agri custodia agunt, & εἰσαγγελίας qui volunt, defertunt.* Vlpianus autem legem quandam antiquam exponens, singulis, inquit, mensibus ternas conciones rerum ciuiliū causā fuisse habitas, nisi forte aliqua belli necessitas coëgisset, vt aliæ quæque præter has vocarentur, primam fuisse vndecimo die mensis, secundā circa vi-

Cōciones ordinariæ, &amp; extraordinariæ.

Concionum  
dies.

cesimum, tertiam circa tricesimum. Lex autē hęc in Timocratea extat oratione. *Prima prytanea, vndecimo die in populo, votis à præcone nuncupatis, legū επιχρηστο-  
via fiat. primum senatoriarum, deinde communium, tum earum, quæ latæ sunt nouem  
archontibus, postea alijs magistratibus. diquisitio autem prior sit, cui videatur leges se-  
natorie sufficere, posterior vero, cui non videantur, deinde de communibus eodē modo.  
diquisitio vero legum fiat ex legibus, quæ extant. quod si quæ leges receptæ improbatæ  
sint, prytanes, quorum in magistratu diquisitio fiet, de improbatæ vltimam ex tribus  
habeant concionem. Quod si populo ordinariis concionibus omnibus perfuncto,  
graue aliquid, quod ad eius arbitrium pertineret, incideret, tum senatus summam  
decernendi potestatem habebat, vt ostendit in oratione de ementita legatione  
Demosthenes. Postquam, inquit, concio nulla restabat, legati vero nondum abierant,  
ego decretum scribo, cum senator essem, quod senatui populus auctoritatem permisit,  
vt primo quoque tempore legati proficiscantur. Atque ordinariæ quidem erant eiuf-  
modi, quemadmodum Vlpianus ad orationem de ementita legatione scriptum  
reliquit, vt ad eas vltro à nemine vocatus populus conueniret. extraordinariæ ve-  
ro, vt circumuentibus, & conuocantibus quibusdam repente haberentur. vnde in  
oratione de falsa legatione dixit Demosthenes: *Incerto adhuc rerum futuræ eue-  
tu cœtus, & sermōnes in foro multi habitū sunt; timebant videlicet, ne repente  
eos cōcō aduocaretur. & Aeschines de eadem: Philippo ex Macedonia egresso, plu-  
res conciones εν γυμνασιῳ cū timore, & tumultu coacti estis inire, quā legibus consti-  
tutas. Ha vero quia plerūque de bellō cogebantur, propterea à prætoribus habe-  
bantur, aut, si senatus mandasset, etiā à prytanibus. De prætoribus multa testimo-  
nio sunt, maxime autē decretū, quod est in oratione pro Ctesiphonte: *Mæsiophilo  
archonte εν γυμνασιῳ concione à prætoribus habita, & ex prytanum, senatusq; sententia  
decima die. Mæmaetionis abeuntis Callippus dixit. Hinc illud est: apud Diodo-  
rum libro x v. *Cum Philippus in Assicam irrupisset, eo nuncio accepto populus in  
theatrum conuenit summo mane à nullo magistratu, vt mos erat, vocatus. vt prætores  
venerunt, & eum, qui nuncium pertulerat, producerunt, & ille dixit, silentium, &  
stupor incredibilis consequutus est, vt nemo loqui auderet. de prytanibus vero Aeschi-  
nes auctor est, qui in oratione contra Ctesiphontem Demostheni obiecit, quod  
decretum in senatu scripserit, vt prytanes concionem haberent octauo die mensis  
ineuntis Elaphebolionis, cū Aesculapio res diuina fieret. & in oratione de emen-  
tita legatione, quod decretum scripserit, vt prytanes post Dionysia vrbana, & in  
theatro Dionysij duas proscriberent conciones, vnam octauo decimo, alteram  
nono decimo die.****

Concionum  
locus.

Locus porro concionum fuit diuersus. si quidem & in foro, & in Pnyce, & in  
theatro habitæ sunt. De foro testis est Arpocratio, vbi de voce πρυτανῶν differit,  
qui prisca temporibus concionem in foro habitam esse narrat, eaque de causa  
tam concionem ἀγορῆν esse appellatam. de Pnyce, & teatro Pollux, qui scribit  
concionem olim habitam esse in Pnyce, deinde in teatro Dionysiacō. Pnycis au-  
tem mentio est etiam in lege Solonis, vt est in oratione contra Ctesiphontem: *Le-  
gislator iubet in populo, in Pnyce concione renunciari, qui à populo coronetur, alibi  
vero nequaquam. Pnyx vero aut à consultorum, aut à subcelliorum densitate, quæ  
πυκνότης dicitur, nomē, teste Arpocratio, inuenit. Hinc Thucydides libro octa-  
uo, *Athenienses, inquit, concionem aduocarunt; vnam extemplo in Pnyce, vbi alius  
etiam soliti erant, in qua cum Quadringentos abrogassent, quinque milibus remp. tra-  
dendam esse decreuerunt. habitæ sunt alie quoque pnyce conciones, in quibus & no-  
mōthetas, & alie in remp. reduxerunt. Fuit autem, vt scribit Pollux, locus antiqua  
simplicitate non in theatri magnificentiam fabricatus, in quo fuit suggestum, ex  
quo ad populum agebatur, & quidem ad mare versum, quod maritimam turbam  
fundamentum esse popularis imperij, vt narrat in Themistocle Plutarchus, arbi-  
trarentur. De teatro vero Dionysij elicitur etiam ex lege, quam recitat Demo-  
sthe**

Athenes aduersus Mediā: *Prytanes concionem cogunt in teatro Dionysij, post die  
in Pandione. & ex decreto eiusdē in oratione de mentita legatione: Placuit vt post  
Dionysia vrbana, & in Dionysij teatro conciones duas prytanes proscriberēt. Atque  
hęc quidem duo loca concioni habendæ fuere solemnia, extra ordinem vero &  
in Piræo, & in Colono, & in Munichia habitas esse Demosthenes in ea, quam mo-  
do dixi, oratione, Thucydides libro octauo, & Lyfias in oratione contra Agora-  
tum demonstrarunt.*

Moris præterea fuit, vt antequam concio cogere, πρόγραμμα præferretur, id  
est res, qua de agendum esset, proscriberetur, vt omnibus in concionem venienti-  
bus, quo de consulendi essent, pateret. quod Vlpianus ad primam contra Philip-  
pum, & ad eam, quæ est de ementita legatione, notatum reliquit; & voluisse De-  
mosthenes videri, cum in eadem oratione dixit: *Proscriptum autem erat, Præto-  
ribus, & legatis; & in Timocratea: Cum de legibus agendum est, proscribendum est,  
Nomothetis; & Andocides in oratione de mysterijs: Erat concio prætoribus, qui in  
Siciliam mittebantur.*

Vt autem nemo concionem inire poterat, qui non in tabulis concionalibus  
scriptus esset, sic si quis ex iis eò non veniret, aut ægre veniret, multis rationibus  
cogebatur. vt apud interpretem Acharnensium scriptum est. *Nam & vela, in-  
quit, laxarunt, & vias, quæ in forum non ferebant, obstruxerunt, & venalia ex foro  
remouerunt, ne circa ea tempus tererent, & tincto fune circumscribentes eòs in concio-  
nem, compulerunt. Quod autem vela ille laxata scribit, ab Arpocratio exponitur.  
Omne integumentum, inquit, siue ex pelle, siue ex alia materia γέφυρα dicebatur. Demo-  
sthenes autem in oratione pro Ctesiphonte ait, *accepto nuncio de Elacia capta  
prytanes ex medio conuiuio surgentes, eos qui in tentorijs, quæ in foro sunt, versaban-  
tur, exegisse, & γέφυρα, id est vela, incendisse, ne in foro circa venalia conuenirent; ne-  
que alia de re moram traherent. in oratione vero contra Nearam inquit, *in donan-  
da ciuitate iubere legem, prytanes ponere vrnas, & suffragium dare ingredienti po-  
pulo, antequam peregrini introeant, & vela tolerare. quod aut idē est cū loco oratio-  
nis pro Ctesiphonte, aut aliquid eiufmodi suspicandū est, prytanes ciuibus in cōcio-  
ne sedentibus suffragiū dedisse ante peregrinorū ingressum, & antequā tollerētur  
obices, id est priusquam in concionem laxarentur cuiuslibet dicere cupienti. Hęc  
Arpocratio, ex quibus apparet, ne illum quidem, quæ γέφυρα essent, satis secū con-  
stitutū habuisse. Quod autem interpretes dixit, fune tincto populum in concionem  
esse compulsum, id ipsum ab eodē alio loco ita declaratur, *Quoniam, inquit, A-  
thenienses ægre conueniebant in conciones, soliti erant duo ministri funem coccino tin-  
ctū per forum extendentes turbam in concionem cogere; qui vero tincti erant, mul-  
tā pendebant. & à Polluce, cum scribit, qui in concionem non venissent, eos à  
Lexiarchis multatos, & fune tincto per sagittarios in concionem esse compulso.****

In sedendo autem prytanes, proëdri, epistatæque prima tribunalis sedilia occu-  
pabant, eaque proëdria dicebatur, vt ostendit Dinarchus contra Aristogitonem: *Non ne hic arario debere conuictus in proëdria prytanum assedit? & Aeschines con-  
tra Ctesiphontem: Cum per annum senator fuisset Demosthenes, nullos vquam lega-  
tos in proëdria vocauit, sed tum primum legatos apposto puluino, circumstratæque  
veste punicea in proëdria collocauit. Hinc in Acharnensibus veteris expressor moris,  
ac disciplinæ facetissimus comicus ita scripsit: *Nunc cum esset concio κύβητος, summo  
mane deserta erat ipsa Pnyx, qui vero in foro versantur, nugatur, atq; in inferiorē, &  
superiore parte fune tinctum fugiunt. neq; prytanes veniūt, nisi in iuste, deinde dū  
veniūt, vrgent se inter se ob primū sedile, quia vna consistunt. Populo autē conuocato  
cōcionis initiū ab expiatione concionis, & votorū susceptione, & detestatione ca-  
piebatur. Ac de expiatione quidē proditū est in cōmentario Acharnensium in hūc  
modū: *Moris fuit Atheniensibus maestare porculum, & subsella sanguine illius im-  
buere in honorem Cereris, quia fruges eius lædit. itē: Qui in concione erant, expiaban-  
tur***

Quomodo cō-  
cio proscribe-  
batur.Quomodo in  
concione ve-  
nient, aut  
cogentur.Quomodo in  
concione præ-  
selli sederēt.Sacra Con-  
cionis.

tur mactato porculo, unde Aeschines dixit; postea quam piaculum circumlatum erit, & praeo patria vota fecerit, tum iubet lex ad populum agi. immolatus vero ad expianda loca porculus καὶ θάρα dicebatur, & qui expiabat, καὶ δαετὴς; Aeschines vero contra Timarchum καὶ θάρα vocat. Et in expositione Concionatum: Peristarchus praerat in expiationibus. dicebatur vero περισταρχος, quia expiationes dicebantur περιστα. item Pollux, qui peristarchos expiasse porculis minutulis concionem ait. De voto rum autem nuncupatione cognoscitur ex lege, cuius meminit Demosthenes contra Timocratem, in qua haec sunt: Prytanea prima, die undecimo, in populo, votis & praecone nuncupatis, disquisitio fiat legum. Lex autem, ut inquit superiore oratione Dinarchus, praconem cum bona ominatione precari iubet, ut populo de rebus à diis consilium traderetur. Cum votis porro ex ratio quoque coniuncta fuit, ut ex oratione Demosthenis de ementita legatione colligitur. Recita execrationem, inquit, ex lege. Execratio. haec pro vobis, Athenienses, in singulis concionibus praeco precatur, quae constituta lege sunt. Videtur autem execratio huius sententiae fuisse, quantum ex iis, quae apud eum sequuntur, verbis elicitur; ut qui contra remp. sensisset, dixissetve, ipse cum gente, domoque sua à diis euerteretur. Vnde Dinarchus eadem in causa dixit, in vnaquaque concione detestationes aduersus improbos homines factas, Si quis donis acceptis diceret, ac decerneret de rep. cum pesti deuotum esse.

Qui ad concionem ferrent.

His rebus rite peractis, proedri, qua de re consuleretur populus, proponebant, de qua si quod senatus praconsultum extaret, illud primum populo recitabant, deinde, an satis id esset, an suffragatio adiungenda esset, rogabant. quorum illud declaratur ab Aeschine in oratione de ementita legatione, cum ait: Aleximachus dat legendum proedris decretum. hoc vero à Demosthene contra Timocratem, cum inquit: *Indicauit, accessit ad senatum, praconsultum scriptum est, post haec habita concione populus προχειροτόνησεν;* & iterum ab Aeschine contra Timarchum: *Postquam expiatio, circumlata fuerit, & praeo patria vota fecerit, lex iubet, proedros προχειροτόνην de sacris patrijs.* Erat autem, ut supra dixi, προχειροτομία, cum senatus praconsulto ad populum delato, ante à populo statuebatur, an opus esset de rebus propositis populum consuli, an senatus praconsultum satis valeret.

Qui sententias in concione dicebant.

Quod si se de proposita re consuli populo placuisset, tum praeco proedrorum iussu ciues omnes ad dicendam de rep. sententiam inuitabat, clara voce rogans, num quis sententiam dicere vellet ex iis, qui supra quinquaginta annos nati essent. Ostendit Demosthenes pro Ctesiphonte: *Postridie, summo mane prytanes senatum vocant in curiam, vos vero in concionem venistis, & antequam ille ageret, & praconsultaret, totus populus in superiore parte sedebat. post haec autem ut senatus ingressus est, & prytanes, quae ad se delata erant, exposuerunt, & eum, qui venerat, produxerunt, & ille loquutus est, praeco interrogauit, quis loqui vult? nemo vero processit. sepe vero praecone rogante, nemo tamen surgebat neque oratorum, neque praetorum, cum communis patriae vox citaret, qui de salute diceret. quam enim praeco ex legibus vocem mittit, hanc communem patriae existimare oportet.* & Aeschines contra Ctesiphontem: *Conticuit pulcherrimum illud edictum in ciuitate: quis loqui vult eorum, qui supra quinquaginta annos nati sunt, & deinde ex alijs ciuibus? ite: Cuperem ego & senatum Quingentumuirum, & conciones à praefectis ipsarum recte gubernari, & leges, quas tulit Solo de oratorum modestia, vigere, ut liceret primum maximo natu ciuim ita ut legibus sancitum est, modeste suggestum ascendenti sine tumultu optimum ciuitati consilium dare, deinde & ex alijs ciuibus, qui vellent, seruato aetatis gradu separatim de quaque re sententiam suam exponere.* Iussu vero proedrorum hoc factum dixi quod idem in oratione de ementita legatione negat, se in posteriore de pace concione dicere potuisse, proedris dicendi copiam adimentibus.

Quaquam autem ciues omnes inuitabantur, non omnibus tamen sententiam in concione dicere licuisse, ex lege liquet, qua Solo impudicos, militiae desertores, impiol

impiolque à suggesto remouit, ut idem in eadem actione docet, cum inquit: *Legislator aperte ostendit, quos oporteret in concione dicere, & quos non, neque à suggesto reijcit, si quis non ex maioribus praetorij natus sit, nec si quis opificium aliquod victus necessarij causa exerceat, sed eos maxime amplexatur, & propterea saepe rogat; quis loqui vult? quos vero non putauit dicere oportere? qui parentes percusserint, aut non iuerint, aut tecto non exceperint, qui turpe vitā egerint, qui stipendia imperata nō fecerint, qui scutū abiecerint, qui muliebria passi sint, qui patrimonium dilapidarint.* Quin etiā in prima aduersus Aristogitonē, qui arario deberent, eos dicendae sententiae iure vacuos fuisse, Demosthenes inquit. Suggestum autem nominavi, quia qui dicturi erāt, ij suggestum ascendebant, ut ex superiore loco agentes comodius audirentur. vnde Aeschines contra Ctesiphontem obiicit Demostheni, quod occupauerit suggestum, & nemini locum ad dicendum reliquerit: & ille alter pro Ctesiphontem respondet: *Si qui saluam remp. volebant, procedere oportebat, vos omnes, & reliqui Athenienses surgentes in suggestum ascendissetis.* Atque haec eadem omnia de praconsulto, & concione, & dicendarum sententiarum more vno etiam Medianae orationis loco planissime demonstrantur: *Postquam milites Tamynis circumsederi nunciatum est, & senatus praconsultum fecit, ut omnes equites, e quibus hie erat Medianas, exirent, hic hanc veritus militiam in posteram veniens concionem, antequam proedri sederent, triremem pollicitus est. ut autem in concione, verbis factis, equitibus opus non esse intellectum est, triremem ipse non conscendit, sed alterum praefecit.*

Dictis sententijs, deinceps decretum scribebatur, atque suffragijs populi committebatur. Scriptum ostendit Plutarchus, cum inquit, reclamante, & vincente Alcibiade, Demonstratum oratorem scripsisse, oportere praetoribus summum imperium apparatus, & totius belli concedere. Suffragijs autem mittebat epistata, ita ut per praconem populum, quid ei videretur, rogaret, eumque ad decretum suo suffragio aut sciscendum, aut antiquandum inuitaret. quod illi ἐπιτάστατον τὸ ὑψίστου, & διδόναι διαχειροτομίαν τὸ δῆμον dicebant. Atque hoc, ut supra dixi, in Androtiana ostendit Demosthenes, cum inquit: *Qui senatus praesidebant, & qui haec suffragijs mittebat, epistata, interrogarunt, & iubendi facultatem dederunt.* item: *Haec interrogauit epistata, iussit populus, placuit. non est hic opus, inquit, praconsulto senatus.* & Aeschines in Ctesiphontea: *Iubet lex prytanes cogere concionem, proscriptis nomothetis, epistatam vero proedrorum iubendi facultatem populo dare.* Iussu tamen aut voluntate proedrorum in hoc epistatam munere esse versatum, Vlpianus videtur innuere, cum in Medianae commentario scribit, proedrorum officium fuisse, interrogare populum, an de re proposita ei statuere placeret, item proedros rogasse populum per praconem, vellet ne se ea de re consuli; atque omnino sine proedris populum nulla de re statuisset. pariterque Aeschines in eadem, cum ait: *Nunc vero scribunt facile quidam sententias contra leges, atque decreta. nonnulli alij suffragijs committunt, qui non iuste sed coitione proedratum adepti sunt.* & de falsa legatione: *Aleximachus decretum proedris legendum praebet, quo lecto ex proedris surgens Demosthenes negat, se decretum populi suffragijs commissurum.* & Plutarchus, cum Aristidem narrat saepe suscepta sententia destitisse, cum interrogaturo populum proedro ex verbis factis decreti sui vitium cognouisset.

Suffragium vero fuit manuum porrectio, quam illi χειροτομίαν dixerunt, & ad leges iubendas, & magistratus quosdam creandos, & decreta sciscenda de rep. adhibuerunt. Quare scripsit Vlpianus in Medianam, proedros rogasse populum, an ei placeret, illum vero manus sustulisse. & Xenophon rerum Graecarum libro primo, concio, inquit, dimissa est, quia aduerspera secebat, nec manus dispicere potuissent. & Andocides in oratione de pace: *Nos legati vos omnes legatos facimus o Athenienses. quicumque manum sustulerit, ille legatus erit suae voluntatis, pacem ne, an bellum malit.* & Cicero pro Flacco: *Sic sunt expressa ista praecleara, quae recitantur, psephisinata, non sententijs, neque auctoritatibus declarata, nec iureiurando constricta, sed porri*



porrigenda manu, profundendoq; clamore multitudinis concitata. & post: Porrexerunt manus psephisma natum est. Ex quo apparet, quod pluriū manibus esset acceptum, id à populo iussum, sancitumque fuisse. An vero alius fuerit suffragij ferendi modus, post dicemus. Vbi vero populus suffragia tulerat, tum proëdorum aliquis ea populo renunciabat, quod aperte ex orationis exordio contra Ctesiphontem intelligitur: *Si quis aliorum senatorū rite proëdri factus sit, & vestras xegero-vias renunciarit, huic iudicium comminantur.*

Quomodo concio dimittitur.

Illud autem prætereundum silentio non videtur, si interea, dū populus in concione sedebat, signi aliquid è cælo apparuisset, concionem dimitti, & in alium diem indici à prytanibus solitam. cum enim apud Aristophanem in Acharnensibus Dicæopolis dixisset, *Veto, ne concio habeatur Thracibus, quia signum à Ioue dicitur, & gutta me tetigit, ac præco subiecisset: Thracas abire dico, adesse vero in vltimum diem, quia prytanes soluant concionem:* notauit interpres, obseruasse Athenienses Iouis dies, & conciones signo à Ioue facto diremissæ. fuisse autem Iouis signum, quam illi *Διοσημείων* vocarūt, intempestiuam tempestatem; dissoluta autem concione rursus conuocatos esse, cum iisdem de rebus sciscere cuperent.

Decreti scribendi ratio.

Decreti porro scribendi ratio ea fuit, vt oratoris potissimum, aut senatoris, qui censeret, & tribus, quæ in prytaneatu esset, ei nomen affigerent. vnde contra Timarchum scriptū est: *Talibus oratoribus in populi sententias inscriptis.* & pro Ctesiphonte: *Archonte Mnesiphilo, Ecatombæonis vltimo, & nouo, Pandionide tribu prytaneatum gerente, Demosthenes Paaniensis censuit.* & apud Plutarchum in Lycurgo: *Anaxicrate archonte, in prytanea Antiochidis Stratocles Euthydidæ filius censuit.* & alia eiusmodi multa.

Vt autem senatus scita, antequam ad populum perferrentur, præconsulta, sic postquam à populo accepta fuerant, decreta, vel vt ludens in Græcos Cicero dixit, psephismata nominata sunt. in quibus scribendis illud summo studio providendum fuit, ne quid afferrent, quod aut receptis Solonis legibus aduersaretur, aut in iis ferendis legum præcepta violarent, quæ ab eodem describendorum decretorum ratione fuerant datæ.

Quibus, de rebus concio statuerit. De legibus.

His expositis, nunc quæ potissimum res populi arbitrio, iudicioque permittæ sint, exponamus. neque enim actum est eodem modo de omnibus. Atque vt à legibus, quæ præcipua populi cognitio fuit, exordiamur, satis constat, legibus veteribus, siue quæ senatoribus, siue quæ magistratibus essent latæ, recognoscendis, primam, vt ante diximus, concionem esse dicatam. abrogandis autem, & nouis in earum locum iubendis aliam. verum legum veterum abrogandarum, nouarumq; instituendarum ius non vniuersæ concioni, sed meliori populi parti communicatū est, qui *νομοβηται* sunt appellati. Sunt autem hoc loco Nomothetæ, nō qui nouas leges reip. scripserunt, quomodo Draconem, Solonem, Clisthenem, & Periclem nomothetas vocarunt, sed præcipuum prudentum consilium, qui in concione leges ad se perlatas suo iudicio aut probarunt, aut repudiarunt. Solon enim cum remp. satis multis legibus stabilisset, eas tamen, si vsus postularet, corrigi, & abrogari posse voluit, si pro iis nouæ aliæ meliores, commodioresque essent illatæ. instituitque vt ex vniuerso populo homines, certo præditi numero, sorte, vt scribit ad Leptinianam Vlpianus, legerentur, qui iureiurando Heliastico, de quo postea dicemus, obstricti, & mercede affecti, huic cognitioni in concione operam darent. Atque hoc potissimum leges ipsæ Solonis, quæ in Demosthenis, & Aeschinis orationibus recitantur, ostendunt. quarum vna in Timocratea eiusmodi est: *Prima prytanea, die vndecimo in populo, votis à præcone nuncupatis, legum antiquiorum fiat primum senatoriarum, deinde communium, tum earum, quæ nouem Archontibus latæ sunt, tum alijs magistratibus. disquisitio vera prior sit, cui sufficere leges senatorie videantur, posterior vero, cui non videantur. deinde de communibus eodem modo. disquisitio vero fiat ex legibus, quæ extant. quod si quæ leges receptæ improbatæ sint,*

pryt

prytanes, quorum in magistratu disquisitio fiet, de improbatæ, vltimam ex tribus concionem habeant. proëdri vero, qui sorte in ea concione præfederint, necessario referant, primum post sacra de nomothetis, quomodo consistant, & vnde nomothetis slips suppetet. nomothetæ vero sint ex ijs, qui iusurandum Heliasticum iurarint. Quod si prytanes, prout scriptum est, concionem non habuerint, aut proëdri, prout scriptum est, non rettulerint, prytanum quisque mille drachmas Mineruæ dare damnas esto. & indicatio eorum sit apud Thesmothetas, non aliter, atque cum quis magistratum gerit, cum arario debet. Thesmothetæ vero indicatos introducunt in forum ex lege, alioquin ne ascendant in Areopagum, vt qui legum emendationem peruerterint. ante concionem vero Atheniensis, qui legem ferre velit, proponat ante Eponymos scriptas leges, quas ferat, vt pro multitudine propositarum legum de tempore decernat populus nomothetis. qui vero nouam legem fert, describens in album, proponat ante Eponymos quotidie, donec concio habeatur. legantur autem ex populis, qui leges suasuri sunt, quæ inter nomothetas abrogentur, quinqueuiri ex Atheniensibus omnibus, die vndecimo Ecatombæonis mensis. Atque hanc quidem legem laudibus efferens Demosthenes in hæc postea capita redegit. *Lex primum, inquit, vobis disquisitionem concedit, vtrum lex noua sit inferenda, an quæ sunt, sufficere videantur. post vbi decreueritis inferre, non subito ferre iubet, sed tertiam concionem assignat. neque vero in ea ferre concedit, sed considerare, quomodo nomothetæ consideant. interea vero iussit, vt qui inferre leges vellent, ante Eponymos proponerent, vt, qui vellent, possent & considerare, & quod vobis inutile perspicerent, enunciare, & per ocium contradicere.* Huic autem legi paullo post alteram multo breuiorem, atque apertiolem adiungit eiusmodi: *Legum, quæ sunt, nullam tollere ius sit, nisi inter nomothetas: tum vero Atheniensi, qui velit, tollere licet, cum alteram aliquam ferat pro ea, quam tollat. proëdri vero manuum suffragia de his legibus permittant, primum de ea, quæ extat, an videatur commoda populo Atheniensi, an non; deinde de ea, quæ rogatur. vtram vero acceperint porrigendis manibus nomothetæ, ea rata esto. contrariam vero legem ne ius sit ferre legum, quæ extant, vlli quod si quis tollens aliquam legum, quæ extant, alteram pro ea reposuerit populo Atheniensium parum commodam, aut ijs, quæ extant, contrariam, accusatio eius esto ex lege, quæ est, si quis parum commodam legem tulerit.* Atque hæc eadem etiam in actione Leptiniana sunt, vbi orator aperte has leges omnes Solonis esse ostendit. His adiungitur etiam Aeschinis in accusatione Ctesiphontis auctoritas: *Tulit Solo, vt Thesmothetæ quotannis emendarent in publico leges, diligenter examinantes, an altera alteri contraria, an inter ratas irrita aliqua esset, an plures leges vna de eadem re scriptæ essent. & si quid tale inuenissent, describentes in tabulas, iussit ante Eponymos proponere: prytanes autem concionem, proscripto NOMOTHEtis, habere: epistatam autem proëdorum manuum suffragia populo concedere, & alias tollere, alias relinquere, vt vna lex esset de actione vna, non plures.* Hæc autem legum inter nomothetas ferendarum consuetudo cum vsque ad Quadringentorum dominatum incolumis permanasset, prorsus cum Solonis rep. & extincta, & eorum imperio abrogato, vna cum eadem pariter est reuocata. quod cum Thucydides grauissimus auctor libro octauo mandauit, tum ex decreto etiam Tisameni intelligitur, quod post annis septem, remotis à rep. triginta tyrannis, scriptum est in hæc verba, vt inuenio in oratione de mysteriis apud Andocidem: *Placuit populo, Tisamenus censuit, rempub. gerere Athenienses patrijs institutis, legibus autem vt Solonis, & Draconis, quibus antea utebantur; quibus autem opus fuerit, eas lecti à senatu nomothetæ describant in tabulas, & proponant ante Eponymos ijs, qui velint, considerandas, & tradant magistratibus in hoc mense. traditas autem leges probet prius senatus, & nomothetæ quingenti à populis editi, vbi iurarint. liceat autem priuato curiam ineunti de commodo legum agere. postquam latæ fuerint leges, det operam senatus Areopagi, vt latæ legibus magistratus vtantur. confirmatas vero leges describant in parietem, vbi prius descriptæ erant, considerare volenti. Leges*

*hoc decreto probata, & confirmata in porticu sunt descripta. Tum lata lex est, ne non scripta lex ad rem aliquam, sed superscripta leges adhiberentur. decretum autem nulli neque senatus, neque populi firmitus lege esset, neque in unum legem ferre liceret, nisi eadem in omnes Athenienses ferretur, & ut legibus, quae essent post Euclidem Archontem, vterentur.* Atque hoc quidem modo cum vetere Solonis rep. prisca etiam legum ferendarum consuetudo est renouata. Quam Demosthenes, ut video, retinens, cum post aliquot annos nouam de trierarchis legem inferre vellet, veterem Solonis ante ea de re legem sustulit. quemadmodum ipse in oratione pro Ctesiphonte scriptum reliquit. Timocrates autem legem rogaturus tulit, ut Prytanes Pandionis Nomothetas in sedibus collocarent, nomothetae vero essent mille, & vnus ex iuratis. Ac de legum quidem cognitione haec dicta sunt. Sacra vero ex Solonis illa, de qua dixi, lege in tertia concione tractata sunt, aut, ut scribit Pollux, in quarta.

De sacris.

De magistratibus.

Ut autem magistratus quosdam, praetores, hipparchos, phylarchos, & taxiarchos crearent, & creatos, an egregie se gererent, explorarint, & abrogarint, postea demonstrabimus.

Nam legatos a senatu, populoque decretos, & lectos, ostendit Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, cum ait, placuisse populo, ut legati ad Philippum de nauibus recuperandis legerentur, iisque mandata darentur. & in ea, quae est de ementita legatione, cum inquit, Aeschinem neque senatus, neque populi suffragio lectum, legatum ad Philippum esse profectum. Legatos item exterarum gentium ad populum productos, & in concione tertia auditos, tum apud Pollucem, ut diximus, tum in historiis saepe, ut apud Thucydidem, legimus.

De bello &amp; pace.

De bello item, pace, & foederibus cum populo actum esse perspicuum est. Videmus enim bellum cum Lacedaemoniis Atheniensem populum decernere auctore Pericle apud Thucydidem; pacem autem iubere apud Demosthenem in ea, quam modo commemoravi, oratione. si quidem inquit: *Nam praeter cetera, quae attulit in priora concione, in qua de pace statuebatis, pacem dissuasit: in posteriore vero, in qua pacem confirmare oportebat, Philocrati se adiunxit.*

De praemijs benemeritorum.

Iam vero populi praemia fuerunt, ciuitatis, immunitatisque largitio; praeterea coronae, proedriae, statuae, & victus in Prytaneo. quos honores ut primis temporibus raros, ac tenues, populus detulit, sic postremis prope infinitos, atque effulos bene de se meritis exquisiuit. cuius rei documento potest esse Miltiades, cui hoste acerrimo a ceruicibus patriae, Graeciaeque repulso ea, teste Probo, gratia est relata, ut in porticu, quae Pœcile vocabatur, cum pugna depingeretur Marathonica, in decem praetorum numero prima eius imago poneretur, iisque hortaretur milites, praeliumque committeret. Quapropter iure queri videtur in or. de syntaxi Demosthenes, praetoribus vulgo statuas collocari, quas maiores sui neque Miltiadi, neque Themistocli statuissent, qui maximis remp. periculis liberaissent, atque externis hominibus temere ciuitatem concedi, cum maiores Menoni Pharsalio, & Perdicae Macedonum regi, quorum singularia fidei, & beniuolentiae erga remp. officia extitissent, non ciuitatem, sed immunitatem tantum tribuissent; nimirum, quod ciuitatis Atheniensis communicationem nimis amplum, atque omni beneficio maius praemium esse statuerent. in quam sententiam illa etiam in accusatione Nearae scripta reliquit: *Populus Atheniensis, cum sit omnium rerum, quae sunt in ciuitate, dominus, cumque possit facere, quod lubet, adeo magnificum munus esse, Atheniensem facere existimauit, ut leges condiderit, quomodo ciues efficere oporteat. Lex autem est populo: nemini ferri Atheniensem licere, qui non de populo Atheniensi bene meritis dignus ciuitate videatur: etenim ubi persuasus erit populus, & donum dederit, adoptionem ratam esse non sinit, nisi suffragio occulto postero die supra sex millia Athenienses decreuerint. Prytanes autem iubet lex vrnas ponere, & suffragium ingredienti populo dare, antequam peregrini introeant, & vela tollere, ut cum sui quisque sit dominus, eum, quem ciuem est facturum, intueatur, an dignus sit, qui dono ciuitatis afficiatur.*

De ciuitate.

Immunitates

Immunitates autem cum a populo donatas dicimus, liturgiarum maxime vacationes intelligimus, qua de ratione post vberius disputabimus. De immunitate.

Iam coronas a populo virtutis, & beneuolentiae ergo, quam erga populum Atheniensem haberent, esse concessas, locupletes testes sunt duae inter se contrariae de Ctesiphonte orationes. De coronis.

Proedriae vero cum alij, tum in Equitibus Aristophanes meminit. quem in locum interpres scribit, qui eiusmodi genus consequuti honoris essent, eos & in curia, & in concione, & in theatro, & in alijs eiusmodi conuentibus omnibus, qui loca occupassent, dimouendi, atque ibi affidendi habuisse. Vnde Plutarchus Democharem Demostheni donum a populo narrat petiisse, aeneam statuam in foro, & victum in Prytaneo, & proedriam ipsi ac posterorum eius natu maximo. De proedrijs.

De statujs autem, & victu publico in Prytaneo auctoritas extat Demosthenis in oratione de falla legatione: *Alicui ne legatorum, quos misit Philippus, aeneam statuam in foro collocabit? quid? dabitis ne in Prytaneo victum, aut aliud aliquod donum, quo bene meritis excolitis? non opinor.* & ad Polyclem: *His auditis populus me collaudauit, & ad prandium in Prytaneo vocauit.* Itaque in decreto de honoribus Lycurgi apud Plutarchum haec sunt: *Placuit populo, ut bene meritis gratia referatur, laudare Lycurgum Lycophronis filium Butadem, virtutis, & iudiciae ergo, & populum statuam ei aeneam in foro collocare, praeterquam ubi lex erigi prohibet, victum vero praebere in Prytaneo in perpetuum posterorum Lycurgi natu maximo.* & apud Isaeum de hereditate Dicæogenis: Hamordij posteris victum publicum, proedrias, & immunitates esse concessas. Praeter haec vero iudicia etiam quaedam a populo facta esse comperio, ut earum caussarum, quae εἰσαγγελία, & earum, quae προβολαί dictae sunt. Ac εἰσαγγελία quidem quorum criminum fuerint, supra diximus. Haec vero tum ad senatum, tum ad populum, & quidem in prima concione, teste Polluce, delatae sunt. Itaque cum Alcibiades de mysterijs enunciatis ad populi iudicium est adductus, eo genere accusationis, ut scribit Plutarchus, est oppugnatus, quod εἰσαγγελία vocatur. In hoc autem genere accusationis populus fabis albis, nigrisque sententiam suam declarauit, illis quidem ad absoluendum, his vero ad condemnandum. vnde apud eundem Alcibiadis illud admodum scitum est, qui, cum iudicium declinasset, quaerente de eo quodam, non credis patriae ipsum de te iudicium o Alcibiades? *in ceteris, inquit, credam: de capite vero meo ne matris quidem, ne forte imprudens nigrum pro albo calculum ferat.* Iam vero de actione ea, quae προβολαί dicta est, recitat legem aduersus Mediam ille noster: *Prytanes concionem habento in Dionysi, postridie in Pandione, in ea vero agunto primum de sacris. deinde προβολαί tradunto pompae caussa factas, ut ludorum Dionysiacorum, quae transactae non sint.* Est autem προβολαί actio, quae praecipue in eum intendebatur, qui in festis, ludisque alteri contumeliam, aut iniuriam intulisset. Quo iudicio Mediam Demosthenes infectatus est. De statujs & victu in Prytaneo.

Imperij autem abrogationem non manibus palam tollendis, sed suffragijs occulte ferendis adhibitam, idoneus esse Plutarchus testis potest, qui scribit, Periclem incitati populi iracundiam non ante placasse, quam ille sumptis in manus calculis eum praetura spoliarit, pecuniisque multarit. Atque haec quidem ex ordine. Concionis iudicia.

Extra ordinem vero iudicium constitutum est in praetores, qui in Sicilia ciuium cadauera e mari non collegissent. de quibus & in senatu, & ad populum actum, eumque & manuum porrectione, & occulto suffragio sententiam suam declarasse tradit Graecarum rerum libro I Xenophon, cuius verba ipsa, quia mire ad veterem hanc senatus, populique in decernendo consuetudinem illustrandam valent, proponam. *Post haec, inquit, exposuerunt in senatu praetores de nauali pugna, & magnitudine tempestatis. Timocrate autem censente alios etiam vincitos populo esse tradendos, senatus eos in vincula tradidit. deinde concio fuit, in qua cum alij, tum Theramenes in primis praetores accusauit, cum equum esse diceret, eos rationem reddere, cur cadauera e mari non collegissent, & miserunt praetores ad senatum, populumque;*

nihil aliud, quam tempestatem, incusantes. post hæc prætores pauca pro se quisque dixit (neque enim causa ex lege acta est) & populum persuaserunt. Volebant autem priorum plerique surgentes spondere. at placuit rem in alteram concionem differre (tum enim serum erat diei, neque manus dispicere potuissent) senatum autem præconsultum facere, quoniam modo de viris iudicare oporteret: deinde concionem habuerunt, ad quam senatus sententiam suam detulit, Callixeno eam pronunciante, ut Atheniensibus omnibus per tribus hydriae duae apponerentur, & in una quaque tribu præco pronunciarer, cui peccasse prætores viderentur, in priorem ferret, cui secus, in posteriorem. quod si peccasse visus essent, capite mulctarentur, & viri traderentur, & bona publicarentur, decima vero Dea esset. tum processit in concionem quidam, qui Callixenum contra leges scripsisse asseruit. vulgus autem elamabat, indignum esse, populo, ut pro arbitrio ageret, non concedi. & super his dicente Lycisco, eos eodem suffragio iudicandos esse, quo prætores, nisi populo concionem permitterent, rursus vulgus obstrepuit, & coacti sunt citationes recipere. prytanibus autem negantibus se suffragationem contra leges daturus, rursus Callixenus ascendens eos his de rebus accusauit. illi vero clamabant, ut eos, qui negarent, citarent. Quo metu percussi prytanes omnes assenserunt, præter Socratem Sophronisci filium. ille vero negauit, se nisi ex lege facturum quidquam. Euryptolemus autem sententiam scripsit secundum Canonis decretum, ut de singulis separatim iudicaretur. atque ita primum de sententia Euryptolemi iudicium tulerunt, deinde de senatus, & post hæc prætores octo capite condemnarunt.

**Ostracismus.** Inter cetera vero populi iudicia refertur etiam ostracismus. Hunc Heraclides ab Hippia tyranno, Pisistrati filio, aduersus eos, qui tyrannidem appetere, institutum scribit: Ælianus vero à Clisthene. atque hoc quidem ad veritatem mihi videtur esse propensius. fuit enim Clisthenes tyrannorum inimicus acerrimus, & libertatem Atticam aduersus immoderatam ciuium potentiam præclaris multis aliis institutis sepsit, atque muniuit. ostracismus vero ad intolerandas ciuium liberæ ciuitatis opes abiiciendas, & superbos eorum, qui se excellentius in rep. gerere viderentur, frangendos spiritus decem annorum exterminatio fuit. Assentitur tamen Heraclidi Arpocratio, qui scribit reperiri in monumentis Androtionis, Hipparchum quendam, Pisistrati propinquum, in exilium pulsum esse ea lege, quæ tum primum de ostracismo lata erat. Ælianus autem, Clisthenem primum sua lege damnatum prodit. Est autem ostracismus dictus à testula, quam nomen eius, quem pellere vrbe cupiebant, inscriptam pro suffragio ferebant. Etenim, ut Plutarchus in Aristide, & Pollux libro VII, iisdem prope vterque verbis declarant, cum populo placuisset, ostracismi iudicium constituere, forum cancellis sepiebatur, ita ut decem tantum aditus relinquerentur, per quos populus in tribus diuisus ingrederetur. tunc archontes, & senatus, qui iudicio præerant, vniuersam, quæ cõuenerat, multitudinem numerabant. nam si minus sex millibus essent, qui iudicaturi essent, iudicium pro irritato habebatur. suffragium autem erat testula, in qua quisque nomē potentis ciuis alicuius inscripserat, cuius ipse præsentis, & remp. tractantis magnitudine offenderetur. Qui autem à maiore conuocati populi parte notatus erat, is vrbe extemplo cedere, & per decennium abesse, integris tamen bonis, incolumibusque fortunis, cogebatur. hoc enim inter ostracismum, & exilium interesse voluerunt, quod exules bonis mulctabantur, nec tempore, aut loco circumscriberentur; qui vero testulis erant damnati, ij & bona retinebant sua, & certo tempore, & certo loco definiabantur; & exilium quidem flagitij pœna fuit, ostracismus vero quædam nimie potentie diminutio. nam quos virtutis opinione, & populi fauore, & clientelis, aut aliqua ciuili facultate excellere inter ceteros intellexerunt, eos vrbe exigere hoc iudicij genere soliti sunt, ut Aristidem, Cimonem, Themistoclem, & Thucydidem, quos omnes nimie suspitione potentie, & virtutis eiecerunt. præclarum enim illud, & ad memoriam posteritatis insigne, cum comitia ostracismo essent indicta, agrestis quidam homo, & rudis plane, ac litterarum ignarus in forum pro-

perans,

perans, in Aristidem, qui Iustus, ut erat, ita appellabatur, incidit, eumque testula oblata, ut Aristidis nomen inscriberet, rogauit. miratus Aristides, cum quærisset, num quid ab Aristide mali accepisset, minime vero, inquit ille, immo hominem ne noui quidem, sed vulgatum istud Iusti cognomen æquo animo ferre non possum. Pulsus est ergo Aristides, quod Iusti cognomen offenderet, pulsus Damon Periclis magister, quod prudentie opinionem haberet. Postremo cum ignobiles, & flagitiosos homines exterminare cœpissent, quod nobilis pristina consuetudo fordesceret, prorsus ostracismus extabuit. cum enim Alcibiades, & Nicias inter se seditiose contenderent, populûsque inductis ostracismo comitiis, alterum eorum sine dubio expulsurus videretur, illi facta inter se coitione Hyperbolum, hominem non virtutis, sed improbitatis magnitudine intolerabilem eiciendum curarunt. quam rem adeo iniquo animo tulit populus, ut ostracismi iudicium posthac nullum exerceret. Andocides autem cum in oratione contra Alcibiadem de ostracismo disputaret, eò dicendo prouectus est, ut qui primus ostracismi legem tulerit, eum contraria solemnī populi, senatusque sacramento tulisse dixerit, quo se populus, ac senatus obstringunt, ciuem neminem indicta causa aut exacturos, aut capite mulctaturos, in ostracismo enim neque accusatos, neque defensos, neque occulto suffragio pulsos dulci ciuitatis aspectu, fructuque in certum temporis spatium spoliari. Ut autem populi ius fuit, vrbe exigere, sic in vrbe ante diem lege constitutam restituere. Itaque Aristidem legimus apud Plutarchum Themistoclis decreto, & Cimonem Periclis, restitutos.

Illud etiam in Pluti commentariis Græcis inuenio, neminem in concione iudicasse, nisi sexaginta annos natum; qui vero integra erant ætate, venisse quidem in concionem, verum non iudicasse; minores autem natu concionem ne ingrederentur quidem esse; qui vero iudicauerunt, iis mercedis loco tres obolos Cleonem lege constituisse. quæ merces, ut omnibus concionibus, maxime ordinariis, propostis fuerit, satis supra, cum de senatu diximus, demonstratum est. nunc sententiam tantum Aristotelis in quarto Politicorum expressam referamus: *Senatus, inquit, res est popularis, præconsultor paucorum imperij, aliquos enim tales esse necesse est, quibus curæ sit, populo præconsultare, ne populus ab ocio auocetur. dissoluitur autem ius senatus in iis democratij, in quibus ipse populus conueniens de omnibus rebus statuit. quod accidere solet, cū opes abunde suppetunt, aut merces propostæ sit iis, qui concionem frequentant. nam ocio suppetente sæpe conueniunt, ac ipsi omnia decernunt.* Sed de concione quidem hætenus.

## De Senatu Areopagi.

CAP. V.



**S**EQUITVR Areopagus, id est senatus ille, quem tanquam alteram, ut dixi, anchoram populari adhærescere concioni Solo voluit. Huic autem duo, ille præcipue officiorum munera, impertit, & quidem, ut apparet, ambo grauissima; vnum, ut omnes reip. partes quasi ex altera quadam specula intueretur, alterum, ut de causis capitalibus grauioribus quæreret. nos autem de priore potestate hoc loco agemus, nam de posteriore, tum cū de iudiciis differemus, commodiore, & magis proprio esse acturi videmur. Hunc igitur senatum ex iis, qui nouem archontum imperium gesserant, Solo constituit, nouem autem archontes fuerunt, qui decennalibus, ut iam diximus, archontibus abrogatis remp. susceperunt, Rex, Archon, Polmachus, & Thestotheta, quos Solo in sua, ut supra dixi, reip. haud pari quidem, sed tamen maximo cum imperio cõseruauit. Hos igitur certissimum Areopagi seminarium fuisse, perspicuum est, ostendit Plutarchus, qui scribit, Solonem nouem archontes, ubi magistratu annuo abiissent, ad Areopagum ascendere voluisse, ipsumque, quia archon fuerat, Areopagum fuisse, Periclem au-

Areopagi  
Ius.Areopagis  
rum lectio.

anodotio.

bb 3 tem


rem Areopagitarum honore caruisse, quia neque rex, neque archon, neque polemarchus, neque thesmotheta fuerit, quod ij magistratus antiquitus sortito mandarentur, ac inde in Areopagum asciscerentur. atque hoc idem etiam confirmat Pol- lux. quanquam Libanius ad Androtianam rem in dubium aliqua ex parte videtur reuocare, qui scribit, placuisse aliis, nouem archontes in Areopagitas quotannis esse ascriptos, aliis vero ipsos solum thesmothesas. Ac de thesmothesis quidem nulla controuersia est. scriptum est enim in vetere lege apud Demosthenem in Timocratea: *Thesmotheta eos, qui accusati fuerint, introducunt in forum, de lex iubet: alioquin in Areopagum ne ascendant.* Sed & archontem in Areopagitarum numerum esse relatum, ex ea Lysiae oratione cognoscitur, in qua Euandrum defendit *πρὸς ἀθύρασις*. in qua nihil aliud agitur, nisi, vt Euander archontatu gesto, postquam vitæ rationem reddiderit, ad Areopagum ascendat. Quare quod de archonte certum est, idem de rege, & polemarcho etiam suspicari licet. Neque tamen omnes his honoribus functi eò aspirare potuerunt. Significat hoc non obscure Demosthenes in prima contra Aristogitonem, cum inquit: *Quibuscumque ex thesmothesis non licet in Areopagum ascendere, ij omnia vs, decreto iudicium acquiescunt.* Cur ita? nempe, quia necesse erat, vt annuo magistratu gesto rationem vitæ suæ iterum eo iudicio redderent, quod *ἀθύρασις* vocabatur. in quo periculum adibant, ne à iudicibus reiecti ab eo consilio excluderentur. quod & ad Leptinianam Vlpianus, & Plutarchus in Pericle memoriæ prodiderunt. Quare in Areopagitica Isocrates, cum de laudibus Areopagi differeret, dixit, nemini licuisse in Areopagitarum numerum ascribi, nisi qui bene nati essent, & virtutis ac moderationis documenta permulta dedissent. tantum autem primos illos Areopagitas monumentum virtutis, & continentiae suæ in illo loco posteritati reliquisse, vt etiam suo tempore, quo mores antiqui degenerauerant, obseruatum sit, qui moribus intolerandis fuisse antea videbantur, si quouis modo forte in senatum eum obrepissent, subito eos commutasse, atque ex instituto potius senatus, quam ex suo vitam egisse. Hi vero, vt Vlpianus adiunxit, per totam vitam in eo senatu fuerunt, nisi forte inde crimine aliquo obiecto eiecti sunt, & propterea numero etiam incerto fuerunt. Itaque Libanius ad eandem cum senatum hunc vellet à senatu Quingentumuirum separare, tres differentias attulit; vnā, quod illi certo numero includerentur, hi incerto; alteram quod illi per annum in eo honore essent, hi vsque ad mortem; tertiam, quod iidem illi res publicas plerunque tractarent, hi præcipue capitales, & si quā vrgeret necessitas, etiam publicas. Capitulum autem rerum cognitionem qui solam huic tenatui tribuunt, ij regalis potius reipubl. instituta, quam popularis, videntur spectare. Qui enim à regibus ad capitales quæstiones exercendas est institutus, idem à Solone ad totius prope reipubl. custodiam, non adempta tamen rerum capitalium cognitione, est collocatus. Quod innuit non obscure Plutarchus, cum Areopagitas rerum omnium speculatores, & legum custodes à Solone cōstitutos scripsit. intellexit autem Cicero disputans de officiis, cum consiliū Solonis, quo primū cōstituit Areopagitas, nō minus præclarum, quam illud Themistoclis fuisse dixit, quo Salamina victoria parta est; illud enim semel, hoc semper profuisse ciuitati, hoc consilio leges Atheniensiū, hoc maiorū instituta seruata; & Themistocle quidē nihil dixisse, in quo ipse Areopagū adiuuerit, at Solonē potuisse dicere vere, à se adiutū Themistocle. esse enim bellū gestū cōsilio senatus eius, qui à Solone erat cōstitutus. Quibus verbis factum illud præcipue etiā attingere Areopagi viderur, cū, vt scribit in Politicis Aristoteles, Medicis tēporibus, exhausto ærario, octonas drachmas singulis militibus numerauit, & victoria nobili partā multū propterea spiritus sumpsit, eāq; reip. partē leuiores effecit. Præterea vero eūdē moribus ciuiū præfuisse, satis cōstat. hoc enim optimus in primis auctor in Areopagitica declarat Isocrates. *Apud maiores nostros, inquit, pueri ne in viros quidē adscripti, quod lubebat, agere poterāt; sed multo plures in*

*corroborata,*

*corroborata, quam in tenera ætate curatores habebāt. Etenim vsq; adeo maiores nostri modestiæ studuerūt, vt moribus institutis senatū ipsum Areopagi præficerint. cū autē omnium ciuium, tum præcipue adolescentum curam susceperunt, vt quos rerum domesticarum difficultate oppressos cognoscerent, ad agriculturæ studium, & mercaturæ conuocarent; quos diuitijs affluentes, in equestri disciplina, & gymnasijs, & venationibus, & studio philosophiæ retinerent. Quamobrem vrbe quidem in vicos, agro vero in populos distributo vitam cuiusque inspiciebant, & parum modestiæ moribus præditos ad senatum adducebant, vt eos ille aut admonitionibus, aut increpatione, aut si res posceret, supplicio coerceret. Ex quo scite in Axiocho Socrates: *Vbi vero in ephebos aliquis, inquit, inscriptus sit, omne tempus sophronistis, & Areopagi iuuenum censuræ tribuitur.* Hoc autem à Solonis, vt cetera, prudentia protectum videtur, cuius consilio institutū scribit Plutarchus, vt Areopagi senatus, quid quisque Atheniensium ageret, & quo se quæstu sustentaret, inquireret; & ignauos, inertesque pœna afficeret. Itaque Athenæus libro xiii, ex Hyperidis sententia prodidit, si quem in caupona cœnasse comperisset, eum in Areopagum ascendere prohibuisse. & Quintilianus scripsit, puerum damnasse, qui cothurnicum oculos cruebat, quod iudicaret, signum id esse perniciosissimæ mentis, multisque malo, si adoleuisset, futuræ. Eundem porro, quæ ad pietatem, & sacerdotia pertinerent, procurasse, ex oratione contra Neæram apparet. in qua scriptum est multat se eum Theogenem regem, quo ad ius habuit, quod vxorem, quæ ciuis non erat, haberet, eamque vt reginam, sacra pro patria facere passus esset. Narrat etiam Plutarchus in Hyperide, cum contentio cum Deliis orta esset, vtri sacro præessent, Aeschine patrono lecto, Areopagum Hyperidem *χειροτονῆσαι*, in Phocione autem, cum turbatores ciuitatis, & rerum nouarum cupidi Charidemum in tribunal traxissent, eumque seditiose prætorem deposcerent, optimates metu percussos Areopagi senatum, quem in populo habebant, lacrymis, & precibus induxisset, vt Phocioni reip. commédaret. Ex quo apparet, Areopagitas cum difficilibus, & turbulentis reip. temporibus subuenisse, tum in consiliis capiendis porrectione manuum, perinde ac populum, sententiam suam declarasse. Vt autem prytanes ad senatum Quingentumuirum, proëdri ad populum, sic nouem archontes ad Areopagi senatum rettulisse, verisimile est: si quidem in oratione contra Neæram scriptum est, nouem archontes statis diebus in Areopagum ascendisse;*

& Lysias in Areopagitica. Atqui si ais, inquit, non oportuisse moriam cedere, nouem archontes adduxisses, aut alios ex Areopago. Ac de consiliis quidem Atheniensium hæc inuenimus.

bb 4 CARO



CAROLI SIGONII DE REP. ATHENIENSIVM LIBER III,

Qui inscribitur de Iudiciis.

De generibus Iudiciorum. CAP. I.



INCIPIT sequitur, ut de veteri Iudiciorum ratione dicendum esse videatur. in quibus Solo maximam ferme reip. a se constitutam partem collocasse visus est, cum ut concionem, sic iudicia civibus omnibus impertivit. credo, quod iam tum sapientissimus legislator animadverterit, nihil, ut inquit Aristoteles, esse tam populare, quam omnes ex omnibus, & de omnibus, aut certe de plurimis, aut de maximis iudicare. Difficilis autem haec in primis, & plena obscuritatis est disputatio. Quare danda opera est, ut, si non aliud, at ordinis saltem lumen ad eam tractandam aliquod afferamus. Primum ergo ut in consiliis de rebus iis praecipue, quae ad commoda civitatis pertinent, consultatur, sic in foris iudicialibus, quae illi δικαστήρια nominarunt, de iis, quae iustitiae sunt, disceptatur, cum civis a legum praescripto discedentes, aut reip. aut privato alicui iniuriam attulerunt. Ex quo duo actionum, quas illi δίκας appellarunt, genera dimanarunt, publicarum unum, alterum privatarum. Ac publicae quidem praecipuo nomine λειτουργίαι dictae sunt, privatae vero communi δίκαι. Quam differentiam Isocratem aperte docuisse video in oratione de Iugo, cum dixit, δίκας quidem de privatis criminibus intendi, λειτουργίας vero de rebus civitatis institui. Inter has autem illud interfuit, quod in publicis actio cuique civi concessa est, in privatis vero ei tantum, qui se laesum esse afferret. quod & scripsit in Solone Plutarchus, & indicavit idem contra Lochitam Isocrates, cum dixit: In alijs criminibus is solus, qui iniuriam passus est, eum qui fecit, in iudicium adducere potest: in contumelia vero, quasi communis res agatur, licet cui placeat. Vnde merito in prima adversus Stephanum de falso testimonio dixit Demosthenes, se dicam privatam non potuisse intendere, quia bello dicæ sublatae erant, sed ὕβρεως γραφὴν γράφειν. probe. Fuerunt enim λειτουργιών genera multa γραφῆ, φάσις, ἐνδίκαις, ἀπαγωγῆ, ἀφύγησις, ἀνδρολίψια & εἰσαγγελία. Id ita esse, non solum Pollux, qui haec ipsa libro est octavo de industria persequutus, sed Demosthenes quoque declarat, qui in Androtiana, Multis, inquit, modis Solo harum legum lator permisit, ut accepta iniuria ius vestrum persequeremini, & poenas repeteretis ab ijs, qui iniuriosi fuissent: veluti in furto, vales ne viribus? ἀπαγε. imbecillior es? magistrati-

Controuersiarū genera.

bus ἐφρησ. vereris ne mille drachmas? δικάζεις furti apud arbitrum, neque periculum adhibis. neutrum horum vis? γράφεις. times & hoc? ἐφρησ. horum nullum est idem. eadem ratione in impietate ἀπάγεω, γράφειν, δικάζειν apud Eumolpidas, φράζειν apud regem licet. & in oratione aduersus Boeotum: Si quid horum, inquit, in posterum facere tentauerit, quales sunt γραφαί, φάσις, ἐνδίκαις, ἀπαγωγῆ. & contra Theocrinem: Si quis scitū faceret, licere infamibus γράφειν, φάσειν, ἐνδίκην ὕναι. Agamus ergo de his singulis, quidque ea sint, ex veterum, quo ad possumus, sententia aperientes, quam multa, & varia Athenis iudicia constituta sint, demonstremus.

γραφῆ dictum est publici cuiusdam iudicij genus, cum aut publice, aut perinde ac in publicis, alius alium iudicio est persequutus. Crimina vero, de quibus γραφῆ scribi per leges potuit, haec fuerunt: φόνος, τραύμα ἐκ προνοίας, πυρκαϊά, φάρμακον, βόλευσις, ἱεροσυλία, ἀσέβεια, προδοσία, ἐταίρησις, φθορά, μοιχία, ἀγάμιον, ἀστρατεία, ληψοσφάτιον, ληψοσφάτιον, δόλια, ληψοσφάτιον, ἀναιμάχιον, τὸ βίβαι τῆ ἀσπίδα, ψευδεγγραφή, συκοφαντία, ψευδοκλητεία, δῶρα, δεικασμός, ξενία, δωροφενία, ὕβρις, ἀγράφιον, ἀγραφοῦ μεταλλοῦ, ἀλόγιον, παρανόμων, δοκιμασία, ἐνθῆνη, προβολή, ἀπογραφή, ἀπόφασις. id est, caedes, vulnus de industria, incendium, venenum, insidiae, sacrilegium, impietas, proditio, impudicitia, corruptela, adulterium, neglectae nuptiae, neglecta militia, deserta militia, desertus ordo, timiditas, deserta navis, neglecta pugna naualis, abiectum scutum, falsa relatio, calumniatio, ementita citatio, dona, munera, peregrinitas, peregrinitas dono tentata, contumelia, deletum nomen, improfessum metallum, non redditae rationes, violatae leges, probatio, re petundae, probola, apographe, & apophasis. Ex quibus alia satis, quid ipsa sint, nomine ipso declarant, alia explicationis lumen aliquod fortasse desiderant. cui officio videtur faciendum esse, ut seruiamus. Ac primum quidem de caede leges eiusmodi fuerunt, ut quod scriptum est in Mediana, qui mortem alteri de industria attulissent, eos morte, & perpetuo exilio, & bonorum publicatione mulcarent, qui vero inuiti, venia, atque humanitate multa dignos existimarent. Βολέουσις autem nomen duobus, ut inquit Arpocratio, in criminibus valuit, vno, quando alter alteri per insidias necem parauit, siue consequta inors esset, siue non esset; altero, quando aliquis, ut ararij debitor inscriptus litem inferret alteri, quod se contra ius inscripsisset. prioris testis est Isæus in oratione ad Euclidem, qui inquit, de eo cognitum esse in Palladio; & Dinarchus contra Pistium, qui in Areopago; Aristoteles autem assentitur Isæo; posterioris Demosthenes in prima contra Aristogitonem, & Hyperides in prima contra Athenogenem. ἡ ποδοσία fuit, si quis capta ab hostibus pecunia aut reip. nocuit, aut certe nocendi consilium habuit. De proditione vero, & sacrilegio legem recitat Xenophon in primo rerum Graecarum. Si quis civitatem prodiderit, aut sacra surripuerit, aduersus eum iudicium in foro constituatur; & si damnatus fuerit, in Attica ne sepeliatur, sed bona eius publicentur ἐταίρησις, quam impudicitiam vertimus, quae fuerit, satis notum est. De ea vero lex extat Solonis apud Aeschinem in actione contra Timarchum: Si quis Atheniensium impudicus fuerit, ne ex nouem archontibus sit, ne de sacerdotium obeat, nec populo patrocinetur, neque magistratum aliquem gerat, neque praeco, neque legatus eat, neque legatione functos iudicet, neque mercede Lycophantam agat, nec sententiam dicat neque in populo, neque in senatu. Quod si quis, addit orator, aduersus haec fecerit, γραφῆς impudicitiae Solo instituit, & maxima supplicia statuit. obrogae praecipue insidiae dictae sunt liberis pueris libidinis causa paratae. quod indicavit Aeschines contra Timarchum: Cum Mithologas, inquit, & Phaedrus Timarchum adolescentulum cum peregrinis quibusdam in caupona cenantem offendissent, ac peregrinos se in carcerem sequi iussissent, quod adolescentulum liberum corrupissent, peregrini timore percussi in fugam se coniecerunt. Quo factum est, ut qui Socrati nocere voverunt, duorum eum criminum reum fecerint, & quod deos novos induceret, & quod iuuentutem corrumpere. quorum illud est τῆς ἀσέβειας, hoc τῆς φθορῆς. Aspa

ταυ

τέραν ostendit in or. de ordine deserto Lyfias fuisse, quoties quis miles conscriptus cum ceteris in castra non venisset. Λεποτάξιον vero, non solum si proelio recessisset, sed etiam si pedestrem militiam neglexisset, & equestrem optasset. Ut autem inquit aduersus Ctesiphontem Aeschines, Solon iisdem poenis teneri statuit eum, qui militiam neglexisset, & qui ordinem deseruisset, & qui timidus esset. voluit autem naturam etiam insimulari, vt vnusquisque ciuium de poenis, quæ legibus constitutæ sunt, magis, quàm de hostibus sollicitus, melior patriæ propugnator euaderet. igitur eum, qui militiam neglexisset, & qui ordinem deseruisset, & qui timidus esset, à foro arcuit, nec corona donari, neq; ad sacra publica admitti permisit. Vnde γγραφῆ, Polluce teste, fuit, non si quis alterū falso debitorem ad ærariū retulisset, quod Arpocratio censuit, sed si falso debitorem magistratui aliquem indicasset. Vnde ὀκλαυρία Polluci fuit, si quis se alterum in ius citasse ementiretur. Arpocratio vero, si quis falso alterum, vt debitorem, in ius vocasset. Δῶρα, & Δεσποσία si quis ex iis, qui in rep. versarentur, donis se corrumpi passus esset, vt Δεσπομός, si muneribus iudicia corrupisset. Qua de re lex est in oratione secunda contra Stephanum; *Si quis, inquit, coierit, aut Hæliæam, aut aliquod forum eorum, quæ sunt Athenis, aut senatum, præbitis ad corruptelam pecunijs, aut acceptis, aut manum fecerit ad popularis status euersionem, aut, aduocatus cum esset, pecunias ceperit in priuatis causis, aut publicis, harum rerum γραφαὶ sunt apud Thesmochetas.* Ζεῦσι si quis natus ex ambobus parentibus peregrinis se pro ciue gessisset. Vnde Vlpianus ad Timocrateā, si quem, inquit, constabat, sibi vindicasse ius ciuitatis, cum Atheniensis non esset, & eadem tamen, quæ ciues faceret, hic ante iudicium in carcere habitabat, post victus iudicio venum ibat. Δωροξωρία, si de peregrinitate postulatus, iudicium pecunia subuertisset. ὕβρις, quoties quis liberum, tāquam seruum, aut vinxisset, aut verberasset. Vnde dixit orator aduersus Nicostratum: *Puerum in hortum vicinum immiserunt, vt rosarium euelleret, eo consilio, vt si eum ego deprehensum aut vinculis constrinxissem, aut verberibus affecissem, vt seruum, γραφῆν μίβι intenderent contumeliæ.* Ἀγράριον, si ærarij debitor, antequam satisfacisset, nomen suum de publicis tabulis deleuisset. Vnde illud est contra Theocrinem: *Lex non aduersus eos, qui debent, & non inscripti sunt, γραφῆς ἀγραφῆς constituit, sed quorum nomina non soluto ciuitati debito è tabulis sint expuncta.* Ἀγράφῃς μεταλλῶς dica, teste Suida, fuit huiusmodi. Qui metalla argentea exercebant, vbi nouum aggredi opus cupiebant, rem indicabant iis, quos populus præposuerat, vt noui metalli vigesimam quartam pensarent. quod si quis metallum, quod non profectus esset, exercuisset, ius erat cuiilibet, eum γραφεῖν. Ἀλογίς vero, si rationes rerum, quas tractasset, non rettulisset. Παρανόμων, si decretum scripsisset ita, vt leges, quæ de ferendis decretis erant, transgressus esset. quo de genere multa in Ctesiphontem Aeschines, & in Androtionem Demosthenes. Δοκιμασία excutiebant, vt inquit Arpocratio, senatores, & magistratus omnes, an idonei essent ad imperandum, oratores, an impudici essent, an patrimonium effudissent, an parentes male habuissent, & equites, an satis culti essent. Quin etiam Aeschines omnium, qui ad remp. se contulissent, quamquam nullum magistratum gessissent, vitam hoc genere iudicij Solonis lege inquit esse à quolibet exquisitam. atque eo nomine ipse Timarcho iudicium intentauit. Εὐθύνη actio fuit aduersus eos, qui magistratibus, aut legationibus functi essent, de pecunijs, & delictis intra certum tempus, quo transacto agere non licuit. Cui quæstioni minimam etiam quamque curationem fuisse subiectam, idem aduersus Ctesiphontem contendit, quæ vero actio legatis est intentata, ea propriū nomen παραπρωβείας obtinuit: quo iudicio Demosthenes ea, quæ extat, oratione Aeschinem oppugnauit. Απογραφή, inquit Pollux, aduersus eos fuit, qui male erga populum affecti essent, qui sycophantæ essent, qui in festis contumeliam, aut iniuriam alteri intulissent, ac denique, vt scribit Xenophon libro primo rerum Græcarum, qui populum decepissent. Απογραφή erat, quoties quis publi

publici quidquam alterum retinere arguebat, quique vrgebat, ἀπογραφήν instituebat, ostendens, vnde pecunias haberet, & quàm multas haberet. Quod si ille se habere negaret, iudicium, Arpocratio teste, fiebat, quasi non iuste facta esset ἀπογραφή, quæ causa in oratione contra Nicostratum à Demosthene pertractatur. fuisse autem publicum iudicium, ex eo cognoscitur, quod idem scribit, ei iudicio mille drachmarum periculum propositum fuisse, & ne quem postea posset suo nomine γραφεῖν. quæ conditiones ambæ in publica iudicia cōuenerunt. Ἀπίφασις autem erat, cum alter alterius bona aperiebat, & eo facto eum ad fortunarum, & publici muneris permutationem inuitabat, quod Arpocratio ex Demosthenis ad Phænippum oratione collegit.

φάσις fuit detectio eorum, qui in metallis, aut emporiis exercendis deliquissent, aut qui vectigalia publica auertissent, & vno verbo omnes occultorum delictorum patefactiones φάσις appellatae sunt. quin etiam Libanius ex oratione aduersus Theocrinem elicit, legem fuisse, qua dabatur φάσις aduersus mercatores, & nauicularios, qui frumentum aliò, quàm Athenas, deportassent. Lyfias autem in oratione contra Philonem ostendit, φάσις eorum fuisse, qui parum idonei præfessent reip. cum inquit: *Ego vero iuratus in iudicium veni, me optima reip. consulturum. illud autem est in iureiurando, si quis senatorem sorte lectum parum idoneum cognouit, eum φάσις.* Ἐνδλεξις actio fuit de delicto confesso, quod non iudicium, sed poenam desideraret. item actio in eos, qui legibus ab aliquo siue loco, siue actione repellerentur, quali Aristogitonem Demosthenes perculit, qui cum lege à rep. remoueretur, quia nomen eius in tabulis publicis, vt debitoris, extaret, remp. tamen capebat. de quo eodem ita Dinarchus: *Non ne hic ἐνδλεξις à Lycurgo, & publico debere conuictus, cum ei sententiam dicere non liceret; & XI viris ex legibus traditus, ante fora iudicialia ambulauit, & in proëdria pryτανῶν assedit?* Itaq; Demosthenes idem in oratione contra Theocrinem, ἐνδλεξις inquit esse aduersus ærarij debitores, quorum nomina in tabulis nulla extent. recitatque de hac re legem in Timocrateā: *Si quis supplicet in senatu, aut in populo pro ijs, quos aut iudices, aut senatus, aut populus condemnauit, si ipse debitor supplicet, antequam pendat, aduersus eum esto ἐνδλεξις, non aliter ac si quis ærarij debitor iudicet in Hæliæa.*

Ἀπαγωγὴ actio fuit aduersus facinorosos homines, nempe quoties quis, quem absentem ἐνδεικνύναι liceret, eum præsentem in ipso furto deprehensum abduceret, ac se periculo mille drachmarum obiiceret. Vnde illud est Andocidis aduersus Alcibiadem: *Vobis maleficos homines in carcerem abducere haud satis cōmodum est. ne si quis quintam suffragiorū partem non tulerit, mille, quæ constitutæ sunt, drachmas persoluat.* Fuisse autem actionē aduersus fures, & grassatores, ostendit Demosthenes cōtra Androtionem: *In furto, vales ne viribus? ἀπαγε.* & Lyfias in oratione contra Agoratum: *Phænippidem grassatorem abduxit, & vos eum in iudicio morte multastis.* & iterum Demosthenes in secunda aduersus Stephanum: *At qui si te furem abduxissem in ipso furto deprehensum.* & contra Cononem: *Cum dicerent, eum obnoxium esse, & τῶν λωποδύτων ἀπαγωγῆ, καὶ τῆς τῆς ὕβριος γραφῆς.*

Ἐφύγησις fuit, quoties quis, quem propter imbecillitatem non audebat abducere, ad ædes eius, in quibus delitescebat, magistratum ducebat. Vnde trita iam illa fluxerunt: *In furto, vales ne viribus? ἀπαγε. imbecillior es? τοῖς ἀρχῶν ἐφύγη.* Quam vocem quoniam Vlpianus interpretatur ὑπόδειξον, sane sequitur, ἐφύγησιν esse fontis delitescens submonstrationem.

Ἀνδροληψίον aduersus eos fuit, qui confugientes ad se homicidas dedituros recusassent; ex quibus vsque ad tres viros comprehendere licuit. pignoribus autem coercerent ciuitatem, quæ homicidas seruaret, nec sibi ad supplicium traderet: cuius rei lex hæc est in Aristocrateā: *Si quis violenta morte pereat, pro hoc propinquus ἀνδροληψίαι sunt, donec aut poenas cedis dent, aut interfectores dedant, cōprehenso vero esto vsque ad tres viros, non amplius.*

Εισαγγελία quæ fuerit, superiore libro demonstrauius. nunc ad eam legem, quæ est apud Demosthenem in oratione ad Timotheum, adiungamus, per quam aduersus eum εισαγγελίαν concedi scribit, qui populo promissum non præstiterit; & alteram, quam idem in oratione de iis, qui sunt in Cherroneso, innuit, cum inquit: *Si intoleranda facit Diophetes, & naues deducit, parua tabella hæc omnia prohibere potuerit. iubent enim leges, eos, qui hæc deliquerint, εισαγγελλεσθαι.* & quod scribit Pollux, aduersus impudicos tribus actionum generibus iri potuisse, γραφή, δοκιμασία, εισαγγελία. Nam aduersus sycophantas, id est qui falsum iudicium intulissent, multo pluribus itum est, nimirum γραφή, προβολή, εισαγγελία, ενδ' εἴξει, & ἀπαγωγή. quod tradit Isocrates in oratione de antidosi, cum inquit: *Maiores nostri de sycophantia acerbiores leges, quam de alijs maleficijs, tulerunt. si quidem de maximis iniurijs uno tantum in foro iudicia statuerunt: aduersus vero sycophantas γραφάς apud thesmothetas, εισαγγελίας apud senatum, προβολάς apud populum proposuerunt.* & Demosthenes in oratione contra Theocrinem: *Si quis sycophantarum contra mercatores fecisset, eorum ενδ' εἴξει & ἀπαγωγῆν esse legislator voluit.* Caput autem εισαγγελίας fuit, vt, si qui delati essent, leuius peccasse à senatu iudicati fuissent, ij multarentur à senatu; si grauius, iudicibus dederentur, multa, quæ eis subeunda esset, æstimata.

Atque hæc quidem fere publicæ actiones fuerunt, quarum ea, vt scribit Pollux, vis, atque conditio fuit; vt iis cuius cuius uti licuerit, cum eo tamen, vt si quintam suffragiorum partem non ferret, drachmas mille penderet. cuius rei legem recitat contra Theocrinem Demosthenes. *Lex, inquit, instituituribus aut γραφείσαι γραφάς, aut φάσεν; aut quidpiam aliud eorum facere, quæ in lege scripta sunt, diserte denunciat, quibus conditionibus horum quidque suscipiendum sit: quæ sunt, si quis actionem persequutus quintam suffragiorum partem non tulerit, vt mille drachmas pendat: si non persequatur, alteras mille. vt neque sycophantam agat quisquam, neque impunitate proposita præuaricetur, aut quæ sunt ciuitatis, largiatur.* Quin etiam adiicit idem in secunda aduersus Aristogitonem, si quis alterum iudicio persequutus quintam partem suffragiorum non tulerit, ei in posterum neque γραφείσαι, neque ἀπαγεῖν, neque ἐφευγῆσθαι licuisse. Illud autem proprij habuit εισαγγελία, quod actor non damnato reo multa expers fuit: quod cum Hyperides, teste Polluce, tradidit, tū etiam Hæus, cum dixit: *Atqui multa εισαγγελλέως apud archontem nulla est proposita, ne si delatores quidem nullum suffragium tulerint.* Theophrastus autem addit, cum homines facile ad εισαγγελίας instituendas adducerentur, legi postremo adscriptum esse, vt qui reum non damnasset, mille drachmas persolueret. Ac de publicis quidem controuersis hæc tenus.

Αἰτίονες  
πρῆλαια γὰρ.

Priuatæ autem fuerunt, καταγωγία, αἰκία, βία, παρονία, βλάβη, ἐκκώσις, ἀποπομπή, ἁλοπή, παρὰ κἀβήν, χρεός, συμβόλαια, συνθήκαι, εἰς δ' ἀτηγῶν αἰρεσιν, εἰς δ' αἰδωσὶς οἶκας, ἐνοίκιον, σιτὸς, κερπός, ἐξέλιγ, δῶσις φορὰ ἀφανής, μεθήμερην, ἐβδαιώσις, εἰς ἐμφανῶν ἀπάσασιν, ἐξέλιγσις, ἀποσάσιον, ἀποσάσιον, ἐπιτροπή, ἁλῆρος, ψευδομαρτυρία, & λοιπομαρτύριον. id est conuiciū, verberatio, vis, ebrietas, damnum, mala tractatio, repudium, furtum, depositum, debitum, commercia, pacta, diuisorum electio, domus locatio, inhabitatio, vietus, fructus, deiectio, exportatio occulta, diurna, præstita venditio, manifestatio, vindicatio, violatum patrocinium, neglectum patrocinium, tutela, hereditas, falsum, & desertum testimonium. Quarum quæ obscuriores videntur ordine, vt instituimus, explanemus. Καταγωγίας meminit Isocrates in oratione contra Lochitam, cum dixit, leges iubere, vt si quis in alterum non dicenda dixisset, quingentas drachmas deberet; αἰκίας vero Demosthenes in oratione contra Euergum, vbi aperte αἰκίαν fuisse ostendit, cum quis prior manus iniuriolas alteri intulisset. & Isocrates in eadem, cum dixit: *Me à Lochita manus iniuriolas prius inferente verberatum, testes omnes. vos autem inuenietis, qui leges nobis tulerunt, eos in primis de corporibus laborasse. primum enim de hac sola iniuria & δίκας γραφάς suscipi nulla deposita pecunia statuerunt, vt, prout nostrum quisque aut vellet, aut possit,*

ita de iniuriolis hominibus pœnas sumeret. Quod autem inquit, de iniuria corpori illata γραφάς. & δίκας fuisse, eò referendum est, quod ὕβριος γραφή fuit; αἰκίας vero, & καταγωγίας δίκαι. vnde dixit aduersus Mediam Demosthenes: *Si quis quemcunque priuatum contumelia affecerit, aut maledicto inceserit, γραφῆν ὕβριος, καὶ δίκην καταγωγίας φέρεται.* & contra Cononem: *Instituta sunt δίκαι καταγωγίας, ne conuicijs vexati ad inferenda verbera delabantur; sunt etiam αἰκίας, ne quis, vbi inferior sit, lapide, aut telo alio quempiam vlescatur; sunt γραφαὶ τραυματίας, ne vulneratis quibusdam cædes aliqua consequatur.* Atque huic quidem crimini pœnam nullam à legibus cōstitutam, sed accusatorum arbitrio, & iudicum cognitioni permissam scribit Arpocratio. βιάων, teste eodem, vis fuit aduersus eos, qui non solum virgines violassent, sed etiā quodcunque per vim fecissent. βλάβης δίκης meminit Demosthenes contra Mediam, cum inquit: *Atqui vestibibus, & aureis coronis corruptis potui priuatam βλάβης dicam intendere. additque si quis volens nocuisset, duplum; si inuitus, simplum legibus pependisse. κάλωσις permissa fuit puellis heredibus aduersus maritos, & parentibus aduersus filios, & pupillis aduersus tutores, cum male ab iis habiti essent, vt Demosthenes ostendit in oratione contra Timocratem, & Lysias de hereditate Hegelandri. Huius autem criminis non solum δίκην fuisse, sed etiam γραφῆν, & εισαγγελίαν, prodit Arpocratio. κλοπῆ quæ fuerit, ex lege apparet quæ profert Demosthenes contra Timocratem: *Si quis interdum supra quinquaginta drachmas furatus fuerit, adduci liceat ad Xj viros; si quis vero noctu quodcunque surripuerit, eum & occidere, & inter persequendum vulnerare, & ad Xj viros cuiilibet abducere liceat. conuicto autem eorum facinorum, propter quæ ἀπαγωγή sunt, non liceat datis vadibus satisfacere pro furtis, sed mors pœna sit. & si quis è Lyceo, aut ex Academia, aut Cynosarge vestem, aut lagunculam, aut quidquam aliud minimi pretij, aut aliquod vasculum è gymnasijs, aut portubus surripuerit supra decem drachmas, & eos morte multandos censuerunt. Si quis vero priuato iudicio furti conuictus fuerit, eilicere duplum æstimationis persolvere. penes vero iudices esse, furem præter argentū ad quinque dierum, totidemq; noctium vincula damnare, vt omnes eum in vinculis videant. censuit enim flagitiosum hominem non tantum, quod rapuit, restituito, esse liberatum, sed eum duplum oportere soluere, tum in vinculis habitum supra multam hanc, quod vitæ reliquum fuerit, ignominiose traducere.* Συμβόλαια pacta fuerunt, cum inter priuatos de ratione pecuniarum, tum inter ciuitates de dando, & accipiendo iure. inter priuatos, vt inter mercatores. de quibus loquitur Demosthenes in oratione pro Phormione: *Lex iubet, mercatorias dicas τῶν συμβολαίων esse Athenis, & ad Atheniensium emporium.* & post: *Leges iubent τῶν ἀθηνῶσι συμβολαίων dicas esse apud Thesmothetas.* Hæc vero fuerunt mercatoriæ dicæ. quarum meminit in oratione cōtra Lacritum. *Conatur vobis, inquit, suadere, vt statuatis, mercatoriam hanc dicam introduci nō posse, cum nobis dicas mercatorias iudicetis.* & ad Apaturium: *Leges iubent, vt dicæ sint nauicularijs, & mercatoribus, quæ Athenas, & quæ Athenis, de quibus syngraphæ extant.* item Lysias: *Aduersus mercatores menstruæ sunt à Boëdromione vsque ad Munichionem, vt subito ius suum consequuti soluere portu possint.* Vnde Pollux, & Arpocratio tradiderunt, ἐμμήνος δίκης, id est menstruas lites esse ἐραυλιὰς, & ἐμποικίαις, id est de collecta, & mercatoribus. Est autem ἐραυλιὰς, vt scribit Arpocratio, qui collectæ particeps est, & symbolum confert, quod in singulis conferre mensibus oportebat. De pactis autem inter ciuitates pluribus Demosthenes differuit in oratione de Haloneso. maxime autem, cum inquit: *περὶ συμβολαίων Philippus se missurū ad vos inquit, qui ea paciscantur. ea vero tum demum rata fore, non vbi in iudicio apud vos confirmata fuerint, vt iubet lex, sed vbi ad se relata fuerint.* & paullo post: *Iam vero non esse symbola inter Athenienses, & Macedones necessaria, præteritum tempus argumento sit. neque enim Amyntas, neque alij reges nostra cum ciuitate symbola contraxerunt, cum tamen tum frequentius inter se miscerentur, quam nunc. in nostra enim potestate erat Macedonia, & tributa nobis dabat, & emporijs tunc magis, quam**

nunc, & nos eorum, & illi nostris utebantur. & mercatoriae dicæ non, ut nunc, se-  
 vere fiebant, quæ efficiunt singulis mensibus, ut non egeant symbolis, qui tantis inter se  
 terrarum disiuncti spatij sunt. Hæc autem σύμβολα Thucydides in primo συμβό-  
 λων πρὸς τὸς συμμάχους δίνας vocauit. Συμβήματα pacta fuerunt inter priuatos vel de  
 locatione, & mutuo, vel de iudicij ratione. de locatione, ut pro Phormione; Hæc  
 sunt συμβήματα, iuxta quas Pasion mensam huic locauit. & ad Pantenatum: Προψυ-  
 μίς συμβήματα, in quibus locatio scripta erat. de mutuo, in prima contra Aristogito-  
 nem: Si quis alterum pecunias debere criminaretur, ille vero negaret, cum συμβήματα  
 apparerent, per quas mutuo dedisset, eum impudentem iudicaretur. de re arbitro per-  
 mittenda, ut ad Apaturium: Cum instarent dicæ, ad rem arbitris permittendam de-  
 scendimus, & cum συμβήματα scripsimus, pacti sumus, si inter tres arbitros conuenis-  
 set, nos eorum decreto staturos; sin minus, duorum; & συμβήματα apud eorum unum  
 deposuimus. item aliàs sæpe. Eis δ' ἀτηρῶν ἀίρεσις, quoties ex iis, qui societatem coll-  
 sent, qui communem rem diuidere volebant, litem intendebant iis, qui recusabāt,  
 ut Lyfias docuit in oratione ad Alexidemum, & Aristoteles, teste Arpocratio,  
 in rep. Atheniensium. Σίτος victus erat, qui à maritis debebatur vxoribus, post-  
 quam ab iis discessissent, aut dimissæ essent, nec dotem recepissent. etenim dimis-  
 sæ, & dotem, & victum repetere poterant, eaque σίτος δίκη vocabatur. de qua lex est  
 apud Demosthenem in oratione contra Nearam: Si quis dimiserit uxorem, reddat  
 dotem; sin minus, nouem obolos vsuræ nomine pendat, & tutori mulieris pro ea de  
 victu ad Odeum actio detur. Itaque Andocides in oratione pro Nicoftrato dixit:  
 Dicat quæso, apud quem Archontem promissa vxor virum repudiavit, aut domum  
 eius; deinde à quo recepit dotem, mortuo illo, cui dicit promississe; quam litem victus  
 intenderit aut dotis pro muliere desponsa ei, qui Pyrrhi hereditatem possidet. Καρπὸς, &  
 ἐνοικίς meminit, Arpocratio teste, Lyfias. Si quid obijcis, inquit, huic puero, &  
 tuarum rerum aliquam possidet, dicam intende ex legibus, si de agro litigas, καρπὸς: si  
 de domo, ἐνοικίς; quemadmodum iste nunc tibi tutela dicam intendit. Item Demosthe-  
 nes contra Olympiodorum: Cur nunquam, inquit, litem mihi ἐνοικίς intendisti de do-  
 mo, quam mihi ut tuam locasse dicebas? Prima vero lis, si de domo contendebatur,  
 erat ἐνοικίς, si de agro, καρπὸς; secunda τῆς οὐσίας, tertia, ἐξέλις. Quod si in contro-  
 uersia ἐνοικίς, καρπὸς, & οὐσίας victi essent, tamen in possessione permanebant; sin au-  
 tem etiam ἐξέλις essent damnati, tum eos victoribus cedere possessione necesse e-  
 rat. quemadmodum Arpocratio tradidit. Ceterum ἐξέλις δίκη, eodem teste, in-  
 tendebant ij, qui se à rebus suis arceri dicerent, iis, à quibus arcerentur. dicta vero  
 est ἀπὸ τῶ ἐξέλειν, quòd est deiicere; auctore autem Polluce, quoties quis eum, qui  
 publice emisset, rebus emptis frui non pateretur, aut victorem, quæ vicisset, sed aut  
 possidentem deiiceret, aut possidere prohiberet, aut ipse, qui deberet, aut alius pro  
 eo. Itaque si ille, ut emptor, de possessione litigaret, hic vero ut hypothecā habens,  
 iudicium erat ἐξέλις. Quin etiam dicam ἐξέλις intenderunt, qui ad diem dictam  
 multas non exegissent, culpa eorum, qui multati ad id tempus non satis fecissent.  
 Itaque Vlpianus Medianam exponens dixit, ἐξέλις dicam fuisse, cum periculum e-  
 rat, ne quis ex possessione aliqua, aut loco, aut domo deiiceretur, quia multam  
 præstituto tempore non soluisset. Qui vero ἐξέλις conuicti essent, eos conuictori  
 res ablatas restituisse, & ærario, quæ æstimati erant, pependisse, Arpocratio ex Isæi,  
 & Lyfias auctoritate adiungit. concluditque tale nomen in omnes conuenire, quic  
 suis bonis eiiciuntur, non, quemadmodum censet Cæcilius, in eos, qui ex iudicato  
 debeant, solos. Βεβαίωσις lis erat, quam intendebat emptor venditori, si altero liti-  
 gante rem venditam non præstaret. aliquando etiam arrabone solo dato, & vendi-  
 tore litigante, litem βεβαίωσις intendebat is, qui dederat ei, qui acceperat. quod o-  
 stēdit Lyfias. Ita ferè Arpocratio. Pollux autem litem fuisse scribit, quoties aliquis  
 emptam domo, aut agro eum, qui litem inferret, ad venditorem adduceret, ut em-  
 ptionem præstaret. qui si non præstitisset, obnoxius fieret ei liti, quæ βεβαίωσις di-  
 citur.

citur. quod si qui ad venditorem adducebat, causa cecidisset, id de quo lis erat,  
 victoris fiebat; victus autem ab eo, qui calumniatus fuerat, æstimationem accipie-  
 bat. Eis ἐμφανῶν κατὰ σίσις lis erat, quæ ob id intendebatur, ut ea, de quibus esset  
 controuersia, in apertum producerentur. cuius meminit Demosthenes aduersus  
 Nicofstratum. Ἐξαιρέσις δίκη fuit, quam is, qui in seruitutem aliquem duxerat, in-  
 tendebat alteri, qui eundem in libertatem vindicabat. quod, teste Arpocratio,  
 ostendit Isæus. itémque ex oratione Lyfias contra Panceleonem apparet. Ἀποσίσις  
 concedebatur manumissoribus aduersus manumissos, si à se defecissent, & alium  
 patronum adoptassent, nec quæ legibus continentur, obseruassent. conuictique  
 in seruitutem reuocabantur. vnde contra Aristogitonem in prima Demosthenes.  
 Et matrem eius, inquit, ἀποσίσις damnatam vendidisti. Ἀποσίσις lis erat aduersus  
 inquilinos, qui patronos ciues Athenienses non adoptassent. moris enim fuit, ut  
 ciuem aliquem, à quo in rebus suis & priuatis, & communibus defenderetur, sibi  
 quisque inquilinorum adoptaret. quod Hyperides in secunda aduersus Aristogitonem  
 ἀποσίσις indicauit. De hereditate autem quæ est actio instituta, ea ἐπιδικασία, &  
 διαδικασία est appellata, quod ostendit Isæus in oratione de Pyrrhi hereditate, qui  
 sine discrimine vtrunque nomen pro lite hereditatis vsurpat. Vnde ἐπιδικασία  
 est litem de hereditate intendere. præclare. Si quidem ea bona, ut inquit Sui-  
 das, dicebantur, ἐπίδικα, de quibus aliquis, ut ad se propter generis propinquitatem  
 pertinentibus, contendebat, quòd nec filios, nec omnino alios ullos mor-  
 tuus heredes testamento instituisset. Huius vero actionis partes fuerunt duæ,  
 ἀμφισβήτησις, & παρακαταβάλλεις; quarum inter se differentiam explicans Arpocratio,  
 inquit, ἀμφισβήτησις, & παρακαταβάλλεις dictos, qui de hereditate litem facerēt, cum  
 illi hereditatem controuersam esse assererent, quia filius extaret mortuo vel geni-  
 tus, vel adoptatus: hi vero contra, nullis extantibus liberis, iustius se, quam qui  
 occupasset, hereditatem tenere vel propinquitatem, vel testamento, contende-  
 rent. Vnde dixit Demosthenes in oratione de hereditate Hagnie: Et præcone  
 clamante, an aliquis vellet ἀμφισβήτησις, aut παρακαταβάλλεις de hereditate Hagnie aut  
 secundum genus, aut secundum testamentum, nemo ausus est παρακαταβάλλεις. Pollux  
 autem addit, παρακαταβάλλεις dictam, quia qui ita agebant, decimam bonorum par-  
 tem deponerent, amissuri, si litem non obtinuissent. hanc autem eandem dici quo-  
 que ἀντιγραφήν colligo ex verbis Arpocratio, cum scribit, ἀντιγραφήν proprie  
 in hereditatum litibus vsurpari, quoties aliquis nullis superstibus mortuo libe-  
 ris hereditatem ad se pertinere ex generis successione contendit. Iam vero cum  
 lite de hereditate coniunctæ fuerunt etiam controuersia ἑπικληρώων, ἐπιπροίκων, &  
 ἐπίδικων. Ἐπικληρώων fuit puella pupilla fratris expers, patrimonij heres. Lex autem  
 fuit, auctore Suida, ut si legitima filia fratribus legitimis careret, ipsa, non nothus  
 filius, hereditatem adiret, nothus autem vsque ad quinque minas relinquere tantum  
 modo liceret. Ἐπιπροίκων fuit puella, quæ fratribus prædita hereditatis partem lo-  
 co dotis est assequuta. Ἐπίδικος puella heres, de qua controuersia esset, cui esset  
 in matrimonio collocanda. Legis autem de testamento, vnde omnes hæc contro-  
 uersia sunt profecta, meminit Isæus in oratione de hereditate Pyrrhi. Lex, inquit,  
 diserte præcipit, licere testari, ut cuique lubet, de rebus suis, si filios mares legitimos non  
 reliquerit; quod si feminas reliquerit, in earum beneficium. Igitur, subiicit orator, fi-  
 liabus non licet. Atque hanc eandem legem commemorat quoque Demosthenes  
 in secunda aduersus Stephanum: Liceat, inquit, cuilibet pro arbitrio de rebus suis te-  
 stari, nisi filij mares legitimi adsint, modo ne aut furore, aut senio, aut veneno, aut mor-  
 bo, aut mulieris suasu, aut necessitate, aut vinculo oppressus teneatur. item: Quodcumque  
 filijs legitimis superstibus pater testatus erit, ratum sit, si filij mortui sint, antequam pu-  
 bertatem excedant. Vltima autem omnium iudiciorum actio fuit ψευδομαρτυριῶν, quæ ad-  
 uersus eos intētata est, (quod illi ἐπισκῆπτῆρα dixerūt) qui in iudicio aut falsum testē  
 produxissent, aut falsum testimonium dixissent, aut alio falsi genere iudicem cir-  
 cc 2 cunue



cunuenissent. Quod ex prima Demosthenis contra Stephanum liquet; Vos iuratis, iudicatos non de ijs, de quibus vult reus, sed de quibus fuerit actio. hanc vero necesse est patet fieri actoris intentione, quam ego huic *ἑυδδμαστρεωῶν* intentaui. & ex secunda, in qua recitat hanc legem; *Esto obnoxius falso testimonio, qui testimonium dixit ob id, quia contra legem dixit, & qui producit illum eodem modo.* Ad dicitur legem vetare, ipsum sibi testimonium dicere *ἐν ἡραφῶς, ἐν δίκαις, ἐν ἐυθύνοις.* Cum hac autem actione etiam *καὶ οὐ τεχνικῶν δίκην* coniuncta fuit, cuius meminit Arpocratio, & Demosthenes in oratione contra Euergum, cum inquit: *Præclara mihi leges illæ videntur, quæ post iudicia falsi testimonij dicas concedunt, ut si quis productis testibus, qui falsa dicant, aut conditionibus, quas non tulit, aut testimonijs, quæ contra leges dicta sint, iudices deceperit, nihil ea re proficiat, sed ut qui iniuriam accepit, testimonijs ἐπισημασθῆναι, & ad vos ingressus, ostenderit, testes de re falsum dixisse, tum ab eis poenas repetat, & illius, à quo producti sunt, καὶ οὐ τεχνικῶν ὑλκισθῆναι. proptereaq; minorem actori, si victus erit, multam statuerunt, ne qui læsus est, poenæ magnitudinem à persequendis testibus auocetur. reo autem poenas magnas proposuerunt, si cõuictus fuerit, & vobis falsum testimonium dixisse videatur. idq; merito vos enim testes intuiti, & eorum testimonijs freti, sententiam fertis. ne igitur & vos decipiãmini, & qui ad vos ingrediuntur, iniurijs afficiantur, propterea eos obnoxios reddidit legislator.* Quin etiam tantam in hoc toto dicendi testimonij genere diligentiam posuerunt, ut si quis de re, cui gerendæ affuisset, se testimonium dicturum professus, fidem fefellit, ei quoque, Polluce teste, *λαπιμαστρεῖς* litem intendi posse statuerint.

publicarū,  
& priuatarū  
actionū  
differentiã.

Atque hæ quidem publicæ, priuatæque causæ, litésque fuerunt, longe inter se non solum ipsoꝝ, quæ diximus, criminum genere, sed etiam propositarum æstimationum varietate, & iudicum, qui eas cognoscerent, dissimilitudine, & tota demum actionis, ac iudicij ratione dispares, atque diuersæ. Æstimationes autem, quas illi *πυήματα* vocarunt, ferè fuerunt, *ζυμία, φυγή, ἀπιμία, δεσμός, σήλη, & θάνατος,* id est, multa, exilium, infamia, vincula, pila, & nex. Ex quibus *ζυμία* pecuniarum multationem attulit, *φυγή* vrbe exegit, & bona publicauit, *ἀπιμία*, quam nescio an satis apte infamiam dicamus, iure ciuium, & maxime honorum potestate spoliãuit. Vnde in tertiã cõtra Philippum Demosthenes *ἀτιμοῦ* definiuit eum, qui rerum communium partem non haberet, & contra Androtionem, cui neque dicere, neque scribere, id est ne utiquam remp. attingere liceret. *δεσμῶν* intellexerunt carcerem, quem inde *δισμωτήριον* appellarunt, & vinculorum genera *ἐν ποδὸν ἄκην*, siue *ἐν βύλο*, quod vocabulum passim in legibus Solonis inuenitur. *σήλητας* autem dixit in tertiã Philippicã Demosthenes, quos in pila ad perpetuam memoriam vt impios, aut ingratos descripserunt. *Μαiores*, inquit, *nostrij in aenea pila, in arce, litteras has inciderunt: Arithmius Pyætonactis filius Zelita sit hostis populi Atheniensium, & sociorum, & ipse, & genus, quia aurum ex Medis in Pelopõnesum attulit, non Athenas. θάνατον* autem omnia necis genera quocunq; modo illata, nominarunt, gladio, laqueo, tympano, & veneno. *τύμπανον*, vnde *ἀποτυμπανίσαι* fluxit, ligna erant, quibus nocentes homines cædebantur, vt Pluti interpretes prodit. Plato autem Socrati, & Xenophon Therameni, capitis damnatis cicutam (veneni id genus est) ex legibus præbitam esse à custodibus carceris scribunt. Quæ cum ita more, institutõque maiorum obseruaretur, inde formula illa iudicandi manauit, cuius cum alias, tum in Timocrateã Demosthenes meminit, vt quibus criminibus æstimatio nulla à legibus indicta esset, iudices æstimarent, *ἢ, τι καὶ παθεῖν, ἢ ἀποτίσαι*, id est quid reum aut pati, aut pendere oporteret. quibus verbis hæc omnia, quæ dixi, æstimationum genera comprehenderunt. Quoniam autem, quemadmodum aut singulæ causæ cognitæ, aut iudicia earum facta sint, nisi singulis iudicum generibus expositis, elucere non potest, videtur faciendum esse, vt deinceps de singulis iudicum foris, Areopagitarum, Ephetarum, Heliastarum, ceterorũque dicamus, atque vna propositis quæstionibus satisfaciamus.

De

De iudicio Areopagi.

CAP. II.



GAMVS autem primum de Areopagitis; inter omnes enim iudices auctoritate, & gloria præstiterunt, qui ex consilio fuerunt Areopagi. quem senatum non solum de rebus communibus consultasse, sed etiam de causis capitalibus iudicasse, satis constat. atque hæc quidem cognitionem eum iam inde à regibus adeptum esse, ante cognouimus. quam non modo Solo non imminuit, sed etiam aliqua ex parte adauxit. si quidem legem tulit, quemadmodum est in Aristocrateã Demosthenis, vt Areopagi senatus iudicaret de cæde, & vulnere de industria, & incendio, & veneno, si quis eo dato necem attulisset. quæ eadem, adiuncto etiam parricidio, Lucianus in Anacharside repetit. Exceptit tamen eos, qui adulterum cum vxore deprehensum interfecissent, vt ex oratione Lysia cognoscitur: *Auditis ne, inquit, quemadmodum senatui Areopagi, cui patrium est causas de cæde cognoscere, diserte mandatum est, ne eum condemnet de cæde, qui adulterum cum vxore deprehensum necarit?* Exceptit item eos, qui homicidam extra fines Atticos interemissent. de iis enim cognosci voluit ab Ephetis. Iam de vulnere Areopagum cognouisse, multi testes sunt, vt Æschines contra Ctesiphontem, cum obiicit Demostheni, quod Demomeli cõsobrino suo de vulnere apud Areopagum diem dixerit, & Demosthenes contra Bæotum, apud quem Mântitheus ita loquitur: *Iste autem cum Menecle omnium harum rerũ architecto insidijs mihi paratis, & in iurgio manibus illatis, capite suo cæso de vulnere apud Areopagum me, vt vrbe exterminaturus, reum fecit. & contra Cononem: Brauronia sacerdotis patrem, qui interfectum non attigerat, sed ad cædendum cohortatus interfectorem fuerat, in exiliam eiecit senatus Areopagi.* De insidijs demum necandi causã factis, quam illi *βδελουριῶν* dixerunt, iudicasse Areopagum, tradidit in Atheniensiuũ rep. Arpocratio teste, Aristoteles.

Causa capitales ad Areopagum.

Iam vero ordo apud Areopagum agendi is fuit, vt actionem accusator apud regem, qui vnus fuit è nouem, intenderet, is deinde receptam litem ad Areopagum introduceret, atque vna cum eo, corona, vt inquit Pollux, deposita, iudicaret. Antequam autem actionis initium fieret, accusator, & reus grauissimo se iureiurando obstringere iuebantur. inde bis vtrique causam orare, reo vero post primam dictionem solum etiam vertere permittebatur. Iudices autem sedentibus iis in duobus scabellis argenteis, quorum, teste Pausania, vnum Contumeliæ, alterum Impudentiæ nominabant, noctu, & sub dio causas audiebant, & quidem summo silentio, adempta oratoribus conciliandorum, & commouendorum animorum omni per præconẽ facultate, quorum illud in exordio, hoc in peroratione facere soliti erant. Quæ quoniam neque apud vnum scriprorem, neque vno in loco reperiuntur, ex quibus ea fontibus hauserimus, indicandum est. Quod ergo dixi, quæstionem harum causarum ad regem pertinuisse, id ex multis orationis Antiphontis de choreutæ morte locis perspicitur. maxime autem, cū inquit: *Rex & leges eis recitauit, & tempus ostendit, quo dicam scribere non liceret, & citationes citare, quas oportebat. & paullo post: Quod regi obijciunt, quod mea causa dicam scribi noluerit, id à veritate longe remotum est. oportebat enim regẽ, vbi tres quæstiones scripsisset, eas in tribus mensibus exercere. dicam vero quarto mense, vt nunc, introducere. duo vero magistratus suirestabat menses Thargelio, & Scirrhophorio. neque in suo magistratu introducere poterat. neque cædis cognitionem alteri tradere licet, neque ab villo vnquam rege tradita est. neque scribi volebat contra leges.* De iureiurando autem testis est Demosthenes in Aristocrateã: *Primum, inquit, iusiurandum dare, & si calumniatur, sibi, ac genti, familieq; suæ pestem exoptare in Areopago cogitur is, qui aliquem de cæde insimulat. deinde iureiurando sanctissimo se obligat. & quod nemo in vlla alia re iurat, in visceribus capri, & arietis, & tauri, qui, & per quos, & quibus diebus oporteat, sint mactati. post autem ei, qui se tali religione obstringit, nondum tamen habetur fides, sed si mendacij conuictus est, nihil aliud consequitur, nisi vt liberos suos, & omnem familiam*

ordo agendi apud Areopagum.

phocorã, inuentionis

peruicio obstringat: sin autem iure accusasse videatur, & reum cædis damnarit, ne ita quidem damnatum in sua potestate habet, sed sumendi supplicij ius penes leges est, & eos, quibus hæc commissa sunt; huic vero damnatum inspectare pœnas ex lege dantem licet; nec præter id quidquam amplius. reus autem calumniæ iusiurandum eodem modo præstat, concediturq; ut priore causâ dicta solum veritat, neque accusator, neque iudices, neque hominum aliquis cum retinere potest. itémque Lyfias, cum in oratione contra Thomnestum prima actorem iurasse ait, quòd interfecit; reum vero, quòd non interfecit, quòd ille *δὴ οὐκ ἔδει* vocat. & Antiphon, cū in oratione de cæde Herodis inquit: Tum vero, cum oporteret te iurare iusiurandum maximum, & grauissimum, exitium tibi ipsi, & generi, & familiæ tuæ imprecantem, nempe te nihil aliud mihi obiecturum, quam cædem me fecisse, iniuratus me accusas. postremo Dinarchus, qui Demosthenem inquit omnibus diris, quæ in ciuitate suscipiuntur, esse deuotum, quòd Seueras deas in Areopago peierauerit, aliòsque deos, quos iurare leges iubent. Iam vero testes eodem etiam se obligasse iureiurando, ostendit Antiphon. Et cum testes, inquit, oporteat eodem se obligare iureiurando, atque tu, qui accusas, & victimis tactis contra me testimonium dicere, tamen iniurati sunt. Hinc idem ille cum pro choreuta diceret, intulit, sacramenta, & prædictiones, & cetera, quæ fiunt propter controuersias de cæde, multum inter se differre. & in eadem: *Ex his intelligi solet, utri sanctiora, & veriora iurariunt, isti ne, an ego. illi enim iurarunt me insidijs factis necem attulisse Diodoto: ego neque interfecisse, neque manum inferentem, neque insidijs comparantem.* Iam cetera, quæ de ratione dicendæ causæ proposuimus, earundem etiam orationum auctoritate firmantur, in quibus & illud est: *Quod si quid horum mentiri videbor, licet accusatori in secunda oratione, quodcunque voluerit, reprehendere, defensori vero priore dicta oratione licet abire.* Sed multo apertius à Luciano hæc omnia tractantur in Hermotimo, & Anacharside. apud quem ita Solo loquens inducitur: *Noli abs re longe aberrare, sed imitare senatum Areopagi, qui nobis causas de cæde iudicat. cuius hic mos est patrius, ut ubi in pagum ascenderit, de cæde, aut vulnere ex industria, aut incendio iudicaturus, potestatem dicendi faciat utrique litigatori. ita separatim dicunt accusator, & reus, aut ipsi, aut patronos adducunt. equo animo, & cum silentio audit senatus. quod si quis exordio colligendæ beneuolentiæ causa utatur, aut misericordiam, aut indignationem alicui de commoueat, qualia multa oratores aduersus iudices compararunt, statim per præconem silere iubentur, non permittentem eos audiente senatu nugari, & rem verbis inuoluere, ut facta nuda Areopagita inspiciant.* Atque hoc idem etiam multis ante hunc sæculis Aristoteles, ut ceteros omittam, in principio artis rhetoricæ litteris prodidit. Cur autem sub dio iudiciū exercuerint, causam reddit in oratione de Herodis cæde Antiphon. nempe ne iudices in eundem locum conuenirent, atque ij, qui manibus essent impuris, & ne qui de cæde accusabat, sub eodem tecto esset, atque ille ipse, qui cædem patrarat. silentij vero eorum summi argumento sit prouerbiū celebre, quo dicebatur, Areopagita taciturniorem esse. nã vere tacitos eos iudicasse, Macrobius etiam libro Saturnaliorum septimo prodidit. Atque hæc quidem iura ferme omnibus nota, atque illustria sunt.

Areopagi  
ἀρειοπάγης.

Illud vero vulgare minus, ac tritum, quòd idem Areopagus partim sponte sua, partim populi scito de aliis grauibus etiam criminibus, ut de prodicione, quæsiuit, & præiudicio factò ea iudicibus Heliæ detexit, ac nouo ab iis retractanda iudicio tradidit. hæc autem quæstionem, atque detectionem *ἕρσιον* illi, atque ἀποφάσιον dixerunt. Quæ omnia ex Dinarchi oratione cõtra Demosthenem cognoscuntur. Primum, inquit, Areopagus necessario duobus modis ἀποφάσις instituit, sponte, populiq; decreto. itém: *Putatis ne senatum Areopagi, cum de Demosthene, Demade, & Ctesiphonte per sex menses quæsiuerit, iniuste apud vos ἀποφάσις instituisse. itém: Neque vero, ut eum absolueretis, de eo quærendum Areopagi senatum commisisistis; sed ut, si ille detexisset, vos meritas pœnas sumeretis.* & paullo post: *Cū tu decretū scripsisset, ut*

senatus

senatus Areopagi quæreret de ijs, qui pecuniã ab Harpalo accepissent, ut ipsi patrium est, quæsiuit, & iudicibus detexit. itém: *An vero maiores vires veritate calumniatio huius habebit, qua dicturus est, multos, quos senatus Areopagi populum lesisse detexerat, in hoc ingressos forum euasisse, aut senatum in nonnullis ne quintam quidem suffragiorum partem tulisse? hoc autem quo modo fiat, facile cognoscetis. senatus quærit, quæ sunt mandata à vobis, & quæ sunt apud se crimina, non quo modo vos aliquando iudicare soletis, sententiæ plus, quam iusto tribuentes, sed omnino, qui obnoxius est ijs, quæ quærentur, & quicumque patria violarit, existimans, qui in paruis assuescit iniuste se gerere, hunc magnas iniurias facilius etiam illaturum. cum multa esset eum, qui apud se nauulo portitorem fraudarat, vobis detexit eumq; vos absoluidistis, non quòd Areopagi senatum mentiri iudicaretis. sed quòd sententiã magis, quam iustum spectaretis.* Non necesse est plura proferre. satis est locum indicasse. pœnæ enim huius sunt rationis, atque doctrinæ ambæ Dinarchi in Demosthenem, & Aristogitonem actiones. Hic ergo senatus seuerissima, ut dicere cœperam, iudicia fecit. quippe qui, ut scribit in Timarchum Aeschines, non tam ex verbis oratorum, & testibus, quam ex sua ipsius, quam de facto præceperat, conscientia iudicaret, sententiã vero occultis suffragiis tulit, id est calculis aut perforatis, aut solidis, & quidem ab ara, ut scribit in Ctesiphonteam Vlpianus, acceptis, & tacite in sitellam immisissis.

Ceterum, ut narrat Pollux, ter tantum in mense legitimis diebus, quarto, tertio & secundo abeuntis conuenit, & quidem in pagum cognomine Martium: extra ordinem autem in Regia etiam porticu est coactus, quòd ostendit in prima aduersus Aristogitonem Demosthenes, cū inquit, legum vi effici, ut sedens in Regia porticu Areopagus, quanquam funiculo tantum obtento, ipse quiete res suas agat, & omnes statim inde recedant.

Atque hæc quidem de hoc senatu, foròque quæ diceremus, habuimus. cuius tanta apud veteres laudum præconia prædicantur, ut nulla virtus sit, qua egregius senator, & sanctus iudex aliquis affici possit, quæ non ei summa tribuatur, vsque adeo, ut Areopagitam pro constanti senatore, & seuerissimo iudice M. Tullius, homo omnis antiquitatis peritissimus, ad Atticum scribens vsurparit. & Aristides cum in Panathenaica prisca Atheniensium disciplinam laudibus celebraret, Areopagum omnem superasse laudis excellentiam dixerit, neque aliam vim in eo loco insitam ad iustitiam cognoscendam fuisse atque in iis, vnde oracula fundebantur ad futurarum rerum prædictionem, tantæ vero auctoritatis eum fuisse, ut magistratus omnes, & consilia cum alia, tum maxime populus, & priuati cuncti ad eius iudicia venerint. Quibus de rebus tanta ei ab omnibus ciuibus habita reuerentia est, ut in conspectu eius ridere nefas existimarint. *Cum enim producto, inquit Aeschines, in concionem ex Timarchi decreto Areopago magnus risus populum nescio qua de causa esset complexus, tum Pyrrhander increpans populum, quæsiuit, cur non risum Areopago præsentem continerent. illi vero responderunt: Non ignoramus, ô Pyrrhander, non oportere in horum præsentia ridere; verum tanta sunt veritatis vires, ut omnes hominum superent rationes.* Hic est demum ille senatus, cuius nimia potentia factum est, ut in rep. Atheniensium species aliqua paucorum imperij eluxerit. Itaque Pericles excellens auctoritate, atque potentia ciuis cum populi partibus se aduersus diuites adiunxisset, Ephialtem, egregium item ciuem induxit, ut multis iudiciis ereptis eius opes decreto ad populū lato labefactaret. quòd Aristoteles Politicorum secundo, & Plutarchus in Pericle memoriæ prodiderunt. Hinc Aeschines in Timarchum, Areopagum, ut cetera imperia, reddendis rationibus fuisse obnoxium, & Demosthenes aduersus Neæram, Areopagum non potuisse pro arbitrio in ciuem Atheniensem animaduertere dixit. Memorabile autem illud in primis, quòd idem in Aristocratea scriptum reliquit, Areopagū neq; à tyrannis, neque à paucis dominantibus ullis vnquam è rep. fuisse remotum,

Quibus diebus conuenit, & qua in loco.

Areopagi laudes.

& quod in Panathenaica minor multo natu tradidit Aristides, locum eum nulla perturbatione, quibus multis res conflictantur humanæ, vnquam esse affectum.

De Iudicijs Ephetarum, Prytaneo, Palladio, Delphinio,  
& Phreattio. CAP. III.

Ephetarum  
numerus, le-  
ctio, cogno-  
sco.



**P**OST Areopagitas sequuntur Ephetae. hi vero Demophoonte, vt ante dixi, rege instituti, quinquaginta ex Atheniensibus, totidemq; ex Argiuis, vt in Palladio foro de inconsulta cæde cognouerent, maiore deinde auctoritate, iurisque ampliore à Dracone instructi sunt. sic enim instituit, vt vnus, & quinquaginta ex optimis eligerentur, qui, vt prodit Pollux, in foris capitalibus iudicarent. ex quo existimari potest, Athenienses solos ad iudicandum ab eo retentos, Argiuos autem esse repudiatos, ephetasque ab vno Palladio ad reliqua de cæde fora esse traductos. Itaque in Apocrionis, & Suidæ commentariis reperitur, ephetas in quattuor, de quibus supra diximus, foris Prytaneo, Palladio, Delphinio, & Phreattio de sanguine iudicasse. eaque ephetarum fora vocata esse. Quod si ita est, sane perspicitur, certum ephetas forum obtinuisse, & lectio ad iudicandi ius peruenisse. Lectio vero eam habuit vim, vt neminem nisi ætate, & vita spectata admitteret. (siquidem Suidas nisi quinquaginta annos natos, & moribus probatissimis legi negat potuisse) & præterea sortitionem adiunctam haberet, quod ex verbis quibusdam, quæ apud Pluti extant interpretem mihi facile persuadeam, cum inquit, ex singulis tribubus viros quinque illustriores sumptos, atq; ex iis vnum forte ad iudicandum positum esse. neq; enim lectio cum sortitione coniuncta in alios potest iudices conuenire, quàm in ephetas. Solonem autem, quamquam Areopagitas Ephetae, vt inquit Pollux, ad eorum deprimendam auctoritatem opposuit, tamen hæc omnia comprobasse, leges eius quædam indicant à Demosthene recitatae. quarum vna est in oratione contra Macartatū; *Si quis necauerit, decreuerint autem quinquaginta & vnus ephetae, inuitum necasse.* altera contra Aristocratem: *Si quis homicidas necarit aut cædis eius causam attulerit, cum absteret à mercatibus, qui in finibus sunt, & ludis, & sacris Amphictyonicijs, is de reueatur, ac si Atheniensem interfecisset, cognoscant autem ephetae.* Quin etiã eisdem de infidijs necis causis factis in Palladio cognouisse, ex Itæi auctoritate prodidit Arpocratio, in Prytaneo vero de rebus inanimatis, significat Aeschines in causâ Ctesiphontis, inquit: *Indignum sit, si lignum, & lapides, & saxa, & ferrum, res mutas, & sensu carentes, cum quempiam ruina opprimunt, & necant, exterminamus, Demostheni vero, qui & vltimam expeditionem decreuit, & milites produxit, honorem habebitis.* Regem porro in hæc item fora causas introduxisse, argumento est, quod scribit Pollux, Regem de rerum inanimatarum causis quæsisse, quas in Prytaneo iudicatas, supra cognouimus. Quod si rex cædis causas in Prytaneum introduxit, profecto etiam in Palladium, cuius meminit Demosthenes in oratione contra Euergum. *Apud regem, inquit, ne intendas. neque enim id tibi lege licet, cum è tua familia non fuerit illa mulier, neque ancilla. leges autem cognatis, & dominis actionem dant. proinde si apud Palladium iuraris, & ipse, & vxor, & tum vos, & tum familiam deuoueritis, multis deterior videberis.* item contra Neæram: *Impegit falsum crimen, cum debuisset arario ab annis quinque & viginti, profectumque aliquando Aphidnas ad fugitiuum ibi quærendum, percussisse mulierem, quo ictu illa perierit. & aduocatis, & subornatis hominibus seruis, qui se Cyrenæos esse dicerent, ei diè apud Palladium dixit.* Illustre autem ad memoriã illud quod est apud eundem in oratione aduersus Pantænetū: *Si quis inconsultæ cædis reum fecisset, eumq; nocentem esse aperte ostendisset, post autem ei ignouisset, atque remisisset, non amplius eiciendi eius potestatem retinebat. neque enim si qui passus erat, ei, qui fecerat, ante obitum eadem*

*eadem remiserat, reliquorum cognatorum illi ius actionis habebant. sed quos eici, & exulare, si conuincerentur, & morte affici leges iuberent, hi si semel sibi ignotum esset, omnibus periculis exolvebantur.* Neque vero minus memorabile illud alterum, quod narrat Aeschines in oratione de ementita legatione, à patribus traditum sua etiã ætate obseruatū esse, vt qui rei capitalis rei suffragiis in Palladio præstitissent, cæsis victimis iurarent, iudices, qui sententiam secundum se tulissent, vere, & iuste statuisse, & nihil falsi dixisse; sin minus, ipsum sibi, & familiæ suæ pestem precari, iudicibus autem vt multa, eaque bona euenirent, optare.

De Iudicijs Helicæ, Parabyssi, Trigoni, & Metychij.

CAP. IIII.



**I**AM vero præter quinque capitalia, quæ numerauimus, fora fuerunt etiam alia multa, & quidem pleraque de controuersis non leuissimis constituta. Interpres Aristophanis in commentario Pluti quinque ea fuisse prodidit, verum quæ, aut qualia fuerint, nobis, quod omnium minime vellem, quærendum, atque indagandum reliquit. quamobrem demus operam, vt locū difficilem in primis, & impeditum, quàm firmissimis possumus nixi coniecturis expediamus. Ego igitur, quantum ex verbis scriptorum elicere veterum possum, inter hæc fora Helicam principatum obtinuisse: huic vero bina Parabyssa, & Trigonom, & Metychium adhæsisse opinor. hæc enim fororū nomina præcipue in priscis Atticarum rerum monumentis inueniuntur. Helicam autem cum alijs foris duobus coniunctam, sed iis ipsis sublimiorem fuisse, multis rationibus ducor ad suspicandum, maxime autem quia Demosthenes aduersus Aristogitonem in prima apud Helicæ iudices ita dicit: *Nolite putare, maiores hæc vobis fora edificasse, vt eiusmodi hominum genus in eis tanquã vitulos, saginaretis.* & quia Arpocratio exponens, quid esset à *ἡλικῶν νόμος*, ac de Helicæ verba faciens, scripsit, fora alia supra, alia infra collocata fuisse; tertio loco, quod Antiphon in oratione de choreuta inquit, Philocratem iudicij causâ in Helicam ascendisse. nam nisi altior locus fuisset, haudquaquam illo opus ascensu fuisset. ne illud dicam; quod Helicæ dicta fuisse traditur à sole, cuius splendore late ex omni parte, credo propter altitudinem ipsam, illustraretur. Quibus si argumentis stare volumus, certe reliqua Helicæ subiecta fora duo Parabyssa fuisse dicemus, quorum vnum maius, medium alterum nominat Pollux. Parabyssum enim ab obscuritate loci appellatum cum prodit Pausanias, idem tacite Helicæ oppositum fuisse, docere videtur, quæ vt dixi, à solis splendore nomē inuenit. Nam Trigoni, & Metychij illius à figura, huius ab architecto nomen adepti Pausaniam, vt diximus, Arpocratonem, Hesychem, & Pollucem auctores habemus. Sed hæc omnia præter Helicam vt auctoritatis minoris, sic famæ etiam obscurioris fuerunt. ita vt ad nos vix tenuis nominum ipsorum memoria permanarit. Helicæ vero maximum omnium fuisse forum dicitur. quippe quò iudices quingenti, & si grauior res incideret, mille, ac mille & quingenti, quasi è duobus, vt inquit Pollux, tribusque foris conuenire soliti sint. Itaque cum Demosthenes in Timocratea dixisset, duo fora, ad vnum & mille, tulisse sententiam, notauit Vlpianus, in causis grauioribus è duobus foris conuenisse, vt mille & vnus inæquali suffragiorum numero iudicarent. Quo factum est, vt in causâ Demosthenis, cum à Dinarcho de pecunijs Harpali postulatū esset, atque post Areopagi præiudicium res apud iudices tractaretur, mille & quingenti iudices iudicium fecerint. quod ille declarat, cum inquit: *Et cum mille, ac quingenti satis, omnem totius ciuitatis salutem in manibus habetis.* In reliquis vero foris quo numero iudices iudicarent, nihil accepimus.

Vt autem quinque capitalia fora proprias, quas cognouerunt, causas habuerunt,

Helicæ qua.

Parabyssū.

Trigonom.  
Metychiū.

Helicæ ma-  
gnitudo.

Ordo agendi apud Helias & alios iudices. runt, sic Helias, Parabyfū, & reliqua suis etiam instructa fuerunt. eademque ratione, ut illorum quodammodo princeps, gubernatorque Rex fuit, qui in ea, ut dixi, fora certas controuersias introduxit, sic his foris alij magistratus praefuerunt; atque in his iudicia exercuerunt, ut in Heliasa thesmothetae, vnde cum viri in Parabyfō, in aliis alij, iique suas quisque causas in hac singula introduxerunt.

Citatio rei. Totius vero actionis, quam illi *δίωξις* nominarunt, haec ferme ratio fuit. Omni no qui alterum iudicio persequutus est, aut publico illum est aggressus, aut priuato. Utroque autem modo ageret, ad magistratum utique, cui eiusmodi erat permessa cognitio, venire necesse habuit. ac primum quidem aduersarium suum apud eum per citatorem in ius vocauit, quod illi *προσκαλεῖσθαι*, & vocationem *πρόσκλησις*, & citatorem ipsum *κλητήρα* dixerunt, deinde verbis quibusdam conceptis actionem ei intentauit. eamque intentionem in tabella descriptam magistratus ipse, aut pater, aut scriba dedit. Huius autem consuetudinis in publicis quidem actionibus testis est Vlpianus. qui, cum Demosthenes dixisset, Mediam Stratonem damnandum curasse contra omnes leges, neque citatore, neque accusatore in scripto, notat, accusationem his verbis institui solitam: *κατηγορῶ τόν, καὶ προσκαλεῖμαι τόν δ' εἶνα διὰ τὸν δ' εἶνα*, id est accuso hunc, & voco in ius hunc per illum. ex quo apparet, nomen actoris, & rei, & citatoris, & criminis, quo de actio intenderetur, in tabula scribi fuisse solitum. item Demosthenes contra Theocrinem, cum ait: *Vocato in ius Polyueto γραφὴν aduersus eum infert male tractationis apud archontem, & dat intentionem Mnesarchidi patero.* & Phaurinus, qui, teste Laertio, actionem impietatis Socrati his verbis intentatam scribit: *Hæc ἐγράφητο Melitus Meliti filius Pittheus Socrati Sophronici filio ab Alopecis: Peccat Socrates diis, quos colit ciuitas, non colendis, & nouis aliis dæmonibus inducendis. peccat etiam iuuenibus corrupendis, æstimatio mors. Atque hoc eodem modo εἰσαγγελία etiam esse delatam, Demosthenes in oratione de iis, qui sunt, in Chersoneto, declarat, cum inquit: *Si intoleranda facit Diopetebes, & naues deducit, parua tabella hæc omnia prohibere potuerit. iubent enim leges, eos qui hæc deliquerint, εἰσαγγεῖλαι.* & Plutarchus, qui litis formulam, qua Alcibiades de violatis mysteriis postulatus est, hoc modo scriptam prodidit: *Thessalus Cimonis filius Laciades Alcibiadem Cliniae filium Scambonidem detulit, deliquisse in deas Cererem, & filiam; imitantem misteria, & indicantem sodalibus suis in tectis suis, veste indutum, qua hierophanta indutus sacra indicat, & semetipsum hierophantam nominantem, Polytionem vero daduchum, cerycem vero Theodorum Phegeensem, sodales vero alios mystas, & epoptas appellantem contra leges latas ab eumolpidis, & cerycibus, & sacerdotibus ex Eleusine.* Neque vero solum εἰσαγγελία sed etiam φάσις eodem modo institutam significat Demosthenes in oratione contra Theocrinem, cum ait: *Vocato in ius Micone hanc φάσις dedit, accepitq; eam Euthyphemus scriba curatorum emporij.* In priuatis autem actionibus idem obseruatum ostendit in oratione contra Euergum, cum inquit: *Vocauit eum in ius, & dicam verberum ei intendi.* & in oratione contra Macartatum: *Vocauit in ius Macartatum de hereditate, & litem intendit apud archontem.* & cum legem hanc profert: *Si quis de adita hereditate, aut pupilla herede controuersetur, vocet in ius eum, qui hereditatem adiit, apud archontem, quemadmodum fit in alijs dicis: sin autem sine vocatione petierit, irrita erit petitio hereditatis.* Ut autem minister ipse vocationis κλητήρ, sic officium eius κλητεύειν est appellatum. Vnde illa sunt contra Euergum: *Me illum vocasse in ius οἱ κλητοὶ τὴν τῶν οἱ κλητεύσαντες.* & contra Nicostratum: *Veni ad κλητήρα, qui affirmabat, se κλητεύειν.* item: *κλήτηρα, aduersus me fratrem suum Arethysium inscribit.* Vnde *ψευδοκλητίας* actio aduersus eos est instituta, qui aut non citassent, cum se citasse dicerent, aut citassent illi quidem, sed non legitime. ut ex eadem oratione perspicitur. Pollux autem prodit, *πρόσκλησις* proprie in iis esse, qui de hereditate, aut pupilla herede litigarent. qui enim controuersiam, inquit, mouet,*

uet, vocat in ius eum. vnde petitur, apud archontem: quem si non vocaret, irrita dica esset, quæ ἀπρόσκλητος dicitur. Quo verbo vsus est orator contra Nicostratum. Adde, quod ut in publicis criminibus qui iudicium inferebat, *κατηγορεῖν*, sic in priuatis *λαγχάνειν δίκην* dicebatur. veluti contra Apaturium *νὺν δ' ἔλαχε μὲν ἐμῶ, κατηγορεῖ δ' ἐκείνῳ.* Vnde *λαῖσις* ipsa est priuatæ litis intentio, ut in eadem: *Αἱ δ' ἐλαῖσις τῶν δίκων τοῖς ἐμπόροις ἐμμηνοὶ εἰσὶν.* Intendebatur autem ita, ut litis genus, & summa scripto comprehenderetur. quod ostendit Demosthenes in oratione contra Stephanum prima, inquit: *Vas iurastis iudicaturos, non de quibus vult reus, sed de quibus est ἡ δίωξις, quam oportet ex actoris λήξεως elucere.* Atque hoc idem etiam ἐγκλήμα nominabant. ut contra Aphobum de falso testimonio: *Principium τῶ ἐγκλήματος est, hæc ἐγκαλᾷ Demosthenes Aphobo, retinet Aphobus pecuniam meam, quam à tutela possidet.* & pro Phormione: *Hic cum multis lites intenderet, pecunias multas exegit, cum scriberet eis τὰ ἐγκλήματα: iniuriam mihi fecit ille non reddito mihi argento, quod reliquit pater: & in prima contra Aristogitonem: Sororem abducendam vendidit, ut inquit τὸ ἐγκλήμα τῆς δίκης.* Ego autem *λαγχάνειν δίκην* litem intendere verto, quippe cum scribat Suidas *λαγχάνειν δίκην* esse *καταγγεῖλαι κρίσις.* Nam quod Cicero de Sicilia more loquens dixit, Verrem prætorem sortitum dicas, id longe ab hoc, quo de agimus *λαγχάνειν δίκην*, est alienum. quod viri in hoc litterarum genere exercitati non viderunt. illud enim est prætoris iudicia fortientis, hoc litigatoris iudicium intentantis.

Lite autem intenta magistratus, antequam eam in forum iudicarium introduceret, actorem ipsum diligenter excutiebat, cum ita quæreret: Vis ne accusare, aut testes habes ad accusandam paratos? aiente autem illo, tum actionem recipiebat, eamque in forum introducebat. ea vero excussio ἀνάκρισις dicta est. quam Vlpianus in Medianam descripsit, cum qui litem intendit, interrogatur ante forum à magistratu, sit ne actionem persequutus, testes ne habeat, egeat ne alicuius præsentia, ut rebus omnibus paratis accederet ad forum. Hac de causa Demosthenes contra Olympiodorum dixit: *Post hæc archon nos omnes litigatores excussit, & excussos in forum introduxit.* & contra Nicostratum: *Cum ego aduersus eum de falsæ citationis accusatione excussus, & iam in forum ingressurus essem.* & contra Theocrinem: *Hanc φάσις vocato in ius Micone dedit, accepitq; eam scriba curatorum emporij. iacuit autem diu ante concilium, donec iste accepta pecunia eam condonauit, magistratibus describentibus, atque ipsum ad excussionem vocantibus.* & Isæus de hereditate Philoctemonis, *Cum excussiones fierent apud archontem, interrogati à vobis, quænam esset eorum mater, & cuius filia, dicere non potuerunt, iubente archonte, ut responderent.*

Quod si magistratus excussione adhibita actionem recepisset, eamque in forum introducere decreuisset, tum vero ei foro, & omnibus, quæ postularentur, aliis ex omnibus Atheniensibus iudices sorte attribuebant. Hæc autem sortitio ante indicta, quam facta est. ac indicta quidem eo modo, quo Lucianus ostendit in eo libro, qui inscribitur Dicafteria. in quo Mercurium præconis loco iudicum sortitionem indicentem facit his verbis: *Audite populus: Quod sanctum, felixq; sit, hodie concilium de litibus habebimus septimo ineuntis Elaphebolionis. quicumq; γραφὴς intenderunt, veniant in Areopagum, ubi dice sortietur forum, & ipsa aderit iudicibus. iudices autem ex omnibus Atheniensibus erunt. merces cuiusque iudicis tres oboli. iudicum numerus pro ratione criminis.* Hæc enim quanquam ab illo ioculi, ludique causa scribuntur; tamen ex consuetudine Atticorum iudiciorum dicuntur. sic enim sortitionem iudiciorum Athenis præco indixit, sic sortitioni nouem archontes vna cum scriba decimo præfuerunt. sic iudicatus mercedem singuli iudices ternos obolos retulerunt. Facta autem est sortitio in hunc modum, ut est apud Pluti interpretes. Fora quina singulis primis litteris ij, quos nomina-

Excussio a-

Sortitio iudicium.

ui, præfecti designarunt, ac duas hydrias Atheniensibus omnibus, qui iudicatum peterent, apposuerunt, vnam, in quam comperitorum nomina deiecerunt, alteram, in quam tabellas totidem, quarum aliæ aliis, quas dixi, litteris essent notata. Ita fiebat, vt prout quisque hanc, aut illam litteram fortiretur, ita huic, aut illi foro iudex traderetur. Sortitione autem perfecta, deinceps subfortitio inibatur, quemadmodum etiam significat Demosthenes in prima contra Aristogitonem, cum inquit: *Quid est, cur vos ipsi omnibus paullo ante in sortem coniectis Atheniensibus, & omnibus in hoc forum peruenire cupientibus, soli nobis iudicium redditis? nempe quia sorte lecti, deinde sublecti estis. sic enim iubent leges.* Vt autem quisque litteræ sortem nactus erat, ita præconi fori eius ostendebat, præco vero tabellam ei dabat, in qua nomen ipsius, & patris, & populi, & fori inscriptum, simulq; symboli loco virgam, in qua fori nomē, eodem, quo forum, colore signatum erat, quibus acceptis iudicandi potestatem ille erat adeptus; nec sine iis aut iudicare, aut mercedem iudicationis poscere poterat. Aristoteles tamen in commentario de rep. Atheniensium scripsit, fora singula vario colore in vestibulo distincta fuisse; illum vero sumpta virga in forum se contulisse eodem, quo virga, colore præditum, & eadem, qua virga, littera signatum. vbi vero ingressus erat, symbolum publicum à magistratu accepisse. Vnde Demosthenes pro Ctesiphonte dixit: *In communibus causis ad maiorum dignitatem respicere debetis Athenienses, simulq; existimare, vestrum vnumquemq; vna cum virga, & simbolo spiritum ciuitatis suscipere.* Excludebantur autem à iudicatu præcipue Heliææ, qui aut triginta annos nati non essent, aut integram famam non retinerent, aut ærario deberent, quarum conditionum omnium meminit Pollux. de tertia vero scriptum est etiam in lege Solonis in Timocratea: *Si quis debitor supplicet, antequam soluat, ius esto eum* *ἐν δ' εὐκωνῶν, non aliter, ac si debens ærario in Heliæa iudicet.* Itaque Heliææ antequam ad iudicandum considerent, solemni iureiurando adigebantur, & quidem teste eodem in loco Demosthene, in hæc verba: *Sententiam feram vt iubent leges, & decreta populi Atheniensis, & senatus quingentumuirum. neque tyrannorum, neque paucorum dominatum constituam. nec, si quis euertat popularem statum Atheniensium, aut dicat, aut suffragetur aduersus hæc, patiar. neque nouas tabulas, neq; capite damnatos reducam. neque eos, qui incolumes sunt, expellam contra leges, quæ extant, & decreta populi Atheniensis, & senatus, neque ipse, neque alium quenquam concedam. neque magistratum creabo, vt imperet, rationibus alterius magistratibus non relatis, siue sit ex nouem archontibus, siue hieromnemom, siue quicumque cum nouem archontibus eodem die sorte leguntur, & præco, & legatus, & synedri. neque bis eundem magistratum eundem virum, neque duos magistratus eundem gerere sinam eodem anno, nec accipiam munera propter Heliæa iudicatum, aut ego aut alius quisquam mihi, aut alij me conscio, neque fraude, neque machinatione vlla. & natus sum annos non minus triginta. & audiam accusatorem, & defensorem æquo animo ambos. & sententiam feram de quo est actio. adiuro Iouem, Neptunum, Cererem. & ipse mihi exitium imprecor, & familiæ meæ. si quid horum transgrediar. sin bona fide præstitero, præclara mihi multa, eaq; bona eueniant.* Eiusdem autem etiam iuriurandi meminit Aeschines in exordio orationis contra Ctesiphontem, cum inquit, legislatorem hoc primum in iureiurando iudicium posuisse. Ferā sententiam ex legibus. Pollux autem iudices iurasse inquit in Ardetto ( qui locus fuit prope Iiisum amnem vltra stadium Panathenaicum) Apollinem patrium, & Cererem, & Iouem regem, se de iis, quorum leges extent, vt iubent leges, sententias laturos, quorum non extent, optima mente. Quod nescio an de Heliææ sit accipiendum, an potius de populis iudicantibus, in quorum iureiurando Demosthenes in oratione contra Eubulidem posita hæc verba fuisse significat: *Feram sententiam iustissima mente, neque odij causa, neque gratia.*

Sacramentum iudicij.

Introductio causarum.

His rebus rite administratis, tum iudices in suum se quisque forum conferebant

bant eo die, quem illis ad iudicandum præscriperat magistratus. neque enim, vt scriptum est in Timocratea, eodem die iudicium constitui, & concio haberi poterat. Vbi vero conuenissent, magistratus actiones in forum introducebant, atque ipsi ei iudicio præsidebant, & iudicibus iudicandi potestatem dabant. Quod tradit Arpocratio, cum quid sit *ἡγεμονία δ' ἡκαστοῦ* exponit: *Aliæ, inquit, apud alios magistratus dicæ intendebantur, intentas autem magistratus, vt cuique lex præcipiebat, introducebat in forum, ei præsidens, atque præpositus.* & Lyfias contra Alcibiadem de neglecta militia: *Græue esset, si thesmothetæ, qui iudicium dederunt, & suffragium permiserunt, ne quis condemnaretis, iuberent.* Quod autem dixi, magistratus lites in forum introduxisse, illud expressi, quod illi dixerunt *εἰσαγαγεῖν δίκας εἰς τὸ δ' ἡκαστοῦ.* quod est aliud nihil, quàm accusatori, aut litigatori iudicium dare. Quare qui hoc officioungebantur, *εἰσαγωγῆς*, id est introductores dicebantur. & *δίκην εἰσαγωγίμους* dicta est lis, quæ per leges à magistratu introduci, nec ab eo repudiari potuit. Sed de hoc toto genere introductorio, & quæ apud quemque magistratum lites intenderentur, & quæ à quoque in singula fora introducerentur, tum dicam, cum de iure magistratum disputabo. nunc quæ huius sunt loci præcipue, persequamur. Introducta vero in forum actione, subsidia multa reo erant legibus comparata, quibus aut iudicium à se depelleret, aut in aliud tempus differret, aut eodem iudicij laqueo aduersarium suum impeditum, & constrictum teneret. primum autem præsidium fuit *παράγραφή*, quam nos exceptionem vocamus, quæ, teste Polluce, & Vlpiano, erat, quoties aliquis negabat, actionem eam introduci posse, aut quia damnatus ante, aut quia absolutus fuisset; aut quia tempus abiisset, quò iudicari oportuisset; aut quia non publica actio intendenda fuisset, sed priuata; neque apud Areopagum, sed apud Palladium; neque apud arbitrum, sed apud archontem, aut thesmothetas; aut alios, aut non eo tempore, sed alio. Extant autem multæ eiusmodi apud Demosthenem causæ, ex quarum diligenti obseruatione aperte perspicitur, *παράγραφή* nihil aliud esse, nisi cum docentur iudices, *δίκην μὴ εἰσαγωγίμους εἶναι*, quod præcipue ex paragraphe pro Phormione cognoscitur: vnde in prima contra Stephanum illud est: *Litem in qua hæc testata sunt, παράγραφα τὸ μὴ εἰσαγωγίμους εἶναι Phormio, quia ei crimina condonasset.* Vt autem reus *παράγραφή* attulit, sic accusator *διαμαρτυρίαν*, nempe cum testem produxit, qui assereret, litem *εἰσαγωγίμους εἶναι*. de que ea iudicium constitutum est aduersus ipsum contestantem, quem illi *διαμαρτυρήσαντα* vocarunt. Quin etiam actore nullum testem producente, reum produxisse, & litem *μὴ εἰσαγωγίμους εἶναι* probasse, inuenio apud Isocratem in oratione ad Callimachum, cum inquit: *Intendit mihi litem decem millium drachmarum, cum ego testes proferrem δίκην μὴ εἰσαγωγίμους εἶναι.* Qui autem alterum falsi testimonij arguebat, is dicebatur *ἐπισημῶς εἶδαι*. Quæ omnia ex vna oratione de hereditate Pyrrhi apud Isæum perspicuntur: *Matre, inquit, nostra, sorore autem Pyrrhi litem de hereditate mouete, tutor mulieris, quæ hereditatem adierat, ausus est διαμαρτυρήσασθαι, matri nostra fraternali hereditatem non esse ἐπίδου, quia legitima filia extaret Pyrrho, cuius ab initio hereditas fuerat. nos autem ἐπισημῶς εἶμεναι, & ad vos adducentes eum, qui ausus erat διαμαρτυρήσασθαι de ijs, arguentesq; quòd aperte falsa testatus esset, cum apud vos falsi testimonij cõdemnauimus. item in oratione ad Leocharem: *Iste διαμαρτυρήσασθαι, Archiada hereditatem non esse ἐπίδου, quòd ei extarent legitimi filij.**

Depulsio iudicij.

Depulsio iudicij.

Depulsio iudicij.

Dilatio iudicij.

Alterum vero subsidium dictum est, *ἑωυμοσία*, quam definit Arpocratio, quoties differretur actio per causam peregrinationis, aut morbi, aut aliqua re eiusmodi, interposito iureiurando. idque apparere inquit ex oratione contra Olympiodorum, in qua ita orator: *Postquam archon omnes litigatores in forum acciuit ex lege, ἑωυμοσάμεν, id est subiurauimus nos, hunc Olympiodorum abesse in exercitu. cum autem hic subiurasset, & aduersarij contra subiurarunt, Olympiodorum hunc criminantes. Hinc Vlpianus in Medianam ἑωυμοσίαν, dixit esse iusiurandum, quo iudicium prod*

d d rogaretur,

rogaretur, si quis aut morbum, aut amici mortem, aut fortunæ iniquitatem excusa- ret. Horum autem duorum subsidiorum meminit etiam contra Euergum Demo- sthenes, cum inquit, eo testimonio priorem aduersarium ingressum forum, se ne- que, παραγραφομένον, neque απομνησμένον.

**Recrimina- tio.** Tertium fuit αντίγραφον, quoties, vt inquit Pollux, qui accusabatur, contra accu- labat. qui si caussa cecidisset, summam pecuniæ quandam debuit, quam vocarunt επωβελια. vnde illa apud Demosthenem in oratione ad Phænippum: Με αντίγραφο Phænippus, non iuste bonorum detectionem instituisse. & ad Leocharem: Et nos αντίγραφο, se Otrynensem esse.

**Mutua liti intentio.** Quartum αντίληξις, quando absens aliquis foro, per præconem citatus, neque audiens, iudiciū deferuisset. atque intra duos menses (neque enim ultra licuit) mu- tuam actori litem intentasse. quod si litem non obtinuisset, inscriptam multā de- buit, & infamia notatus est. Desertum autē, quod ego dixi, iudicium, illi δίκην ερήμην vocarunt. vnde δίδουαι ερήμην fuit, litem secundum præsentem aduersus eū, qui iu- diciū deferuisset, dare, & ερήμην καταγνώσκειν, aut ελαψ alterum deserti iudicij no- mine condemnare, & ερήμην όφλισκάνειν deserti iudicij nomine cōdemnari. quæ di- gendi genera passim apud oratores inueniuntur.

**Iusurandū actoris, & rei.** Quod si nullum horum remediorum reus tentasset, sed recta via iudicio occur- risset, quod illi ευθυδικία, & ευθυδικειν vocabant, quemadmodum ex oratione ad Phormionem, & ex prima contra Stephanum liquet, tum vero multa administra- ri sunt solita, quæ homines à iudiciis temere inferendis facile deterrerent. Si qui- dem actor, & reus iusurandum quoddam suscipere, & pecuniam quandam depo- nere à magistratu coacti sunt, quò causam syncerius agitent. Iusurandū autem fuit duplex, idque duobus nominibus à Græcis, vt sunt in fingendis, iungendisque verbis felices, designatū est, προμοσία, & αντίμοσία. Προμοσία, teste Polluce, fuit iusu- randum, quo primum adigebatur ille, qui litem intendebat, vera se crimina obie- cturū. Αντίμοσία, quo reus, se nō iniuriose acturum. Hinc Demosthenes ad Apho- bū dixit: Με vero προμοσίασας, hominem liberum esse, si contraria iuraris, tibi igno- sco. & ad Macartatum: Aliquem ei esse genere propinquum nemo tentauit αντίμοσία. Isocrates autē in oratione de Iugo vsus est αντίμοσία etiā, cum loqueretur de acto- re: Plus temporis, inquit, in criminando parente meo ponunt, quam in ijs, de quibus αν- τίμοσαμ, edocendis. Quin etiam pro vtrisque sæpe etiā διομύδις, & διομοσίαμ adhi- buerunt, quod ex superioribus auctoritatibus colligi potest. In publicis autem iu- diciis accusator præcipuo se sacramento obstrinxit, contestans deos, se pecunia ac- culationem non dimissurum, neque vllō modo præuaricaturum. vnde aduersus Timarchū, Eschines dixit: Et cum accusationi in foro insistens sacris in manus sum- ptis iurasset, se munera neque accepisse, neque accepturum esse, & cum deos iusurandan- di arbitros adiurasset, & sibi ipsi pestem optasset, tamen pecuniā accepisse conuictus est.

**Sportula.** Pecuniarū item, quæ deponerentur, multa genera fuerūt, πρυτανεία, παρασασ, παρακαταβολή, επωβελία. Prytanea Pollux cū Arpocratiōe cōsentit, pecuniā fuisse, quā ante iudicium actorē, & reū deponere oportuit: qui vero iudicio factō victus esset, pro vtroque iudicibus persoluit. morisque fuisse addit, vt qui de summa centū drachmarū vsque ad mille contenderēt, tres drachmas deponerēt, qui de mille vs- que ad decē millia, triginta; alios autē existimasse, prytanea æstimatæ liti partē de- cimam fuisse, eamq; pro sportulis iudiciū ab actoribus esse depositā. Parastasis vero drachma fuit deposita ab iis, qui priuatis inter se de cōtrouersis disceptarent. quo pacto accepit Andocides in oratione de mysteriis, cū inquit: His cognitis exemplo ego parastasi depositui, & litem Leagro priori de hereditate intēdi. Aristoteles tamē, vt narrat, Arpocratio, in quæstionibus etiā, quas thesmothetæ exercuerūt, parastasi depositā esse, memoriæ prædixit. Qui vero de bonis publicis cū rep. aut de puel- larū hereditate cum priuatis cōtenderunt, i. παρακαταβολήν deposuerunt, illi quidē quintam partem bonorū, quæ in cōtrouersia vocarentur, hi vero decimam, quod & Pollu

& Polluci, & Arpocratiōi multorum hoc oratorum auctoritate, maxime autem Demosthenis aduersus Pantænetum, comprobanti videtur. Quæ autem pecunia exigebatur ab iis, qui quem accusassent, non condemnassent, ea επωβελια nomina- ta est. nimirū, quod pro singulis drachmis obolus deponeretur, qui erat sexta pars drachmæ. Atque hoc est, quod dixit Demosthenes contra Euergum: Postquam sol- ui multis presentibus testibus mille, & centum tres drachmas, & duos obolos επωβε- λιαμ. & Isocrates ad Callimachum: Inte nōdit mihi litem decem millium drachmarum, me vero testes producente, quemadmodum lis non esset εισαγωγίμος, arbitrio factō, illud ille persequutus non est, quod sciret, se si quintam suffragiorum partem non tulisset, επωβελιαμ debiturum. inducto autem magistratu, rursus eandem dicam scripsit, tan- quam in prytaneis solis periculum contracturus. Non in omnibus tamen actionum generibus hæ depositæ pecuniæ sunt. ostendit hoc Isocrates cōtra Lochitam, cum inquit, de sola contumelia & dicas, & γραφές constitutas esse sine paracatabola. & Isæus in oratione de hereditate Pyrrhi, cum ait: Tu non detulisses ad archontem ma- le tractari puellam heredem ab adoptiuo tanta contumelia affectam, & paternis bonis spoliatam; cum præsertim solæ hæ causæ actoribus nihil afferat periculi, & liceat cui- libet opem ferre puellis. neque enim multa delationibus ad archontem proposita est, ne si nullum quidem suffragium tulerint, nec prytanea, nec parastasis vlla in delationibus deponitur, sed actores deferre sine periculo possunt, damnati vero extremis supplicijs afficiuntur.

Sæpe etiam incidit, vt ante iudicium ad finiendā litem litigatorum alter alteri oblata con- ditionem aliquā ferret, quod illi προκαλειδις, & προκλησιμ appellarunt. declarat hoc Demosthenes contra Pantænetū: Ferunt, inquit, nobis conditionem, quas non accepturis, vt aut omnes ab eis pecunias auferremus, atque abiremus, aut ipsis eam pe- cuniam solueremus, quam petebant. & contra Stephanum: Tulit conditionem Phor- mio Apollodoro, si negaret, exemplum testamenti eas esse tabulas, quas Phormio in echinum immiserat, vt aperiret testamentum Pasionis. Maximè autem se inter se conditionibus laceffere soliti sunt, famulos, famulasque ad quæstionem, aut ad te- stimonium poscentes. vt contra Pantænetum: Recitat mihi προκλησιμ sanè longam, postulans, vt seruus, quem dicit harum rerum esse consciū, in quæstionem detur. & contra Nicostratum: Volo, inquit, dicere de conditione, quam mihi tulerunt, quando prima recitatio est facta, dicentes, se paratos esse tradere mihi seruos in quæstionem, cum vellent, hoc sibi aliquid testimonij esse. & contra Euergum: Atqui oportebat, foris in sortem coniectis, producta muliere, & sumpto præcone de me, an vellent quæstionem habere, & ingredientes iudices testes adhibere, se paratum esse tradere. Hinc etiam αντίπροκαλειδις dixerunt, mutua aduersarium conditione laceffere, ac prouocare. quo verbo vsus est Demosthenes contra Pantænetum: Recita προκλησιμ, inquit, per quam ego coactus sum eum αντίπροκαλειδις, & seruū tradere. In oratione autem pro Ctesiphonte disertè aperit, quarum rerum προκλησις instituta sit, & quarum non sit, cum inquit: Neminem vestrum ignorare arbitror, earum rerum προκλησις inuen- tas esse, quæ in vestrum conspectum proferri gestæ non possunt. exempli causa, torque- ri presentibus vobis non licet. eius rei προκλησις sit, necesse est. factum est aliquid extra regionem. eius item προκλησιμ esse necesse est. vbi vero res in vestrum proferri conspectum possunt, quid simplicius est, quam in medium eas adducere?

Quoniam autem qui litigabant, in primis rem testimoniis confirmabant, hinc multa sunt etiam de citandis testibus, & dicendis testimoniis prodita monu- menta. quorum ratio nequaquam nobis videtur esse in hoc doctrinæ commen- tario negligenda. sunt autem duæ voces in primis in hoc genere factitæ, μαρ- τυρεία, & εκμαρτυρεία. quarum illa fuit, quoties qui vidit, testimonium dixit, hæc vero, quoties qui audiuit. Quod si qui viderat, testimonium dicere renuebat, tum per præconem citatus cogebatur aut testimonium dicere, aut εξαμύδις, id est ab- iurare, se non affuisse, aut certe mille drachmas pendere. Qui vero ad dicen- dd 2 dum

oblata con- ditio.

Testimonio- rum ratio.

dum testimonium citabatur, is dicebatur *κλητεύουσα*; per quem citabatur, *κλητήρ*, qui mille drachmarum terrore testimonium dicere cogebatur, *εκακλήτευουσα*. Atque hæc quidem cum à Polluce, & Arpocrate traduntur, tum etiam priscorum oratorum auctoritate, ac testimonio comprobantur. quorum verba cenfeo proferenda. Isæus de hereditate Pyrrhi: *Ἰν μαρτυρίας εὐς, qui affuerint, qualescunque sint, adhibeamus necesse est, ubi vero ab imbecillis, aut peregrinaturis ἐμαρτυρίας ἐλίκτιμους, optimum quæque ciuem, & nobis notissimum omnes aduocamus, neque cum uno, aut duobus, sed quàm plurimis possumus ἐμαρτυρίας ἑκίμους. Æschines in Timarchum: Quare si Misgolas huc accedens verum μαρτυρίαν voluerit, iuste faciet, sin autem ἐλλήλατρυβήνας maluerit, quàm vera μαρτυρίαν, vos rei summam cognouistis. si enim qui erit, erubescit, & mille drachmas pendere arario mauult, quàm os suum vobis ostendere, qui vero passus est, concionem habebit; sapienter fecit legislator, qui hos tam flagitiosos homines à suggesto remouit. sin autem obtemperauerit ille quidem, sed ad impudentissimam rationem illam se conuerterit τὸ ἐξομνύουσα, dum Timarcho rem gratam faciat, aduersus se peierabit. Demosthenes contra Neæram: Hipparchum cogam μαρτυρίαν, aut ἐξομνύουσα, aut ἐλλήλατρυβήνας illum. & in prima contra Stephanum: Primum vobis ex ijs, qui eis adsunt, testimonium dicent ij, qui viderunt, neque enim puto fore, ut velit, eos ἐξομνύουσα. Quid plura? recitat idem in secunda leges, quibus hæc tota, quam dixi, consuetudo sancitur: *Ἰυβεντ, inquit, leges, quæ quis vidit, & quibus gerendis interfuit, ea in tabulis scripta μαρτυρίαν, ut neque demere liceat quidquam, neque addere scriptis. rem vero à viuente auditam pro testimonio dicere non sinunt, sed à mortuo. imbecillum autem, & peregrinantium ἐμαρτυρίας scribi in tabulis.* Adde etiam, moris fuisse, ut qui testimonium dixissent, ad aras progressi, se vera dixisse iurarent, cuius rei documento est vir integerrimus, sanctissimusque Xenocrates, qui cum testimonio dicto iurandi causa ad aras accederet, vna voce omnes iudices, ne is iuraret, reclamatione. vnde celebris vox illa Periclis manauit. qui rogatus ab amico, ut pro se falsum deieret, probe respondit, amicum se illi tantum vsque ad aras futurum.*

Tabularum  
obsignatio.

Hæc igitur omnia, ceteraque quæ ad iudicium, litemque pertinebant, ante iudicium in tabulas, litterasque Arpocrate teste, referebantur, pacta, sacramenta, in ius vocationes, testimonia, & si qua erant eiusmodi alia, eorumque exempla, quæ *ἀντίγραφα* dicebantur, in capsulam, quam illi *ἐχίνου* vocabant, includebantur, ac ne qua fraus admitti posset, diligenter obsignabantur, quemadmodum ex multis Demosthenis locis colligitur, ut aduersus Bæotum de nomine: *Et nisi iam obsignatis echinis hæc accidissent, testes ad vos produxissim.* & contra Stephanum: *Phormio Apollodoro conditione tulit, si negaret ἀντίγραφα testamenti eas esse tabulas, quas Phormio in echinum intulisset, ut testamentum aperiret Pasionis.* item: *Testimonium, quo me reuincturum putabam, in echino non inueni.* & contra Olympiodorum: *Ego huic conditionem tuli, meq; sequi ad Andocidem, apud quem pacta sunt, iussi, ut communi consensu pactis descriptis, iterum signarentur, ἀντίγραφα vero in echinum immittentur, ne qua suspicio oriretur.* Ea vero obsignata in iudicium deferebantur, ut præsto litigatoribus ipsis essent, ubi ea iudicibus per scribam recitari iussissent.

Hora ad dicendum clep-  
sydra nota-  
ta.

His autem peractis vtrique litigatori hora ex lege ad dicendum statuebatur, eaque clepsydra notabatur, proptereaque spatium illud *διαμετρονημένην ἡμέραν* appellarunt. Erat autem, ut inquit Arpocratio, modus quidam aquæ ad mensuram diei spatium fluens, quæ mense Posideone mensurata, in quo maxima, & maximis de rebus iudicia exercebantur. in tres porro partes distribuebatur; vnam, quæ actori dabatur; alteram, quæ reo; tertiam, quæ iudicibus. quem morem cum ex commentariis Aristotelis de repub. Atheniensium prodidit, tum ex oratione Æschinis in Ctesiphontem, in qua hæc verba sunt: *Ἰν τρες partes diuiditur dies, cum γράφι παγαύουσα in forum introducitur. prima enim aqua accusatoribus, & legibus, & democratia infunditur; secunda vero reo, & patronis. ubi vero primis sententijs absolu-*

tus non

tus non sit, qui transgressus esse leges arguitur, tum tertia aqua infunditur æstimationi, & magnitudini iræ vestræ. Clepsydra vero, de qua dixi, vas fuit perforatum, in quo, ut Vespasium scribit interpretes, aquam infundebant, eamque fluere sinebant vsque ad foramen, atque ita oratori silentiū imponebant. ne fortasse dicendo diem eximeret, atque alios, ne dicerent, impediret. Huius autem rei tam multa extant apud oratores testimonia, ut ea commemorare prorsus putidum esse videatur. Demosthenes contra Nicostratum: *Non multis, inquit, post diebus in forum ingressus est ad diem mensuram.* item ad Aphobum de falso: *Quod tunc in parua quadam parte aquæ totius cum alijs obiecimur, nunc ad totam aquam ipsum per se probaturi eramus.* & ad Polyclem: *Si quis potest ostendere, me mentiri, surgens, in mea aqua redarguat.* & contra Neæram: *Procedete oratione, si volueritis audire, & mihi aqua copia suppetat, demonstrabo.* & Isæus de hereditate Pyrrhi: *Recita, tu vero infunde aquam.* Videtur autem orator id mandare archonti. quia Demosthenes in eiusmodi de hereditate iudicio infundendæ aquæ negocium archonti assignat. *Postquam, inquit, archon eos in forum duxit, & causam agere oportuit, cum alia omnia sibi parauerunt ad iudicium, tum aquæ, ad quam decertandum erat, quadruplo plus nobis sumpserunt. necesse enim habebat archon amphoram vtrique litigatori infundere, & tres choas posteriori orationi.* Pollux autem ministrum affuisse quendam scribit, qui diceretur *ἐψύδρα*, qui clepsydræ æqualitatem asseruarit. Videndum tamen etiam atque etiam admonet Arpocratio, quid sit, quod Isæus contra Elpagoram dicat, aliquando ad mensuram diem sine aqua iudiciū fieri, aliquando cum aqua.

Perorata vero tandem vtrinque causa, cum nihil addendum reo videretur, petebat, ut iudices suffragia de se ferrent. quod significare Xenophon in symposio videtur, cum inquit: *Atqui nihil habeo amplius, quod opponam. quare ferant suffragia, ut statim videam, quid me pati, aut soluere oportet, modo occulte ferant.* Tum vero magistratus, qui iudicio præsidebat, suffragium iudicibus dabat, quod reum aut absoluerent, aut damnarent. vnde illud est, de quo diximus, *Lysia: Graue esset, si qui iudicium dederunt, & suffragium permiserunt, ne quos iudices ipsi condemnarent, iuberent.* Præco vero, qui actori aderat, rogabat iudices, ut cui reus videretur culpæ affinis esse, condemnatorium ferret calculum; qui secus, absolutorium. verum hæc non in omnibus iudiciis eodem modo. nam quibus criminibus pœna legibus erat constituta, qui *ἀγὼν ἀπιμνός*, teste Arpocrate, appellabatur, vna sententia fatis erat, qua pœna illa reum aut multabant, aut liberabant. quibus vero nulla à legislatore certa proposita pœna, sed aut magistratus, aut accusatoris arbitrio erat permessa, qui *ἀγὼν πικνός* vocabatur, iubebat iudicibus is, qui iudicium exercebat, primum condemnandus reus, an absoluebat, statuere, inde quid ei patiendum, aut soluendum esset, æstimare. Itaque si quis quidpiam vel minimi quoque, ut ante cognouimus, pretij surripisset, capite plecti lex iubebat; si vidua mariti mortui domum compilasset, aut si quis liberum hominem contumelia affecisset. primum damnandus ne, an absoluebat, statui, deinde damnato, siue à magistratu, siue ab accusatore pœna esset inscripta, statim quid ei pati, aut soluere oporteret, æstimari. atque hoc idem in crimine etiam impietatis, cuius reus fuit Socrates, vsurpatum esse animaduertimus. de quo sic Cicero (libentius enim huius, quàm Diogenis verba recito: *Socrates damnatus est, neque solum primis sententijs, quibus tantum statuabant iudices, damnarent, an absoluerent, sed etiã illis, quas iterum legibus ferre debebant. erat enim Athenis reo damnato, si fraude capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio.* Neque vero solū in fraude impietatis, sed etiam violatarum legum hoc iuris est vsurpatum. quod ostendit Æschines, cum inquit: *Ubi vero primis sententijs reus absolutus non sit, tum tertia aqua infunditur æstimationi, & magnitudini iræ vestræ.* Suffragia vero, ut inquit Pollux, primū marinæ chonchæ fuerunt, quas postea ex ære cōfectas *αυωνδύλλας* dixerunt. deinde, teste Vlpiano in expositione Timocrateæ, sabæ albæ, nigræq; aut solidæ, & perforatæ à iudi-

sententia  
ferēdatur.

cibus occulte in urnas quasdam coniectæ sunt; atque albæ quidem, solidæq; ad absolendum, nigræ vero, perforatæve ad condemnandum. De albis, nigrisque scribit item Aristophanis interpres in Ranas, de solidis vero, & perforatis in Vespas. De præcone autem iudices sententiam, vt paullo ante dixi, rogante, Æschines contra Timarchum loquutus est: *Si de studijs, inquit, huius dandum esset suffragium, Timarchus ne peccasset, an non, res autem ageretur apud iudices, ad vos autem, vt nunc, adductus esset, neque liceret ex lege, aut decreto aut mihi accusare, aut huic defendere; præco autem, qui mihi nunc apparet, vos rogaret legitima rogatione calculum perforatum, cui videtur Timarchus impudicus esse; plenum vero, cui non, quid statueretis?* Urnas autem iudicibus, in quas suffragia deiicerent, duas præcones porrigebant, quæ καδῆς, & καδῆσιος dicebantur, vnā absolutoriam, condemnatoriam alteram. quod cum interprete Vespasum tradit Arpocratio ex auctoritate Menandri, qui dixit: *Accipe suffragium. cadiscus vero tibi absolutorius hic, condemnatorius vero hic.* Pollux autem duas amphoras vocat, in quas iudices suffragia mitterent, condemnandi vnā æneam, quam vocabant λυεροῦ; absoluendi alteram ligneam, quam dicebant ἀκυροῦ, quod idem etiam in Vespasum commentario proditur. Vnde Lycurgus aduersus Leocratē dixit: *Vestrum vnūquēque existimare oportet, duobus cadiscis positus, altero proditionis, altero salutis causa, si Leocratē absolueritis, prodere ciuitatem.* In priuatis autem iudicijs quaternos cadiscos appositos inuenio, singulis litigatoribus binos. quod declarat in oratione contra Macartatum Demosthenes, cum inquit: *Quatuor cadiscis ex lege apposis, iudices decreuerunt, & suffragia fuerunt pauciora tribus, aut quattuor in Theopompi cadisco, quā in mulieris.* Lata autem à iudicibus suffragia à magistratu dinumerabantur. quod Isæus significat, cum loquitur de hereditate Dicæogenis: *Permissimus, inquit, archonti, vt suffragia non numeraret, sed confunderet.* Notat porro Vlpianus in Medianam, non solum plura suffragia, sed etiam paria vim ad absolendum habuisse. vnde dixit Æschines contra Ctesiphontem: *Paria ei suffragia fuerunt. quod si vno solum excidisset, aut exulasset, aut perisset.*

Sententia  
executio.

His autem pronunciatis, si capite damnatus reus esset, vndecimuiris, vt summum de eo supplicium fumerent, tradebatur: si pecunia multatus, apud prætores, aut quæstores deæ inscribatur; de quibus postea cognoscemus. Quod si inscripam reip. soluere multam rei familiaris impeditus angustiis nequiuisset, in vinculis habitus, atque infamia notatus cum ipse à rep. tractanda remouebatur, tum eandem filijs conditionem moriens relinquebat. Quod Miltiadi accidisse accepimus. qui accusatus proditionis, causa cognita, capitis absolutus, pecunia tamen multatus est, lite quinquaginta talenta æstimata. quam pecuniam cum soluere non posset, in vincula coniectus ibi diem suum obiit. Cimo vero filius eius non ante remp. attigit, quā sumpta à Callia sororis suæ viro pecunia æs paternum dissoluit, ac reip. satisfecit. Itaque huc respiciens Demosthenes illud præter cetera obiecit Androtioni, quod cum pater eius debitor ærarij è carcere profugisset, ipse tamē, qui paternæ infamiæ hereditatē creuisset, rēp. administrare auderet.

De iudicijs Arbitrorum.

CAP. V.

Arbitri  
qui, quales,  
& quot.



ACTENVS sit disputatū de iudicibus. deinceps sequitur, vt de arbitris, qui διαβυται dicti sunt, differamus. quorū iura, vt etiā iudicū, obscurissima, & multis difficultatibus inuoluta sunt, neque adhuc satis cuiquam, vt mihi quidem videtur, illustria. Hi, quemadmodum Vlpianus in Medianam scribit, quadraginta quattuor ex vnāquaque tribu, & quidem, vt Polluci placet, supra sexagesimum; vt Suidæ, supra quinquagesimum annum natī, & ex Lexiarchicis tabulis quotannis forte educi sunt. ex quo intelligi potest, ducentos viginti arbitros in singulos annos alios aliis tribubus arbitrium reddidisse. vnde Demosthenes in oratione

tione

tione contra Euergum dixit: *Arbitrium sebat in Heliea.* nam ibi sedent, qui Erechtheidi, & Oeneidi arbitrium reddunt. Hi vero in duo genera longe inter se diuersa diuisi sunt. nam alij ex hoc numero ad priuatā causam diiudicandā noua sorte lecti, alij à litigatoribus ita inter se paciscentibus sumpti sunt. quod significauit Demosthenes in oratione ad Aphobum, cū dixit: *Et cum mihi persuasisset, vt Archinæo, & Dracontidi, & Phanestrato de falso testimonio rem permitterem, vbi ab eis accepit, si iurati arbitrium fecissent, compromissum damnaturos, eos reliquit, & cum ad arbitrum sorte lectum se contulisset, nec crimina resellere potuisset, arbitrij damnatus est.* Vtrunque autem genus complexus mihi videtur Aristoteles, quanquam obscure, cum in rep. Atheniensium hæc verba posuit, quæ ab Arpocratioe produntur: *Arbitri à iudicibus diuersi fuerunt. nam iudices in assignatis foris iudicauerunt, litesq; ab arbitris ad se translatas discreuerunt. arbitri vero ante sorte lecti, quā ij, quorum de re ageretur, se eis permitterent, arbitrium reddiderunt, & si litigatoribus placuisset, finem liti imposuerunt; sin minus, crimina, & citationes, & testimonia, & leges, & alias vtriusque probationes in echinum coniectas, atque obsignatas, litzium introductoribus tradiderunt.* Dicamus ergo nos deinceps de amobus. Qui igitur arbitria sortitione adepti erant, ij operam eis dare cogebantur, ea tamen conditione, vt iniurati essent, & ad eos sine periculo mille drachmarum adiretur, & ab eis ad iudices prouocatio concederetur. Coactos esse arbitria reddere, ostendit Pollux, cum scribit: *Arbitri sorte legebantur ex ijs, qui supra sexaginta annos nati erant, eisq; sub sortitione arbitria tradebantur: eratq; eis infamia proposita, qui arbitrium, quod sorte obtigerat, recusarent.* Iniuratos iudicasse, locus Demosthenis paullo ante ex Aphobi oratione recitatus docet. nam de periculo mille drachmarum idem in Androtiana significat, cum ait: *Vereris ne mille drachmas? dicam intende apud arbitrum, nec periculum adibis.* De prouocatione vero, quam ἐφῶσι appellauerunt, apparet ex eodem contra Aphobum loco: *Cum arbitris compromissarijs relictis ad arbitrum sorte datum se contulisset, arbitrij damnatus est. iudices autem, ad quos prouocauit, causa cognita eadem cum amicis eius, & cum arbitro statuerunt, eiq; litem æstimauerunt.* Iam vero qui prouocarunt, eos tabulas omnes, quæ ad litem pertinerent, in echinum inclusas, & obsignatas ad iudicium detulisse, & Aristoteles, & Pollux eisdem locis tradiderunt. Compromissarij vero arbitri appellati sunt, quos ex compacto ipsi litigatores ex toto arbitrorum numero legerunt, & quibus se iuratis permiserunt, nec ab eorum sententia recedere ius fuit. de his autem lex est in Mediana: *Si quis de cōmercijs priuatis inter se contendat, & velit arbitrum quemlibet eligere, liceat eis legere, quem velint, arbitrum; vbi ex compacto voluerint, stent ijs, quæ ab eo decreta fuerint, neque amplius transferant ab hoc ad alterum forum eadem crimina, sed quæ iudicata sunt ab arbitro, rata sint.* Atque eiusmodi quidem arbitros intellexit Demosthenes in oratione contra Neæram, cum Phrynioni, inquit, *litem intendisset, quod à se hanc mulierem in libertatem abripisset, persuaserunt eis propinqui, vt compromissum facerent, & pro Phrynione arbiter sedit Satyrus, pro Stephano Sabrias, communem vero adlegunt Diogitonem, qui in sano conuocati, re audita, sententiam tulerunt, mulierem liberam esse, eaq; illi steterunt.* & Isæus in oratione de hereditate Dicæogenis: *Cum his esset initura mense Memæsterione, petijt Leochares à Dicæogene, vt prorogato iudicio, rem arbitro permitteremus. id quod nos, qui leuiter læsi eramus, concessimus, remq; arbitris quattuor permissimus. quorum nos duos adduximus, illi duos. & in conspectu eorum pacti sumus, staturos ijs, quæ ipsi decreuissent, & iurauimus. & arbitri dixerunt, se, si possent iniurati nos in gratiam reducere, facturos; sin minus, pronunciaturus, quæ ipsi iusta censuissent.* & Demosthenes in oratione ad Callipum: *Cum hanc mihi litem intendisset, inuassissetq; vt Lysithidæ rem permitterem, respondi, me secundum leges permissurum, & ad magistratum rem detuli. iste vero arbitro secundum leges dato persuasit, vt iniuratus arbitrium redderet; me denunciante, vt secundum leges iudicatus*

Arbitrorū  
genera, duo.



ratus arbitrium redderet, ille iniuratus pronunciauit.

Agenda or-  
do apud ar-  
bitros.


In his porro arbitriis exercendis eandem rationem inter litigatores esse obseruatam differendi, transferendique arbitrij, & pecuniæ deponendæ, atque in iudiciis diximus, Demosthenes in oratione contra Median maxime indicat, cum ait: *Strato nobis arbitrium reddens, ut venit ἡ λύεια, & omnia effluxerunt, quæ legibus continentur, ὑπωμοσία, καὶ παραγραφαί, nihilq; restabat amplius, primum me rogauit, ut conducerem arbitrium, deinde ut in posterum differerem. tandem ubi neque ego concessi, neque ille prodijt, serum autem diei erat, arbitrium in eum tulit.* Hinc narrat Pollux: *Quoties quis apud arbitros, translato, aut dilato morbi, aut peregrinationis causa arbitrio non occurrens εἰς τὴν κωρίαν, deserti arbitrij damnabatur, licebat ei intra decem dies τὴν μὴ ὄσαν ἀντιγράφειν, & desertum arbitrium tollebat, ut à principio veniret ad arbitrum. si autem τὴν μὴ ὄσαν non tolleret, iuratus se inuitum deseruisse arbitrium, pro rata arbitri sententia ducebatur.* Hinc in oratione de nomine dixit Demosthenes: *Cum ego litem banc Bæoto Mantia filio Thoricio intendissem, à principio occurrit iudicio, & eiurauit, quasi esset Bæotus. tandem ut fraudi locus non fuit, desertum arbitrium aduersus se iudicari passus ἀντιλαχάει μοι τὴν μὴ ὄσαν.* Est autem ἀντιλαχάειν τὴν μὴ ὄσαν, litem renouare de iudicio irrito. Atque hæc, & eiusmodi vocabula alia ad hanc rationem spectantia loco Medianæ commemorato inueniuntur.

Magistratus autem, qui lites ad arbitros introduxerunt, εἰσαγωγῆς, id est introductores dicti sunt, de quibus ita Pollux: *Εἰσαγωγῆς nomen magistratus sorte lecti, qui dicas ad arbitros introducebat.* Atque hoc, credo, intellexit etiam Aristoteles, cum dixit, qui prouocarunt ab arbitris, eos tabulas omnes litis in echinum inclusas tradidisse τοῖς εἰσαγωγῆσι τῶν δίκων. Quos etiam eosdem esse opinor cum iis, quos vocat in Mediana Demosthenes ἀρχοντας, cū inquit, Stratonem arbitrium iudicasse aduersus Median in ædibus archontum; *Et cum iam, inquit, contenebrasset, offendit Medias archontes exire domo, vnaq; Stratonem qui deserti arbitrij eum damnarat. aususq; est petere ab eo, ut sententiam aduersus se latam mutaret, & ab archontibus, ut transcriberent.* Ex quo apparet, eos illius iudicij prope domos, ac principes fuisse, duos autem ei arbitrio præfuisse, post apparet.

Quin etiam pecunia apud arbitros quædam deponebatur. de qua Pollux ita scribit: *Arbitri drachmam vnam ab ætore ceperunt, quæ dicebatur δίασσις, cum ipse in tabulis & crimen, & estimationem inscripsisset; alteram vero pro ὑπωμοσία.* Demetrius autem Phalereus, teste Arpocrate in libris de legum latone, tradit, arbitros cepisse drachmas duas, vnam, quam vocabat παράσσιον, alteram κατὰ ὑπωμοσίαν ἐκάστην.

Hos autem arbitros in exitu anni, qui Scirrhophorione mense complebatur, potestate abiisse, elicitur ex Mediana, vbi ita agit orator: *Medias expectata vltima arbitrorum die, qui est Thargelione, aut Scirrhophorione, ad quem hic quidem arbiter venit, ille vero non venit, eo, qui prytaneatum gerebat, ad suffragia danda inducto, contra omnes leges Stratonem arbitrum ne accusatum quidem eiecit, & infamia notat.* Quem locum ita declarat Vlpianus: moris fuisse, ut qui remp. attigissent, rerum actarum rationes redderent, arbitros autem quendam in locum certis diebus conuocatos, ut si quis eos accusare vellet, quod aut gratiæ, aut odij causa, aut pecuniæ iudicassent, parati ad defensionem essent; abeunte vero anno ab arbitris initium sumptum, quia leuior eorum procuratio fuerat; Stratonem autem, cum extremo die mensis venire neglexisset, Mediæ esse potentia cōdemnatum. Ac de prisca quidem Atticorum iudiciorum consuetudine hætenus disputatum sit.

CARO



# CAROLI SIGONII DE REP. ATHENIEN- SIVM LIBER IIII,

★

## Qui inscribitur de Magistratibus.



De generibus Magistratum.

C A P. I.



ERTIVM locum obtinet quæstio obscura de magistratibus. Magistratus autē voco, quas illi ἀρχῆς appellarunt. quod ipsum cum dixerunt, nihil aliud quàm ius quoddam à priuati hominis iure separatim intellexerunt. habet enim qui in magistratu est, non id iuris solum, quod priuati ciues reliqui, nimirum quod ex communicatione ciuitatis adeptus est, sed aliud quoque amplius, quod capiendo magistratu est consequutus. Verum quod præcipue ius hoc nomine magistratus significetur, magnam habet dubitationem. Aristoteles enim in quarto de rep. haud facile exprimi posse asserit, quid magistratus nomine designetur. *Nam cum præfectos, inquit, multos ciuiliū societas desideret, certe non omnes, qui leguntur, aut sorte ducuntur, magistratus statuere oportet. cuiusmodi sunt primum sacerdotes, qui in alium numerum, quàm ciuiliū magistratuum, referendi sunt, deinde choragi, & præcones, & legati. curationes autem aliæ ciuiles sunt aut omnium ciuiliū ad aliquod officium, ut prætores militum; aut partis, ut gynæconomus, & paedonomus: aliæ vero domesticæ, ut cum sitometras legunt; aliæ vero ministræ, & ad quas, si opes suppetant, seruos adhibeant. in primis autem magistratus vocandi, quibus tributum est, ut quibusdam de rebus consultant, & iudicent, & imperent. præcipue autem ut imperent. est enim maxime proprium magistratus imperare.* Ex quibus verbis apparet, eum duo genera magistratuum constituere, αἰετῶς, & κληρωτῶς, id est qui leguntur, & qui sorte ducuntur, neque tamen sacerdotes, aut choragos, aut præcones, aut legatos, quantum leguntur, aut sorte ducuntur, magistratus vocare: pari ratione eundem curationes omnes, quas illi ἐπιμελείας vocant, magistratus nomine spoliare, curationes autem appellare, quæ alicui officio, atque operi efficiendo sunt destinatæ. quarum aliæ ciuiles sint, aliæ domesticæ, aliæ illarum ministræ; atque illud demum concludere, magistratus solos nominandos esse, qui ius habeant consultandi, iudicandi, & imperandi. Aeschines autem contra Ctesiphontem disputans, acute admodum ex verbis legis Solonis tria genera magistratuum esse contendit: vnum eorum, qui populi suffragio creati sint: alterum, qui fortis beneficio: tertium, qui editione,

Magistratus  
qui.

Peragat  
mag.

tione,

tione, quos Solo χειροτονητός, κληρωτός, & αἰρετός vocet. Sic autem agit: Si quis excipiat magistratus eos, qui sorte, & qui suffragio populi sint creati, relinquatur, quos tribus, aut curiæ, aut populi ex se ipsis ad tractandas pecunias publicas prodant, eos magistratus editicios esse. hoc autem fit, quando mandatur aliquid tribubus, exempli causa, vt fossas ducant, aut triremes constituent. Ex quibus verbis intelligi potest, quos Aristoteles vno nomine αἰρετός appellauit, eorum duo genera à Solone institui, vnum qui χειροτονητοὶ dicantur, alterum qui αἰρετοὶ; id est vnum, qui totius populi suffragio creati, alterum qui à parte populi proditi sint: præterea curationes, quas Aristoteles magistratus esse negauit, à Solone in magistratum nomen includi. quid ita: nēpe, quia vt Aristoteles proprium ius magistratus esse voluit, consultare, iudicare, & imperare, sic Solo multam irrogare, & iudiciorum principatū habere. quæ illi τὰς ἐπιβολὰς ἐπιβάλλειν, & τὴν τῶν δίκασθῆναι ἡγεμονίαν ἔχειν dixerunt. Quod ex eadem Aeschinis oratione cognoscitur; *Hunc igitur, inquit, & magistratum τελοποιῶν γέσσειν, & publicas pecunias tractasse, vt alij magistratus, & iudiciorum principatum obtinuisse, testibus planum faciam.* & ex oratione Lysiae contra Nicomachum: *Ille vero Archontibus multam irrogantibus, & in forum introducentibus ne obtemperare quidem voluit.* ἐπιβολὴ vero legitima quædam pecuniæ summa fuit, qua propria magistratus auctoritate multandi ius habuit. vltra quam si progredi, & τίμημα ἐπιγράφεσθαι, id est æstimationem inscribere voluit, eam in forum introducere, & iudicium cognitioni permittere debuit. id quod præter cetera lex ostendit, quæ à Demosthene profertur in oratione aduersus Marcartatum: *Archon non sinat viduas aliquid contra leges facere, & pro magistratus auctoritate irrogandæ multæ ius habeat. quod si maiore pœna digna videatur, vbi ad quinque dies in ius vocarit, & æstimationem, quæ sibi videatur, inscripserit, introducat in Heliæam. Heliæa vero æstimet, quid ei patiendum sit, aut soluendum.* Quibus principiis positis, sequitur, curationes & omnino quascunque præfecturas magistratus nomine afficiendas esse. Nos autem, quoniam Solonis remp. describendam suscepimus, interpretem legis eius Aeschinem sequuti latiore significatione omnes potestates, quæ multæ irrogandæ ius, aut iudiciorum, aut etiam consiliorum principatū habuerint, nomine magistratus afficiemus. Vt autem iudiciorum principatus est, vt in fora iudicium introducere, sic consiliorum, vt ad consessus referre publicos possint.

Hac definitione constituta, sequitur, vt magistratum genera perquiramus, quæ multa ex multiplicitate eorum diuisione reperiuntur. Primum enim, quod est in lege, alij χειροτονητοὶ fuerunt, alij κληρωτοὶ, alij αἰρετοὶ. χειροτονητός dixerunt, quos populus vniuersus legitime conuocatus suffragio declarauit. legitime autem conuocabatur, cum à Thesmothetis, vt inquit Pollux, solemnem die concio ἀρχαρχαίους, id est creandis magistratibus habebatur. Ibi vero qui propositus erat, de eo suffragium ferebatur, vt Aeschines de euentu legatione: *Cum legati decem creandi essent, ego propositus sum à Nausicle, Demosthenes autem à Philocrate.* Quo factum est, vt multis absentibus, atque adeo etiam recusantibus honores sæpe virtutis opinione, & populi fauore delati sint. Suffragium vero fuit χειροτονία, id est porrectio manuum, nimirum, vt in quem plures manū sustulissent, quemque eiusmodi voluntatis iudiciumque sui significatione probassent, is magistratum adeptus diceretur. eo vero modo prætores, hipparchos, & qui cum his coniuncti erant, designarunt, & omnino, vt inquit in Politicis Aristoteles, omnes, in quibus rerum usus, & exercitatio aliqua quærebatur. κληρωτοὶ dicebantur, quorum nomina in singulis tabellis scripta in sorte coniciebantur. Quo respiciens dixit contra Neæram orator, duabus tabellis præfecturam sortiri, esse fraudem reip. facere. Vt autem illi in comitiis per Thesmothetas creati, sic hi in fano Thesei per eosdem sorte ducti sunt. quod ostendit Aeschines contra Ctesiphontem; *Magistratus, inquit, esse dicent eos, quos thesmothetæ sortiuntur in æde Thesei, & eos, quos populus solet porrectione manuum decla-*

rare

rare in comitijs, prætores, hipparchos, & qui cum his coniuncti sunt. Αἰρετοὶ vero dicti sunt, quos extra ordinem ex senatus populique decreto tribus, aut populi ex suo quisque corpore prodiderunt, vt omnes operibus publicis perficiendis præficerent, quales murorum curatores, viarumque stratores: quod ex eodem apud Aeschinem loco perspicitur.

Quamquam autem ex omni, vt diximus, censu magistratus creari lege Aristidis licuit, tamen, vt Xenophon in libro de rep. Atheniensium scribit, plebes infima iure tantum honorum contenta nunquam eos magistratus petiit, qui salutem, aut periculum totius populi continerent, sed eos tantum, vnde fructum vtilitatemque perciperet, reliquos vero diuitibus reliquit.

Quacunque vero ratione, & quocunque ex censu lecti fuissent, omnes oportebat vitæ, morumque suorum, antequam magistratum inirent, rationem in foro apud iudices reddere. quæ iudicij forma dicebatur δίκασμα, & postquam magistratu abiissent, rationem magistratus apud logistas referre, quæ dicebatur ἐὺβύβν. Quod cum multis aliis testibus, tum maxime Aeschine confirmatur in oratione de euentu legatione. *Tubet lex, inquit, magistratus omnes, quos populus creat, & publicorum operum præfectos, & omnes, qui tractant aliquid ciuitatis vltra triginta dies, & qui iudiciorum principatus obtinent, (operum vero præfecti omnes iudiciorum principatus obtinent,)* & qui sorte lecti sunt, hos inquam omnes lex iubet præesse, probatos in foro, & rationem, atque ἐὺβύβνας apud scribam, & logistas deponere, ita vt nemo vel minimo magistratu gesto, nisi rationem, & ἐὺβύβνας reddiderit, à populo corona donari possit. Forensis autem hæc probatio propterea necessaria fuit, quia Solo, vt idem inquit contra Timarchum, lege prohibuerat, ne quis magistratum vllum aut intra Atticæ populos, aut extra, aut suffragio, aut sorte delatum gerere posset, qui impudicitiae, aut alio turpitudinis genere notatus fuisset. Vt autem qui in probatione reiciebatur, magistratum non inibat, quemadmodum ex Lysiae oratione de Euandri probatione cognoscitur, sic qui in referendis rationibus conuinceretur, pœnas ex lege dabat, quod ex eodem Aeschinis loco apparet.

Neque vero hoc contenti fuerunt, quin etiam in prima prytaneæ concione magistratus omnes in disquisitionem vocarunt, eosque si parum probe se gererent, vt supra diximus, abrogarunt. Vnde aduersus Theocrinem dixit Demosthenes: *Frater huius propter eiusdem improbitatem in disquisitionibus magistratu spoliatus, in eandem omnes collegas calamitatem traxit. nos enim, vt Lycisco archonte, thesmothetæ omnes in populo abrogati sint, ac deinde coronas à vobis receperint.* Coronas autem receptas cum inquit, insigne magistratus intelligit, quo alij coronæ, alij strophij fuerunt ornati. De corona testimonium extat Demosthenis, qui in secunda aduersus Aristogitonem inquit: *Cum abrogati sunt aliqui eorum, qui versantur in magistratibus, extemplo abdicant se magistratu, & coronas deponunt.* De strophio meminit Pollux, qui nomophylaces, non corona, sed strophio albo vlos scribit.

Illud præterea prodit Plutarchus, magistratus omnes à Solone cum prouocatione, quam ἐφῶσι vocarunt, fuisse creatos, prouocationem autem à magistratibus ad iudicia fuisse permissam.

Quod autem plerique magistratus deni quotannis lecti sunt, id ipsum ex Clithenis instituto profectum est, qui cum decem tribus instituisset, ex singulis legi singulos statuit, vt æqualitatis rationem, qua vna ciuitatis maxime concordia continetur, in rep. custodiret.

An vero certus annus singulis capiendis magistratibus fuerit, parum cognitum est. Illud quidem accepimus, neminem nisi certa ætate operam suam reip. præstitisse. is autem annus fuit decimus octauus. quo anno apud curiales probabantur, & ex pueris excedentes in ephobos, atque adeo in viros adscribebantur, & ex lexarchicarum tabularum, in quas referebantur, auctoritate ius bonorum suorum adi-

Disquisitio magistratuum

rare

rare

Probatio magistratuum

Insignia magistratuum

Prouocatio magistratuum

Cur plerique magistratus deni

Certa ætas magistratuum

adipiscebantur. quod supra probatum nouo nunc etiam Aeschinis testimonio confirmandum videtur. qui in oratione de falsa legatione inquit, se ex pueris egressum peribolum regionis fuisse biennium, eiusque rei se synephebos testes daturum; & Vlpiani, qui in Medianam scribit, cum in ephebos adscribebantur, & in viros profitebantur, ius suorum bonorum adeptos, è tutela exisse. Huc accedit exemplum Demosthenis, qui si Callimacho archonte anno trigesimo secundo Medianam, Timocrate vero archonte, è tutela egressus tutores suos iudicio, quod Dionysius, & Plutarchus scriptum reliquit, est persecutus, profecto anno ipso decimo octauo ætatis è tutorum potestate, atque è pueris abiit, ac in ephebos, & in tabulas lexiarchicas est relatus. Ab hoc ergo anno aut fortunis aut corpore seruire reip. cœperunt, ita vt aut *πρόπλοιοι*, aut *λετοργοί* fuerint, atque ab iis initiis ad altiores honorum gradus ascenderint. quod ex sequenti disputatione planissime cognoscetur. nunc, quod instat, singulorum, vt proposuimus, iura magistratuum persequamur.

De Præfectis Consiliorum. CAP. II.



**I**N magistratibus autem exponendis, quoniam consilia præposuimus iudiciis, ob eam rem ante qui consilia, quam qui iudicia, rexerint, edocebimus: & quia consilia supra commemorata sunt tribus, curiæ, gentes, populi, senatus, concio, & Areopagus, propterea qui his consiliis magistratus præfuerint, indagabimus.

Phylarchi.

Tribus igitur præpositi fuerunt antiquitus, vt opinor *φύλαχοι*, qui deni à Clisthene, quod scribit Herodotus, vt à populo crearentur, instituti sunt. post autem cum ad rei bellicæ, vt post dicemus, administrationem essent traducti, omnem tribuum curam susceperunt ij, qui *ἐπιμεληταὶ φυλάων*, id est tribuum curatores sunt appellati. Hi vero à tribubus proditi, tribus ipsas, cum vsus postulauit, conuocarunt, & earum negocia, atque ærarium procurarunt. Quod indicat Antiphon in oratione de choreuta: *Volui*, inquit, *viros duos, vnum curare Erechtheidem, quem ipsi tribules decreuerat conuocare tribum, eiusque perpetuam curam habere; alterum vero Cecropidem, qui perpetuo solitus erat hanc tribum conuocare.* & Demosthenes, cum ait, Theocrinem curatorem à tribulibus declaratum, rem communem administrasse, atque in iudicio repetundarum de peculatu damnatum esse. Adde, quod idem, cum aduersus Medianam inquit, Pandionide tribu iam tertium annum choragum non edète, ea de re archontem, & tribus curatores inter se contendisse, atque iurgasse, sane ad curatores tribus honorem, laudemque ipsius tribus pertinuisse significat, eorumque munus fuisse, vt darent operam, ne tribui anno suo choragi deessent.

Curatores tribuum.

Phratriarchi.

Quod autem in tribubus phylarchi, aut tribuum curatores, iuris obtinuerunt, idem prope in curiis *φρατρίαρχοι*, siue curiarum præfecti videntur exercuisse. quorum meminit Pollux, & Arpocratio, & præcipue Demosthenes in oratione aduersus Ebulidem: *Recita curiarum testimonium, qui me phratriarchum legerunt.*

Gentium curatores.

Quo posito, illud etiam verisimile coniectura videtur, cum gentium consilium quoddam fuerit, eodem modo & quosdam singularum gentium curatores extitisse, qui curiarum præfectis responderint, atque gentium negocia administrarint præsertim vero cum tabulæ quædam fuerint, vt supra ostendimus, communes, & curiales vocatæ, in quas puerorum nomina referrentur. quas obseruasse, qui curiis præfuerunt, haud sane alienum videtur.

Demarchi.

Populis autem certe *δήμαρχοι* sunt præpositi, cum à Clisthene essent eo, qui populos in tribus distribuit, instituti, eademque auctoritate, qua qui regum tempore Naucrari dicebantur, ornati. Munus autem eorum fuit, descriptiones fundorum, qui in singulis populis essent, conficere, tabulas lexiarchicas custodire, populos;

re pō

re postulante, conuocare, & suffragiū eis dare. quæ omnia ex Aristotelis auctoritate prodidit Arpocratio. Adiiicit Pollux, eosdem collationes, & impensas, quæ à populis fierent, suffragio subiecisse. Quo eodem pertinet illud in oratione cōtra Ebulidem, in qua ait Euxius, multorum à se voluntates alienasse, quod in demarchia à multis, quæ ex nemorum redempturis debebant, acerbe exegerit; & Arpocratio illud, cum eos pignora abstulisse ex Aristophanis sententia inquit. Quin etiam eosdem popularium recēsum fecisse, & nautas edidisse, Demosthenes aduersus Polyclem ostendit. His auditis, inquit, decreuistis, trierarchos nauas ad Choma deducere, & senatores, ac demarchos recensiones popularium facere, & nautas eedere. & aduersus Macartatum, eosdem, si quis in populo perisset, neque sepulturæ mandatus esset, sepulturam eius ex lege curasse. cuius legis verba hæc sunt: *Qui pereunt in populis, quos nemo sustulerit, eos demarchus propinquis denunciaret, vt tollant, atque sepeliant, & populum expient eodemmet die, quo singuli eorum perierint. de seruis autem denunciaret domino: de liberis vero ijs, qui pecunias possidet. quod si nulla mortui pecunie sint, denunciaret propinquis mortui. quod si, denunciante demarcho, propinqui non sustulerint, demarchus locos tollendum, & sepeliendum, & expiandum eo die populum, quam minimo poterit. quod si non locauerit, mille drachmas ærario dare damnas esto. quidquid autem impenderit, duplum à debitoribus exigat. si non exigat, ipse popularibus dare damnas esto.* Quod autem lexiarchicas tabulas apud demarchos asseruatas scribit ex Aristotelis sententia Arpocratio, idem etiam Demosthenis testimonio confirmatur. apud quem Euxius aduersus Ebulidem dolet, tabulas, in quibus pater suus professus erat, Antiphilo Ebulidis patre demarcho interiisse, & Leochari Aristodemi filius obiicit, quod paucis quibusdam Otrynensium conuocatis, & demarcho persuaserit, vt apertis tabulis semetipsum inscriberet.

Iam vero senatui Quingentumuirum, & concioni prytales, & proëdri, & epistatæ præfuerunt. Atque hi quidem omnes, ex quibus, & quo modo legerentur, & quam multis diebus, & quo iure præessent, satis supra ostensum est, cum de senatu, & concione, quorum iura ab his disungi vix possunt, est disputatum. Fuerunt autem prytales quinquaginta, proëdri nouē, epistatæ duo, vnus senatus, alter populi, in sortem omnes coniecti, qui senatum, & concionem indixerunt, conuocarunt, dimiserunt, priuatos, legatosque audierunt, & in senatum, concionemque producerunt, ad ea consilia rettulerunt, & si quid aliud fuit, quod cum senatu, populoque agendum esset, id ipsi pro sua auctoritate eo, quo demonstrauius, modo egerunt. Memorabile vero illud, quod narrat Pollux, epistatam senatus bis eundem legi nō licuisse, clauēque ærarij, quod in arce erat, cum publico annulo apud se habuisse, & propterea nisi diem vnum in imperio esse per leges non potuisse. Quæ ipsa ita sancita esse scribit in Androtianam Libanius, siue quicumque is sit, qui eius argumentum orationis conscripsit, ne ille diuturnitate imperij abusus tyrannidem occuparet. Prætores autem extra ordinem cum concione egerunt, vt supra diximus.

Prytales.  
Proëdri.  
Epistatæ.

Quin etiam thesmothetas cum concione aliquando egisse reperimus. Etenim, teste Polluce, & comitiis magistratuum præfuerunt, & delationes ad populum detulerunt. nam, vt iidem ad Areopagi senatum rettulerint, ante cognouimus.

Prætores.  
Thesmothetas.

De præfectis iudiciorum. CAP. III.



**I**UDICIORVM autē foris reliqui ferme omnes magistratus præfuerunt. verum principatum quodammodo eorum nouē archontes tulerunt, Rex, Archon, Polemarchus, & Thesmothetæ sex, quibus magistratibus tantum honoris tribuit Solo, vt, quod scriptum est in oratione cōtra Neæram, quos populus ciuitate donaret, eis tamen hanc dignitatem lege adimeret, sed posteris eorum tantum cōmunicaret. Hi vero non suffragio, vt ante, sed sorte vt legerentur, instituit, ita tamen, vt postquam lecti essent, in senatu quidem excuterentur, in iudicio vero probarentur. quorum illud *ἀναλογιστῆς*, hoc *δολιμαστῆς* appellatū. Ac excussos

Nouem archontes.

cc quidem

quidē ostendit Demosthenes in oratione aduersus Ebulidem: *Vos quidem nouem archontes excutitis, an de parentibus bene mereantur. ego vero à parentibus orbis reliquus sum.* & paullo post: *Quemadmodum vos excutitis Thesmothetas, sic ego me ipsum vobis excutio. heus tu, quis tibi fuit pater, qui propinqui, qui curiales, qui Apollinis, & Iouis Hercei gentiles, qui tribules?* Quem locum explicans, vt video, Pollux, inquit, thesmothetarum excussione factam esse, interrogante senatu, an vtrique essent Athenienses tertio gradu, & ex quo populo, an haberent Apollinem patrium, & Iouem Herceum? an de parentibus bene mererēt? an stipendia pro patria fecissent, an censum haberent? Hoc tamen pacto excussos omnes, qui reip. partem aliquam tractaturi essent, narrat Dinarchus in oratione contra Aristogitonem. Illud autem in nouem archontibus fuit præcipui, quòd in Regia porticu iureiurando adacti sunt, se leges seruaturus, neque donum accepturos, alioquin auream Delphis statuam repensuros. deinde, quòd in arcem ascendentes, eadem iurarunt, & myrto coronati sunt. Vnde Socrates in Phædro dixit: *Atqui ego tibi, vt nouem archontes, polliceor auream Delphis statuam soluturum.* Probatos autem à iudicibus, ex Demosthenis verbis elicitur, cum cōtra Leptinem inquit, Solonem voluisse, thesmothetas forte lectos bis probatos imperare. vno enim probationis vocabulo excussione etiā videtur esse cōplexus. merito. cauerat enim Solon, vt supra dixi, ne quis impudicus ex nouem archontibus esset. Corona vero eos vsos esse, & tradit Pollux, & in oratione contra Timarchum cōfirmat Æschines, & aduersus Mediam Demosthenes: *Si quis, inquit, thesmothetam cōtumelia, aut maledicto affecerit, infamis est omnino, quia leges, & coronam vestram, & nomen ciuitatis cōculcauit. pariterq; si archontem coronatum percusserit, aut maledicto inceserit.* Iura vero singulis his diuersa Solo concessit. quorum alia ad sacra, alia ad consilia, plurima vero eaque summa ad iudicia pertinuerūt. Ac sacra quidem patria Rex, Archon, & Polemarchus procurarunt, vt dicemus, cum de sacrorum præfectis agemus. ad concionem autem, & Areopagum vt quibusdam de rebus rettulerint, supra ostendimus. Nunc autem, vt grauiora iudicia exercuerint, quæ maxima eorum fuit procuratio, exponamus.

Primum autem nouem archōtes & iudicū numerum, & sua cuique iudici fora sortiti sunt, & quo quæq; fora die iudicare deberent, vt ante diximus, proscripterūt. deinde maiorem litium partem apud se intentam audierunt, & si libuit, in ipsa fora introduxerunt, publicas quidem ferme rex, & thesmothetæ, priuatas autem archon, & polemarchus. Quod intellexit Socrates apud Platonem, cū ab Eutyphrone in Regia porticu rogatus, cur ibi esset, quòd nō ei, vt sibi, apud regem δίκην esset, reprehendit eum, quòd apud regem δίκην appellasset, quā Athenienses γραφήν nominarent. Quæ vero apud quenq; actiones intentæ, & ab iis in forum introductæ sint, quod supra omisimus, cū de iudicibus agebamus, in præsentia subiungamus.

De Rege igitur, qui in porticu Regia ius dixit, ita scriptum est apud Pollucē: *Apud Regē lites intenduntur impietatis, sacerdotij cōtrouersi, & gentibus, ac sacerdotibus omnibus ipse ius dicit. & causas de cæde in Areopagum introducit, & deposita corona cum ijs iudicat. quin etiā lites de rebus inanimatis cognoscit.* Hoc autem idem prodit etiā Arpocratio, dum, quid sit ἡγεμονία δίκης ἐπιπέρας, exponit. Ac de cæde quidem vt rex cognouerit, satis supra demonstratum opinor. de impietate autem eū quæsiisse, ostendit Plato etiā in Eutyphrone, vbi Socrates in Regia porticu apud Regem à Melito de impietate accusatus, Eutyphrō autē patri suo iudiciū de cæde intentaturus narratur. & Demosthenes in oratione aduersus Lacritū: *Litem intende apud Regem; non sumus, inquit, gymnasiarchæ, neq; impietatis accusamus quenquā.* Scribit tamen idem in Androtiana, si quis alterū argueret impietatis, id & apud thesmothetas, & apud regē facere potuisse, sed apud thesmothetas γραφῆς, apud Regē δίκης.

Thesmothe-  
ta.

Iā vero apud thesmothetas actiones intentæ sunt de peregrinitate, de peregrinitate corrupta, de donis, de calumnia, de falsa citatione, de falsa relatione, de contumelia, de nomine deleto, & de adulterio. Quod non solum Pollucis, & Arpocratio-

tionis, sed etiam veterum legum auctoritate testatum est. De peregrinitate enim lex extat apud Demosthenem in oratione contra Nearam: *Si quis desponderit mulierem peregrinam, vt propinquam suam, homini Atheniensi, infamis esto; & bona eius publicentur, & conuictoris pars tertia esto.* γραφῆς autem apud thesmothetas, cui licet, quemadmodum etiam de peregrinitate. item altera: *Si peregrinus ciuem Atticam in matrimonio habuerit arte, aut fraude aliqua, γραφῆς apud thesmothetas quilibet Atheniensis, cui ius est; si conuincatur, ueneat & ipse, & bona eius, & tertia pars conuictoris esto. eodem modo & qui uxorem habet peregrinam, damnatus debeat ærario mille drachmas.* De donis autem lex est in oratione contra Stephanum secunda: *Si quis coierit, aut corruerit aut Helicam, aut aliquod forum ex ijs, quæ sunt Athenis, aut senatum, præbitis ad corruptelam pecunijs, aut manum fecerit ad popularis status euersionem, aut aduocatus cum esset, pecunias ceperit in priuatis causis; aut publicis, harum rerum γραφῆς sunt apud thesmothetas.* De calumniatoribus, quos illi sycophantas dixerunt, sic scribit in oratione de antidosi Isocrates: *Maiores nostri acerbiores de sycophantis, quàm de alijs maleficijs, leges tulerunt. quia maximis delictis in vno tantum foro iudicia compararunt, de sycophantis autem γραφῆς apud thesmothetas, εἰσαγγελίας in senatu, προβολὰς in populo statuerunt.* De contumelia porro legem profert Æschines in Timarchum: *Si quis Atheniensem puerum liberum cōtumelia affecerit, γραφῆς ille, in cuius potestate est puer, apud thesmothetas, estimatione inscripta, qua si à iudicibus damnatur, vndecim viris traditus, eodem die moriatur.* item alteram Demosthenes in Mediam: *Si quis alicui contumeliam intulerit, vel conuictum dixerit, γραφῆς contumeliæ δίκην conuictij subeat: si vero thesmothetæ, infamis esto. omnibus autem omnino pro eo, qui male habitus est, pœnas repetere ius sit.* item alteram: *Si quis contumelia affecerit quenquam aut puerum, aut mulierem, aut virum liberum, aut seruum, aut aliquid aduersus hos contra leges commiserit, γραφῆς apud thesmothetas quilibet Atheniensium, cui ius est: thesmothetæ vero introducāt in Helicam triginta post γραφῆς diebus, nisi si quid publici impedimento sit; sin minus, vt primum licuerit. vbi vero damnatus sit, illi Helicæ statim aestimet, quid pati, aut soluere debeat. qui vero γραφῆς priuatas γραφῆς ex lege, si quis non persequutus erit, aut persequutus quintam suffragiorum partem non tulerit, pendat mille drachmas ærario. si vero de contumelia pecunia mulctatus sit, si liberum contumelia affecerit, in vinculis esto, donec pendat.* Quibus legibus adductus, vt video, Isocrates in oratione contra Lochitam ita scriptum reliquit: *In alijs criminibus licet ei soli, qui iniuriam passus est, ei, qui fecit, iudicium intentare: de contumelia vero, quasi res communis agatur, licet cuilibet Atheniensium γραφῆς apud thesmothetas, ad vos accedere.* præclare. Hoc est enim, quod Solo voluit, cum interrogatus, vt prodit Plutarchus, quæ probe ciuitas regeretur, respondit, in qua cuiusque non minus læsi alterius iniuriam iudicio persequi licet, atque ei ipsi, qui iniuriam passus est. De nomine deleto ita scriptum extat in oratione aduersus Theocrinem: *Lex diserte præcipit, si quis eorum, quæ ærario debent, ære non persoluto, ex tabulis expunctus fuerit, aduersus eum de nomine deleto apud thesmothetas γραφῆς esse, non autem aduersus eum, qui, cum debeat, non sit in tabulas relatus.* in hunc enim ὠδὲς, & alias pœnas esse. De adulterio ita contra Nearam: *Si quis alterum, vt adulterum iniuste vinxerit, γραφῆς apud thesmothetas. se iniuste vinctum, & si vinctorem conuicerit, & videatur ab eo iniuste insidijs appetitus, ipse indemnis esto, & sponsors sponsione liberentur. sin autem adulter esse videatur, iubet lex, vt sponsors eum conuictori tradant: in foro vero sine pugione pro arbitrato eum tractet, vt adulterum. Iam vero actionem τῆν παρανόμων apud archōtem intentam thesmothetas introduxisse, significat Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte: Æschines, inquit, intendit γραφῆς Ctesiphōti apud archontē τῆν παρανόμων, archon inde ad Thesmothetas. & Vlpianus ad Leptinianā perspicue tradit. quo cū discrepare Pollux haud videtur. si qui-*

dem scribit, thesmothesas ἢ παρανόμων γραφὰς εἰσάγειν, & si quis parum idoneam legem scripserit. Eodem vero referre δολιμασίας etiam, & προβολὰς possumus, quas à thesmothesis introductas à Polluce accipimus. nam de δολιμασία confirmat Lyfias in oratione cōtra Alcibiadem de militia neglecta: *Valde nimirum succensere, si Thesmothetæ vestrae probationi obuiam euntes vos ad condemnationem roga- rent, quod graue esse existimaretis, si qui iudicium dederunt, & suffragium permis- erunt, ne quos condemnaretis, iuberent.* Eadem etiam ratione nonnullæ ἀπαγωγὰ factæ sunt ad thesmothesas. vt de quibus lex est in Aristocratea: *Homicidā ius esto necare in nostrate agro, & abducere, vt iubet lex in tabula.* Quæ verba exponēs ora- tor ita subiicit: *Concedit lex abducere, an ad se? minime vero. at quo modo? vt iubet lex in tabula. quid est hoc? thesmothesas reos ob cædem possunt capite mulctare. ad hos igitur vult adduci.* & Lycurgus contra Leocratem, decretum recitans de iis, qui in bello Deceliam secesserunt: *Si quis, inquit, reuersus capiatur, ius esto cuiuslibet Athe- nienfium abducere ad thesmothesas.* Quin etiam eisdem de pactis, & iniuriis mer- catoriis cognouisse, ostendit Demosthenes in oratione ad Phormionem de mu- tuo: *Gravisimum, inquit, esset, si leges iuberent, de pactis dicas esse apud thesmothe- tas, vos vero dicam recusaretis iurati.* & contra Apaturium: *Mercatoribus & nau- cularijs iubet lex dicas esse apud thesmothesas, si iniuriam accipiant in emporio, aut hinc aliquo nauigantes, aut aliunde huc, & nocentibus pœnam vincula constituit, donec pœnam, qua mulctati sunt, soluant.* Ex quo intelligi potest, aliquot etiam lites pri- uatas apud thesmothesas esse intentas.

Archon.

Deinceps sequitur Archon, apud quem lites, vt inquit Pollux, intendebantur de mala tractatione, ebrietate, diuiforum electione, tutela pupillorum, tutorum constitutionibus, de hereditatibus, & puellis heredibus. quin etiam idem curator erat mulierum, quæ post mariti mortem prægnantes esse viderentur, & domos pu- pillorum exhaurirent. Quæ vero scribit Pollux, eadem veterum etiam oratorum auctoritatem nacta sunt. Nam de mala vxorū tractatione Lyfias in oratione contra Alcibiadem. *Tantam vero dotem, inquit, adeptas, quantam nemo Græcorum, adeo contumeliose se gessit, inductis in domum meretricibus, & seruabus, & liberis, vt vxo- rem coegerit, quanquam modestissimam, à se discedere, ad archontem, vt lex præcipit, venientem.* De mala vero tractatione parentum testis est Demosthenes in oratio- ne aduersus Lacritum, cum inquit, archontem de pupillis, & parentibus cognouisse. De reliquis legem affert idem in oratione contra Macartatum: *Archon cu- ram habeat pupillorum, & pupillarum heredum, & solitudinis domorum, & mu- lierum, quæ remanent in mortuorum maritorum ædibus, se vterum ferre dicentes, ne- que patiantur, eas contumeliose, aut contra leges aliquid facere, & potestatem habeat pro auctoritate magistratus irrogandæ mulctæ: quod si maiore pœna digna videatur, vocata in ius ad quinque dies, & mulctæ, quæ sibi placuerit, inscripta, in Heliæa in- troducat. quod si conuicta fuerit, æstimet Heliæa, quid ei patiendum sit, aut soluendum. Item alteram: Si quis de adita hereditate, aut pupilla herede controuersetur, vo- cet in ius eum, qui hereditatem adiit, apud archontem; quemadmodum fit in alijs dicit.* Iam vero de manifestatione quoque cognouisse archontem & Arpocratio tradi- dit, & Itæus in oratione de hereditate Philoctemonis ostendit. *Euctemon, inquit, repetijt à Pythodoro tabulas, & vocauit in ius de manifestatione. eo vero in conspectu archontis constituto, dixit, se velle testamentum rescindere.* Item de victu, Demosthe- nes in oratione contra Neæram: *Mulierem prægnantem domo eijcit, nec dotem red- dit. cuius autem Stephanus et litem de victu apud Odeum de dote intendisset ex lege, quæ iubet, si dimittat vxorem, reddere dotem; sin minus, ad nouem obolos vsuræ nomine soluere, & de victu apud Odeum ius esse tutori pro muliere litigare.* Odeum autem locus fuit in theatri similitudinem à Pericle constructus, ita dictus, quod ibi mul- ti artifices inter se cantibus decertarent, vt Plutarchus scriptum reliquit. Quo eo- dem in loco cum farina dimetirentur, vt in oratione ad Phormionem scribit De- mosthenes,

mosthenes, factum est, vt archon ibi forum habuerit, in quo causas de victu co- gnouit. quemadmodum Suidas, & Pollux memoriæ prodiderunt. Postremo co- gnouisse etiam de repudio innuit contra Onetorem in prima Demosthenes, cum inquit: *Repudium vero istu apud archontem scripserunt.* Neque vero solum priuatas lites, sed etiam publicas quasdam archon exercuit, vt εισαγγελίας, ἐνδείξεις, φάσεις, & ἐφηγήσεις. Εἰσαγγελία in mala tractatione, & in hereditate puellarum sunt facti- tata. Quod planum facit Itæus in oratione de hereditate Pyrrhi: *Licet cuiuslibet puellas heredes subleuare, quia pœna εισαγγελίας apud archontem non est proposita.* item: *Tu nunquam detulisses apud Archontem puellam heredem male tractatam ab ascititio filio, contumelia affectam, & toto patrimonio spoliata.* & Demosthenes, qui in oratione contra Medontem, teste Polluce, εισαγγελίας esse concessas inquit aduersus eos, qui alieni, non propinqui puellas heredes duxissent. quas delationes Solo à mille iudicibus, Phalereus à mille, & quingentis iudicari voluit. De reli- quis testis est item Pollux, qui scribit in hunc modum: *φάσει instituebant apud ar- chontem, cum in tabula nomen & suum, & rei adscriberent, & æstimationem in- scriberent. archon autem tradebat controuersiam foro, & æstimatio euadebat eorum, qui accepissent iniuriam, si alius pro eis φάσει institueret. qui vero quintam partem suf- fragiorum non ferebat, τὴν ἐπωβελίαν debebat.* Ἐνδείξεις item facta est apud archontem. qua qui vsus est, eam archonti scriptam tradidit, vt se falsæ ἐνδείξεως pœna obstrin- geret. Quod idem in ἐφηγήσει obseruatum esse superiore libro demonstraui.

Vt autem Archon inter ciues ius dixit, sic Polemarchus inter ciues, & peregrin- nos. Neque enim prætereundum illud est, magnam peregrinorum turbam Athe- nis esse versatam, qui aut ibi negociarentur, aut operam suam ciuibus Athenien- sibus quoquo modo præstarent. Eorum vero genera duo fuerunt, μέτοικοι, & ἰσ- τελεῖς. Ac μέτοικοι quidem, quos inquilinos vertimus, dicti, qui cum ex sua ciui- tate Athenas commigrassent, atque ibi rerum suarum sedem, ac domicilium col- locassent, cum eadem, ac ciues, veste vterentur, vt inquit in Atheniensium rep. Xenophon, lege tamen Solonis opus in foro facere prohibebantur, quod scriptū est in oratione contra Neæram, & tributum quoddam, quod μετόικων dicebatur, pendere iuebantur. ἰσ τελεῖς autem ex inquilinis erant ij, quibus id honoris tri- buebatur, vt tributo, & aliis quibusdam oneribus, quæ inquilinis erant imposi- ta, soluerentur. atque, vt inquit Ammonius, omnium rerum, quarum ciues, præterquam magistratus, participes essent. Quorum hominum sæpissime Demo- sthenes in Leptiniana mentionem vsurpat. Huic ergo hominum generi qui ius diceret, Polemarchus est constitutus. Hic enim, vt scribit Pollux, μετόικους, & ἰσ τε- λεῖσι δικάζει, & quod ex Aristotelis commentariis Arpocratio tradidit, causas vio- lati, & neglecti patrocini, & hereditatum inter inquilinos introducit. Verba vero ipsa Aristotelis apud Vesparum interpretem extant. *Polemarchus, inquit, non ciui- bus ius dicit, sed peregrinis. eorum enim lites introducit. quiq; auxilij indigent, ad pole- marchum confugiunt. ille vero introducit causas violati, & neglecti patrocini, & hereditatum, & pupillarum heredum inquilinis.* & omnino quodcumque archon ci- uibus, id totum præstat inquilinis polemarchus. Quod vero scribit Aristoteles, id ipsum lege confirmatur, quam profert Demosthenes contra Stephanum in secun- da: *Recita, inquit, legem, quæ iubet, litem esse de puellis heredibus omnibus & pe- regrinis, & vrbans; ac de ciuibus quidem archontē, de inquilinis vero polemarchum curare.* & addit: *Ergo de puella herede litem inferenda; si tanquam pro ciue, apud archontem; si tanquam pro peregrino, apud polemarchum.* Omnino autem peregrin- nos in ius apud polemarchum vocatos ostendit Lyfias in oratione cōtra Panleo- nem: *Veni, inquit, in officinam, in qua Panleon opus faciebat. vocaui eum in ius apud polemarchum, quod eum inquilinum esse arbitrarer.* item Demosthenes in oratione ad Zenothemidem. Quoniam autem inquilini iudiciorū haud participes suo no- mine litem intendere nequibant, propterea patronum ciuem Atheniensem adhi-

Polemarchus.

bere, qui pro se ageret, cogebantur. quod Aristoteles libro tertio Politicorū mandauit. vnde lis ἀποσασίς in eos, qui patronum nullum haberent, dimanauit. Neque vero inquilinos solum, sed etiam reliquos peregrinos in ius ad polemarchum venisse opinor: præsertim vero cum Athenienses omnibus fociis suis ius Athenis dixerint, eosque priuatarum litium causa venire Athenas coegerint. quod factum cum ob sportularum fructum, quo pauperes iudices alebantur, tum propter sumptum in classem ad socias ciuitates mittendam euitandum, Xenophon in cōmentario de rep. Atheniensium interpretatus est.

*Paredri.* Regi autem, & Archonti, & Polemarcho Paredri bini singulis in consilio affuerunt. hi vero neque fortis, neque populi, sed eorum, quibus affecerunt, beneficio lecti ius eis suggesserunt, vt Pollux, & Arpocratio tradidere. Itaque cum Demosthenes in Mediana dixisset, patrem archonti filio paredrum fuisse, notauit Vlpianus, paredros iunioribus datos, qui propter ætatem imperiti erant iudiciorum, vt simul cum iis causas examinarent. quin etiam paredriam aliquando emptam esse ostendit idem ille aduersus Neæram, cum Stephanum à Theogene rege, homine nobili, sed paupere suppeditata pecunia paredriam emisse inquit. Eos tamen non nisi in senatu quingentorum, & in iudicio probatos magistratum gessisse, & magistratu peracto rationes retulisse, iidem, quos supra dixi, memoriæ prodiderunt. Meminit porro eorum Isæus in oratione de hereditate Philoctemonis: *Confessus Euctemon coram archonte, & paredris, & testibus multū adhibitis, se non habere testamentum, abiit.* & Demosthenes contra Theocrinem: *Vocato in ius Polyæcto profert γραφήν aduersus eum de mala tractatione, & intentionem dat Mnēsarchidi paredro.* Ac de nouem quidem archontum iure hæc dicta sint.

Fuisse autem præter hos alios etiam magistratus, qui iudicia exercuerint, non eorum solum, quos supra commemorauimus, sed nouo etiam Suidæ testimonio cōprobatur. quid autem inquit Suidas? quid aliud, nisi non esse omnibus magistratibus permissum, omnes lites introducere, sed alias regi, alias thesmothetis, alias archōti, alias polemarcho, alias prætoribus, alias logistis, alias vndecimuiris. Quod cum ita sit, ergo deinceps, qui reliquas iurisdictionis, quæstionisve partes magistratus obiuerint, explicemus, & quod nemo adhuc ne tentauit quidem, aperiamus.

*Prætores urbani.* Prætores igitur, qui vrbanam iurisdictionem adepti sunt, (nam alij, vt post dicā, rem castrensem, militaremque tractarunt) quæstiones multas, & quidem omnes ad rem bellicam attinentes domi exercuerunt, vt ἀντιδοσις, τριηραρχίας, ἀποφάσις, & ἀσπρατίας. declarat autem hoc Suidas, cum eodem in loco prætores controuersias de antidosi, & trierarchia introduxisse scribit. ostendit Demosthenes, cum in oratione de antidosi narrat, secundo die Metagitnionis instantis prætores proposuisse antidoses trecentis. & cum ad Lacritum inquit: *De mercatorijs controuersijs apud quem magistratum agetur? an apud prætores? at isti trierarchos constituunt, introducentes in forum.* & iterum de antidosi: *In prætorium dedi ἀπόφασιν.* item: *Apud prætores ἀπεγραψάμην τὰύτην τὴν ἀπογραφήν.* Cōfirmat postremo Lyfias cōtra Alcibiadem de neglecta militia, cū petit à iudicibus, vt iuste statuāt, à prætoribus autē, qui iudicium cōstituerint, & suffragiū dederint, vt in desertæ militiæ causa æquos se actori, & reo præbeant. Quid sit autem ἀπόφασις, & ἀσπρατία, supra planum factū est. nam ἀντιδοσις, & τριηραρχία, ex iis, quæ infra dicentur, dilucidius apparebunt.

*Curatores naualium.* Prætorijs autem quæstionibus vicinæ propter rei bellicæ coniunctionem fuerunt eæ, quibus δι ἐπιμελιται τῶν νεωρίων, & δι ἀποσολῆς præfuerunt. Curatores vero naualium, vt scribit ad Androtianam Vlpianus, locos, per quos deducerentur triremes, purgarunt, & triremium ipsarum publica cuiusque armamenta curarunt. vnde dixit Demosthenes contra Euergum, curatores naualium debitores nauticorum armamentorum trierarchis exeuntibus tradidisse.

*Apostolei.* Αποσολῆς vero curam classis emittendæ habuerunt. quam illi ἀπόσολον vocarunt. quod in Pollucis, & Arpocratiois commentariis inuenitur, ambos autem de nauticis

nauticis controuersis cognouisse, ex eadem, quam dixi, oratione apparet. *Vocauit, inquit ille, in ius eum apud apostoleos, & curatores naualium. hi enim lites de nauticis instrumentis in forum introducebant.* & pro Ctesiphonte: *Omni belli tempore, cum naues ex mea lege emissæ sint, nemo trierarchus supplicauit, nemo ad vos, nemo ad Munichiam confugit, nemo ab apostoleis in vincula coniectus est.*

Longe autem ab his diuersi, remotiq; quadragintaui fuerunt, quos Demosthenes de verberibus, & vi quæsisse affirmat in oratione ad Pantænetum. *Multa mihi, inquit, grauia obijcit. Si quidem & verberationem, & contumeliā, & vim, & puellarum heredum iniuriam. harum vero rerū cuiusq; separatim actiones sunt, neq; apud eundem magistratum, neque eadem poena, sed verbera, & ius apud quadragintauiros intenduntur, contumelia vero apud thesmothetas.* Ex quibus apparet, vt thesmothetæ magistratus erat, qui lites introducebat, sic etiam quadraginta viros fuisse, eosque de verberibus, & vi quæstiones exercuisse. Hi vero primum triginta, deinde quadraginta δικασαὶ κατὰ δῆμους fuerunt, vt narrat Pollux, & teste Arpocratio, Aristoteles, eo iure præditi, vt singulos populos obeuntes de pecuniæ summa vsque ad decem drachmas iudicarent. quæ vero superaret, ea arbitratorum iudicio post triginta tyrannorum dominatum committerent. Meminit autem eorum etiam in Aristocrateia Demosthenes: *Si quis agoranomus, aut astynomus, aut iudex in populis de peculatu, & repetundis damnatus sit.* Quem locum exponens Vlpianus scribit, è singulis populis, vt è Præaniensi, iudices lectos esse. Hos tamen iudicum quidem nomen tulisse, sed ius magistratus obtinuisse arbitror, si quidem à Demosthene vna cum agoranomo, & astynomo, qui magistratus fuerunt, numerantur.

Iam vero qui negotiationi, & nundinationi præfuerunt, multi pariter extiterunt, & quidem diuerso omnes inter se iure seiuncti. de quo genere toto sic in Politicis Aristoteles: *Prima ex necessarijs curationibus est, quæ in foro versatur, cum magistratum aliquem, qui commercia, & moderationem dispiciat, præficere oportet. Nam fere omnibus ciuitatibus quedam emere, alia vendere ad mutuos rerum necessariorum vsus necesse est.* Quibus verbis disertè ille ἀγορανόμος expressit, qui, teste Arpocratio, magistratus à forte fuerunt, quinque in Piræo, & quinque in vrbe, iidemque in foro venalia inspectarunt. Meminit autem eorum Demosthenes contra Timocratem, vbi Vlpianus scribit, agoranomum inspectorem fuisse venalium fori. meminit item Lyfias aduersus frumentarios, inquiens, aliis quidem rebus venalibus agoranomos custodes constitui, frumentariæ vero rationi soli Sitophylacas. Theophrastus autem in libris de legibus scribit, agoranomos duarum rerum curam habuisse ex lege, modestiæ in foro, & ne mendacium dicerent, non solum qui venderent, sed etiam qui emerent. Quod illi κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψυδῆν, dixerunt. cuius legis meminit contra Leptinem Demosthenes, & teste Arpocratio, contra Athenogenem Hyperides.

Vicini autem Agoranomis erant μετρονόμοι quindecim, quorum, vt ex Aristotelis sententia scribit Arpocratio, decem in Piræo, quinque in vrbe curarunt vt mensuræ vendentium iustæ essent. probe vero. si quidem scriptum est in oratione Demosthenis aduersus Phormionem, ciues, qui vrbem incolebant, farinas in Odeo aliquando dimensos esse, qui Piræum, in nauali panes obolo distribuissent, & in Longa porticu farinas ad semisextarium mensurasse. Longa autem porticu mercandi causa vtebantur, qui in Piræo ad mare habitabant, teste Pausania, vt qui procul à mari, foro Hippodamio.

Cum his autem coniuncti erant σιτοφύλακες, qui teste, vt ait Arpocratio, Aristotele, curabant, vt frumentum, farinæ, & panes iusto pretio venderentur. eorumque decem in vrbe ius dicebant, quinque in Piræo. quod confirmat Lyfias, cum dicit, aliis rebus venalibus agoranomos custodes constitutos, soli frumentariæ rationi si top hylacas sorte esse præfectos. meminit autem eorum etiam De-

mosthenes contra Leptinem: *Arege Bosphori quotannis frumenti ad millia quadraginta medimnum id quod ex tabulis sitophylacum quibus perspicere potest.* Ut autem hi foro & annonæ præfuerunt, sic alij quidam emporio. hi vero decem *ἐμπορίσ ἐπιμεληταί* fuerunt. Quibus forte lectis id negocij datum est, ut emporij curam haberent, & frumenti, quod in Atticum emporium adueheretur, duas partes in urbem mercatores deferre cogerent. Quod ex Aristotelis auctoritate prodit Arpocratio. Quas autem isti lites cognouerint, & introduxerint, declarat Demosthenes in oratione ad Lacritum, cum legem profert: *Argentum nemini Atheniensium, atque inquilinorum, qui Athenis incolant, in nauim dare liceat, quæ frumentum Athenas allatura non sit. si autem dederit, eodē modo φάσις & ἀποραφή argenti sit apud curatores, atque de nauī, & de frumento. neque lis ei sit de ipso argento, quod dederit alio, quam Athenas. neque magistratus hac de re introducat vllus.* & contra Theocrinem, cum inquit, Theocrinē φάσις apud curatores emporij Miconem aggressum esse, quod aliō, quam Athenas nauim frumēto onustam deuexisset, & eam φάσις à scriba curatorum esse acceptam, & curatores ipsum ad excussionem vocasse.

*Nautodica.* Finitimi vero emporij curatoribus fuerunt *οἱ ναυτοδίκαι & οἱ εισαγωγῆς*. Nautodicas Lysias in oratione de iniuriis publicis ostēdit magistratū fuisse forte lectum, qui lites nauclerorum, & mercatorum introduxerit. Eisdem autem de peregrinitate quoque cognouisse, Pollux, & Arpocratio attestantur; ac Pollux quidem his verbis: *Nautodica erant, qui peregrinitatis dicas introducebant; vocabantur autem ἐβρισολίκαι, si Cratero credendum est ei, qui decreta collegit, ij qui dicas introducere nolebant.* Arpocratio autem his: *Nautodica magistratus fuit Athenis. Craterus in quarto decretorum scribit, si quis ex ambobus peregrinis natus in curialium numerum irrepisset, ius fuisse cui libet Atheniensium persequi, lite vltimo mensis die apud Nautodicas intenta.*

*Epagoget.* At vero dicas mēstruas, quæ de collectis, & mercatorum negociis cum essent, temporis procrastinationem non patiebantur, introduxerunt, teste Polluce, illi, qui *Ἐπαιγωγῆς* nominati sunt.

His expositis, sequitur, ut qui rem ciuitatis administrarint, exponam. dico autem rem ciuitatis pecuniam publicam, frumentum publicum, & si qua sunt eiusdem generis alia. Qui vero pecuniam publicam tractarunt, ij in multa genera distracti sunt, cum pro diuersitate pecuniæ, quam tractarunt, tum pro muneris dissimilitudine, quod in ea exercenda obiuerunt. Pecuniarum autem, quæ publico nomine exactæ sunt, quattuor ferme fuere genera, *τέλη, φόροι, εισφοραὶ & τιμήματα*. *τέλη* vectigalia ciuitatis fuerunt, quæcunque ex publicis possessionibus, ut metallorum fodinis, & nemoribus aliquot percipiebantur. Item quæ à sociis, ciuibus, & inquilinis, portorij, artis, lucrivæ nomine exigebantur. De publicis Atticæ argenti fodinis, vnde, ut supra diximus, vigesima quarta capiebatur, scribit copiosius Xenophon in libro de vectigalibus. De nemoribus publicis elicitur ex oratione Demosthenis contra Ebulidem, in qua Euxius queritur, multorum se animos offendisse, quod cū esset demarchus, acerbe à multis, quæ debebantur ex nemorū redempturis exegerit. Portorij autem nomine modo decima, modo quinquagesima exigebatur. ostēdit hoc Pollux, cū inquit: *τέλη fuerunt, quæ quinquagesimarum collectores, & portitores exegerunt.* aliquādo etiam *δεκατῆρια* instituerunt, fuitque decima *τέλος*. Quin etiam Arpocratio decimam, ac quinquagesimam vectigalia quædam esse prodidit, & Demosthenes idem, si probe attendimus, aliquot in locis demonstravit. maxime autem in oratione ad Leptinem, cum inquit: *Archebius, & Hermoclidēs Byzantio Thrasybulo tradito vos Hellepontii dominos effecerunt, ita vdecima vendita, & pecunia contracta ad pacem Lacedæmonios compuleritis.* vbi Vlpianus decimam fuisse, quæ ex oneribus mercatorum Hellepontii caperetur, exponit; & cum contra Mediam idem teloniam cum quinquagesima iunxit.

xit. quia ut ipse in oratione ad Lacritum significat, quinquagesimæ de mercibus in portibus exigebantur, eas vero telonæ, id est publicani, redimebant, & suo periculo reip. repræsentabant. Ab inquilinis præterea præcipuum exigebatur vectigal, quod, teste Arpocratio, *μετοίκιον* vocabatur; à viris quidē duodecim drachmæ, à mulieribus sex, ita tamen, ut filio pensitante mater immunis esset. Vnde cum Phocion Xenocratem *μετοίκιον* pendente animaduertisset, eundem, teste Plutarcho, ciuem decreto facere voluit. Atque hoc etiam vectigal pendebant serui, vbi à dominis erant manumissi, item à meretricibus exigebatur vectigal, quod ab Aeschine in oratione contra Timarchum *πορνικόν τέλος* vocatur. φόροι autem erant tributa fociis ciuitatibus indicta. Hæc autem Athenienses grauissimo, quod cum Xerxe gesserunt, bello perfuncti, cum imperium ad se Græciæ transfulissent, Aristide in primis auctore, atque ministro, instituerunt, per causam belli, si quando alias à Persis inferretur, à Græciæ finibus auertendi. eius autem pecuniæ ærarium in Delo constitutum, haud ita multis post annis offensione inter se, & Lacedæmonios excitata, Athenas transfulerunt. Hoc deinde tributum, præcipuo nomine φόρον appellatum, auxit Pericles, & Alcibiades, ita ut à quadringentis sexaginta talentis, quæ Aristides indixerat, ad mille amplius, quæ quotannis exigebantur, peruertum sit. Quod Thucydides libro primo, Plutarchus, ac Probus in Aristide, Andocides in oratione contra Alcibiadem litteris prodidere. *εισφοραὶ* autem collationes tributorum fuerunt, quæ belli causa extra ordinem ciuibus, & inquilinis senatus, populique decreto indictæ sunt. Atque hoc quidem ex Thucydide declaratur, qui bello Peloponnesiaco, exhausto demum æratio, cum Mitylenæ ab Atheniensibus obsiderentur, ciuibus *εισφορὰς* esse scribit indictas, itemque ex Demosthene, qui in oratione de epitrierchemate scribit, cum multa vndique hostilia incommoda essent ad senatum allata, tributū in bellum collationem esse decretam. Quin etiam idem in Philippicis sæpe tributū conferendi necessitatem sequitur denunciat, nisi pecuniæ publicæ, quæ in ludos effundebantur, ad belli munera redigantur. Ea vero tributa pro ratione census conferebantur, diligenter fortunis cuiusque, ac patrimoniis æstimatis, ita tamen, ut argentea opera, quod scriptum est in oratione ad Phænippum, essent immunia. *τιμήματα* vero erant pecuniæ, quæ à ciuibus, aut à ceteris iudicialis multæ nomine exigebantur, quarum decima erat Mineræ sacra, quinquagesima vero aliis diis, atque Eponymis.

Quo circa quàm multis opus fuerit magistratibus, qui has omnes pecunias exercuerint, atque curarint, quanquam nemo non videt, tamen nemo adhuc ostendit.

In primis autem *πωληταί* decem fuerunt, qui, ut, ex Aristotelis sententia scribit Arpocratio, omnia, quæ à ciuitate vendebantur, administrarunt, ut vectigalia, metalla, redempturas, & quæ publicabantur. cum Arpocratio vero non discrepat Pollux, qui inquit: *πωληταί vectigalia vendunt cum Theoricarum præfectis, & eorum bona, qui ab Areopago post secundam orationem in exhibum pulsati sunt, & quæ publicata sunt, princeps autem ex ijs est is, qui venditionem præstat. abducenturque ad eos inquilini, qui μετοίκιον non pependērunt. quin etiam serui, qui à dominis manumissi id non soluerunt, ad hos abducti, si conuicti sunt, venum sciunt.* Quod confirmat Demosthenes in prima contra Aristogitonem. *Mulierem, inquit, manesiam captam ad Πωλητήριον τῶ μετοίκιον abduxit, & nisi μετοίκιον ab ea solutum præstasset, vendita fuisset. voca ad me primum mulieris patronum, deinde Poletas, ad quos eam adduxit.* Quemadmodum autē vectigalia, auctione in foro cōstituta, acceptis prædibus locupletibus, venderentur, exponit Plutarchus in Alcibiade. nā Aeschines contra Timarchum; vectigal meretricium quotannis à senatu venditum inquit. Qui vero ea emebant, in vniuersum *τελώναι*; qui exigebant, ac colligebant, *ἐκλωγῆς* dicebantur. Vnde eodem in loco pergit Aeschines; Demosthenem Timarchi defen

defensorem ridicule quæfisse, quinam esset telones ille, qui à Timarcho vectigal meretricium collegisset. Hinc etiam leges telonicæ celebratæ, quæ telonis ipsi latae sunt. Quarum meminit in Timocratea Demosthenes, cum inquit, iube- re legem, vt residuas pecunias exigat senatus legibus telonicis vsus. & cum inquit, senatum iurare, se neminem Atheniensem in vincula traditurum, qui prædes tres dederit, nisi si quis vectigalium redemptor, aut prædes, aut collector nõ satisfecerit. Erat enim, teste Vlpiano, lex, vt, si telonæ nona prytaea debitam pecuniam non soluissent, duplum aut ij, aut qui pro iis sponderant, numerarent. quod si facere neglexissent, in vincula traderentur. Adicit etiam Suidas, Poletas eorum bona vendidisse, qui ad constitutam diem publico non soluissent, & qui de peregrinitate, & qui de neglecto, & violato patrocínio damnati essent.

Epigraphes.

Post venditores autem fuerunt *ἑπιγραφῆς* qui ad *φόρος* fociis, & *εἰσφορῆς* ciui- bus inscribendas creati sunt, nempe vt æstimatis cuiusque bonis, quantum cuiq; tributi nomine pendendum esset, inscriberent. quod à Polluce, & Arpocrati- one traditum video etiam ab Isocrate confirmatum in Trapezitica: *Tributo*, inquit, *vobis imperato, alijs inscriptionibus institutis, ego ex peregrinis plurimum contuli, & ipse, & mei, & mihi ipse tributum maximum inscripsi; pro Pafione vero rogavi Syne- pigraphæos, cum eum meis vti pecunijs dicerem.* Quod si Alcibiades hoc magi- stratu ornatus Græciæ tributa inscripsit, & auxit, profecto epigraphæi decem fue- runt, cum ille decimus eo munere functus ab Andocide referatur.

Iam vero qui has pecunias exegerunt, Apodectæ, Antigraphei, Hellenotamiæ, Deæ, deorumque quæstores, & Praefores appellati sunt.

Apodecta.

*Ἀποδέκται* decem à Clithene pro Colacretis sunt inducti. Eorum vero, cum fortito legerentur, negocium fuit, vectigalia, collationes, ceterasq; quæ publico deberentur, pecunias in senatu senatoribus inspectantibus recipere, easq; in tabu- las publicas referre, ac deletis debitorum nominibus ærario tabulas tradere. præ- terea lites his de rebus contractas iudicare, & si quid controuersia existeret, in fo- rum introducere. quæ omnia iura partim in Pollucis, partim in Arpocrati- onis, partim in Suidæ collectaneis extant. Eorum autem meminit Aeschines con- tra Ctesiphontem, & Demosthenes contra Timocratem. in qua oratione etiã de pecuniis, quæ in senatu repræsentarentur ex lege, præcipitur.

Antigra- phes.

Vt autem Apodectæ in senatu, sic *Ἀντιγραφῆς* in populo tabulas confecerunt. Quod indicat Aeschines aduersus Ctesiphontem, cum inquit: *Antigraphens fuit, qui in quaque prytaea rationes publicorum reddituum populo subducebat.* & Vlpia- nus in Androtianam, cum antigrapheum pro senatu ad populum, in quibus opus esset, contra scripsisse tradit. Arpocratio vero antigrapheum constitutum iis scri- bit, qui ciuitati pecunias soluerent, vt eas contra scriberet, duosq; ex Aristotelis sententia fuisse, vnum *τῆς διοικήσεως*, alterum senatus, inquit. Ex quo intelli- gi potest, accepti tabulas binas fuisse, vnas, quas confecerint apodectæ in senatu; al- teras, quas antigraphei pro senatu in populo. vt cū duobus in locis pecuniarum publicarum ratio pateret, minus obnoxia fraudi, ac malitiæ hominũ esset. Quem vero ego antigrapheum *τῆς διοικήσεως* esse opiner, post declarabo.

Hellenota- mia.

Vt autem apodectæ vectigalia, & ciuium tributa receperunt, sic *ἑλληνοτάμιαι* fociorum. Sunt autem instituti, auctore Thucydide, eo anno, quo primum Ari- stides fociis tributa indixit, & ærarium in Delo constituit. quod etiam Andocides in oratione de pace significauit. Narrat autem interpret Acharniensium, vere primo, cum Dionysia agebantur, tributa à fociis Athenas fuisse perlata.

Quæstores dea.

Quæstores autem deæ, deorumq; Græce *οἱ ταμίαι τῆς θεᾶς, καὶ τῶν θεῶν* nomina- ti, vt scribit Pollux, decem forte lecti sunt ex iis, qui Quinquemodiales appella- bantur. Hi vero pecunias, quæ multæ nomine pendebantur, accipiebant præ- sente senatu, iusque habebant multæ delendæ, si iniuste esset à magistratibus ir- rogata. Arpocratio vero ex Aristotelis commentariis scribit, eisdem Mineruæ signum

signum, & victorias, & alia ornamenta, & pecunias in conspectu senatus recepisse. Horum autem meminit Demosthenes in Timocratea: *Quin etiam quæstores, quo- rum in magistratu opisthodomus est incensus, & qui sunt ex quæstionibus deæ, & qui sunt aliorum deorũ, in ijs ædibus erant.* Quem locũ exponens Vlpianus inquit, pecuniam quandam cum aliis diis, tum Mineruæ sacram repositam fuisse in con- clauis, quod erat post arcem, qui propterea opisthodomus vocabatur. & Aeschines contra Timarchum, *Cum esset, inquit, senator Timarchus, quæstor erat pecuniarum deæ Hefesander, furati autem sunt ciuitatis communiter mille drachmas.* Hos au- tem eisdem Andocides in oratione de mysteriis quæstores sacrarum pecuniarum appellat. Ceterum pecuniæ sacræ habitæ sunt, quæ Mineruæ, & reliquis diis erant consecratæ. erat autem Mineruæ quidem decima bonorum, quibus ciues multa rentur. quod Xenophon in primo rerum Græcarum prodidit, & ex aliquot legi- bus Solonis elicitur. aliis autem diis, & singulis Eponymis quinquagesima. Quod Demosthenes ostendit contra Timocratem, cum inquit: *Negare non poterit, quin isti fures sint, & sacrilegi, cum sacras pecunias decimas deæ, & quinquagesimas alio- rum deorum suppilarint, publicas vero, quæ vestra erant, furati sint.* & cū pollice- tur, se ostensurum, Timocratem multas pecunias habere deæ, & aliorum deorũ, & ciuitatis. Quod idem confirmatur ex lege, quam recitat aduersus Theocrinem: *Sint ἐν δ' εἰσῆς aduersus eos, qui publico debent, & qui Mineruæ, aut aliorum deorum aut Eponymorum alicui.* Quod autem scribit Pollux, quæstores deæ multam su- stulisse à magistratibus irrogatam, idem aperte Lyfiæ testimonio confirmatur in oratione pro milite: *Archon, inquit, multam irrogauit, sed exigere non est ausus. per- acto autem magistratu me relatum in album quæstoribus tradidit, ijq; multam dele- uerunt.* Hos etiam eisdem arbitror appellatos *ταμίαις ἐν ἀνεσπόμεναις* à Demosthene contra Timocratem, cum dixit: *Quæstor cum esset in arce, ornamenta ciuitatis, quæ ceperat ex barbaris, sustulit ex arce, & sellam argenteis pedibus præditam, & acina- cem Mardonij, qui trecentos daricos valuit.* Me vero in hanc opinionem ducit, quod decima quoque hostilium spoliolum Mineruæ, teste Arpocrati- one, conse- crata, & propterea quæstoribus eius custodienda in arce commissa fuit.

Vt autem multæ pars, quæ Mineruæ dicata erat, apud quæstores deæ inscribe- batur, sic quæ ciuitati, apud *πρυτανίας*. quod ex lege declaratur, quæ est in oratio- ne ad Macartatum: *Si quis oleam Athenis effuderit, debeat centum drachmas ærario pro vna quaque olea, decima vero eius sit deæ. quod autem damnabitur, inscribant ma- gistratus ij, apud quos erit lis, quod publico quidem debetur, apud prætores, quod vero sacrum sit, apud quæstores pecuniarum deæ.* Itaq; cum in principio orationis pri- mæ contra Aristogitonem inquit: *Nostis ipsum debere ærario, & inscriptũ in arce,* sine dubio inscriptum prætorum tabulis, aut quæstorum deæ intelligere de- beramus. Siquidem inquit idem alio loco: *Pacta quidem eorum quæ debet ciui- tati Aristogiton, sunt leges, ex quibus inscribuntur omnes, qui debent, terminus au- tem est tabula apud deam posita. si hæc sublata sunt, deletum est nomen, & nos inania loquimur.* Vt autem eas tabulas *ἐπιγραφῆς*, sic qui in eas relati erant, *ἐπιγραμμῆδες* vocarunt. Nam omnino relatos ostendit in oratione contra Theocrinem: *Neq; vero æquum est, inquit, suspicari, eos debitores esse, quorum nemo nomina prætoribus tradidit. item: Neque vero, si Ctesicles concessit huic, ne traderentur prætoribus quæ ex lege debentur, propterea ciuitatem irrogatis spoliari multis oportet, sed litigatores de rebus priuatis pro arbitrio transigere opus est, de publicis vero, vt sanciant leges.*

Quod si per apodectas, aut quæstores deæ sacræ, publicæq; pecuniæ omnes non essent exactæ, tum senatus ex lege, cuius iam sæpe meminimus, seuerè, atque acerbe eas exigendas curabat ab iis, qui eas retinerent. Quocirca ex senatus con- sulto sæpe legi in eam rem *οἱ ζυγυταὶ* soliti sunt. Quod docet in Timocratea De- mosthenes, inquiens: *Decretum fecit Aristophon, vt ζυγυταὶ eligerentur, vt si quis aliquem nosset, qui sacrarum, aut publicarum pecuniarum ciuitatis aliquid retineret,*

Prætores.

Inquisitores

his,



his indicaret. Euclemon indicavit Archebium, & Lysithidem, qui trierarchi fuerunt, pecunias tenere Naucraticas. Quem in locum Vlpianus ἑταῖρος magistratum fuisse scribit, eos, qui pecuniam aut ciuitati, aut sacris deberent, indagantem, quod idem Lysias in oratione de muneribus acceptis affirmat. Itaque hunc eundem magistratum intelligi puto à Demosthene in oratione contra Euergum: *Decretis vestris & senatus, & populi, & lege imperante ab hoc debitore trierarchica arma-menta exegi.* item contra Timocratem, & Androtionem. quibus in locis significat, Androtionem ex senatus, populique decreto residuas ex veteribus tributis pecunias acerbe exegisse, sed quo præditum magistratu, non exprimit. Significat autem magistratum eum in fortem conici solitum, sed tum Androtioni extra ordinem collegis additis nouem à populo per gratiam esse mandatum; & cum post Nausinicum archontem trecenta millia talentum tributum nomine deberentur, ac quattuordecim ei summæ deessent, septem ex iis diligentia Androtionis exacta. Arpocratio uero ius huius magistratus latius aliquanto producens, eos ad tempus creatos inquit, si quando conquirendi essent, qui publice iniuriosi fuissent.

*Syndici.* Eodem autem referendi etiam videntur οἱ συνδικοί, qui, eodem teste, post reditum populi è Piræo, id est post triginta tyrānorum dominatum euersum, creati cœpti sunt, vt de bonis ciuium publicatis cognoscerent. ita vt Lysias, cum de bonis publicatis Niciæ ageret, in extrema oratione, se apud syndicos iudicij eius præfectos agere, demonstrarit, cum dixit: *Obtestor autem syndicos, vt nobis beneuoli sint.* & in oratione Mantithei: *Nemo ostendere poterit, me neque delatum à phylarchis, neque traditum syndicis, neque es equestre adeptum.* Itaque apud hos ἀπογραφαὶ sunt instituta. quod ex Lycurgi, quam profert Arpocratio, oratione cognoscitur. Apud thesmothetas, inquit, γραφὰς γραφόμενος, apud syndicos ἀπογραφαὶ ἀπογραφόμενος. ἀπογραφή vero, vt dixi, lis fuit, quam intendit is, qui publici quidpiam alterum retinere contendit.

*Pecunia publica variis nom.* Ex his autem pecuniis, quæ ex vestigalibus, tributis multisque redactæ in publicum erant, aliæ aliis reip. vsibus attributæ erant. vnde diuersa etiam pecuniarum nomina, vt τῆς διοικήσεως, τὰ στρατιωτικά, τὰ θεωρικά; & diuersi, qui eas erogarent curatores, vt ταμίαι τῆς διοικήσεως, τῶν στρατιωτικῶν, & τῶν θεωρικῶν extiterunt.

*Quæstor populi.* In primis autem ille gloriæ, atque auctoritatis magnitudine floruit, qui ταμίαι τῆς διοικήσεως est appellatus, quem etiam ταμίαι, siue ἐπιμελητὴν τῶν κοινῶν προσέδωσαν dixerunt. Hic enim à populo in quinquennium creati, atque iterum, & tertium cum infinita prope congerendæ, & distribuendæ pecuniæ publicæ potestate refici solitus est. Id quod his veterum auctoritatibus facile demonstratur. Apud Plutarchum in decreto de honoribus Lycurgi: *Factus communium reddituum ciuitati quæstor, in quinquennium curat, & distributis ex communibus redditibus decem, & octo millibus, & nongentis talentis, multis vero supra fidem à priuatis mutuo sumptis & in reipub. populique; tempora expensis, quod recte hæc administrasse visus sit, sæpe coronatus est à ciuitate. iterum autem lectus à populo magnam pecuniarum vim in arcem intulit, & confecto deæ ornatu, & victorijs, & pompalibus aureis, ac argenteis, & ornatu aureo in centum cistiferas.* & de Aristide: *Publicorum reddituum lectus curator non solum suæ ætatis, sed etiam superioris magistratus ostendit multa suppilasse, & in primis Themistoclem. quare ab eo in referendis rationibus oppugnatus, studijs tamen honorum euasit. iterum autem τῆς διοικήσεως præpositus, cum se mollius gereret, is se probauit, qui communem rem depeculabantur, quod neque eos redargueret, neque seuerè rationes eorum conficeret, vsque adeo vt repleti bonis publicis eum commendarent, & pro eo populum prensarent, vt ei tertium magistratum continuaret. cum autem creatus esset, obiurgauit eos, & furta patefecit.* & in Politicis: *Demades cum in potestate redditus ciuitatis haberet, ac populus classis aduersus Alexandrum emittenda cupidus ab eo sibi pecuniam in classem attribui postularet, pecuniæ, inquit, non desunt, at eas ego vobis in proximos Choas distribuere cogitaram.* Quin etiã hunc eundem ταμίαι

ταμίαι τῆς διοικήσεως appellauit, cum Lycurgum eundem in tria quinquennia quæstorem scripsit pecuniarum διοίκησιν habuisse. & Æschines in oratione de eminenti legatione, cum ait: *Isse curauit vestros redditus, quando illum legistis ad communem διοίκησιν;* & Pollux, cum eum ἐφεινήστω ἐπὶ τῆς διοικήσεως τῆν προσίοντων, ἢ ἀναλισκόμενων appellauit, id est præfectum procuratori accedentium, & abeuntium pecuniarum, & earum præcipue, quæ concioni, & iudicibus mercedis loco erogarentur. Vnde apud Laërtium in decreto de Zenone scriptum est: *Sumptum autem, qui sit in pilas, curet ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως.* in decreto autem de Lycurgo apud Plutarchum populi quæstor nominatur. si quidem scriptum est: *Decretum est, vt Lycurgi psephismata omnia in pilas lapideas inciderentur; in descriptionem vero pilarum quæstor populi quingentas drachmas impenderet ex ijs, quæ in psephismata attribuuntur à populo.* Quod autem Pollux scribit, curasse eum pecuniã, quæ concioni, & iudicibus mercedis loco numerabatur, confirmatur item ex lege, quam ex Timocratea iã sæpe attulimus, in qua scriptum est, ex pecuniis, quæ sunt διοικήσεως, pretium concioni, iudicijs, senatui, & equitibus persolutum.

Fuisse autem etiam ἀντιγραφεὶα τῆς διοικήσεως, qui hos omnes sumptus in alias tabulas transcripserit, vt duobus in locis earum pecuniarum ratio extaret, mihi in primis in ipsam vocis eius rationem intuenti probatur.

Æra vero militaria, quæ illi dixerunt στρατιωτικά, fuerunt non solum, quæ in vsus militiæ ex publica administratione conuersa sunt, vt significat Demosthenes in oratione contra Neæram, cum inquit, decretum scriptum, vt pecuniæ διοικήσεως vtique fierent militares; sed etiam quæ ex tributis belli nomine collatis redacta sunt. quod intellexit in oratione aduersus Polyclem, cum dixit: *Ego primus collationes contuli, quauis trierarchus essem. cuius rei testes sunt, qui tunc militares pecunias exegerunt.* Qui vero eiusmodi pecunias curarunt, ἢ ταμίαι τῆν στρατιωτικῶν dicti sunt. Vnde Plutarchus in Lycurgo dixit, Calæum quendam quæstorẽ militariũ archõte Charõda fuisse.

Theoricæ autem pecuniæ sunt dictæ, quæ in ludos, & spectacula sunt consumptæ. Has Vlpianus in Olynthiacarum cõmentario scribit à Pericle primũ, cum diuites loca in teatro sibi pretio cõpararent, pauperes autẽ, ne id facerent, æris inopia impedirentur, esse inductas, lege lata, vt pecuniæ ex publicis redditibus confectæ theoricæ fierent. Atque hoc idem confirmat etiam Plutarchus, cum scribit, populum à Pericle primum ad theoricæ pecunias, & stipendia accipienda illectum, item Periclem theoricis, & iudicialibus pecuniis populũ corrupisse. Deinde legibus alijs sancitum est, vt bello existente residuæ pecuniæ τῆς διοικήσεως fierent militares. postremo Apollodorus decretum scripsit, vt pecuniæ τῆς διοικήσεως, vtique fierent militares. atq; hæc docet Demosthenes in oratione cõtra Neæram: *Apollodorus, inquit, sit senator, & decretum scribit in senatu, fertq; ad populum nemine aduersante, placeat ne pecunias τῆς διοικήσεως militares esse, an theatrales. cum leges iuberent, vt bello existente residuæ pecuniæ τῆς διοικήσεως militares essent.* Vlpianus autem scribit, cum Apollodorus conatus esset, theoricæ pecunias reddere militares; Ebulũ popularem gratiam aucupantem scripsisse legem, adiuncta capitali pœna, ne quis theoricæ pecunias efficeret militares. Libanius autem in Olynthiacas notat, cum antiquitus theatrum lapideum nullum esset, sed ligneũ, & omnes locũ in teatro festinanter occupare studerent, verberationes sæpe, & vulnera cõsequuta. cui malo vt occurrerent Atheniensium principes, venales locos fecisse, statuisseq; vt spectandi caussa singuli duos penderent obolos, ne vero tenuiores propter sumptum spectaculi voluptate spoliarentur, eos ex ærario obolos sumere voluisse. Arpocratio vero, qui aliquanto secus hanc ex Philochoro refert historiam, non obolos, sed drachmam nominat, eamque absentem, aut peregre euntem neminem capere potuisse Hyperidis auctoritate demonstrat. Huius autem pecuniæ petendæ ius ex tabulis Lexiarchicis partũ esse, ex oratione Demosthenis aduersus Leocharem apparet. *Primum progressus tentauit in Otrynensium indicem: concionalem semet ipsum referre,*

Antigra-  
pheus popu-  
li.

Quæstres  
militarium.

Quæstres  
Theoricarũ.

ἡτοιμα-  
σθησάν

ἡτοιμα-  
σθησάν

ἡτοιμα-  
σθησάν

referre, cum esset Eleusinius. deinde, antequam referretur in tabulas Lexiarchicas Otry-  
nensium, communium rerum partem adipisci. cui rei cum nos resisteremus, ille conuoca-  
tis paucis quibusdam Otrynensium, & Demarcho suadet, ut, cum aperta tabula essent,  
semet ipsum in Archiadae nomen inscribant. post autem Panathenæis magnis sub di-  
stributionem ad theoricam pecuniam venit, & cum populares alij cepissent, petijt sibi  
etiam dari, & in tabulis in nomen Archiadae inscribi. Qui his ergo pecuniis præ-  
fuerunt, ij sunt οὐκ ἐπὶ τῷ θεωρικῷ nominati. quorū meminit Æschines aduersus Cte-  
siphontem: Recita mihi, inquit, quo archonte Demosthenes creatus sit præfētus Theo-  
ricarum. & post: Propter fidem vestram erga Eubulum præfētus Theoricarum, ante-  
quam lex Hegemanis ferretur, gerebant magistratum antigraphæ, & apodectarum,  
& naualia, & armamentarium construerebant, erantq; curatores viarum, & fere  
omnem procuracionem ciuitatis gerebant.

**Sitona.** Quoniam autem Athenienses, ut in Leptiniana scribit Demosthenes, frumen-  
to inuesto maxime vsi sunt (neque enim Attica propter soli sterilitatem satis sup-  
peditare annonæ, atq; alimenti omnibus potuit) eo factum est, ut præfēti quidam  
etiam sint constituti, qui externum frumentum reip. nomine mercati sint, idēque  
recondiderint. eiusmodi vero munus dicta est σιτωνία, ipsiq; σιτώναι sunt appellati.  
Itaq; Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte ait, cum populus Sitonem crea-  
ret, se reliquis omnibus esse prælatum, & Plutarchus decretū recitat, in quo scriptū  
est, Demosthenem in Sitoniā talentum in cellam frumentariam præbuisse.

**Asynomi.** Iā vero quia opera etiā publica plurimū cū ad dignitatē, tū etiā ad salutem sæpe  
reip. pertinuerūt, ne eorū quidē curā abiecerūt, qui hęc legibus rēp. instruxerunt.  
quō de genere probe Aristoteles in Politicis: Altera curatio est, inquit, operū in vr-  
be tū publicorū, tū priuatorū, ut cū decoro ornatu ædificia, & viæ cōseruetur, & col-  
lapsa reficiantur, & limites cōmunes sine controuersia teneantur, & cetera. quæ similia  
sunt. hęc autē magistratū pleriq; ἀσυνομίαν vocāt: habetq; partes plures, quarū alijs alijs  
in magnis ciuitatibus præficiūtur, ut murorū cōstructores, & fontium curatores, & por-  
tuum custodes. Plato autē in sexto de legibus ἀσυνόμους curare vias iubet, quæ sint in vr-  
be, & vias militares populi, quæ ferāt ex agro in urbē, & ædificia, ut fiāt ex legibus,  
& aquas, ut in fontes abunde, & pure euntes ornēt vna, & iuuet ciuitatē. Eiusmodi  
verō ἀσυνόμους decem Athenis fuisse, prodit ex Aristotelis auctoritate Arpocratio,  
quinque in Piræo, & quinque in vrbe. quorum cum mentionem fecisset in Ti-  
mocratea Demosthenes, Vlpianus adscripsit, iis curæ fuisse, ut munda vrbs esset.

**Murorū cu-  
ratores.** Quos vero vocat Aristoteles τεχοπιῶς, ij non ordinarij magistratus fuerunt, sed  
pro re nata à tribubus ad muros veteres reficiendos vna cum quæstoribus aliquot  
editi sunt. quem magistratum gessit Demosthenes à Pandionide tribu sua editus.  
Vnde Æschines de eumentita legatione dixit, decreto, mandatum esse singulis tri-  
bubus, ut proderent curatores operum ad muros, & quæstores. Plutarchus autem  
propterea Demosthenem etiam murorū curatorem vocauit.

**Præfēti a-  
quarum.  
Præfēti ope-  
rum publico-  
rum.** Eundem autē in numerū adscribendi videntur οἱ ἐπιστάται τῶν ὑδάτων, qui aquas  
in urbē perducendas curarunt. quō munere functū esse Themistocle prodit Plu-  
tarchus. item οἱ ὀδοποιοί, qui vias strauerunt, & qui fontium curam habuerunt, quos  
κηροφύλακας appellat Pollux. atque omnino omnes ἐπιστάται τῶν δημοσίων ἔργων, quo  
nomine honoris vsū significat Plutarchus tū cū Propylæa, & reliqua illa illustria  
vrbis ædificia construxit. quorū ne rationem redderet, bellum fertur cū Lacedæ-  
moniis grauissimum excitasse. itēque qui ad belli apparatus creati dicuntur, ut  
Lycurgus, de quo idē: Electus ad apparatus belli multa ciuitatis emendauit, & tri-  
remes parauit populo quadringentas, & Lyceum gymnasium construxit, & pala-  
stram ædificauit, & theatrum Dionysij ἐπιστάτης absoluit.

**Nomophyla-  
ces.** Neque vero, cum operū publicorū, quibus ferē vrbs ornabatur, tam diligentem  
rationē haberēt, legum ipsarū, morūque & magistratuū, quibus reip. incolumitas  
cōtinebatur, sibi contemnendā putarunt. verū legibus seruandis νομοφύλακας præ-  
posuerunt

posuerunt, moribus vero nonnullos alios. Nomophylaces autē eo honore affecti  
sunt, ut & strophio albo insignirētur, & ludis in fellis aduersus Archontes cōfide-  
rent. ceterū eo iure essent, ut magistratus legibus vti cogerēt, & in concionibus se-  
dentes cū proëdris prohiberent, ne quid aduersus leges, & contra reip. cōmodum  
suffragiis populi scisceretur. quemadmodum apud Pollucem, & Arpocratiōē in-  
uenimus. Nam Cicero in tertio de legibus scripsit, eos non solum litteras, sed fa-  
cta etiam hominum obseruasse, ad legesque reuocasse.

Moribus autem iuuenum præfēti fuerunt σωφρονιστῶν decem, quorum mentio  
fit in Axiocho à Socrate: Vbi vero in ephebos, inquit, inscriptus sit, omne adolescentuli  
tempus Sophronistis, & Arcopagi censuræ tribuitur. Quin etiā Vlpianus, cum De-  
mosthenes aduersus Mediam thesmothetæ cuiusdam noctu per petulantiam vio-  
lati meminisset, notatum reliquit, thesmothetas moderationis custodes, vindicē-  
que fuisse, & noctu urbem obeuntes, ne quid per petulantiam fieret, prouidisse.

Mulieribus autem præfēti fuerūt γυναικοκόμοι viginti, qui, teste Polluce, in mu-  
lieres parum modestas animaduenterunt, & multas earum inscribentes exposue-  
runt in platano in Ceramico.

Virorū autē cœtus, & cōuiuia, sumptūsque inspectarunt, qui ὀνόπται dicti sunt.  
de quibus Athenæus libro decimo: Oenoptæ erat magistratus Athenis, qui inspicie-  
bat prandia, an equaliter biberent, qui conuenerant. & erat magistratus tenuis. tres e-  
rant, qui præbebant prandentibus lychnos, & funalia. Atque hoc idē etiā munus vi-  
detur tribuere iis, qui γυναικόνομοι dicti sunt, cum scribit libro sexto, moris fuisse, ut  
γυναικόνομοι conuiuia inspicerent, & numerum vocatorum, an esset secundum le-  
gem, inquirerent; Philochorum autem scribere, Gynæconomos cum Areopa-  
gitis cœtus inspectasse in ædibus, & nuptiis & sacrificiis.

Qui vero magistratus, atque curationes omnes reposcēdis rationibus in officio  
manere coegerūt, ij λογιστῶν, & εὐθύνοι nominati sunt. Quos quidē magistratus inter  
se diuersos fuisse Arpocratio ex Aristotelis sentētia prodit, verū quonā modo, quod  
optandū erat in primis, nō adscribit. Mihi vero in nomina ipsa intuētū probabile il-  
lud occurrit, εὐθύνης quæ fuit de edictis à magistratibus iniuste interpositis, λογιστῶν  
vero de pecuniis iniuste ablati. si quidē hac de re loquēs Æschines contra Ctesiphon-  
tē, has duas voces nunquā distūgit, διδόναι λόγον, & εὐθύνας, εὐχρηστέως λόγον, &  
εὐθύνας. De vtrisque autē Arpocratio in hæc verba: εὐθύνοι decem erāt, apud quos qui  
legatione functi erāt, aut magistratū gesserant, aut aliquid rerū publicarum attigerant,  
εὐθύνας dabant. λογιστῶν vero decē erant, qui εὐθύνας eorum, qui admistrassent, subducebāt  
intra triginta dies, quādo magistratu abire vellent. Quibus ex verbis ægre, quid inter  
eos intersit, intelligas. Ac Logistarū quidē nomē sæpissime video vsurpari, ut apud  
Æschinem cōtra Ctesiphontē, vbi docet, legibus sanctū esse, ut senātus Areopagi,  
omnesque qui aliquid reip. attigissent, apud logistas rationes referrent, etiā si nihil  
pecuniæ publicæ tractassent, logistæ vero eos in fora introducerēt, & per præconē  
ciues ad eos accusandos inuitarent. Vnde addit: Nō ne oportebat, te, ὁ Demosthenes,  
pati, logistarum præconē pronunciare edictū hoc patrium, & legitimū? Quis vult  
accusare? & cōtra Timarchū: Logista cū esset, plurimū nocuit ciuitati, donis acceptis ab  
ijs, qui improbē magistratum gessissent; & calumnia ijs oblata, qui innocentes essent.  
& apud Demosthenem de corona: Quando me introduxerunt logistæ, cur non me ac-  
cusasti, cum præsens esses? & de eumentita legatione: Ego cum vellem bis rationes re-  
ferre de legatione, accedens Æschines ad logistas detuit, ne me in iudicium vocarent.  
De Euthynis vero mentio rarior. in decreto tamen quodam post quadringento-  
rum dominatum euersum apud Andocidem, in oratione de mysteriis scripto ita  
est: Placet etiam eorum famam restituere, quorum εὐθύνας condemnatae sunt in logiste-  
rijs ab euthynis, aut paredris, aut nondum in forum introductæ γραφαὶ περὶ εὐθύνων.

Iam quid dicam, ut magistratum etiam esse voluerint, qui nocentes homines aut  
ante iudicium custodiret, aut post iudicium supplicio ex lege afficeret? Hi vero  
ff 2 vnde

vndecimui- vndecimuii fuerunt, qui à Themistocle, & ab Aristide sunt instituti, singuli quidē  
 71. ex singulis tribubus, & scriba vndecimus cum eis adnumeratus, vt Heraclides, &  
 Pollux memoriæ prodiderūt. Neque vero id nos perturbet, quòd ante Themisto-  
 clis ætatem in legibus Solonis, vt est in Timarchiana, & Timocratea vndecimuii  
 nominentur. nam ad eas leges multa ex posteriore rep. sunt adiecta, & hic à Solo-  
 ne numerus induci non potuit, qui quattuor tantum tribus probauit. Horum ve-  
 ro curæ carcerem commissum, mandatūque vt de damnatis lege supplicium su-  
 merent, cum Pollux, & alij vno omnes consensu scripsere, tum ostendit etiam Pla-  
 to in Apologia, cum dicentem Socratem fecit: *Quid me in carcere viuere oportet,  
 vndecimuiis perpetuo seruientem?* & in Phædone: *Ianitor admonuit, ne carcerem  
 ingrederemur. soluunt enim, inquit, vndecimuii Socratem, atque ei hodie mortem de-  
 nuntiant.* Item: *Vndecimuii minister venit, nuncians Socrati, vt cicutam bibat.* &  
 Xenophon in secundo de rebus Græcorum: *Trigintaurum præco vndecimuios in  
 Theramenem ire iussit, quibus cum ministris congressis, dixit Critias vnus è triginta:  
 Tradimus vobis Theramenem hunc lege iudicatum, vt eum capientes, & abducentes,  
 quò oportet, quæ his consequentia sunt, peragatis.* Quod si quis è carcere quoquo-  
 modo euasisset, erat eorum muneris hominem conquirere, atque in carcerem re-  
 digere. quod apparet ex prima in Aristogitonem, in qua, *Cum effracto, inquit, car-  
 cere profugisset, ad mulierem quandam venit, quæ illum occultauit primis diebus, qui-  
 bus vndecimuii perquirebant hominem, & per præconem sibi reddi iubebant.* Pollux  
 autem fures, plagiarios, & grassatores ab vndecimuiis ait abductos, vt, si confite-  
 rentur, capite mulctarent; sin minus, in fora introducerent, & si damnati essent, vl-  
 timo supplicio afficerent. Ego vero inuenio fures, & grassatores ad vndecimuios  
 potius, quàm ab vndecimuiis abductos, atque hanc esse eam, de qua superiore li-  
 bro dixi, ἀπὸ τῶν ὄρνυ, quam ad vndecimuios factam esse apparet ex lege, quæ pro-  
 fert Demosthenes in Timocratem: *Si quis interdum supra quinquaginta drachmas fu-  
 ratus fuerit, adduci ius sit ad vndecimuios; si vero noctu, quodcunque surripuerit, eum  
 & occidendi, & inter persequendum vulnerandi, & ad vndecimuios, si libeat, ab-  
 ducendi ius sit.* quod idem colligitur ex orationibus Lysia contra Theomnestum.  
 Vt autē apud vndecimuios actio contra fures, & grassatores intenta est, sic iidem  
 etiam eam in forum introduxerūt. vt aperte scriptum est in oratione ad Lactitum.  
 Apud quem magistratum de pactis mercatorijs est agendum? apud vndecimuios? at  
 ipsi mutorum perfossores, & fures, & alios facinorosos homines, qui morti destinati  
 sunt, introducunt. Introduxisse vero in Parabystum, inde conici licet, quòd vnde-  
 cimuios in Parabysto ius dixisse, omniū ferè, qui Parabysti meminerūt, testimonio  
 constat. Adicit etiā Vesparū interpres, vndecimuios ἐν δ' εἰσῆς aduersus eos, qui pu-  
 blica vèdidissent, introduxisse. quod probabile cōiectura est. si quidē vndecimuii  
 aliarū etiā actionū introductores fuerūt, vt ex lege, quæ recitat in Timocrate De-  
 mosthenes, intelligitur: *Si quis abductus fuerit, qui arguatur vel mala tractationis pa-  
 reri, vel desertæ militiæ, vel quòd cōtra legē interdictū eò fuerit ingressus, quò nefas est  
 ingredi, vndecimuii eū vinciūto, & in Heliaā introducūto, accuset autē ex ijs, quibus  
 ius est, qui volet. cōuictus autē si sit, æstimet Heliaea, quid eū pati, aut soluere oporteat.*  
 Narrat etiā Demosthenes, Androtionē decretū scripsisse, vt exigēdorū causā tribu-  
 torū vndecimuii se sequerētur, eòsq; ad singulas ciuū edes adduxisse. Ex quibus lo-  
 cis, quæ & quam multa vndecimuiū iura fuerint, facile iā quouis intelligere potest.

## De præbitoribus publicis.

## CAP. IIII.

Liturgi qui.



AGISTRATIBVS, qui consiliis, iudiciisque præpositi temp. re-  
 xerint, explicatis, reliquum est, vt publicas eorum curationes ag-  
 grediamur, qui suo aut patrimonio, aut corpore, aut lingua reip.  
 profuerunt, atque eius aut commoda, aut salutem, aut dignitatem  
 quoquomodo tutati sunt. sic enī vnà, quid diuites, quid iunio-  
 res, quidque diferti homines reip. legibusque debuērint, ostende-  
 mus, &

mus, & magnum locum in primis, ac lubricum de reliquo ciuiliū honorum ge-  
 nere expediemus. Qui igitur in quattuor à Solone descriptis classibus præter ce-  
 teros diuitiis abundarunt, ij ex eiusdem instituto pro superioribus magistratibus,  
 qui ipsis, vt dixi, potissimum patuere, opes suas ad reip. tempora, ciuitatisque ratio-  
 nes ita conferre debuerunt, vt aut pacis ornamentis consulere, aut belli certe  
 subsidiis interuirent. vnde ipsi λειτουργοι, & præbitiones eorū λειτουργία vocatæ sunt.  
 Fuerunt autem χορηγοι, γυμνασιάρχοι, ἐστίαρχοι, τριεραρχοι, & εἰσφερατες, id est cora-  
 gi, gymnasiarchi, epulones, trierarchi, & collatores. Neque vero dubium est, quin  
 hi primi fuerint, qui in ciuitate caperentur, honores. hoc enim perspicue ostendit  
 Demosthenes, cum in causa Ctesiphontis inquit: *Contigit mihi, vt, cum puer essem,  
 scholas conuenientes adirem; vbi ex pueris excessissem, quæ his consequentia sunt, age-  
 rem, χορηγεῖν, τριεραρχεῖν, εἰσφέρειν.* vbi vero ad temp. accessi, placuit mihi eam reip. ge-  
 rende rationem inire, vt saepe corona donatus sim. & Lysias. apud quem in oratione  
 de muneribus Atheniensis nescio quis gloriatur, se, vbi primum professus sit, ex-  
 templo choragum fuisse. Cui professioni octauum & decimum ætatis annum di-  
 catum fuisse, supra ostendimus. Hæc autem munera, quanquam illi vsque adeo ne-  
 cessario obiuerunt, vt nullo pacto declinare potuerint; quod Socrates apud Xe-  
 nophontem de re familiari cum Critobulo disputans demonstrat, cum dixit:  
*Audio, ciuitatem choragias, & gymnasiarchias tibi imperasse, & si bellum ingruerit,  
 trierarchias, & collationes tam multas imperaturam, vt eas sustinere non possis.  
 quod si parum cumulate manus gesseris, non dubito, quin te non aliter puniat, quàm  
 si te sua compilantem offenderet.* non ea tamen quotannis obiuerunt, sed, vt ad Le-  
 ptinem inquit orator, choragias quidem, & trierarchias, & epulationes, & gymna-  
 siarchias altero quoq; anno, ita vt dimidium temporis vacationem haberent, col-  
 lationes autem tantum, cum impendente, aut vrgente bello aliquo imperarentur.  
 Mandata vero ita sunt, vt singulos singulæ tribus, aut populi suos quisque præbitor-  
 res ediderint. quod docet Demosthenes in oratione de nomine. *An vero si tribu-  
 les, inquit, Mantitheum Mantia filium Thoriciū edant choragum, aut gymnasiar-  
 chum, aut epulonem, aut aliud eorum quidpiam, quomodo extabit, vtrum te edant, an  
 me?* & contra Mediam: *Cum per triennium Pandionis choragum non edidisset, ea de  
 re contentio inter archontem, & tribus curatorem exarsit.* & cōtra Philippum: *Quid  
 est, cum ludi Panathenæorum, & Dionysiorum idoneo semper tempore fiunt, classium  
 autem emissio alieno? nempe quia illa omnia lege aguntur; & vestrum quisque multo  
 ante nouit, quis choragus, aut gymnasiarchus tribus quando & a quo, & quid capien-  
 tem, quid agere oporteat, in rebus autem bellicis consule omnia agimus. simul enim vt  
 increpuit quid, trierarchos cōstituiamus, & hæc permutationes proponimus, & de qua-  
 rendis pecunijs consultamus. & de epitrierchemate: Cum placuisset, vt senatores pro  
 popularibus ederent, qui ante alios conferrent, meum nomen in tribus populis editum  
 est, quia meum illustre, ac notum patrimonium est.*

Quoniam autem choragi dicti sunt, quia in Dionysiis, & Panathenæis chorum  
 duxerunt, propterea vt varij chori, sic choragi etiā diuersi extiterunt, quorum alij  
 pyrrhichistis, alij choro virili, alij choro puerili, alij choro cyclo choragi fuerunt.  
 Quod demonstrat Lysias in oratione de muneribus, apud quem Atheniensis ne-  
 scio quis ita agit, vt dicat, se Theopheno archonte professum, factum choragum  
 tragædis, triginta minas impendisse, & tertio mense Thargeliis victorē virili cho-  
 ro duo millia drachmarum; Glaucippo vero archonte in pyrrhichistas, Panathe-  
 næis magnis, octingentas. eodēque archōte, choragus cum esset viris in Diony-  
 sia, victoriam rettulisse, & archonte Diocle Panathenæis paruis choro cyclo tre-  
 centas, postea choragum factum puerili choro minas quindecim amplius impen-  
 disse. & Isæus, qui Dicæogenem inquit, cū tribui in Dionysia choragus esset, quar-  
 tum fuisse, tragædis autem, & pyrrhichistis vltimū. & Demosthenes, qui Mediam  
 tragædis choragum fuisse ait, se vero tibicinibus viris. Hos autem choros ita du-

xerunt, vt victum eis suppeditarent, & quidem, sicut Plutarchus in libro de sapientia Atheniensium scripsit, musicis artificibus delicatorem, veluti anguillas, lactucas, & medullam, nempe ad vocem eorum corroboradam: vnde quaestio est apud Antiphonem de choreuta quodam, qui cum vocis curandae causa apud choragum pharmacum ebibisset, mortem oppetiit. Neque vero victum solum praebuerunt, sed coronas etiam aureas, vestesque chori ipsius, vt scriptum est contra Mediam, ornamenta, atque insignia compararunt. Inque ea re tantum studij, tantumque industriae posuerunt, vt magistris, & tibicines praestantiores coram archonte sortiti sint, ludumque habuerint, in quo per magistrum, quem χοροδιδασκαλον appellabant, chorum ipsum erudiendum, & exercendum curarint. Quod in eadem Antiphon oratione declarat, cum inquit: *Postquam choragus ad Thargelia sum constitutus, sortitusque sum Pantaclem magistrum, & tribum Cecropidem ultra meam Erechtheidem, choragi munere functus sum, quam potui, optimo. ac primum comparavi ludum, in quo etiam, cum Dionysius choragus fui, docui; deinde chororum collegi, quam optime potui: cumque ego lite distinerer, homines probatos choro praefeci, vt pueris egregie ministrarentur, quae necessaria essent.* & item contra Mediam Demosthenes: *Cum non constituto tertium hunc annum tribui Pasioni chorago, instante vero concione, in qua lex archontem sortiri choris tibicines iubet, archon tribus curatores, curatores autem archontem increperent, procedens ego pollicitus sum, me vltro choragum futurum. vobis autem sortitiibus suenit, vt mihi primo fors tibicinis eueniret.* Huic autem rei propterea tanto studio seruiuerunt, quia inter ipsos illustre de laude, victoriaeque certamen intercedebat, ita vt in Dionysio qui hymnis canedis alterum superasset, is tripodem praemium ferret, eumque cum magna caerimonia dedicaret. cuius rei meminit Demosthenes in oratione aduersus Phannippum: *Patres, inquit, tui adeo diuitijs affluentes fuerunt, vt uterque tripodem dedicarit, cum ipsi choragi Dionysius victoriam reportassent.* & Plutarchus de Andocide: *Choragus fuit cyclo choro suae tribui dithyrambo decertanti, & victoriae compos factus dedicauit tripodem.* & Lyfias de muneribus: *Cum esset choragus viris in Dionysia, dicit, & cum tripodis dedicatione quinque millia drachmarum intendit.* Memorabile autem illud, in eiusmodi iudicio Aiacidarum chorum nunquam vltimum iudicatum. credo, quod, vt inquit in Symposio Plutarchus, gratiam ei tribui referri voluerint, ex qua Marathonius populus fuerit, & quae dextrum cornu in Marathoniam pugna tenuerit; aut certe quod bellum illud hac tribu prytaneatum gerere decretum sit. Qui vero pueris choragi fuerunt, ij ludorum litterariorum, quod pueri ingenui ventitarent, curam habuerunt, si modo annos nati amplius quadraginta essent. Id autem ita esse Aeschines in oratione contra Timarchum ostendit. *Solon, inquit, & de adolescentibus ventitantibus, quales esse oportet, & quas aetates habere, & de magistratu, qui eorum curam habiturus esset, scripsit, & postremo de ventitatione puerorum, & de choris encyclijs: iubet enim choragum, qui fortunas suas in vos impensurus est, supra quadraginta annos natum, hoc facere, vt, cum aetate temperatissima sit, versetur cum filiis vestris: sic enim in lege scripsit: Choragi vero a populo constituti quadraginta annos amplius nati sint.* Atque hi quidem choragi fuerunt. Gymnasiarchi vero, vt inquit ad Leptinianam Vlpianus, qui oleum iis, qui se palaestra exercere vellent, ministrarunt. Epulones autem, qui in sacris, in communi ciuitatis latitia, tribulibus suis epulum praebuerunt. Vnde dixit Lyfias de muneribus: *Vbi Alexia archonte redij, statim gymnasiarchus fui in Promethea, & victoriam rettuli duabus minis impensis.* & Demosthenes contra Mediam: *Tribui ego epulum dedi, & Panathenae choragus fui.* & ad Leptinem: *Quam multi sunt, qui quotannis vsitatas vestras nobis obeunt, choragi, gymnasiarchi, epulones? sexaginta nimirum aut paullo amplius.* & de hereditate Philoctemonis Ilaeus: *Choragus tragœdis, gymnasiarchus lampade fuit.*

Iam vero quid de trierarchis, & collationibus dicam, quibus nihil potest esse nobilius? sunt autem trierarchi, qui armamenta triremis, & victum remigibus dabat, farinam, caepe, & caseum, vt Plutarchus in libro de Atheniensium sapientia prodidit.

Gymnasiar-

chi.

Epulones.

Trierarchi.

didit. Collatores autem, qui pro ratione census pecunias conferebant iis, qui in acie pro patria, dimicabant. Vnde Lyfias dixit in oratione de publicatis Niciae bonis: *Nunc Diomnestus, & ego, & frater, cum ex vna domo tres simus, trierarchiam obimus, & si pecunijs egeat ciuitas, ab his vobis conferimus.* & de muneribus: *Cum pro vobis pericula quotidie adirem, tamen tributum vnum triginta minarum, alterum trium millium drachmarum contuli, trierarchus autem per septennium sui, & sex talenta impendi.* Quin etiam Aeschines in accusatione Ctesiphontis dixit, trierarchos, qui non communia tractent, sed aperte patrimonia sua pro ciuitatis dignitate profundant, lege repetundarum esse obstrictos. & Demosthenes in oratione de trierarchia: *Qui pro ciuitate trierarchum agit, is non ex communibus bonis rem familiarem amplificat, sed priuatis statum ciuitatis emendat.* Horum autem munerum cum saepe immunitates darentur a populo, trierarchiarum tamen, & collationum ne posteris quidem Harmodij, & Aristogitonis, quibus propter tyrannum interfectum singulares semper honores exquisiuerunt, vacationem dederunt. Quod docuit multis in locis Demosthenes disputans contra Leptinem, maxime autem cum inquit: *Sunt liturgiae ciuium, & inquilinorum, quarum vtrarumque datur immunitas trierarchiarum, & collationum in bellum, & salutem ciuitatis ex veteribus legibus nemo est immunis, ne posteris quidem Harmodij, & Aristogitonis.* Quo factum est, vt, cum propter multas immunitates eorum a populo concessas pauci, iique admodum inopes munera illa obirent, Leptines legem tulerit, vt nemo omnino immunis esset, praeter Aristogitonis, & Harmodij posteros, & nouem archontes, neque in posterum populo rogato immunitatem dare ius esset, quam legem vt iniustam, ac reip. inuilem oratione, quae extat, Demosthenes accusauit. Ac Solon quidem ab initio propterea census ciuium constituerat, & ex iis classes quattuor descriperat, Quinquemodialium, Equitum, Zeugitarum, & Theticorum, vt omnes pro ratione fortunarum suarum operam, studiumque suum reip. commo- darent, ac ne quis excusatione tenuitatis publicorum munerum onus defugeret, & vltimum excogitaret, quae fuit muneris & fortunarum cum altero permutatio, vt Demosthenes in oratione de antidosi scribit. Verum prisca Solonis disciplina nouis, vt fit, hominum fraudibus iam pridem obsolescente, post placuit, vt tota ratione mutata mille ac ducenti ex vniuersis classibus legerentur, qui cum ceteros diuitijs antecederent, soli etiam publicorum munerum onera sustinerent. Vnde Pollux, & Arpocratio scripserunt, mille ac ducentos fuisse, ex quibus legerentur liturgi. Hi vero in symmorias diuisi sunt quaedam, idque Periandri lege, archonte Nausinico, vt Demosthenes contra Euergum, & ex Philochori sententia Arpocratio prodidit. Symmoriarum autem ratio, & munerum horum per symmorias obitio qualis a principio fuerit, significauit in secunda Olynthiaca Demosthenes, cum dixit: *Antea conferebatis per symmorias, nunc ciuitatem tractatis per symmorias, rhetor, princeps vtrorumque, & praetor sub illo, primique, trecenti, alij vero adiun- cti estis, partim quidem ad hos, partim vero ad illos.* Quem locum summis obscuritatis tenebris inuolutum Vlpianus liquidius explicauit his verbis: *Singulae, inquit, tribus centenos videnos, qui ditissimi essent, e suo corpore prodebant, qui in partes binas sexagenorum hominum singulas dispersiti symmorias viginti efficiebant, sexagenorum hominum singulas, & in singulis tribubus binas. Rursus mille, ac ducentos in duas partes diuiserunt sexcentorum hominum vtrunque, easque rursus in duas, vt essent quattuor, vnaqueque trecentorum virorum. isti vero trecenti diuitijs omnes antecederant, & ante alios conferebant, eosque dicto audientes in omnibus rebus habebant. ex quo factum erat, vt omnes in duas partes descripti essent. si quidem qui ab vtraque parte erant, quodammodo trecentis ditissimis, qui vtrunque erant, adhaerebant: singuli autem trecenti, qui erant, vt dixi, quadripartiti, proprium rhetorem, & praetorem habebant, sed ita vt rhetores, praetoresque, secundorum trecentorum cederent rhetoribus praetoribusque primorum.* Haec autem ita esse, testimonio etiam Demosthenis fa-

Collatores.

Immunita-

tes.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

Symmoriae.

cile quiuis perspiciet, qui varia eius loca collegerit, eaque attente considerarit. Nam in prima contra Aphobum dixit: *Tutores pro me in symmoriā constituerunt quingentas drachmas conferre secundum viginti quinque minas. & contra Mediam: Ego princeps symmoriæ decem annos fui, conferens non ex presentibus bonis, quibus a tutoribus spoliatus sum, sed ex fide, quam mihi reliquit pater. & de epitrierchemate: Pecuniarum, quas in nauium emissionem conferri decreuistis, partem non minimam ego contuli: cum enim placuisset vobis, ut senatores loco popularium ederent, qui ante alios conferrent, meum nomen editum est in tribus populis, quia patrimonium meum illustre, ac notum est.* Quo in loco quosdam fuisse ostendit, qui ante alios, & pro aliis tributum contulerint, idque per ocium postea ab iis exegetint. & contra Bæotum: *Quonam modo prætores inscribent, si in symmoriā inscribant, aut si trierarchum constituant?* & contra Euergum: *Existimauit, me instrumenta reddere ciuitati coactum iri, aut successori, qui a symmoria ad nauem venisset.* & Isæus de hereditate Philoctemonis: *Tributa omnia ambo inter trecentos contulerunt. minor autem iste natu choragus est tragædis, & inter trecentos relatus est, & tributa confert.* Symmoriarum autem non solum principes, qui ἡγεμόνες, sed etiam curatores fuisse, qui ἐπιμεληταὶ dicti sunt idem in oratione pro Ctesiphonte, & contra Euergum ostendit. quorum illos in symmoria diuitiis ceteris præstitisse, & propterea principatum symmoriæ tenuisse scribit Arpocratio, hos symmoriā ipsam conuocasse, & ad socios de rebus symmoriæ retulisse existimo.

Symmoria-  
rū principes  
& curato-  
res.

In trierar-  
chyis varia-  
ta cōsuetu-  
do.

Attamen

Quod autem ad trierarchias pertinet, intelligendum est, propter sumptus magnitudinem multas in eam rem mutationes inuectas esse. nam aliquando duo simul triremem instruxerunt, aliquando tres, aliquando decem, aliquando plures. itémque interdum trierarchi omnia armamenta suis sumptibus compararunt, interdum ea à ciuitate acceperunt. Hoc autem cum Vlpianus ad Medianam scriptum reliquit, tum Demosthenes multis in locis significauit. ut in ea ipsa contra Mediam, quam Callimacho archonte dixit. *Ego, inquit, annos triginta duos natu trierarchus fui, cū simul duo trierarchi eramus, & sumptus omnes ex proprijs familijs faciebamus, & naues ipsi remigibus ornabamus. & biennio post apud eundem, Molone archonte, Apollodorus cum ageret contra Polyclem, aperte vnus triremis duos trierarchos constitutos ostendit, & se nautis à popularibus datis uti noluisse, ut imbecillis, sed optimos sua pecunia conduxisse. Illæ vero συντάλαια, id est contributiones appellatæ sunt, cum plures in vnā triremem pecuniam contulerūt, quò respiciens Isæus de hereditate Dicæogenis dixit: *Atqui cum trierarchi constituerentur, neque ipse trierarchus fuit, neque alteri contribuit.* & Demosthenes contra Mediam: *Tum liturgias attigit, cum primum vos mille & ducentos συντάλαια, id est contributores. fecistis, à quibus talentum exigentes trierarchias isti talento locant, deinde remiges, & armamenta ciuitas dat, ut eorum nonnulli reuera nihil impendant, & liturgia functi videantur. & aliarū liturgiarum vacationem habeant.* Quæ verba ita accipiēda esse adscribit Vlpianus, ut non mille ac ducentos vno talēto collato vnā triremē construxisse, sed ex mille ac ducētis decem, aut sexdecim exēpli gratia in vnā contulisse dicamus. Vnde addit non multo post: *Talentū à contributoribus exigebant trierarchi, & hoc capiens qui volebat, ipse per annum trierarchus erat, nulla in re contributoribus molestus. multi vero trierarchi domi manentes pro se alios emittebant, alij vero pecunia accepta liturgiam suscipiebant.* Quocirca hæc incommoda, labesque reip. contemplatus Demosthenes, tandem legem tulit, qua rem à mille & ducentis ad trecentos, quibus amplissimæ inter omnes fortunæ essent, redegit, iisque sublati cōtributionibus, trierarchiarum onus omne imposuit. cuius legis meminit ipse pro Ctesiphonte. *Ego, inquit, cum viderem diuites paruis sumptibus factis vacationem habere, qui vero modicis, aut paruis copijs præditi essent, bona sua consumere; proptereaq; ciuitatem omnes rei gerendæ occasiones amittere; legem tui, qua diuites in officio continui, pauperes autem iniuria liberaui, & quidem multis**

peca

pecunijs à symmoriarum principibus, aut secundanis, aut tertianis tertatus, ne legem ferrem, aut eam ut in aliud tempus differrem, merito illis quidem, licebat enim eis ex prioribus legibus sexdecim simul liturgias obire, cum ipsi parum aut nihil impenderent, pauperes autem ciues contererent. mea vero lege sanctum est, ut pro facultatibus singuli pensarent, & qui ante vnus triremis sextus, aut decimus erat contributor, ille duarum trierarchus euasit. neque enim iam se trierarchos, sed contributores vocabant. Quamquam autem in hoc ipse se tam sancte gessisse gloriatur, tamen hanc ei legem probri loco Diñarchus obiecit. sic enim in oratione contra ipsum inquit: *Sunt ne vestrum aliqui in hoc iudicio, qui ex trecentis fuerint, cū Demosthenes legem tulit de trierarchis? non ne narrabitis proximis, ut ille tribus talētis acceptis legē in singulis concionibus immutari?* Ut autem post Solonē diuitum classes, sic etiam antidotes innouatæ sunt. quod docet Libanius in argumento orationis de antidosi. *Erat, inquit, classis trecentorum, qui diuitijs excelebant, ad quos maiores liturgiæ pertinebant. Lex autem dabat, ut qui fortunas suas conturbassent, ac deteriores reddidissent, ex classe trecentorum exirent, si alterum se locupletiore munere vacuum prodidissent. quem, si confiteretur, inter trecentos pro se referrent, si inficiaretur, ad permutanda secum bona compellerent.* Vnde Lyfias dixit in oratione de non dando homini imbecillo stipendio: *Si cōstitutus choragus tragædis prouocarem ipsum ad permutationem, decies mallet choragus esse, quàm semel permutare.* Demosthenes autem in oratione de antidosi leges fuisse inquit, ut quotannis fierent permutationes, eaque prætores quotannis trecentis ipsis proposuisse, ita ut si quis ex trecentis editus muneris publici functionem respueret, bona sua cum altero permutaret, qui pro se obiret. itémque ut qui inter se permutarent, quando iurati facultates profiterentur, solemni hoc se iureiurando obstringerent: *Indico facultates meas ipsius recte, & iuste, præter ea, quæ in operibus sunt argenteis, quæ leges excipiunt, multaque eiusmodi alia obseruata, quibus vniuersa hæc ratio permutationis exercendæ contineretur.*

Atque hæc quidem munera necessaria fuerunt. Voluntaria autem illa, quæ ἐπιδοσες, id est oblationes sunt dictæ, quæ, ut inquit Vlpianus, difficilibus reip. temporibus in senatu fiebant, bonis ciuibus certatim sese vltro reip. offerentibus, ac modo pecuniam, modo triremem, modo alia, ut res videbatur poscere, pollicentibus: quod ostendit Demosthenes in oratione ad Phormionem: *Cum Alexander, inquit, Thebas accessit, polliciti sumus vobis talentum argenteum, modo autem in rem frumentariam pro populo talentum vobis obtulimus.* & in prima contra Stephanum: *Multisq; in rebus se vtilem præbuit, & cum quinque triremes vltro pollicitus esset, suisq; sumptibus remigibus instruxisset, trierarchias obiuit.* & contra Mediam: *Factæ sunt apud vos in Eubœam oblationes primæ. in horum numero non fuit Medias, sed ego, & mecum trierarchus fuit Philinus. factæ sunt secundæ ad Olynthum. ne ex his quidem fuit Medias. tertiæ nunc factæ sunt. tum demum obtulit Medias. quomodo? cum in senatu oblationes fierent, præsens non obtulit. postquam obfideri Tamynis milites nunciatum est, ac reliquos equites omnes, ex quibus iste erat, senatus decreuit exire, tum militiam hanc veritus, in posteram concionem, priusquam proëdri concessum irent, progressus obtulit.* Vnde Phocionis scitum illud est apud Plutarchum, cum in sacrificium quoddam Athenienses oblationes poscerent, aliis offerētibus, Phocionem sæpe vocatum dixisse: *Postulate ab his diuitibus: quia me puderet, si cum huic (ostendebat autem sceneratorē) non reddidissem, vobis offerrem. græce autem hoc melius, εἰ τούτω μὴ ἀποδιδώσ, ἢ μὴ ἐπίδοσιν.*

Voluntaria  
munera.

De



**H**ACTENVS de muneribus eorum sit disputatum, qui facultates suas ad ciuitatis commoda contulerunt. nunc dicamus de iis, qui in bello vitam pro salute reip. posuerunt. Hi vero & milites, & militum præfecti fuere. milites autem voco, quicumque in re militari à certo ætatis anno operam suam reip. præstitere. Erat enim legibus sancitum, vt pueri omnes, simul atque octauum & decimum annum attigerant, atque in tabulas lexiarchicas relati fui, vt supra dixi, iuris compotes facti erant, militari se sacramento obstringerent. quemadmodum docuit Lycurgus in oratione aduersus Leocratem, cum dixit: *Vobis est iusturadum, quod iurant omnes ciues, posteaquam in Lexiarchicas tabulas relati, & ephēbi facti sunt, se neque arma dedecoratos, neque ordinem deserturos, sed patriam defensuros, melioremq; tradituros.* & Vlpianus in orationem de ementita legatione, cum scripsit, qui ex pueris in ephēbos excedebant, eos in fano Agrauli armatos iurasse, se pro patria pugnuros. Integra vero huius sacramenti verba, prout scribit Pollux, hæc fuerunt: *NON dedecorabo arma, nec deseram patronū, si in eum incidero, pugnabo pro sacris, & publicis, & solus, & cum multis, & patriam haud deteriorem tradam, & nauigabo aduersus terram, quancūque accepero, & legibus, quæ extāt, & quas populus iusserit prudenter, obediā, & si quis leges tollere voluerit, non permittam. sacra patria colam, testes sint dij Agraulus, Enyalius, Mars, Iupiter.* Hoc autem adacti sacramento inde per annos quadraginta duos militare cogebantur, qui à decimo octauo ætatis ad sexagesimum pertinebant. ex quo Eponymi quadragintaduo celebrati sunt, qui fuerunt eorum annorum archontes singuli, vnde non solum anni, sed etiam stipendia ciuium nomina inuenerunt, qui se quotannis in horum tabulas referendos curarunt. quod Arpocratio prodit: *Ἐπινομῶν γέμινι, inquit, fuere, vni quidem decem numero, vnde tribus nomen accepere, alteri vero quadraginta duo, vnde ætates appellantur ciuium in singulos annos à decimo octauo vsque ad sexagesimum.* item: *στρατεία ἐν ἐπινομῶν, cuius meminit Aeschines in oratione de ementita legatione, quid sit, declarat Aristoteles in rep. Atheniensium, inquit: Sunt Eponymi decem, qui sunt tribuum; sunt & quadraginta duo, qui sunt ætatum. ephēbi vero cum inscribebantur, antea quidem in alba inscribebantur, eisq; archon, quo inscripti essent, inscribebatur. nunc vero in senatu describuntur. & paullo post: Vtuntur autem Eponymis etiam ad militiam, & quanam ætate emittant, adscribunt, & à quo archonte eponymo vsque ad quem stipendia merere oporteat.*

Actus militaris.

Sacramentum militare.

Epitheta

Peripoli.

Militia pedestris.

Peditum stipendium.

Prima vero militia terræ Atticæ custodiam habuit, quam qui obierunt à lustra regione *περίπολοι* nominati sunt. obierunt autem, simul atq; annum octauum & decimum sunt ingressi, & quidem, vt Aeschines innuit, per biennium, qui in oratione de ementita legatione dixit, se vbi primum ex pueris excessit, per annos duos peripolum regionis fuisse, vt autem Aristoteli, teste Arpocratio, placuit, per annum. qui idem auctor est, ephēbos scuto, & hasta à populo in concione accepta, terram Atticam perlustrasse, inque præsiidiis eius excubuisse. Vnde Solon in Pisistrati tyrannide, deplorata demum reip. libertate, atque salute, publicum periculum contestatus, scutum, & hastam in concione dicitur abiicisse.

Quoniam autem res omnis bellica aut pedestris fuit, aut equestris, aut naualis, propterea qui hanc tractarunt, aut armati, aut equites, aut remiges fuerunt. anti-quissima vero apud Athenienses militia fuit pedestris, quam *τῶν ὀπλιτῶν*, id est armatorum dixerunt. Hi vero suo sumptu omnia imperatæ militiæ munera obire ita à Solone sunt iussi, vt, quod dixit contra Timarchū Aeschines, qui ei legi non paruisset, is ius dicendæ in concione sententiæ nullum haberet. Pericles autem, vt qui plebis commodis vnus omnium maxime inferuuit, primus de militum stipendio tulit. quod Vlpianus ad orationem de syntaxi scriptum reliquit. Itaque

Thu

Thucydides in tertia historia prodidit, militi, qui Periclis ætate Potidææ in custodia esset, eiisque ministro drachmas binas in dies singulos numeratas.

His rebus ita constitutis, fiebat, vt cum conscribendus exercitus erat, *ἐκ τῶν κατὰ λόγους*, id est ex iis tabulis conscriberetur, in quibus per tribus ciuium omnium nomina scripta erant, qui arma ferre per ætatem poterant. Atque ita in suis quisque tribubus instructi cum hostibus de communi salute, inter se autem de laude, & gloria decertabant. sic enim, vt scribit Herodotus, cum Medis in campis Marathonis dimicatum est, vt vniuersus exercitus in suis quisque tribubus esset instructus. Quocirca narrat Plutarchus, re ex sententia gesta reuersisq; Athenas no-uem tribubus, Aristidem prætozem in castris cum tribu sua decima, quæ erat Antiochis, ad prædam barbarorum custodiendam esse relictum. & Thucydides in sexta tradit, Atheniensium armatorum tribum, & cum ea equites omnes impressione facta equitatum Syracusanorum vniuersum in fugam coniecisse.

Pedites ex tribubus conscripti.

Equestris militia.

Equestre stipendium.

Probatio equestris.

Naualis militia.

Res autem equestris Atheniensibus aut nulla, aut certe perexigua antiquitus fuit. scribit enim Pollux, naucrariasolim singulas, quæ numero erant, vt supra dixi, octo & quadraginta, binos tantum equites præbuisse. Itaque merito, vt narrat Herodotus, Medi in prælio Marathonio stultitiā Atheniensium irriferunt, qui pauci numero, & nullo equitum, ac sagittariorum robore septi tantum animorum atque audaciæ suscepissent, vt secum æquo Marte signa conferre non dubitarent. Vt autem huic malo auctis post ciuitatis opibus, quo ad possent, mederetur, magna illa de Xerxe relata victoria, pacèque reip. parta, trecentos primum equites, & sagittarios trecentos instituerunt. neque ita multis post annis, confirmatis ex noua pace viribus ciuitatis, equites mille ac ducentos, ac sagittarios totidem intulerunt, quod scriptum in Aeschinis de falsa legatione, & Andocidis de pace orationibus inuenitur. His autem equitibus stipendium quoddam ad emendum, ornandumq; equum ex ærario assignatum indicat Arpocratio, cum scribit, æs fuisse quoddam *κατὰ στραίον* appellatum, quod qui constituti equites erant ex ærario capiebant, & postquam equites esse desissent, phylarchis repetentibus reddebant, vt id aliis in eorum locum constitutis attribueretur. atque hoc ipsum significasse Lyfiam in defensione Mantitheï, cum dixit: *Decreuistis, vt phylarchi profiterentur eos, qui equis meruerant, vt ab ijs τὰς κατὰ στραίους exigeretis.* Præclarum autem illud in primis, quod, vt supra ostendi, nemo equo merere potuit, nisi qui *δοκιμασία* ante excussus fuisset, an instructum, ornatumque equum haberet, vsque adeo vt infamia notaretur, qui ad equestrem militiam sine probatione accederet, aut equum inter armatos collocatus ascēdret. Nam habuisse eos equum, quem *πολεμυσήριον* appellarunt, ex oratione ad Phænippum elicitur. Vnde illud est Lyfiæ in oratione de ordine deserto: *Ego vos Alcibiadi iuste propterea succensere arbitror, quia iubente lege, si quis non probatus equitem agat, infamem esse, hic ausus est, sine probatione equitem agere.*

Quin etiam rem Atheniensibus naualem ab initio modicā affuisse, facile non Thucydidis solum auctoritate mihi persuaderim, qui multis id in proœmio historię argumentis ostendit, sed etiam Herodoti, apud quem scriptum est, Athenienses bello, quod cum Aeginetis ante Darij in Græciam irruptionem grauissimum gestum est, vix quinquaginta triremium numerū confecisse. probe vero admodum, & vere. nam singulæ, teste Polluce, naucrariæ naues tantum singulas antiquitus præbuerunt. Post autem Themistocles, vt narrat Herodotus, acri vir ingenio, & singulari solertia præditus, Persas Darij bello grauissime laceffitos haud facile quieturos ratus, persuasit ciuitati, vt ex vectigalibus, quæ ex metallorū Lauriorum fructu redibant, de quibus plebi diuidendis tum in populo agebatur, classis in bellum, vt verbo simulabat, Aegineticum, vt re timebat, Persicum centum nauium pararetur, populūque ad rei maritimæ studium, quæ sola vrbi salutem afferre, & gloriam posset, traduceretur. Itaq; cum ipse ea classe haud ita multo post Xer

Xerxe rege potentissimo toto mari fuso, atque fugato opem, salutemque reip. Græciæq; vniuersæ tulisset, idem auctor, vt est apud Diodorum, ciuitati fuit, vt ad præsentem classem viginti quotannis triremes adiicerentur, & triplex, vt scribit Pausanias, Piræei portus, qui, se atchonte, ante Xerxis aduentum fuerat, teste Thucydide, institutus, absolueretur. Aeschines tamen, & Andocides in iis, quas modo commemorauimus, orationibus apertius ea tempora. & hæc eiusmodi reip. incrementa tradentes, affirmant, primo per Cimonem cum Lacedæmoniis foedere in quinquennium facto, ciuitatem centum triremes in earum locum, quibus Græciam bello Persico liberauerat, quippe rudium admodum, & iam vetustate quassatarum, ædificasse; secundo autem per Andocidē in triginta annos percusso, alteras centum; tertio vero per Niciam in quinquaginta, non minus trecentis. nam Lycurgum Lycophronis filium Demosthenis oratoris æqualem, cum rei militaris apparandæ præfectus esset, quadringentarum demum numerum expleuisse notat Plutarchus. Cum autem classem ædificassent, vnā etiam loca multa ad classis usum extruenda sibi duxerunt, & quidē omnia in Piræeo ἐπίγειον, siue ναυστάθμον, νεώρια, νεωσοίκας, ὀπλοθήκη, siue σκευοθήκη, id est nauium stationem, naualia, & armamentarium. quæ omnia partim Themistoclis, partim Periclis, partim Lycurgi opera, & monumenta fuerunt. Plato enim in Gorgia νεώρια, & portum tum Themistoclis, tum Periclis consilio scribit esse constructa, Pausanias Themistoclem in Piræeo ἐπίγειον & νεωσοίκας, Plutarchus Lycurgum νεωσοίκας & σκευοθήκη extruxisse inquit. Strabo vero Munichiam prodit ambitu suo quondam complexam esse Piræeum, & portus plenos νεωρίων, in quibus & ὀπλοθήκη fuerit, Philonis opus, & memorabilis ναυστάθμος quadringentis nauibus aptus, quibus haud pauciores Athenienses emiserint. Quocirca magistratus item, vt video, duos instituerunt, vnum, qui classis emittendæ, alterum, qui subducendæ curā haberet. quos illi ἀποσταλάς, & ἐπιμελητὰς τῶν νεωρίων appellarunt.

Quoniam autem ad naues primum fabricandas, deinde ad usum militarem complendas infinita propè hominum turba indiguerunt; propterea Themistocles, cui omne rei maritimæ decus Athenis prudentum omnium consensione debetur, inquilinos, & artifices omnes immunitate donauit, vt nautica turba spē præmiorum vndique conflente res naualis vberior, ac firmiter redderetur; Pericles autem, gloriæ Themistoclis æmulus, illud præterea aliquot post annis, quod narrat Plutarchus, adiecit, vt qui naues cōscendissent, per octo mensium spatium stipendium ferrent, & quidem, vt Thucydides historiæ octauæ mandauit, ternorum in dies singulos obolorum.

Hos autem nautas ex populis per demarchos editos, perspicitur ex oratione de epitrierchemate, in qua in hunc modum loquitur Apollodorus quidam: *Decretuistis, vt trierarchi naues deducerent, & senatores, ac demarchi recensum popularium facerent, & nautas ederent. ego vero, vbi nautas à popularibus conscripti venerunt, & pauci, & imbecilli, eos dimisi, & meo ære nautas quàm optimos conduximus. Quo eodem in loco ostendit, stipendium quoddam turbæ nauali adnumeratum, cum inquit: Ego in singulos menses remigibus stipendia, cum à prætore commeatum solum duorum mensium accepissem, per annum, & menses quinque suppeditaui.*

Cum ergo his omnibus res ipsa militaris constaret, armatis, equitibus, & remigibus, propterea, qui his in bello præessent, diuersi instituendi fuerunt, στρατηγοί, ταξιαρχοί, ἱππάρχοι, & τεύχερχοι. Ac στρατηγοί quidē, quos latine prætores dicimus, deni fuere ex tribus singulis singuli, à populo, vt reliqui omnes, in comitiis declarati, & quidē non semel, sed si res tulit, sæpius honore continuato relecti. cuius rei præter ceteros argumento est Phocio, qui, vt scribit Plutarchus, quinquies, & quadragies præturam vltro à populo semper oblatam administravit. Hi vero creati patrium iusiurandum quoddam concipiebant. in quo illud erat in primis se bis quotannis in Megaridem inuasuros. Quod propter Anthemocritum præ-

conem ab iis necatum principio belli Peloponnesij Charini decreto adiunctum, in Pericle scribit Plutarchus. Atque ita cū vniuerso exercitui, aut classi Atheniensium imperarunt, tum totum bellum suo ductu, consilioque gesserunt. ita tamen, vt rerum gestarum rationem redderent, nisi si αὐτοκράτορας nomen decreto populi essent consequuti, vt Aristides ad Platæas, & Nicias, Alcibiades, & Lamachus in Siciliam, multique alij, auctore Plutarcho: hanc enim vim hoc nomen αὐτοκράτορας habuit, vt esset, Suida teste, ἀνεπίβουλον, id est à referendis rationibus, & omnino à iudicio repetundarum liber, ac solutus, remque suo arbitrio, atque auctoritate administraret. Ac primis quidem temporibus prætores omnes ad bella grauissima cum æquo imperio miserunt, ita vt singuli singulorum dierum imperium obtinerent, iis autem Polemarchum vndecimum adiunxerunt eo consilio, vt si paribus illi inter se sententiarū momentis de belli gerendi ratione forte contenderent, ipse in alteram partem inclinans, atque propendens omnem consilij capiendi dubitationem eximeret. Quod ostendit Herodotus, vbi de prælio cum Medis ad Marathonem committendo scribit: *Cum inter decem, inquit, prætores de pugna cum barbaris incunda non conueniret, quicq; à certamine abhorrebant, superiores essent, Miltiades vnus è decem Callimachum Aphidnæum, tum forte Polemarchum adiit, qui sortito ad eum magistratum euectus, vndecimus erat (nam olim Athenienses, inquit, suffragij iure parem prætoribus polemarchum faciebant) eoq; demum in suam sententiam traducto, expectata diei, imperijq; sui vice rem feliciter, & ex sententia gessit.* Post autem magna totius huius rationis commutatio consequuta est. si quidem & polemarchus domi ad iura, vt supra ostendi, inter ciues, & peregrinos dicenda retentus, & prætores quotannis decem creati sunt illi quidem, verum non omnes semper ad bellum; sed modo vnus, modo duo, modo plures pro rei periculo, & magnitudine hostium missi sunt. alij vero domi vrbis quibusdam vacantes officiis, sed tamen ad rem militarem spectantibus restiterunt. Quod præter ceteros innuit in prima contra Philippum Demosthenes, cum inquit: *Si quis de vobis quereretur, pacem ne agitis Athenienses? minime vero, respondebitis, sed cum Philippo bellum gerimus. at non ne creastis ex vobis ipsis decem taxiarchos, & phylarchos, & prætores, & hipparchos duos? isti vero quid agunt, vno illo excepto, quem ad bellum miseritis.* Ex quo effectum est, vt prætorum duo quasi genera instituta sint, vnum eorum, qui ἐπὶ τῆς διοικήσεως, alterum eorum, qui ἐπὶ τῶν ὀπλων appellati sunt. Quod ostēdit non obscure idem in oratione pro Ctesiphonte, cum decretum esse inquit, vt in summo vrbis periculo de iis, qui custodias vrbis agere nequirent, iudicaret prætor, & is, qui præesset armis, & is, qui iurisdictioni. Armis autem cum dicebant, imperiū, quod præcipue in pedites habebatur, intelligebant, quos illi ἐπίπλους, id est armatos vocabant. Vnde dixit Plutarchus, Lycurgo Dioclem genitum esse, eum, qui præturam gesserat in armatos. Hæc autem vrbana, ac militaria officia ipsi ita inter se partiebatur, vt quod scribit Vlpianus ad Medianam, alij ad quoddam tempus rem militarem administrarent, bellumque gererent; alij vero domi manerent, ac vicissim decedentibus iis succederent, imperiūque susciperent. quod idem in oratione de epitrierchemate demonstratur. Ac qui vrbanam quidem prouinciam adepti sunt, quibus de rebus cognouerint, supra dictum est. Qui vero rem castrensem, militaremque curarunt, ij exercitum ipsum tum conscripserunt, tum etiā dimiserunt. De conscriptione testis est Plutarchus. *Phocio, inquit, prætor electus, edicti per præconem iussit, vt omnes, qui intra pubertatis, & septuaginta annorum ætatem essent, extemplo dimissa concione adessent, sumptoq; quinque dierum commeatu, se statim in Bœotiam sequerentur.* item: *Phocio cum in delectu Aristogitonem simulata claudicatione ingredientem longe è tribunali conspiciatus esset, scribe Aristogitonem istum, inquit, & claudum, & improbum.* & Lyfias, apud quem miles quidam, *Vt veni, inquit, in vrbem, conscriptus miles sum. quod vbi sensi, ad prætorem veniens, ostendi me emeritis esse stipendijs, & nihil equi impetraui.* & contra Alcibiadem: *Qui sunt, quos*

lex iubet adesse? non ne quos prætores conscripserunt? & contra Diogitonem: Post hæc conscriptus vna cum Thrasyllo eo, qui armatis præfuit, cum eo ad exercitum contendit. De dimissione significat Demosthenes in oratione de epitrierchemate, cum inquit: Nam ceteri saltem, qui è delectibus venerant ad nauem, remaserunt, reditum sibi in patriam reseruantes, si se prætor dimisisset.

Taxiarchi.

Iam verò taxiarchi deni item ex singulis tribubus fuerunt. Vnde dixit idem in oratione de nomine: Cum essem taxiarchus tribus. & Æschines de ementita legatione: Timenides Pandionidis taxiarchus. Horum autem negotium fuit, vt ordines militares instruerent, pedites in prælium mitterent, iisdemque quo ire, & per quot dies cibum parare oporteret, per præconem denunciarent, & si liberet, militem ex armatorum catalogo delerent. quorum prima in defensione Mantitheï à Lysia indicantur, cum ait: Omnibus timore percussis, iussi, vt taxiarchus ordinem nostrum in præliam extra sortem immitteret. reliqua in expositione Auium Aristophanis, & in oratione eiusdem Lysia de neglecta militia inueniuntur, maxime, cum inquit: Opus erat mandare taxiarcho, vt eum ex catalogo armatorum extimeret.

Hipparchi.  
Phylarchi.

Vt autem prætores, & taxiarchi peditibus, sic hipparchi, & phylarchi equitibus imperarunt. vnde illud est Demosthenis pro Ctesiphonte: Placuit populo, vt prætor, & hipparchus pedestres, equestresq; copias ad Eleusinem educerent. Hipparchi autem duo, phylarchi decem; illi quidem vniuerso, hi vero singularum tribuum equitatu singuli ita præfuerunt, vt, quemadmodum taxiarchi prætoribus, sic phylarchi hipparchis dicto audientes essent. Quamquam autem hipparchi vniuersum in equites imperium habuerunt, remque totam equestrem suo iudicio, atque arbitrio gubernarunt, quod indicat Demosthenes, cum Media vitio vertit, quod cum hipparchus esset, legibus quibusdam latis rationem equestrem omnem corruperit: tamen & ipsi prætorum mandatis, atque auctoritati paruerunt. quod in eundem ostendit idem, cum inquit: Cui prætor Phocion equites ad successionem vocasset, Medias ad nauim contendit, & quorum equitum hipparchus esse voluit, cum is non conuenit. Phylarchi vero cum alia multa iura nacti sunt, tum illud in primis, quod equites & constituerunt, & dimiserunt. Ac constitutos quidem paullo ante ex Lysia auctoritate in defensione Mantitheï demonstrauimus. dimissos autem eiusdem in oratione de neglecta militia testimonio possumus confirmare. cum inquit: At qui opus erat phylarcho multam irrogare, quod Alcibiade è tribu dimoto, vires ordini detraxisset. & in superiore Mantitheï oratione: Cum decretum esset, vt subsidium ad Elialiarthum mitteretur, ego conscriptus eques ab Orthobulo, quia videbant omnes, nullum equitibus periculum affuturum, Orthobulum monui, vt meum è catalogo nomen eximeret.

Trierarchi.

Neque vero terrestria solum, sed maritima quoque prætores imperia obtinuerunt. hoc autem adeo manifestum omnibus est, vt nulla veteris scriptoris testificatione indigeat. Vt autem prætores in re maritima trierarchis omnibus, sic singuli trierarchi singulis triremibus, ac eius triremis remigibus imperarunt. Ac prætores quidem in trierarchos imperium habuisse, eaque quæ sibi è rep. fideque sua viderentur, eis mādasse, satis in re notissima testimonij sint, quæ ab Apollodoro trierarcho apud Demosthenem in oratione de epitrierchemate afferuntur; & quod scribit libro primo Xenophon de prætoribus decem, qui ad populum postulati, quod in prælio ad Arginusas mortuorum ciuium cadauera è salo non collegissent, omnem eius rei culpam in trierarchos, quibus id ipsi mandassent, auerterunt. nam trierarchorum officium fuisse, vt triremes omni genere armamentorum, remigumque ornatas, atque instructas haberent, deque ea laude ipsi inter se studiose contenderent, satis, vt opinor, ante est demonstratum. His autem trierarchis quæstores quoque, vt scribit Arpocratio, sunt attributi, scilicet vt pecuniæ rationes conferent, quæ in comheatum, stipendiumque sociorum naualium attribuebatur. cuius meminit Apollodorus in oratione, vt supra dixi de epitrierchemate. Atque hoc cum in aliis triremibus obseruatum est, vt suos quæque trierarchos, & quæstores haberet,

Quæstores  
militares.

haberet, tum maxime in iis, quæ Sacræ dictæ sunt. Hæc vero vsque ad Antigoni tempora duæ solæ fuerunt, Salaminia, & Paralus. Salaminiam eandem fuisse tradit ad Medianam Vlpianus, atque ea, quæ Delia nominata est. Delia vero fuit, quæ Theseus quondam in Cretam ad pœnas Minoi regi dandas est deportatus. hæc enim summa semper religione resecta vsque ad Demetrii Phalerei ætatem, Plutarcho teste, peruenit, eaque quotannis ornata, teste Herodoto in Erato, & Platone in Phædone, in Delum, quæ ad solemne pertinerent sacrificium, deuexerunt. per quos dies supplicium capitale de aliquo sumere nefas fuit. Paralus, vt scribit Arpocratio, à Paralo antiquo heroë quodam nomen accepit. quique eam conscenderunt, Parali appellati sunt. cuius officij causa quattuor obolos ceperunt, & maiorem anni partem domi traduxerunt. Ambas autem cum ad bellum gerendum, tum ad prætores è bello, si opus esset, ad iudicium retrahendos, & omnino ad publica munera celeriter obeunda adhibitas legimus. De bello testis est Plutarchus, qui in prælio nauali Salaminio vna cum Themistocle Architelem sacræ triremis trierarchum affuisse narrat. & Thucydides, qui Paralum, & Paralos nauas in Samo fuisse per dominatum Quadringentorum belli causa scribit; de iudicio Thucydides, qui Salaminiam ad Alcibiadem è prætura Siciliensi reuocandum missam tradidit, & Demosthenes in oratione de Chersoneso, qui aduersus hostes, qui legibus deuinciri non possent, exercitus, triremes, & tributa necessaria esse inquit, at vero aduersus ciues decretum, delationem, Paralumque sufficere. His ergo triremibus & trierarchi, & quæstores sunt attributi. trierarchi sacræ triremis meminit eo, quem dixi, loco Plutarchus; Parali de hereditate Dicæogenis Isæus, vt quæstoris Demosthenes, cum inquit, Mediam quæstorem Parali à populo declaratum.

sacræ tri-  
remes.

Et quoniam Athenienses non solum domesticis, sed etiam peregrinis in bello copiis, vltimis præsertim temporibus, vsi sunt, propterea huc eos etiam pertinuisse arbitror, qui ἐξέτασαι τῶν ξένων dicti sunt, quod eis negotium datum esset, vt apud socios copiam peregrinorum, qui ferendis apti armis essent, conquirerent. hoc autem indicare videtur Æschines primum in oratione contra Timarchum, inquit: Missus à vobis peregrinorum conquisitor Eretriam solus ex conquisitoribus pecuniam cepisse confessus est. deinde de falsa legatione, cum queritur, ciues irreptitios in bello conquisitores, & apostoleos creati.

Cōquistores  
peregrino-  
rum.

Quod si quorum forte suspectam, dubiamve fidem habuerunt, tum vero ad actiones eorum inspiciendas, explorandasque voluntates mittere soliti sunt eos, quos ἐπισκόπους appellarunt, quorum, teste Arpocratio, meminit Theophrastus.

Episcopi.

De oratoribus, &amp; legatis.

CAP. VI.



Vt vero lingua, atque eloquentia fidem, industriamque suam reip. præstiterunt, ij nonnullum quidem honorem, sed non magistratus tamen nomine insignitum ex disciplina Solonis adepti sunt. quod ex verbis eius elicitur, quæ sunt in accutatione Timarchi: Ne quis impudicus magistratum vllum capiat, neque publico patrocinetur, neque præconem, neque legatum obeat. His enim non obscure significauit, se oratores, & legatos è magistratu numero dimouere. Quos vero inquit, publico patrocinatos esse, ij fuerunt, qui σὺο δῖνοι, & qui ξένους appellati sunt.

Συυδῖνοι fuerunt, qui ad leges suadendas sunt electi, & propterea συυδῖνοι τοῖς νόμοις appellati. Quorum meminit contra Leptinem Demosthenes: Lecti sunt, inquit, legi syndici, viri maxima dicendi facultate præditi. & post: Quod vero maximum est contra hos syndicos omnes, sepe vnusquisque eorum antea rebus quibusdam syndicus fuit. est autem lex de his, non licere, qui suffragio populi creatus esset, plusquam semel syndicum esse. qui vero patrocinaturi sunt legi, & demonstraturi, legem esse idoneam, eos oportet extantibus legibus obtemperare. sin minus, ridiculum est, legi syndicos esse, eos vero legem alteram violare. Eiusmodi autem legum suafores à populis

syndici.



pulis lectos, supra, cum de legum latatione diximus, demonstrauiamus.

Rhetores.

*Pyrogas* autem decem sorte lecti sunt, vt in concione, & senatu causam publicā, re poscente, defenderent. cuius officij nomine, quotiescunque dixerunt, mercedis loco drachmam tulerunt. quemadmodum in Vespasum commentario reperitur. atque hoc idem muneris prætores etiam, qui in vrbe curarunt, vt supra diximus, obiuerunt. Quos ambos intellexit pro Ctesiphonte Demosthenes: *Præcone sæpe rogante, quis loqui vult? nemo tamen processit, neque rhetorum, neque prætorum.* & Aeschines de euentu legatione: *Surgentes qui descripti erant rhetores, de salute ciuitatis nihil dixerunt.* & contra Ctesiphontem: *Nonnulli maximis magistratibus gestis, & veltigalibus publicis administratis, & in singulis corrupti, accitis ex senatu, & populo rhetoribus euaserunt.* Institutos autem à Solone fuisse rhetores, indicat lex eius, quæ est in accusatione Timarchi: *Si quis rhetorum loquatur in senatu, aut in populo de re proposita, nõ separatim de vnaquaque aut bis de eadem, idem apud eodem, aut conuicio, aut maledicto incessat quenquam, aut sine modo dicat de rebus, quæ eius loci non sunt, aut dimissa concione, aut senatu trahat epistolatam, ius habeant proëdri vsque ad quinquaginta drachmas pro vno quoque crimine inscribere apud prætores, quod si maiore multa dignus videatur, irrogantes vsque ad quinquaginta drachmas inferant in senatum, aut in primam concionem.* Hos autem eisdem *σωρηγορος*, & mercedem eorum *σωρηγορικόν* appellatam. in eodem Vespasum commentario, ex Aristotelis sententia, scriptum est. Itaque Arpocratio *σωρηγορος* creatos prodidit, vt dicendo adessent. In hoc tamen genere aliquid extra ordinem aliquando factitatum, remque à sorte ad suffragium, & à populo ad Areopagum traductam, ostendit Plutarchus, cum scripsit, certamine inter Athenienses, & Delios, vtri sacro præessent, exorto, lectoque qui causam ageret, Aeschine, Areopagi senatū Hyperidem manuum suffragio declarasse. Vt autem rhetores domi voce, atque oratione reip. causam defenderunt, sic foris legati, & præcones, quos illi *πρεσβευτας*, & *λύπυκας* appellarunt. Hi vero ad exterarum gentes, sociasque ciuitates, exponendæ senatus, populique voluntatis causa, de bello, pace, fœderibusque missi sunt, cum reip. tempora postularunt. Quod munus quia sine summa solertia prudentiæque explere non poterunt, propterea Demosthenes ita contra Aeschinem egit: *Qua de re alia sumenda pœna est à legatis, quam de verbis? sunt enim legati non triremium, neque locorum, neque armorum, neque arcis domini (nemo enim hæc legatis committit) sed verborum, & temporum. tempora igitur ciuitatis si non præripuit, nõ peccauit. madata vero si vera renunciauit, euadat: si falsa, & pretio, & inutilia, plectatur. nihil est enim in quo grauiorem vobis facere iniuriam, quam falsis renunciandis, possit.* Quare legati merito non sorte, sed populi iudicio ad huius fastigium muneris ascenderunt. vt ostendit in eadem causa Aeschines: *His dictis, decretum in populo scripsit Philocrates, vt vos legatos decem legeretis ad Philippum, qui cum eo de pace, & communibus commodis agerent: cum autem creandis legatis comitia haberentur, ego propositus sum à Nausicle, Demosthenes autem à Philocrate.* Atque hi, vt ceteri magistratus, iudicio repletandarum obstricti fuere, nisi si cum liberis madata missi essent, quos illi *πρεσβευτας* aut *πρωτοβουτας* nominarunt, vt teste Xenophonte, cum Piræo obsessio, ad Lylandrum duces Lacedæmoniorum de pace legatos miserunt. Tantum autem legatis honoris habuere, vt quod elicitur ex Demosthene, & eius interprete, eos à legatione reuertentes senatus sæpe cœnatum in Prytaneum vocarit, eorumque reditum eiusmodi officij, ac iudicij genere, quod amplissimum semper est habitum, honorarunt.

Legatos autem cum antecedere solet præco, qui symbolum ferret, quod illi *λύπυκος* dixerunt, tamen sæpe etiam præco solus missus est, vt Anthemocritus, quem Megareses ad se publice missum interfecerunt. quod scriptum reliquit in Pericle Plutarchus.

De præfectis sacrorum.

CAP. VII.



IN EM totius huius disputationis faciam, si pauca de Atheniensium sacris, eiusque curatoribus, atque præfectis adiungam. Omnis igitur Atheniensium religio tribus mihi in rebus posita potissimum fuisse videtur, in sacrificiis, in pompis, & in ludis. Sacrificia, quas illi *θειας* dixerunt, solemnibus cum victimarum oblatione votorum pro rep. susceptio fuit. eorumque alia patria, alia, quod ostendit in Areopagica Isocrates, *ἐπιθετα*, id est, ascititia dicta sunt. ex patriis autem nonnulla *δημοτελεῖ*, quædam *δημοτελεῖ* fuerunt: quorum ad ea communi nomine ciuitas, vt inquit Hefychius, victimas dedit; ad hæc vero singuli priuato nomine populi. Itaque Theopompus rerum Philippicarum libro xxi, vt est in Auium commentario, Athenienses prodidit *ἐπὶ ταῖς θειαις δημοτελεῖς* solemnibus pro se, & pro Chiis vota diis fecisse. Pompas dixerunt ornatam virorum, mulierumque turbam, quam cum rebus ad sacra pertinentibus ad Mysteria in Eleusinem, & Dionysia, & Panathenæa longo comitatus agmine cum magna cærimonia miserunt. Ludi vero, quos illi *ἀγωνας* appellarunt, publica spectacula fuerunt in deorum honorem edita, & magnis sumptibus apparata. quorum scenici, siue musici, ac Dionysiaci dicti, qui in scena, & per scenicos artifices, gymnici vero qui in curriculo, & potissimum per athletas commissi sunt.

Hæc autem non iidem homines omnia procurarunt, sed Rex quidem, quod in Pollucis, & Arpocratio est monumētis, Mysteria, Lenæa, & Ludos qui in Lampade dicti sunt, nempe Panathenæa, Hefestia, & Promethea, & insuper sacra etiam patria procurauit, & gentibus, ac sacerdotibus omnibus ius dixit. ad mysteria vero curatores à populo creatos duos ex eumolpidis, vnum ex cerycibus ascituit. Regina vero vxor eius sacris item quibusdam arcanis ex regia rep. conseruatis operam dedit. Vnde in oratione contra Nearam Demosthenes de Theogenis regis vxore dixit: *Et ipsa vxor cum vobis arcana sacra pro ciuitate faciebat, ea vidit, quæ ipsam videre fas non est, cum sit peregrina, & eò ingressa est, quò nemo alius Atheniensium ingreditur, nisi vxor regis, & iureiurando adgit gereras sacrorum ministras, & sacra patria pro ciuitate dijs fecit.*

Archon autem, vt scribit Pollux, Dionysia, & Thargelia adhibitis curatoribus instruxit, & sacra item patria procurauit, in primis autem ludorum scenicorum curam habuit, vsque adeo, vt illius auctoritate ipsa vtique spectacula regerentur. si quidem scripsit Aristoteles in Poeticis, comœdiam serius factitari propterea ceptam, quia sero archon chororum permiserit. & Demosthenes aduersus Mediam, archontem in eo munere ita esse versatum, vt ludis Dionysij choragostribubus, & choragis tibicines procurarit, & quod prodit Plutarchus in Cimone, iudices quoque tragœdis sortitus sit. nam de sacris patriis ab eo factis testis est etiam Lysias, qui aduersus Euandrum inquit, patronos Euandri archontis fortasse ad eam defensionis rationem descensuros esse, vt dicant, fore, si ille reprobaretur, vt, cum in eius locum mature subfortitio fieri non posset, sacra patria ineunte anno deferrentur.

Polemarchus autem Dianæ agresti, & Enylio sacrificauit, & ludos funebres iis, qui in bello occubissent, curauit, & Harmodij manibus parentauit, & vt liberi eorum, qui in acie cecidissent, de publico alerentur, prouidit. quod Pollux, & Vlpianus ad Timocrateam notatum reliquit.

Neque vero ludorum cura regi soli, aut archonti, aut polemarcho est commissa, sed iis etiam, quos illi *ἀθλοθετας*, & *ἀγωνοθετας* dixerunt. Ac Hefychius quidem ex Nicandri sententia ludis gymniciis athlothem, scenicis vero agonothem præfuisse notauit. Quod cū confirmet Ammonius, Plutarchus tamē Periclem scripsit Panathenæis musicum agonem instituisse, eumque ipsum athlothem declaratum

ordinasse, ita vt iudicaret, quomodo certates, aut tibiis, aut voce, aut cythara canere oporteret. Pollux autem athlothetas inquit denos ex singulis tribubus sorte lectos, eosque probatos ei curationi per quadriennium præfuisse. Vt autem agonothetæ meminit Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, sic athlothetæ contra Bæotum de nomine.

Quod autem ad pompas attinet, narrat Plato in Alcibiade apparatus, eas, magnificentissimasque diis quotannis Athenis missas esse. Hæ vero quia ferme instructo celebrabantur exercitu, quod ostendit in sexto Thucydides, cum de Hipparcho tyranno per Harmodium, & Aristogitonem interfecto scribit, propterea ab omnibus iis, qui rem militarem administrarunt, prætoribus, taxiarchis, hipparchis, phylarchisque curatæ sunt. Quod declarat in prima contra Philippum Demosthenes, cum inquit: *Non ne creastis ex vobis ipsis decem taxiarchos, & prætores, & phylarchos duos? quid igitur isti agunt præter virum vnum, quem ad bellum emisistis? reliqui pompas vobis instituunt cum sacrificulis. Vt enim qui luteos fingunt, in forum taxiarchos, & phylarchos creastis, non in bellum.* & contra Mediam: *Creastis hunc etiam hipparchum, cum tamen in pompis in foro salutare non possit.* Quin etiam Plutarchus in Phocione scribit, equites decimonono Munychionis pompam Ioui instruxisse. & Æschines contra Timarchum: *Erat urbanorum Dionysiorum pompa. in his autem pompam agebat Misgolas, & Phædrus. cum autem Timarchus secus pompæ socium futurum professus esset, his in alio apparatu occupatis non venit.*

*sacerdotes.* Præter hos autem magna fuit etiam sacerdotum, ministrorumque sacrorum turba, quibus haud minima pars sacrorum, & cærimoniarum Atticarum est commendata. Sacerdotes, quos illi *ἱερείας* dixerunt, singulis diis, vt Mineræ, Cereri, Neptuno, Ioui, Apollini, & aliis operati sunt. Eiusmodi vero sacerdotia ex gentibus, forte esse mandata iam sæpe commemorato Arpocratio in lexico scriptum est. argumento autem non minimo est, quod Mineræ sacra penes Eteobutadas fuerint, vnde illud est Demosthenis in oratione de falsa legatione: *Pater meus gente ex ea curia est, quæ easdem aras participat cum Eteobutadis, vnde Mineræ Poliadis est sacerdos.* Cereris autem penes Eumolpidas, & Ceryces, quod ex Alcibiade Plutarchi cognoscitur. nam vt Oschophoria à Phyalidis, & Plynteria à Praxiergidis facta sint, idem in Theseo, & Alcibiade auctor est. quæ quidem gentium Atticarum nomina fuisse supra cognouimus.

Inter ministros autem numerati sunt *ἱεροποιοί, βοῶναι, μειαγῶγοί, γεραραί, ὄργωνες, κωνήφοροι,* & si qui alij fuerunt eiusmodi.

*sacrifici.* Sacrificorum meminit Demosthenes aduersus Mediam, inquit, sacrificum se ab Atheniensibus tertium, qui Seueris deabus rem diuinam faceret, lectum pro senatu *εἰσπύθεια ἱεροποιῆσαι.* quo in loco *ἱεροποιῆς* Vlpianus notat fuisse, qui sacrificantes obseruarent, ne quam in sacrificiis fraudem committerent. tribus autem Eumenidibus tres sacrificos ab Areopago propterea fuisse lectos, quia earum sacra Areopago essent commendata. Pollux autem tradidit, sacrificos decem sacra quinquennialia fecisse in Delum, & Braurone, & in Eleusine.

*Boona.* Quis autem fuerit *βοῶναι*, idem etiam exponit. Siquidem cum Demosthenes dixisset, Mediam *ἱεροποιῆν*, & *βοῶναι* declaratum fuisse, adiungit, *ἱεροποιῆς* fuisse, qui prouiderent, ne victima debilis esset, & parum idonea; *βοῶναι* autem, qui boues ad dies festos coemerent.

*Miaagogi.* Iam vero *μειαγῶγόνες* fuisse docet Arpocratio, qui victimam, quæ *μειῶν* dicebatur, ad curiales adducebant, tum cum puerorum professio inibatur.

*Orgeones.* Nam *ὄργωνες* eodem teste, fuerunt, qui ad honorem aliquem deorum, aut heroum conuenerunt. Polluce autem, qui in populis statis diebus sacra fecerunt, quæ tum *δημοπικῶν*, tum *ὄργωνικῶν* dicta sunt. vnde iidem etiam à populis lecti sunt. quod fortasse significauit Demosthenes in oratione ad Eubulidem, cum dixit: A popularibus prælatus sum, vt sortirer inter nobilissimos sacerdotium Herculis.

*γεραραί*, vt inquit Pollux, quattuordecim erant mulieres, à rege constitutæ, quæ sacra secreta Dionysio cum alia *θεωρίαι* faciebant. quas solemni hoc a dactas à regina iurciurando scribit Demosthenes in oratione contra Nearam: *Pia, & pura, & munda sum à ceteris immundis, & à viri congressu, & Theognia, & Iobacchea ministro Dionysio ritu patrio, & statis diebus.*


*Κωνήφοροι* virgines fuerunt, quæ, vt supra diximus, cistas in pompis cum rebus iis, quæ ad sacrificium pertinerent, gestabant. de quibus ita Pausanias in Atticis: *Virgines duæ non longe à Poliados habitant. eas Athenienses Cistiferas appellant. hæ certum tempus apud Deam commorantur, deinde vbi festus dies aduenit, per noctem capite tollunt, quæ illas Mineræ sacerdos ferre iussit, cum neque ipsa quid ferendum det, neque virgines, quid ferant, sciant. Talis autem futura fuit in Panathenæis soror Harmodij eo die, quo Hipparchum tyrannum Harmodius cum Aristogitone sustulit. Atque hæc quidem intra populos obseruata sunt.*

Extra populos autem: quos illi *ἀποδύμεις* appellarunt, numerati sunt *θεωροί, πτυλαγόρα, & ἱερομνήμονες.*

*Θεωροί* vocati, teste Suida, qui pro patria ad sacra extra fines, aut ad sacros ludos aut ad alios sollempnes Græciæ mercatus, aut ad oracula mittebantur. Quare cum Athenienses ad Antigonum, Demetriumque liberatores suos oratores decreuissent, eos, vt scribit Plutarchus, non legatos, sed *θεωροῦς*, vt qui ad Pythios, aut Olympicos sacra patria pro ciuitatibus adducerent, quasi ad deos quosdam missos vocarunt. Ex quo nauis, qua vehebantur, *θεωρίς*, & sacrificium *θεωρία*; eorumque princeps, teste Vlpiano, *ἀρχιθεωρός* dicebatur, cuius meminit Andocides in oratione de mysteriis, cum quandam ad Isthmum, & ad Olympiam fuisse *ἀρχιθεωρόν* inquit: & intellexit contra Mediam Demosthenes, cum dixit: Permisit me *ἀρχιθεωρία* adducere Ioui Nemio pro ciuitate *θεωρία*.

*πτυλαγόρα* erant, qui pro parte Atheniensium in Pylæam ad sacrum Amphictionum consessum mittebantur, vt ibi cum ceteris, quos alij populi eius consilij participes aliunde misissent, vna & sacrificarent, & de rebus communibus consilium agerent. quo honore Æschines functus dicitur. His autem hieromnemonones adiuncti fuerunt, qui sacrorum scribarum munus explentes res in concilio actas in tabulas publicas rettulerunt. Quod ex Suidæ, Hesychiique cōmentariis, & Ctesiphontea Demosthenis facile intelligitur. Vt autem Amphictionum concilium ad Thermopylas ex quibusdā Græciæ populis, inter quos & Athenienses fuerunt, iam inde ab Amphictione rege sit institutum, Pausanias in rebus Phocensium exponendis edocuit.

Quibus rebus omnibus de veteribus consiliis, iudiciis, magistratibus, ac sacerdotiis Atheniensium demonstratis, satis iam vt in tantis & temporum, & rerum tenebris potuit, quæ, & qualis vetus Atheniensium repub. fuerit, quod his libris instituimus, patefactum esse arbitramur.



CAROLI SIGONII  
DE ATHENIENSIVM,  
LACEDAEMONIORVMQ.

TEMPORIBVS

LIBER.

\*

Ad clariss. virum, Andream Lau-  
redanum, Bernardini F. Patri-  
cium Venetum.



**V**IDE, quanti te faciam, ANDR. LAV  
REDANE, vir clarissime, quanquam  
id quidem merito. neque enim quis-  
quam est omnium, cuius erga me plu-  
ra, aut maiora extent vel amoris si-  
gna, vel officij testimonia. Sed vide  
quæso, quantum ego tua vel tenui com-  
motus admonitione susceperim. Quos  
ego libros modo de prisca Athenien-  
sium rep. ex intima erutos vetustate confeci, eos nouo Atticorum  
Temporum, Spartanorumq; additamento mihi ornandos sumpsi;  
eius scilicet sermonis memor, quem tu mecum domi tua superiore  
anno Venetijs habuisti; cum diceres, opus, quod ego, quemadmodum  
ex me audiebas, animo agitarè, sine dubio utile, atque adeo etiam  
plerisque non iniucundum futurum, verum propter obsoletam eo-  
rum iam pridem sæculorum, quæ mihi essent repetenda, memoriam,  
nimium multis fortasse tenebrarum difficultatibus impeditum. Itaq;  
probe me facturum, si non leuissimo huic, quo quo modo possem, in-  
cõmodo subuenissem. Quam ob rē cum re ipsa, quæ certe aliter eue-  
nire

nire, ac tu prudenter, acutèque sensisti, nequaquam poterat,  
tum præsertim tua, quæ apud me grauissima est, voluntate addu-  
ctus, feci non inuitus, ut perfecta iam tota, quam institueram, de  
reipub. disputatione, Atticam omnem à Cecrope rege annorum mil-  
le, & trecentorum historiam, breui digestam cõmentario litteris ita  
persequerer, ut Athenarum urbis ortus, & incrementa, ut bella,  
ut seditiones, ut reip. mutationes, ut ducum deniq; philosophorumq;  
atq; oratorum nobiliorum atates, explicatis ordinibus temporum  
tanquam in picta aliqua ad delectationem tabula demonstrarem.  
cui operi deinde propter rerum affinitatem, & temporum coniun-  
ctionem longissimam, etiam Spartanorum regum omnium seriem,  
clarissimis cuiusq; notatis rebus adiunxi: eo nimirum consilio, ut  
quoad ipse consequi diligentia possem, nihil in hac disputatione ob-  
scuritatatis paterer residere, quod quidem parere prischorum tempo-  
rum, & à nostra longe memoria remotorum ignoratio posset; simul-  
que, ut quanti ego iudicium tuū facerem, declararem, quod sequen-  
tus vetustissimis, ac præstantissimis actionibus in sua tempora dige-  
rendis Græcæ historiæ uniuersa præsidij, ac luminis aliquid attulif-  
sem. cuius historiæ lectione, quanto opere ipse delecteris, ostendisti tum  
aperte, cum nummis antiquissimis, ac tabulis, signisq; ex cuncta Græ-  
cia magnis sumptibus conquisitis, celebre Musæum illud tuū Venetijs  
ita locupletasti, ut nemo hodie princeps, nemo paullo humanitatis,  
ac litterarum studiosus existat, quin sibi tam illud visendum, quàm  
Venetias ipsas omni monumentorum genere toto terrarum orbe ad-  
mirabiles putet. Quo studio illud consequutus es, ut cum pri-  
scarum litterarum cognitione, in quibus ipse iam pridem ab omni po-  
pulari remotus ambitione magna cum tua laude versaris, tum illu-  
stri in primis doctorum, hominum omnium, à quibus propterea me-  
rito studiosissime coleris, gratia, & beneuolentia floreas. Ex quibus  
quoniam, quæ tua fuit humanitas, me præcipuo semper amore com-  
plexus es, iam illud meæ pariter esse pietatis videtur, ut ego contra  
& tibi, & clarissimis iuuenibus filijs tuis iam pridem ad gloriam  
horum studiorum, omnisq; virtutis laude nitentibus, quodcunque  
possim, honoris genus, atq; obseruantia reddam, cui quidem officio  
cum iustissime, tum vero etiam libentissime semper, dum vita supe-  
rabit, inseruiam. Vale. Bononiæ. K. Sept. M. D. LXIII.

REGNUM



# REGNUM ATHE- NIENSIVM.

\*

## Reges.



**C**ECROPS Aegyptius, qui postea Biformis appellatus est, Rex Primus. regnat annos L.

Hic Atticæ incolas in XII oppida coëgit, Cecropiã, Tetrapolim, Epacriam, Deceliam Eleusim, Aphydnam, Thoricum, Brauronem, Cytherum, Sphettum, Cephessiam, & Phalerum; eorúmque principatum Cecropiæ collocavit. urbem, agrúmque Mineruæ consecrauit, Cecropiæ, quam postea Athenas vocavit, regnum instituit; Populum in tribus IIII distribuit, Ceropidem, Autochthonem, Actæam, & Paraliam; Iudicium in Areopago instituit.

**C**RANAUS. Rex II regnat annos IX.

Hic Cecropis regis gener post mortem eius regnum adeptus est. Idẽ tribuum IIII nomina immutavit, easque Cranaidem, Atthidem, Mesogæam, & Diacridem appellavit. Eo regnante Deucalionis Promethei F. diluuium extitit.

**A**MPHYCTION Deucalionis F. Promethei N. Rex III. regnat annos X.

Hic Cranao rege, socero suo, pulso, regnum occupavit. idẽmq; cõcessum Amphycionum ad Thermopylas constituit, eiúsque XII Græciæ populos participes fecit, Ionas, Doros, Perræbos, Bæotos, Magnetas, Achæos, Phtiotas, Malientes, Dolopas, Aenianas, Delphos, & Phocenses.

**E**RICHTHONIVS Neptuni F. Rex IIII. regnat annos L.

Hic Amphycione rege exacto regnum inuasit; Tribus IIII Diacridem, Athenaidem, Posidoniadem, & Hephestiadem appellavit. Panathenæa minora, & virgines Canephoras instituit. Eo regnante Sparta à Lacedæmone rege condita.

**P**ANDION Erichthonij Regis F. Rex V. regnat annos XL.

Hic bellum cum Labdaco Thebanorum rege de agri finibus, accito è Thracia Tereo Martis F. gessit, & re bene gesta Tereo Procnem filiam collocavit. Hoc regnante Ceres, & Dionysius in Atticam venerunt. Ceres filiam Proserpinam quærens ad Celeum Eleusine regnantem diuertit, & frumenti serendi rationem Triptolemum Celei F. docuit. Dionysius Icario hospiti suo vitis fationẽ tradidit. Vtrique honores, & sacra instituta.

**E**RECHTHEVS Pandionis Regis F. Rex VI. regnat annos L.

Erechtheus, & Butes fratres gemini, Pandionis regis filij fuerunt. quorum Erechtheus regnum, Butes sacerdotium Mineruæ, & Neptuni adeptus est. ab eo Erechthidæ, ab hoc Butadæ, siue Eteobutadæ profecti sunt.

### *Bellum Eleusinium.*

Erechtheus rex cum Eleusiniis bellum gessit, auxilio vsus Ionis, Xuthi F. Helle

Hellenis N. Deucalionis Pron. Eleusinos Eumolpus Thrax iuuit, is qui sacra Eleusiniæ Cereris, Mysteria dicta, Eleusiniis tradidit. à quo postea Eumolpidæ appellati. Erechtheus filiam in bello pro salute ciuitatis deuouit. reliquæ sibi mortem consciuerunt; maiora mysteria Cereris Eleusiniæ Athenas induxit; sacra Boëdromia instituit; Forum Prytaneum erexit, Tribus IIII nominauit, Agricolas, Armatos, Caprarios, & Opifices.

**C**ECROPS minor Erechthei Regis F. Rex VII. regnat annos XL.

**P**ANDIO minor Cecropis Regis F. Rex VIII. regnat annos XXV.

Hic per arma ciuilia à Metionidis pulsus, à socero Pyla Megarensium rege est restitutus. Eo regnante Dædalus faber insignis Athenis floruit.

**A**EGEVS Pandionis Regis F. Rex IX. regnat annos XLVIII.

### *Bellum Creticum.*

Androgeo Minois Cretæ Regis F. Athenis, dum Panathenæa celebrarentur, per insidias interempto, Athenienses à Minoë bello petuntur. eo in bello Hyacinthi filia placandi numinis causa mactata. Theseus ab Ægeio patre ad pœnas Minoi regi lege victoriæ dandas in Cretam missus, Minotaurum in Labyrintho necauit, & Minois filias Ariadnam, Phædræmq; abduxit. Reuersus domum Palantidas insidias sibi parantes interemit: Marathonium porcum sustulit. Ægeus Delphinium forum instituit.

**T**HESVS Ægei Regis F. Rex X. regnat annos XXX.

### *Bellum Amazonum, & Eurysthei.*

Hic Helenam Tyndarei Regis Spartæ filiam rapuit, eamque Aphydnis collocavit: Bellum cum Amazonibus ad Athenas gessit, earúmque vnam Hippolytam sibi despondit: Heraclidas ab Eurystheo Mycenarum rege post Herculis patris obitum Peloponneso eiectos Athenis excepit, eosq; contra Eurystheum bello in terra Attica gesto defendit: Athenarum urbem auxit, eoque Atticos omnes ex XII oppidis, agrisq; compulit: Oschophoria, Metæcia, Panathenæa magna, & mysteria parua instituit: Populum in Eupatridas, Agricolas, & Opifices diuisit: Popularem reip. statum demonstrauit.

**M**ENESTHEVS Petei F. Ornei N. Erechthei Regis Pron. Rex XI. regnat annos XXXIII.

Hic seditione in absentem Theseum regem Athenis excitata, regnum occupat, ope Tyndaridarum, quorum sororem Helenam ille rapuerat, & cum ceteris Græcis ad Ilium expugnandum profectus, moritur.

**D**EMOPHOON Thesei Regis F. Rex XII. regnat annos XXXIII.

Hic Menestheo regẽ mortuo regnum paternum recuperauit. Idem Palladium forum, & Ephetas, & Phreatium forũ instituit. Eius regni anno primo **T**ROIACA CAPTA.

**O**XYNTEVS Thesei Regis F. Rex XIII. regnat annos XII.

Mortuo sine filiis Demophoonte rege Oxynthes frater eius regnum suscepit.

**A**PHIDAS Oxynthæ Regis F. Rex XIII. regnat annum L.

Dodonæi Iouis oraculum Atheniensibus redditum; vt Spartanis parcerent, si quando supplices ad aras Eumenidum, & in Areopagum confugissent.

**T**HYMÆTES Oxynthæ Regis F. nothus. Rex XV. regnat annos VIII.

Thymætes Oxynthæ regis F. ex concubina ortus, Aphidante rege fratre interfecto, regnum occupauit; & vltimus ex familia Erechthidarum Athenis regnauit.

**M**ELANTHVS Andropompi F. Messenius. Rex XVI. regnat annos XXXVII.

### *Bellum Bæoticum.*

Atromis  
dona

Me

Melanthus Messenius ab Heraclidis in Peloponnesum reuersis domo pulsus, Athenas venit, & interfecto singulari certamine Bœotorum hostium, quibus cum bellum tum forte ab Atheniensibus gerebatur, duce Xantho, Thymœete rege abdicante, ad regnum euehitur. ab eo Melanthisidarum familia ducta. Idem Apaturia sacra Athenis instituit.

CODRVS Melanthis Regis F. Rex xvii. regnat

annos xxi.

*Bellum Lacedæmonium primum.*

Dores, qui Peloponnesum incolunt, Atheniensibus, quod Megara coloniam condidissent, bellum intulerunt. Atheniensis Codro rege duce, cum se ex vaticinio quodam, pro patriæ salute deuouisset, victoriam rettulerunt. Spartani, qui intra portas irruerant, ad aras Eumenidum se receperunt, & incolumes dimissi sunt. hoc primum bellum cum Lacedæmoniis fuit.

Archontes perpetui.

MEDON Codri Regis F. Archon primus imperat

annos xx.

Codro Rege à Doribus hostibus interfecto, placuit Regum imperium imminuere, atque referendis rationibus obnoxium reddere, neque Reges in posterum, verum Archontes creare, ex quibus fuit Medon, vnde familia Medontidarum est appellata. Horum Archontum obscurissima tempora, factaque sunt.

AGASTVS. Archon ii.

annos xxxvi.

ARCHIPPVS. Archon iii.

annos xix.

THERSIPPVS. Archon iiii.

annos xli.

PHORBAS. Archon v.

annos xxxi.

MECADES. Archon vi.

annos xxx.

DIOGENETVS. Archon vii.

annos xxviii.

PHEREDVS. Archon viii.

annos xix.

ARIPHRON. Archon ix.

annos xx.

THESPIEVS Ariphronis F. Archon x.

annos xxvii.

AGAMENESTOR. Archon xi.

annos xx.

AESCHYLVS Agamenesstoris F. Archon xii.

annos xxiii.

*Olympiades instituta.*

Aeschyli archontis anno secundo Iphitus ludos Olympicos in Elide, vt quarto quoque anno celebrarentur magno totius Græciæ conuentu, instituit. Quod annorum spatium Olympias appellatum est, atque ex hoc tempore apud Græcos anni ex Olympiadibus digeri, ac numerari cœpti.

I. OLYMPIADE.

Primus annus primæ olympiadis in annum xxxxi Nicandri regis Lacedæmoniorum incidit, vt scribit Clemens, & in secundum Aeschyli archontis Atheniensis, vt prodit Eusebius.

ii.

iii.

iiii.

Hac olymp. Abaris ab Hyperboreis Athenas legatus missus, vt pro vniuersali pestilentia ex oraculo sacrificarent.

v.

vi.

ALCMAEON Aeschyli F. Archon xiii.

annos ii.

Arch

*Archontes decennales.*

CHAROPS Aeschyli F. Archon xiiii. annos x.  
Alcmæone archonte perpetuo mortuo, placuit Atheniensibus, vt archontes in decennium tantum imperium obtinerent. primusque Charops Aeschyli F. creatus est. Charopis archontis decennalis anno primo, qui incidit in annum primum olympiadis septimæ, ROMA à Romulo in Latio condita est.

AESIMEDES Aeschyli F. Archon xv.

annos x.

CLIDIVS Aesimedæ F. Archon xvi.

annos x.

HIPPOMENES Archon xvii.

annos x.

Hic adulterum cum Limonia filia deprehensum, vnâque filiam ipsam exquisito supplicio interfecit.

Huius olympiadis anno iiii Numa Pompilius Romæ regnum iniit.

LEOCRATES, Archon xviii.

annos x.

ABSANDER Archon xix.

annos x.

ERYX Archon xx.

annos x.

Hac Olympiade vixisse Homerum poetam contendit Archilochus.

Democratia Atheniensium.

*Archontes annui.*

Huius olympiadis anno iiii, ab Athenis conditis dccclxvii, archontum decennialium imperio abrogato, summa rerum nouem archontibus quotannis est mandata, Regi, Archonti, Polemarcho, & Thesmothetis sex. permittumque, vt ab Archonte anni singuli nominarentur. Primus archon annuus fuit CREON, secundus TLESIAS. Ab hoc tempore Democratia Atheniensium initium capit.

Huius olympiadis anno primo Carnia sacra Spartæ instituta, secundo vero, archonte LEOSTRATO, TVLLVS Hostilius Romæ regnum excepit.

AVTOSTHENES.

MILTIADES.

ARCHIMEDES.

MILTIADES.

xxv.

xxvi.

xxvii.

xxviii.

xxix.

xxx.

hh

Huius

Huius olympiadis anno II Cypselus Corynthis tyrannidem occupavit.

XXXI.  
XXXII.  
XXXIII.  
XXXIII.  
XXXV.

Huius olympiadis anno II, archonte DAMASIA, Thales Milesius primus est septem Græciæ sapientibus natus est. Ancus Marcius Romæ regnum suscepit.

XXXVI.  
XXXVII.  
XXXVIII.

Periander Cypseli F. tyrannidem Corynthis excepit.

XXXIX.

### *Draconis legislatio.*

Huius olympiadis anno III, DRACO cuius Atheniensis primus leges populo, & democratix Atheniensi nullis dum legibus astrictæ scripsit.

XL.  
XLI.

Huius olympiadis anno II, archonte ENOCHILO Tarquinius Priscus Romæ regnum iniit.

XLII.  
XLIII.

### *Bellum Mitylenæum.*

Hac olympiade Athenienses de Sigeo, & Achilleo oppido cum Mitylenensibus bellum gesserunt, ducibus illinc Phrynone, hinc Pittaco Mitylenæo, qui sapiens fuit vnus est septem. Demum Periander Cypseli F. Corynthis tyrannus arbiter inter Athenienses, & Mitylenæos lectus litem Atheniensibus adiudicavit.

XLIII.  
XLV.

Hac olympiade Cylon cuius Atheniensis focis multis assumptis tyrannidis inuadendæ causâ arcem Athenis occupavit, atque ibi ab Atheniensibus diu obsessus, cum tandem ad aram Mineruæ supplex confugisset, à Megacle Alcmæonide, & collegis archontibus est interfectus.

### *Seditio prima.*

Seditione aduersus Megaclem, ceterosque, qui piaculo commisso, Cylonem, Cyloniósque focios ad aras obtruncarant, excitata, plerique eorum iudicio in eos ex Solonis sententia constituto pœnas dederunt.

### *Bellum Megarense primum.*

Salamis, quæ antiqua Atheniensium possessio fuerat, ad Megarenses defecit. Ea de re Athenienses bello cum Megarenensibus parum prospere gesto, Nisæam oppidum etiam amiserunt.

XLVI.  
XLVII.

Huius olympiadis anno primo ciuitate multis incommodis, & præterea pestilentix morbo affecta Epimenidés Phæstij F. è Creta accitus Athenas venit, & ciuitatem sacrificio quodam facto expiauit.

XLVIII.  
XLIX.

### *Seditio secunda.*

Eiusdem anno II, archonte PHILOMBROTO, Pedixi, Diacrij, & Paralij seditionem nouam propter æris alieni, quo demersi erant, magnitudinem, Athenis excitauit.

L.  
LI.

citarunt. cui malo cum finis nullus appareret, Soloni, cui Atheniensi, eidemque è nouem sapientibus vni seditio componenda, & Resp. nouis legibus constringenda commissa est.

## Solonis legislatio.

Eiusdem anno III, SOLON archon, & legislator declaratus nouis tabulis inductis, seditionem sedauit, & remp. nouis legibus temperauit, Draconis legibus, præterquam quæ de cæde latæ erant, sublatis.

Hac olympiade Anacharxis Scythæ sapiens Athenas venit, & cum Solone de legibus instituendis disputauit.

XLVII.

XLVIII.

XLIX.

L.

### *Bellum Megarense II.*

Cum bello aduersus Megarenses de recuperanda Salamine sæpe infeliciter gesto, capitali pœna sanctum esset, ne vnquam amplius ea de re verba in populo fierent, Solo stultitia simulata, versibus in foro eam expeditionem suavit. Pisistratus Hippocratis F. iuuenibus matronarum cultu ornatis, cum hostes decepisset, Salaminem, & Nisæam recepit. Eius inde rei arbitrio ad quinque viros Lacedæmonios reiecto, Solo cum Homeri testimonio, tum vetere sepeliendi ritu allato, Salaminem ad Athenienses pertinere docuit, atque inde per decennium ab vrbe recessit.

LI.

LII.

Huius olympiadis anno III, archonte ARCHESTRATIDE, Ser. Tullius Romæ regnum iniuit.

LIII.

Huius olympiadis anno III, archonte ARISTODEMO, Pittacus Mitylenæus sapiens mortuus est, Chilone Lacedæmonio item sapiente iam ætate confecto.

LIV.

### *Seditio tertia.*

Hac olympiade Athenis inter Pedixos, Paralios, & Diacrios seditio iterum exarsit, cum Pedixis Megacles, Paralios Pisistratus, Diacriis Lycurgus adesset. cui seditioni Solon è peregrinatione reuersus interuenit.

## Pisistrati tyrannis.

Eiusdem olympiadis anno III, archonte GOMIA, Pisistratus rebus Megarensi bello nuper à se pro rep. bene gestis, populo expositis, & inimicorum infidiis aduersus se simulatis, cum se ipsum virgis multasset, quem ab inimicis multatū diceret, custodes corporis sui trecentos aduersus eos à populo postulauit. eosque frustra aduersante, & malum præmonente Solone obtinuit. atque ita arce occupata tyrannidem extemplo exercuit.

Eiusdem olympiadis anno III, qui fuit alter, post quâ Pisistratus tyrannidem occupavit, archonte Hegestrato, Solon LXX annos natus diem suum obiit.

LVI.

Huius olympiadis anno III, Pisistratus tyrannus à Megacle, & Lycurgo, quibus cum seditiose contenderat, vrbe eiicitur.

LVII.

Huius olymp. anno III, Pisistratus exul præmissa in curru in vrbem muliere, quæ Deæ cultu ornata, quasi Minerua, populum de se restituendo moneret, Megaculis inimici sui filia sibi desponsa, in ciuitatem, tyrannidemque reducitur.

LVIII.

hh 2 Huius

Huius olympiadis anno IIII, Pisistratus tyrannus arma à Megacle focero rei uxoriæ improbe administratæ caussa aduersus se parari sentiēs, vrbe cedit, & Eretriam se confert.

LVII. ERICLIDES.

Cyrus rex Persarum victor Sardes, vbi Cræsus rex Lydorum latebat, ingressus est. Anaximander Milesius philosophus annos natus L X I I I mortuus, qui Thaletem sapientem audiuerat.

LIX. Huius olympiadis anno II, Pisistratus exul post annos x I, quàm vrbe cesserat, exercitu comparato, & secundo prælio ad Marathonem cum ciuibus suis facto, vrbe potitus tyrannidem confirmat. vir alioquin de omni genere humanitatis optime meritis. quippe qui versus Homericos antea dissipatos per Aristarchum grammaticum in vnum, vt nunc sunt, corpus redegerit, & libros disciplinarum liberalium publice ad legendum præbendos primus Athenis posuerit.

LXI. *Pisistratidarum tyrannis.*

Huius olympiadis anno III, Pisistrato tyrânno mortuo filius eius HIPPARCHVS tyrannidem, vt vulgo creditū est, excepit. Eiusdem olympiadis anno IIII, archonte HERCVLE Tarquinius Superbus regnum Romæ inluit, idque in tyrannidem transtulit.

LXII. LXIII. MILTIADES.

Huius olympiadis anno II III, Darlus regnum Persarum iniit.

LXV. Huius olympiadis anno I, Harmodius & Aristogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt. Quo facto exacerbatus HIPPIAS frater eius tyrannidem multo sauiorem continuauit.

*Tyranni exacti.*

Eiusdem olympiadis anno IIII, Lacedæmonij sæpe à Pythia moniti, vt liberarent Athenas tyrannide Pisistratidarum oppressas, primum Anchimolium ducē, deinde Cleomenem Anaxandriæ filium regem cum exercitu miserunt, & Hippiam tyrannum diu obsessum tandem vrbe cedere coegerunt. Huius autem exactiōnis auctōr Clisthenes Alcæonides ciuis Atheniensis fuit, qui Pythiam induxerat, vt Lacedæmonios de rebus suis se consulentes ad Athenas liberandas adhortaretur.

LXVI. *Seditio quarta.*

Exactis autem tyrannis, Clisthenes, & Isagoras ciues Athenienses inter se de principatu contendere cœperunt. Clisthenes populo in decem tribus diuiso, & constituta rep. Isagoram vrbe expulit. Ab eodem Demarchi, Phylarchi, Apodectæ, & ostracismus est institutus. Nomina vero decem tribuum ab eodem inductarum, hæc fuerunt, Cæcropis, Erechtheis, Pandionis, Ægeis, Oeneis, Acamantis, Leonis, Hippothoontis, Antiochis, & Aiæcis.

Isagoras inde à Cleomene Spartæ rege reducit, Clisthene, & reliquis, qui scelere Cylonio se quondam obtrinxerant, vrbe exactis.

Post autem Cleomene ex arce, quam cum Isagora occuparat, ab Atheniensibus deiecto Clisthenes restituit.

Bellum

*Bellum Lacedæmonium II.*

Ad extremum Cleomenes rex accito Sparta & altero rege Damarato Isagoram reducturus, Eleusinem cum exercitu primum inuasit, deinde alienatis sociorum animis, irrito conatu inde discessit.

*Bellum Chalcidense, & Bœoticum.*

Athenienses hoc tempore bellum cum Chalcidensibus Eubœæ bene gesserunt, & magnum hinc ad amplitudinem, & potentiam gradum fecerunt, præsertim vero Bœotis, qui se Chalcidensium defensores professi erant, etiã prælio profligatis.

ISAGORAS. Huius olympiadis an. I. tyrânno SUPERBO exacto Cōsules primi Romæ inierunt.

*Bellum Ægineticum.*

Æginetis bellum ab Atheniensibus illatum, quod, præter veteres simultatum causas, Bœotos armis bello superiore iuuisent. idque vario vtrinque euentu mari diu gestum.

MYRVS.

HIPPARCHVS.

THEMISTOCLES.

Piræci portus prima fundamenta iacta sunt.

DIOGENETVS.

HYBILIDES.

PHAEHIPVS.

*Bellum Persicum Darij.*

Darius rex Persarum ab Hippia quondam tyranno, tunc exule, & iam sene concitatus, duce exercitus Dati, in Atticam magno conatu se intulit, cui cū Athenienses, cunctantibus Lacedæmoniis occurrissent, prælio ad Marathonem Miltiade Cimonis filio duce commisso, prospere pugnarunt, regisque copias profligarunt. quo in bello Aristides etiam cognomento Iustus egregiam operam nauauit.

ARISTIDES.

ANCHISES.

LACRATIDES.

Dario Persarum regi mortuo Xerxes successit.

LEOSTRATVS.

Aristides cognomento Iustus per ostracismum vrbe pulsus est.

*Bellum Persicum Xerxis.*

Xerxes rex Persarū cladem superiore bello acceptā viturus, Hellesponto ponte iuncto, Athoque mōte perfosso cum maximo exercitu, & ingenti classe, traiecit in Graciã. Cui cum obuiã Athenienses, Lacedæmoniiq; confociatis armis venissent,

hh 3 Lacedæmo

Lacedæmonij terra, duce Leonida rege ad Thermopylas, ad vnū cæsi sunt, Athenienses autem ad Artemisium, & Salaminem, ducibus Themistocle Atheniensi, & Euribiade Lacedæmonio mari bene pugnarunt. Athenæ, quas Athenienses translatis in Salaminem pueris, mulieribusque reliquerant, à barbaris incensæ, ac dirutæ sunt. Aristides ante tempus ab exilio reuocatus. Euripides poëta natus. Anaxagoras Clazomenius annos x x natus cœpit Athenis philosophari, atque ei muneri per annos x x x operam dedit.

## XANTHIPVS.

Græci cum Mardonio duce Xerxis bene pugnarūt ad Platæas in Bœotia ducibus Aristide Atheniensi, & Pausania Lacedæmonio tutore Plistarchi regis, Leonidæ, qui ad Thermopylas ceciderat, filij. eadēq; hora ad Mycalem in Ionia ductu Xanthippi Atheniēsis, & Leotyhidæ regis Lacedæmonij. Atheniēses duce Xanthippo Sextum Medorum oppidum in Hellesponto occuparunt. Aristides è bello domum reuersus legem fert, vt magistratus, qui diuitibus solis Solonis lege patebant, omnibus ciuibus æque communicarentur.

## TIMOSTHENES.

Athenienses opera Themistoclis muros vrbs bello Persico euerfos, aduersantibus Lacedæmoniis, reficiunt.

## ADIMANTVS.

*Principatus Atheniensium.*

Athenienses consilio Themistoclis Piræi portum absoluunt, & rei maritimæ studio se dedunt. Pausanias dux Lacedæmoniorum, cum ad Græcas ciuitates liberandas missus, eas Persis proderet, conuictus, capite mulctatur. Aristides Iustus eas Atheniensibus adiungit, & Græcorū imperium ad Athenienses defertur. Eiusdem Aristidis opera ærarium in Delo à Græcis contra Persas constituitur, & Hellenotamiæ tum primum creantur.

LXXVI.

## 1. PHÆDO.

## 2. DROMOCLIDES.

Lacedæmonij ægre ferentes principatum ad Athenienses delatum, bellum aduersus eos decernunt, & consilio Etoemariidæ dimittunt.

## 3. ACESTORIDES.

## 4. MENO.

LXXVII.

## 1. CHARES.

## 2. PRAXIERGVS.

Themistocles criminatione Lacedæmoniorū Athenis ostraco pulsus, ad Xerxem Persarum regem profectus, moritur.

## 3. DEMOTION.

*Bellum in Persas.*

Cimon Miltiadis F. ab Atheniensibus ad liberandas dominatu Persico Græcas ciuitates missus Eiona, & Scyrum recipit, cum eam tenerent Medi, hanc Pelasgi, atque Scyrum coloniam deduxit, Naxum subegit, & Cariæ, Lyciæq; ciuitates partim vi, partim amicitia sibi adiunxit. & in Pamphylia Tythraustem Persarum ducem maritimo proelio ad Eurymedontem, eodēque die terrestri, Teredatē vicit.

## 4. APHEPSIO, aliàs PHÆDO.

Cimon victor domum reuersus, iudicium, certamēque tragedorum instituit. Horæ, & Messenij illato Lacedæmoniis bello, vbi Ithomen Messenes arcem, ab iis obsideri viderent, bello decennali finem fecerunt.

Athenienses

Athenienses cum ad obsidendam Ithomen essent à Lacedæmoniis accersiti, missusq; cum exercitu esset Cimon, ab iis remissi sunt. Socrates philosophus nascitur.

LXXVIII.

## THEAGENIDAS.

Andocides orator nascitur.

## LYSISTRATVS.

## LYSANIAS.

Thraſybulus rex à Syracusanis in Sicilia pellitur, à quo vsque ad Dionysium tyrannum liberæ Syracusæ per annos L x fuerunt.

## LYSITHEVS.

Xerxi Persarum regi interfecto successit Artaxerxes.

LXXIX.

## ARCHIDEMIDES.

Athenienses Thasios rebellantes, & Aeginetas subegerunt, duce Cimone, & mari victores, colonos Amphipolim, quam tenebant Edoni, deduxerunt. post in Thraciam ingressi terra cladem acceperunt.

## TLEPOLEMVS.

*Bellum in Persas II.*

Athenienses auxilia Inaro regi Aegyptiorum contra Persarum regem Artaxerxem, cuius potentiam extimescebant, decernunt: Persas nouis belli causis, armis insequuntur.

## CONON.

Persæ ab Aegyptiis ope Atheniensium fugantur duce Cimone. Lacedæmonij denegant auxilia Persis contra Athenienses.

## EVI PPVS.

## PHASICLIDES, alias PHRASICLES.

Athenienses male re gesta in Aegypto contra Persas, ab Artabazo, & Megabizo Persarum ducibus sub fœdere Aegypto dimissi.

Ephialtes, quod legem tulisset, vt iudicia Areopagi dissoluerentur, clam necatus.

## PHILOCLÉS.

*Bellum Corinthium.*

Athenienses alienati à Lacedæmoniis, quòd bello ad Ithomen, ex sociis soli repulsi essent, cum Argiuis hostibus Lacedæmoniorum, & Theſſalis amicitiam iunxerunt, & societate belli aduersus Persas diremerunt. Exulibus Ithomensibus receptis Naupacti sedes dederunt: Megarenſes à Lacedæmoniis rebellantes in societatem receperunt, & Megara tenuerunt, eaque de causa in BELLVM CORINTHIVM inciderunt. cum Corinthiis, & Epidauriis terra male pugnarunt ad Halias, mari vero ad Cecryphaliam, bene. Iidem Aeginetas proelio maritimo subegerūt ad Aeginam duce Leocrate. Lysias Syracusanus, orator, qui postea Athenis floruit, natus est.

## BION.

*Bellum Lacedæmonium III.*

Athenienses Corinthios Megaricum agrum adortos duobus proeliis vicerunt duce Myronide. & Lacedæmonios reuertentes à bello Phocensium victores adorti male pugnarunt ad Inagrem in Bœotia duce Pericle. & hoc est tertium cum

hh 4 La



Lacedæmoniis bellum.

4. MNESITHIDES.

Athenienses audito, Lacedæmonios, & Thebanos aduersus se societatem inisse, cum eis congregiuntur, & duobus præliis eos fundunt duce Myronide, in Oenophytis, quo duce Bœoti etiam, Phocentes, Locrenses, Thessalique subacti. Idem longos muros absoluunt, alterum ad Phalerum, alterum ad Piræcum. Aeginetæ Atheniensibus pacti tributum se dedunt.

LXXXI.

1. CALLIAS.

Athenienses in Lacedæmonios profecti duce Tolmide, Gytheū, Zacynthum, Cephalleniam, & Naupactum occupant, & agrum Laconicum vastant.

2. SOSISTRATVS.

Athenienses duce Pericle agrum Laconicum populantur, & Acarnanum ciuitates sibi adiungunt.

3. ARISTO.

*Fœdus cum Lacedæmonijs.*

Athenienses fœdus faciunt quinquennale cum Lacedæmoniis per Cimonem.

4. LYSICRATES.

Pericles in Peloponneso contra Sicyonios bene pugnat. prædatur agrum Oenadum in Acarnania & in Chersoneso agrum colonis diuidit.

LXXXII.

1. CHAEREPHANES.

2. ANTIDOTVS.

3. EVTHYDEMVS.

*Bellum in Persas III.*

Athenienses iterum mouerunt Persis bellum pro libertate Græcarum ciuitatum, & duce Cimone ad Cyprum bene pugnarunt, tum ab Amyrtæo in paludibus Aegypti regnante vocati.

4. PEDIEVS.

Persæ à Cimone duce Atheniense victi pacem cum Atheniensibus cõponunt, & liberas Græcas Asiæ ciuitates relinquunt. Cimon moritur morbo in Cypro.

LXXXIII.

1. PHILISCVS.

*Bellum Lacedæmonium III.*

Megarenses cum ab Atheniensibus ad Lacedæmonios defecissent, ab Atheniensibus vastato Attico agro, funduntur. Pericles pecunia Plistonactem regem Lacedæmoniorum, vt recederet, impulit, & hoc bellum quartum cum Lacedæmoniis fuit. Idem gerit bellum in Eubœa.

2. TIMARCHIDES.

Lacones Articam vastarunt. Tolmides Atheniësis ad Coroneam cum Bœotis cadit. Athenienses Bœotiæ ciuitates liberatas relinquere coguntur.

3. CALLIMACHVS.

*Bellum Euboicum. Fœdus cum Lacedæmonijs.*

Eubœæ ciuitates aliquot deficientes Pericle duce subactæ. Athenienses cum Lacedæmoniis fœdus percipiunt per Andocidem in annos x x x. aut, teste Diodoro, per Calliam & Charetem.

4. LYSIMACHIDES.

Estiæ in Eubœa Pericle duce subacti, & eò coloni deducti.

Estiæ in Eubœa Pericle duce subacti, & eò coloni deducti. Pflammetichus Libyæ rex frumentum Athenas misit, quod cum diuidendum esset populo, legitimi ciues ab adulterinis, lege à Pericle lata, sunt discreti.

LXXXIII.

PRAXITELES.

Athenienses coloniã deduxerunt Sybarim in Italia, qui Thurij appellati sunt.

LYSANIAS.

DIPHILIVS.

TIMOCLES.

*Bellum Samium.*

Samij cum defecissent, à Pericle subacti sunt. iterum cum defecissent, ac Periclem, duce Melisso, vicissent, post decem mensium spatium ab eodem debellati, atque tributo mulctati sunt.

LXXXV.

MYRRHICHIDES.

*Bellum Byzantium.*

Byzantij subacti, & tributum post Samios dare coacti. Item latum ne comedias agerentur.

GLAUCIDES.

*Bellum Corinthium Corcyraum.*

Corinthij, & Corcyræi bellum inter se inierunt.

THEODORVS.

Corinthij à Corcyræis nauali prælio victi.

EVTHYMENES.

Athenienses condunt Amphipolim in Thracia, legem de comedias abrogant, Propylæa arcis præfecti Pericle instituunt, & intra quinquennium absoluunt.

LXXXVI.

NAVSIMACHVS.

Corcyræi auxilium impetrant ab Atheniensibus contra Corinthios. Idem iterum Corinthios ope Atheniensium vincunt.

ANTILOCHIDES.

Athenienses Potidæam obsidere incipiunt, quæ opera Corinthiorum à se defecerat.

CHARES.

Athenienses obsessionem Potidææ continuant.

ASPEVDES.

Athenienses obsessionem Potidææ continuant. Meton floret Athënis, qui annum magnum inuenit.

PYTHODORVS.

Athenienses ad Potidæam, quam obsidebant, duci Callia amisso, Phormionem mittunt.

EVTHYDEMVS, alias EVTHYNVS.

*Bellum Peloponnesiacum.*

Athenienses nondum completis tricennialibus fœderibus quintum cum Lacedæmoniis bellum auctore Pericle suscipiunt, quod Peloponnesiacum, & Archidamium ab Archidamo rege eorum dictum est, omnium, quæ ab eis gesta sunt maximum. Causa belli fuit, quòd edicto Lacedæmoniorum parere noluerunt, vt de

decretum aduersus Megarenſes abrogarent, quo Megarenſes foro & portibus prohibuerant. Pecunias in Delo à Græcis depositas Athenas transferunt. Platæas à Bœotis occupatas, defendunt. Attica ab Archidamo rege Lacedæmoniorum vaſtatur, Laconica à Pericle.

1. **A P O L L O D O R V S.**

Merhone à Braſida Lacedæmonio contra Athenienſes defenditur. Pericles Megarenſium, & Peloponnenſium agrum populatur. Cleopompus Locridem vaſtat, & Thronium expugnat. Attica à Lacedæmoniis vaſtatur. Athenæ peſtilentia laborant. Athenienſes Periclem imperio ſpoliant, & cum pacem à Lacedæmoniis impetrare non potuiſſent, rurfus eum imperio afficiunt. Democritus philoſophus naſcitur.

4. **E P A M I N O N D A S, alias L Y S I M A C H V S.**

Pericles peſtilentia moritur. Potidæatæ ſe dedunt Athenienſium duci Agnoni. Lacedæmonij nauali pugna ad Rhiū à Phormione Athenienſi duce vincuntur. Archidamus rex Lacedæmoniorum obſidet Platæas, Cnemus dux Lacedæmoniorum ad Stratum nihil agit. Xenophon, & Phanoftratus Athenienſes in Thracia cæſi. Iſocrates rhetor naſcitur.

LXXXVIII.

1. **D I O T I M V S.**

Lacedæmonij duce Cnemo Salaminem diripuerunt, & Atticam duce Archidamo ege populati ſunt. Athenienſes peſtilentia & fame afflicti quieuerunt.

2. **E V C L I D E S.**

Athenienſes decernunt auxilium Leontinis, qui à Syracuſanis opprimebatur, tum à Gorgia rhetore perſuaſi, tum Sicilia occupandæ cupiditate accenſi. Iidem Lachete, & Chabria ducibus ad Syracuſas benè pugnarunt. Cùmque Sophocles, & Eurymedon cum alia claſſe in Siciliam acceſſiſſent, Syracuſanos pacem dare Leontinis coegerunt. Leſbus ab Athenienſibus defecit. aduersus eos Clinippides, & Pachas ab Athenienſibus, pro iis Alcidas à Lacedæmoniis ſtetit. Mitylenæi ſubacti Athenienſium ſe poteſtati permiferunt, in quos Cleon acerbiffimam dixit ſententiam. Platæenſes diu à Lacedæmoniis obſeſſi, tandem in eorum ditionem conceſſerunt. eorum pars profugit Athenas.

3. **E V T H I D E M V S.**

Delus auertendæ peſtilentiæ cauſſa ab Athenienſibus expiata.

4. **S T R A T O C L E S.**

Demofthenes dux Athenienſis rebus præclare geſtis in Aetolia, Pylū in Peloponneſo contra Lacedæmonios communit. contra Thraſymedem ducem Lacedæmoniorum Braſidas Lacedæmonius trierarchus egregie pugnat. c c c c Lacedæmonij, qui in Sphaacteria inſula obſidebantur, in poteſtatem Athenienſium venerunt duce Cleone. Artaxerxi Perſarum regi mortuo ſucceſſit Xerxes.

LXXXIX.

1. **I S A R C H V S.**

Athenienſes Nicia duce vaſtata Melo inſula Locridem populantur. Corinthiis bis ſiſis Crommyonis agrum diripiunt. in Cytheris inſula oppidū capiunt. Cythereis potiuntur. Megarenſes ſe dedunt Hippocrati, & Demoftheni ducibus Athenienſibus. Lacedæmonij duce Braſida Niſæa & Megaris Athenienſes eiiciunt, & cum Chalcidenſibus ſocietatem ineunt, Amphipolim capiunt. Athenienſes in Bœotia ad Delium pugnant, idque duce Hippocrate in poteſtatem redigunt. Quod Bœoti duce Pantœada, male pugnantibus Athenienſibus recuperarunt. Xerxi regi Perſarum mortuo ſucceſſit Sogdianus, cui interfecto Darius.

2. **A M Y N I A S.**

Sicyonij contemnentes Athenienſes ob rem male ad Delium geſtam, ad Lacedæmonios defecerunt, & oppidum duci eorum Braſidæ tradiderunt. Exules qui poſt

poſt captā ab Athenienſibus Leſbum exularunt, Athenienſes, qui in Leſbo erant, oppugnarunt, ſed ab Ariſtide, & Symmacho ducibus Athenienſibus armis coacti abierunt. Nicias, & Nicoſtratus Mendam, quæ ad Lacedæmonios defecerat, recipiunt, & Scionam fruſtra oppugnant. Plato philoſophus naſcitur.

**A L C A E V S.**

*Fædus cum Lacedæmoniis.*

Delij ab Athenienſibus inſula exiguntur. Cleon dux Athenienſis recepta in Thracia Torone cum Braſida Lacedæmonio pugnat ad Amphipolim, & vterque cadit, vicerunt tamen Lacedæmonij. Athenienſes per Niciam fœdus fecerunt cum Lacedæmoniis in annos quinquaginta, anno belli Peloponneſij decimo.

**A R I S T O.**

Græciæ ciuitates pacem inter Athenienſes & Lacedæmonios conciliatam ſuſpectam habentes ambobus bellum inferunt, quarum capita Argi, Thebæ, Corinthus, & Elis. Argiuis principatus à fociis eſt delatus. Athenienſes Scionæos trucidant, & inſulam Platæenſibus tradunt.

**A R I S T O P H I L V S.**

Athenienſes reddunt Delum inſulam Delijs. Cum Pylus non redderetur ab Athenienſibus Lacedæmoniis, rurfus odia inter eos accenſa ſunt. Olynthij pulſo Athenienſium præſidio Micybernæ potiti ſunt.

**A R C H I A S.**

Argiui bello Lacedæmoniis indiſto, atque Alcibiade duce Athenienſi aſſumpto, populantur agrum Trœzenium. Agis rex Lacedæmoniorum obuiam proſectus inducias quattuor menſium dedit. Athenienſes Lachetem, & Nicoſtratum auxilio Argiuis miſerunt. Argiui Orchomenum ceperunt, & Lacedæmonios à Mantinæ oppugnatione depulerunt, pugna tamen ab iis poſtea victi ſunt.

**A N T I P H O N.**

Pace inter Argiuos, & Lacedæmonios facta, Mantineſes in poteſtatem Lacedæmoniorum venerunt. Nicias dux Athenienſis Cythera, Niſæam, & Melum cepit. Argis de commutanda ratione reip. ſeditio excitata.

**E V P H E M V S.**

Lacedæmonij in Argiuorum agrum proſecti Agias oppidum occuparunt, Alcibiades ab Athenienſibus ad ſeditionem ſedandam, & conſtituendam remp. eſt miſſus. Lacedæmonij reſtituunt exules Argiuorum in Orneas ab eis contra Argiuos communitas, quas haud ita multo poſt Argiui auxilio Athenienſium receperunt.

**A R I S T O M E N E S T V S.**

Cum Leontini à Syracuſanis pulſi iterum Athenienſium auxilium imploraſſent, Nicerato diſſuadente, Alcibiade ſuadente obtinuerunt. Alcibiades, Nicias, & Lamachus ad id bellum duces electi, & miſſi ſunt.

**C H A B R I A S.**

Cum Mercurij ſigna Athenis noctu eſſent decuſſa, Alcibiades, quod contra remp. coniuraſſet, & myſteria enunciaſſet, eſt poſtulat. Itaque ex Sicilia reuocatus cum profugiſſet, atque abſens damnatus ad Lacedæmonios ſe contuliſſet, eos ad bellum Athenienſibus inferendum hortatus eſt. Duces Athenienſes cum Syracuſanis proſpere pugnarunt.

**P I S A N D E R.**

Lacedæmonij ab Alcibiade Athenienſi exule incitati auxilia Syracuſanis aduersus Athenienſes miſerunt. Lamachus, & Nicias Syracuſas obſiderunt, Gylippus dux Lacedæmonius in pugna contra Athenienſes occubuit. prælij eius victoria

ria

ria, Lamacho duce amisso, penes Athenienses fuit, alterius penes Syracusanos. Eurymedon inde cum Classe ab Atheniensibus in Siciliam missus est.

4. CLEOCRITVS, alias CLEARCHVS.

*Bellum Decelicum.*

Lacedæmonij rupto ex Alcibiadis auctoritate cum Atheniensibus fœdere, in Attica Agide rege, & Alcibiade ducibus oppidum Deceliam communiunt contra Athenas: vnde bellum, quod sequitur, DECELICVM dictum est. in Sicilia Athenienses bene mari pugnant, Syracusani terra. inde multis præliis naualibus Athenienses fusi, Eurymedonte, Demosthene, & Nicia ducibus; cum Eurymedonte demum amisso terra inde abirent ad flumen Asinarum, occidione sunt occisi: Demosthenes, & Nicias capti postea necati sunt.

XCI.

1. CALLIAS.

## Oligarchia prima.

Athenienses cladibus in Sicilia acceptis perculsi, deficientibus à se sociis statum reip. immutarunt, & remp. Quadringentis viris commiserunt. post autem prælio nauali à Lacedæmoniis ad Oropum victi sunt. In hoc rerum statu Alcibiades exul in patriam redire cupiens de salute eius cogitare cœpit, & Pharnabazum ducem Persarum, ne auxilio Lacedæmonios contra Athenienses iuuaret, induxit.

2. THEOPOMPVS.

## Quadringenti abrogati.

Quadringentorum dominatus tyrannidem exercentium Athenis auctore Theramene est dissolutus. Athenienses ducibus Thrafsyllo, & Thrafsybulo nauali prælio Lacedæmonios, ducemque eorum Mindarum vincunt. Alcibiades exul agit cum Atheniensibus, qui erant in Samo, vt in patriam restituatur, & auctore Theramene restituitur, & præclara quædam pro patria antequam Athenas redeat gerit.

3. GLAUCIPPVS.

Athenienses ducibus Thrafsyllo, & Thrafsybulo, & auxilio Alcibiadis Lacedæmonios nauali prælio duce Mindaro congressos ad Abydum vincunt. Theramenes impedimento fuit, ne Eubœenses Euripo repleto insulam Bœotiz coniungerent. Conon sedat Corcyræ seditionem. Mindarus Cizyum cepit. Athenienses ducibus Thrafsybulo, & Alcibiade Lacedæmonios iterum nauali prælio ad Cizyum, cæso eorum duce Mindaro, vincunt, nec Lacedæmonios pacem petentes audire voluerunt.

4. DIOCLES.

Lacedæmonij, Atheniensibus in Hellesponto occupatis, Pylum aggrediuntur, eoque post annos xv. quam à Demosthene Atheniensium munitus erat, potiuntur. Megareses ab Atheniensibus, duce Leotrophide, & Timarcho, prope pugna delati. Alcibiades, & Thrafsybulus prospere pugnant in Thracia, & Selymbriam, & Byzantium in potestatem adducunt. Ad Chalcedonem Hippocrates dux Lacedæmonius in prælio cadit.

XCIIL

1. EVCTEMO.

Εὐκλείδης ἄρχων ἐγένετο ἐν τῷ ἔτει τούτῳ.

Cum

Cum dūces Atheniensium Hellesponti ciuitates præter Abydum in potestate redegerent, Athenas reuersi omnium in se ora, sed in primis Alcibiades, cui tota ciuitas obuiam effusa prodierat, conuerterunt. Athenienses ducibus Alcibiade, Adimanto, & Thrafsybulo ad Andrum cum Lacedæmoniis bene pugnant, insulas Co, & Rhodum vastant. Alcibiades cum Lyfandro Lacedæmonio congressus nauali prælio superatur, Thrafsybulus Thasios vicit, & Abderitas Atheniensibus adiunxit. Agis rex Lacedæmonius exercitu Athenas adducto fugatur. Alcibiades Cumes, sociæ ciuitatis agro vastato accusatus ad populum, quod cum Lacedæmoniis sentiret, spoliatur imperio, missisq; successoribus decem profugit in Thraciam.

ANTIGENES.

Lacedæmonij duce Callicratide Delphiniū in agro Chiorum possessum ab Atheniensibus euertunt, Teios diripiunt, Methymnam occupant. Athenienses Conone duce malè pugnant cum Callicratide ad Methymnam, & altera pugna ad Mitylenem.

CALLIAS.

Athenienses ciuitate donant inquilinos. ad Arginusas prælio nauali Lacedæmonios vincunt, eorumque ducem Callicratidem interficiunt. duces suos qui cadauera è salo non collegissent, capite damnant, ex quibus Aristogenes, & Protomachus profugerunt. Thrafsyllus, Calliades, Lyfias, Pericles, & Aristocrates, necati. Conon absolutus est. Sophocles, & Euripides tragici obierunt.

ALEXIAS.

## Oligarchia secunda.

Athenienses ducibus Philocle, & Conone à Lacedæmoniis nauali prælio duce Lyfandro in Hellesponto ad Ægos potamos superantur. Conon Athenas metu iudicij redire nolens ad Euagoram Cypri regem profugit Philocles in manus Lyfandri vna cum oppido Sesto peruenit. Cum Agis, & Pausanias reges Lacedæmoniorum Atticam populabundi inissent, Lyfander vero Piræum intentius obsideret, Athenienses fame, & pestilentia pressi pacem petere coacti per Theramenem, aliosque legatos sunt. Pax his conditionibus data est, vt longos muros, & Piræum deturbarent, vt naues omnes præter duodecim, traderent, vt exules restituerent, vt eundem hostem atque inimicum haberent, vt Lacedæmonios duces sequerentur. Dionysius Hermocratis F. Syracusanus Syracusis tyrannidem occupauit. Dario regi Persarum successit Artaxerxes.

PYTHODORVS, siue ἀναρχία.

Pythodorum in hunc annum archontem creatum, quia in oligarchia creatus erat, non nominant Athenienses, sed hunc annum ἀναρχίαν, i. imperio vacuum, vocant. Placuit populo, ex Lyfandri auctoritate, dissoluta democratia, triginta viros legere qui patrias leges conscriberent, quibus resp. regeretur, lectiq; sunt hi: Polyarches, Critias, Melobius, Hippolochus, Euclides, Hieron, Mnesilochus, Chremôn, Theramenes, Aresias, Diocles, Phædras, Chæreleus, Anætius, Pilon, Sophocles, Eratosthenes, Charicles, Onomacles, Theognis, Æschinis, Theogenes, Cleomedes, Erasistratus, Phidon, Dracontides, Eumathis, Aristoteles, Hippomachus, & Mnesitides. Qui abusi imperio tyrannorum more aliorum bona publicarunt, alios morte affecerunt, inter quos Theramenem collegam suum, actionibus suis aduersantem, & Niceratum Niciæ filium, quia ditissimus erat, & Autolycum, quia nimis liberè loquebatur, interemerunt. & Alcibiadem, quem vnum rebus, & dominatui suo infestum timebant, per Pharnabazum regis Persæ satrapam tollendum curarunt. Democritus philosophus moritur.

Εὐκλείδης ἄρχων ἐγένετο ἐν τῷ ἔτει τούτῳ.

## Triginta tyranni abrogati.

Thraſybulus exul Athenienſis, Thebanorum, apud quos exulabat, auxilio, caſtellum Phylam in Attica occupat, & triginta tyrannis ad Piræum prælio fuſis, & Critia eorum principe interfecto, Piræo potitur. Qui in vrbe erant, abrogato triginta tyrannorum imperio Decemuiros crearunt ad res cum iis, qui in Piræo erant, componendas, qui & ipſi abuſi poteſtate nefarie ſe geſſerunt. Pauſanias autem rex Lacedæmoniorum Lyſandri laudi inuidens, à quo res Athenienſium in eum locum adductæ erant, Thraſybulum, cæterosque ſocios eius, iis, qui in vrbe erant, exercitu Athenas admoto, recõciliauit, ac veterem Athenienſium remp. reſtituit. Thraſybulus legem tulit, ne quis præteritarum iniuriarum meminiffe vellet. Hæc Euclide archonte acta eſſe, illud argumento eſt, quòd annum poſt recuperatam remp. reſtitutæque leges primum, poſt archontem Euclidem appellarunt, Diodorus tamen Exæneto archonte hæc acta eſſe notauit. Cyrus maritimarum ſatrapiarum præfectus mouit in Artaxerxem regem fratrem ſuum, & ſecum Xenophonem philoſophum habuit.

XCV.

1. LACHES.  
Socrates philoſophus iudicio damnatus cicutam bibit.
2. ARISTOCRATES.  
Conon Athenienſis exul, cum apud Euagoram Cypri regem poſt prælium ad Arginusas commiſſum verſaretur, præpoſitus eſt claſſi à rege Perſarum aduerſus Lacedæmonios.
3. ITYCLES.
4. LYSIADES.  
Sophocles cœpit tragœdiam docere.

XCVI.

1. PHORMIO.  
Rhodij à Lacedæmoniis ad Cononem Athenienſem Perſarum præfectum ſe contulerunt. Conon à rege magnifice donatus eſt. Lacedæmonij Perſarum regis magnitudinem veriti, Ageſilaum regem ducem aduerſus eum miſerunt, & Tiſaphernem ſatrapam prælio in Phrygia ſuperarunt. Phocenſes adiunctis Lacedæmoniis bellum Bœotis commouerunt, & cum iis in Phocide cõgreſſi Lyſandrum ducem Lacedæmonium interfecerunt.
2. DIOPHANTVS.

*Bellum ſociale Lacedæmonium.*

Bœoti, Athenienſes, Corinthij, & Argiui fortunæ Lacedæmoniorum inuidentes bellum eis communi conſenſu intulerunt. Lacedæmonij duce Lacithene in Bœotia cum Iſmenia duce Bœotorum male pugnarunt, Periarcho autem duce naturali prælio ad Cnidum victi ſunt. at in Bœotia ad Coroneam Ageſilai regis à bello Perſico reuertentis ductu proſpere dimicarunt. Iidem ab hoc tempore maris imperium amiſerunt.

3. EVBLIDES.

*Bellum Corinthium.*

Conon Athenienſis Perſarum præfectus Athenas cum claſſe accedens mœnia Piræi, & Iōgos muros, paucis ante annis iuſſu Lacedæmoniorum euerſos ope Thebanorum reſtituit. Poſt autem à Teribazo Perſarum ſatrapa gloriæ ſuæ æmulo accitus in vincula cõiectus eſt. Cũ ſeditio excitata Corinthi eſſet, vna pars Lacedæmonios, altera Athenienſes auxilio aduocauit. Itaq; cũ Iphicrates dux Athenienſium ad Lechæum cum Ageſilao rege, & duce Lacedæmoniorum manum cõſeruiſſet, Athenienſes

Athenienſes victi diſceſſerunt. Ageſilai virtus hoc tempore in Græcia enitebat.

DEMOSTRATVS.

Multis locis Corinthio bello bene pugnatum eſt ab Athenienſibus, & ſociis. Corinthus ab Argiuis occupata. Iphicrates cum Corinthium agrum occupare vellet, & populus prohiberet, depoſuit imperium. ſucceſſor ei miſus eſt Chabrias.

4.

PHILOCLEES.

Thraſybulus Athenienſis miſus cum claſſe in Thraciam, & Leſbum, alios vi, alios voluntate ſibi adiunxit.

XCVII.

1.

NICOTELES.

Lacedæmonij Rhodiis ſeditionem agitantibus auxilio adſunt, & ſociis aliquot Athenienſium ſolicitandis imperium maris amiſſum recuperare conantur. Ageſilaus rex eorum agrum Corinthiũ populatur. Euagoras autem rex Cypro pulſus, Salaminem reſtitutus reliquam inſulã recuperare Cypriis aduerſantibus nititur.

2.

DEMOSTRATVS.

Thraſybulus ex Leſbo in Aſpendios cum claſſe proſectus, ab iis necatur. in eius locum Argyrus miſus eſt.

3.

ANTIPATER.

4.

PYRRHIO.

THEODOTVS.

XCVIII.

1.

2.

*Pax Antalcida.*

Lacedæmonij bello Græcorum, & Perſarum afflicti ad Artaxerxem regem Antalcidam de pace miſerunt, eamque obtinuerunt, cum eo, vt Græcæ Aſiæ ciuitates ſibi parerent, reliqui Græci liberi eſſent. qui vero hæc ſœdera non probaſſent, bellum expectarent. Quam pacem etiam Athenienſes, & Bœoti, & Argiui, quòd vires ad bellum nullæ ſuppeterent, acceperunt. Pax ſub Antalcida inter Græcos illuſtris eſt nominata. Galli Romam præter Capitolium ceperunt.

MYSICHIDES.

3.

Lacedæmonij neglecto ſœdere ic̄to per Antalcidam Mátinensibus bellum inſerunt. Athenienſes implorantibus opem Athenienſibus adeſſe noluerunt.

DEXITHEVS.

4.

DIOTREPES.

Aristoteles philoſophus naſcitur.

XCIX.

1. 110

PHANOSTRATVS.

Lacedæmonij Græciæ principatum ſibi vindicant contra communia ſœdera per Antalcidam facta.

2.

MENANDER, alias EVANDER.

3.

*Bellum Laconicum Bœoticum.*

Lacedæmonij arcem Thebarum Cadmeam occuparunt, Thebani Lacedæmonii obſequi coacti ſunt.

DEMOPHILVS.

Demosthenes orator naſcitur.

4.

PYTHEAS.

Lacedæmonij Thebanis, & Olynthiis in poteſtatẽ adductis magnas hoc tempore opes habebant.

5.

L.

NICO.

NAVSINICVS.

Exules Thebani ope Athenienſium, ducẽque eorum Demophõte Lacedæmonii

2.

3.

njos Cadmea ciiciunt. Athenis diuites in Symmorias lege Periandri diuifi.

4. CHABRIAS.

*Bellum Lacedæmonium I.*

Superbe se gerentibus Lacedæmoniis, socij defecerunt, Athenienses, Chij, Byzantij, Rhodij, Mitylenæi. A coris rex Ægyptiorum Chabriam ducem Atheniensem aduersus Persas impulit, & Chabria ab Atheniensibus reuocato Iphicratem, Fœdus inter Athenienses, & Lacedæmonios vsque ad hunc annum integrum mansit, cum Sphodriades regis Cleombroti iussu Piræum noctu esset aggressus. Chabrias dux Atheniensis inimicarum ciuitatum agrum diripit in Eubœa, & Lacedæmoniorum regem Agesilaum vicit in Bœotia. Phœbidas dux Lacedæm. ad Thespias in prælio cecidit. Chabrias prælio nauali inter Naxum, & Parum Polim ducem Lacedæmoniorum superauit. quod prælium maxime Athenienses erexit, & Chabriæ nomen, itémque Phocionis illustrauit. Hoc bellum vocat Demosthenes *ἡ περὶ τῶν ἀρκάων τῶν ἑλληνικῶν*, id est pro iure Græcorum tuendo.

CI.

1. CHARIANDER.

Chabriæ, postquam Abderitas liberarat, dolo interfecto, successit Iphicrates, Athenienses duce Timotheo Cononis F. nauali prælio ad Leucadem, Thebani ad Orchomenum terrestri Lacedæmonios profligarunt.

2. HIPPODAMVS.

Pax ab Artaxerxe Persarum rege data est vniuersæ Græciæ præter Thebanos, qui se fœdere illigari noluerunt.

3. SOCRATIDES.

*Bellum Lacedæmonium II.*

Novæ belli causæ inter Athenienses, & Lacedæmonios exitere, cum illi ciuitatibus Græcis democratiam expetentibus adessent, hi oligarchiam. Platæenses subacti à Thebanis Athenas profugerunt, & ciuitate donati sunt. Corcyraeis à Lacedæmoniis obsessis Athenienses subsidio mittunt primo Timotheum, deinde Ctesiclem, tum iterum Timotheum, & Iphicratem. Hoc bellum Demosthenes in oratione contra Neæram vocat secundum Lacedæmonium. secundum autem intelligit non à condita vrbe, sed à reparata, & triginta tyrannorum dominatu liberata.

4. ASTEVS.

Et hoc anno bellatum cum Lacedæmoniis prodit Demosthenes.

1. ALCISTHENES.

Et hoc anno continuatum est cum Lacedæmoniis bellum. Pax autem demum inter Græcos secunda facta ex auctoritate Xerxis Persarum regis, Thebanis exceptis.

2. PHRASICLIDES.

Bellum Bœoticum à Lacedæmoniis renouatum, cum Thebani fœdere, & societate exclusi essent. Lacedæmoniis autem in Bœotiâ inuadentibus Thebani duce Epaminonda occurrunt, eosque ad Leuctra Bœotix oppidum, rege illorum Cleombroto interfecto prope deleuerunt. Quo prælio Lacedæmoniorum opes adeo accisæ sunt, vt nūquam postea recuperari potuerint. Thebanorum hoc tempore arma Græciæ formidabilia fuerunt.

3. DYSNICETVS.

4. LYSISTRATVS.

*Bellum Laconicum Arcadicum.*

Lacedæmonij bello Arcadibus illato Polytropum ducem amittunt. Cum Thebani Arcadum auxilio Epaminondam, & Pelopidam misissent, Athenienses Iphicratem ad Lacedæmonios miserunt. Epaminondas Messenem restituit. Lacedæmonij

monij cum Atheniensibus fœdus percusserunt, vt ipsi terra, illi mari principatum haberent. Arcades duce Lycomedæ Pallenem in Laconica ceperunt. Bœoti Pelopidam aduersus Alexandrum Pheræum tyrannum miserunt. qui percusso cum Alexandro Macedonum rege fœdere ab eo obsidem Philippum Amyntæ filium, Alexandri Magni patrem puerum accepit, atque Athenas misit. Arcades, Argiui, Elei, & Bœoti arma confociarunt. Bœoti duce Epaminonda in Peloponnesum progressi Corinthios ad prælium exeuntes in urbem compulerunt: post autem ab oppugnatione vrbis à Chabria duce Atheniensis repulsi, turpiter recesserunt. Pax per Artaxerxem Persarum regem inter Græcos tertium cõposita, Thebanis exceptis.

CIII.

1. NAVSIGENES.

Athenienses cum Alexandro Pheræo tyranno aduersus Thebanos societatem iunxerunt. Ismenias, & Pelopidas Thebanorum duces in potestatem Alexandri Pheræi peruenerunt. Lacedæmonij insigni pugna Arcadas superarunt. Arcades Megalopolim viginti vicis in vnum contractis condiderunt.

2. POLYZELVS.

Athenienses duce Charete bene cum Argiuis pugnarunt. Aristoteles annos natus xviii Athenas venit, & se Platoni philosopho tradidit. eumque per annos xx audiuit.

3. CEPHISODORVS.

Pax inter Græcos quartum facta per Artaxerxem, & bello Laconico Bœotico finis impositus.

4. CHIO.

*Bellum Arcadum, & Eleorum.*

Pace tota Græcia constituta bellum inter Arcadas, & Eleos exarsit. cuius principia Arcadibus bene cesserunt.

CIIII.

1. TIMOCRATES.

Thebani Epaminondæ hortatu de maritimo imperio comparando cogitant. iidemque Orchomenum in potestatem redigunt. Pelopidas Thebanus in prælio contra Alexandrum Pheræum cecidit. Timotheus Atheniensis Toronem, & Potidæam occupat. Demosthenes orator Athenis tutores suos tutelæ male administratæ iudicio persequitur. cuius extant orationes.

2. CHARICLIDES.

*Bellum Tegeatum, & Mantinensium.*

Bello inter Tegeates, & Mantinenses exorto cum illis plerique Arcadum, Argiui, Achiui, & Bœoti arma coniunxerunt, cum his Elei, Lacedæmonij, & Athenienses. prælio summo ad Mantineam commisso Bœoti Lacedæmonios duce Epaminonda amisso pepulerunt. Eubœenses ab Atheniensibus duce Hegilocho victi sunt. Græci inter se pacem fecerunt, exclusis Lacedæmoniis. Romæ consules è plebe creati cœpti.

3. MOLO.

Tachus rex Ægypti bellum cum Artaxerxe Persarum rege gesturus, terrestriū copiarum imperium mandat Agesilao regi Spartæ, maritimarum vero Chabriæ Atheniensis. qua re Agesilaus offensus Nectanabium regem contra Tachum adiuit, eumque vitus, cum domum reuerteretur, in itinere mortuus est. Artaxerxi regi successit Artaxerxes Ochus. Tenus insula ab Alexandro in potestatem adducta. Miltocydes à Coty rege Thraciæ defecit, & ad Athenienses de societate legatos misit. Proconnesij à Cizyceniis oppressi ab Atheniensibus auxilium implorarunt.

4. NICOPHEMVS.

ii 3 Athenien

Athenienses mittunt Leosthenem aduersus Alexandrum Pheræum auxilio Pe-  
parethiorum, eoque damnato, Charetem, qui nihil memorabile gessit.

## 1. CALLIMEDES.

*Philippi Macedonis regnum.*

Perdicca Macedonum rege mortuo successit Philippus. cōtra quem Athenien-  
ses duce Mantia, Argæum, vt regem efficerent, armis, sed frustra iuuerunt. Is ne re-  
gni initio infestos haberet Athenienses, Amphipolim Thraciæ, de qua illi valde  
laborabant, liberâ illis reliquit. Xenophon philosophus Socratis auditor moritur.

## 2. EYCHARISTVS.

Philippus rex Macedonum pace cum Atheniensibus composita Pæonas, & Il-  
lyrios subigit.

## 3. CEPHISODORVS.

*Bellum sociale Atheniensium.*

Eubœenses seditionem commouent. quorum cum partem vnam Bœoti defen-  
derent, alteram Athenienses Demosthenis consilio sunt amplexi. Eubœa ope A-  
theniensium liberata. Socij Atheniensium rebellarunt, Chij, Rhodij, Coi, & Bi-  
zantij. aduersus quos Chares, & Chabrias duces missi. Chabrias in prælio occu-  
bit. Philippus Amphipolim Atheniensibus ademit, Pidnam cepit, & Potideam  
expugnauit.

## 4. AGATHOCLES.

Philippus auxilio Aleuadarum in Thessaliam venit, atque inde tyrannos eiecit.  
Demostheni cum ob alia merita, tum quia Eubœam suo consilio liberarat, corona  
aurea ab Aristonico decernitur. Athenienses bellum cum sociis continuant.

## 1. ELPINVS.

Athenienses acriter cum sociis pugnant ducibus Charete, Iphicrate, & Timo-  
theo. Iphicratem autem, & Timotheum multarunt, quod cum Charete prælium  
nauale inire nolissent, & pacem sociis reddiderunt.

## 2. CALLISTRATVS.

*Bellum Sacrum, siue Phocicum.*

Cum Phocenses Philomelo duce Delphicum templum spoliassent, à Locris, &  
Bœotis finitimis populis bello petiti sunt, quod Sacrum, & Phocicū vocatum est.  
Phocensibus se Athenienses, & Lacedæmonij contra Bœotos adiunxerūt. Demo-  
sthenes publicas actiones scribere cœpit, scripsitq; accusationem Androtionis,  
quam Diodorus dixit, & orationē de immunitatibus habuit, cum Leptines legem  
tulisset, vt nemo in ciuitate immunis esset.

## 3. DIOTIMVS.

Philippus Methonem, & Pagafas cepit. Demosthenes dixit primam concionem  
ad populum, quæ est de Symmoriis. in qua hortatur Athenienses, vt pacem tuean-  
tur cum rege Persarum, neque priores bellū inferant, nisi nauales copias pararint,  
& rationem eas parandi ostendit. Hoc tempore oratores Athenienses alij cū Phi-  
lippo Macedone faciebant, alij cum Persarum rege. Demosthenes autem perennis  
Macedonum inimicus Persæ fauisse existimatus est. Philomelo duce Phocensium  
in prælio contra Bœotos interfecto successit Onomarchus.

## 4. EYDEMVS.

Artabazus Persa bellū cū Satrapis regis Charete Atheniēsi, & Pāmene Theba-  
no ducibus gessit. Atheniēses Sestū duce Charete ceperūt, & colonias in Cherse-  
nesum permittēte Cersoblepte rege Thraciæ deduxerūt. Philippus oculū in expu-  
gnatione Methones amisit. Onomarchus bello Sacro Throniū, & Orchomenum  
oppida

oppida cepit. Lacedæmonij Argiuos ad Orneas prælio fuderunt. Onomarchus à  
Lycophrone Thessalo tyranno accersitus Philippum prælio vicit; & in Bœotiam  
reuerfus Coroneam Bœotis ademit. Eo vero post in Thessalia à Philippo in acie  
cæso, Phayllus apud Phocenses imperium suscepit. Demosthenes accusationem  
Timocratis scripsit. qua Diodorus item vsus est. atque ipse concionem de subsi-  
dio Megalopolitanis aduersus Lacedæmonios mittendo habuit, cum Lacedæmo-  
nios post Leuētricam cladem afflictos in spem veteris imperij erectos bellum Ar-  
cadibus intulisse animaduerteret, atque legati à Megalopolitanis adessent, qui au-  
xilium ab Atheniensibus peterent.

## ARISTODEMVS.

Lycophron Phærarū tyrannus Phæras Philippo dedit. Bœoti triplici prælio  
Phocenses vicerunt, ad Orchomenum, ad Cephussum, ad Coroneam, cum Pho-  
censium dux esset Phayllus. Philippus in Græciam irrupturus traicere Ther-  
mopylas obiiicientibus sese Atheniensibus nequiuit. Idē mouit in Locros. Phayl-  
lo mortuo successit Phalæcus, à quo de Bœotis Coronea capta est. Demosthe-  
nes contra Philippum agere cœpit. & primam Philippicam habuit de peregrino  
exercitu comparando. cuius initium: Si de re noua. item scripsit orationem con-  
tra Aristocratem, quam dixit Eutycles.

## THESSALVS.

Phocio Atheniensis dux Persarum fuit in Cyprios. Lacrates ab Atheniensibus  
auxilio Persarum missus aduersus Aegyptios & Nicostatus ab Argiuis petenti re-  
gi concessus. In Phocide nihil memorabile gestum. Rhodij cum bello sociali ad-  
uersus Athenienses ad Mausolum Cariæ hipparchum se contulissent, ab eo pro-  
pe euerfi sunt, cum populari statu dissoluto paucorum potentium imperium intu-  
lisset. Itaque Demosthenes oratione, quæ extat, suasis Atheniensibus, vt Rhodio-  
rum libertatis causam susciperent, nec eos paucis dominantibus seruire pate-  
rentur.

## APOLLODORVS.

Artaxerxes rex Persarum Ægypto potitur.

## CALLIMACHVS.

Philippus Chalcidenses in Thracia subegit, Pytholaum tyrannum Phæris eie-  
cit, Olynthum obsedit. Demosthenes tres Olynthiacas de auxilio Olynthiis ad-  
uersus Philippum ferendo dixit, & Mediam, à quo pugnum choragus Dionysis  
acceperat, accusauit.

## THEOPHILVS.

Philippus Olynthium, Micybernam, & Toronem occupauit. Athenienses Phi-  
lippi incrementum extimescentes, omnibus, quos ab eo peti, & vexari sentiebāt,  
Demosthenis in primis admonentis vocibus inflammati, opem ferebant. Philip-  
pus pecunia magnitudine populos ad prodicionem alliciebat. Plato philosophus  
mortuus. Aristoteles ad Hermæam tyrannum se contulit, & apud eum per  
triennium fuit.

## THEMISTOCLES.

Bœoti Phocenses ad Hyampolim fuderunt. iidem à Phocēsis ad Coroneam  
prælio profligati sunt. Phalæcus accusatus, quod sacras pecunias auertisset, impe-  
rio spoliatus est. in eius locum Callias, Dinophanes, & Sophanes suffecti. Quæstio  
de sacris pecuniis habita est. Philippus per speciē Delphici templi tuendi se Bœo-  
tis contra Phocenses adiunxit. Demosthenes dixit orationem contra Philippum.  
cuius initium, ἀπὸ τῆς ἐπιπέρας ἀδελφείας, de custodia insularum, & Hellepontii  
ciuitatum. Athenienses pacem cum Philippo fecerunt. Demosthenes senator sci-  
tum fecit de mittendis extemplo legatis ad Philippum de pace; item alterum de

mittendis aliis ad iusiurandum Philippi pacis causa accipiendum.

## 3. ARCHIAS.

Lacedæmonij Archidamo rege duce auxilio venerunt Phocensibus. Philippus magno apparatu contra Phocenses profectus Phalæcum ducem eorum sub conditionibus dimisit, & Phocenses in deditionem sine prælio accepit, finemque bello Sacro post decem annos imposuit. Hac de re magna trepidatio Athenis fuit. Demosthenes orationem habuit, cuius initium: Video, in qua suadet, ut Athenienses patientur, Philippum victorem loco Phocensium in Amphyctionū concilium cooptari. Philippus in Amphyctionas cooptatus. Speusippus philosophus in Platonis locum in Academia successit, atque per annos VIII ei scholæ præfuit.

## 4. EVBVLVS.

Aristoteles Mitylenem concessit.

## CIX.

## 1. LYCISCVS.

Philippus Illyrios populatur, & Thessalos tyrannorum dominatu liberat, ac sibi adiungit. Demosthenes orationem habuit, cuius initium: Quando o Athenienses, qua moneret Athenienses, ut Philippi pacem suspectam habeant: eumque insidiari libertati suæ docet, & quæ responsa danda sint tum Philippi, tum Græcorum aliorum legatis, exponit.

## 2. PYTHODORVS.

Philippus Thracas subegit. Demosthenes accusauit Aeschinem de falsa legatione. item concionem dixit contra Philippum de Haloneso reddenda, cuius initium: O viri Athenienses. Aristoteles ad Philippum Macedonem se contulit, & per annos VIII Alexandrum filium eius erudiuit.

## 3. SOSIGENES.

Arymba rege Molosorum mortuo, Philippi ope Alexander Olympiadis vxoris frater regnum adeptus est, cum filium reliquisset Aeacidem Pyrrhi regis patrem. Demosthenes dixit contra Philippum concionem vnam, cuius initium: Oportuit, in qua suadet, ne dimitterentur copiarum peregrinarum, quæ erant in Chersoneso cum Diopithe, & alteram, cuius initium: Multis o viri Athenienses verbis, qua docuit, Philippum pacem soluere, & re bellum facere. Epicurus philosophus Athenis natus.

## 4. NICOMACHVS.

Pocion Atheniensis Clitarchum Eretriæ tyrannum à Philippo constitutum debellauit. Philippus Perinthum obsidet in Thracia, & Byzantium. Demosthenes orationem habuit, cuius initium: *ὅτι ἀποδύει*. in qua ostendit, Philippum soluisse pacem, suadetque Atheniensibus, ut Byzantiis subsidium mittant.

## CX.

## 1. THEOPHRASTVS.

Athenienses decernunt, Philippum pacem soluisse, eique bellum inferunt, sub sidio Byzantiis misso. Quare Demosthenes in oratione, quæ inscribitur: Ad epistolam Philippi, suadet, ut fortiter sustineant bellum. Philippus cum Atheniensibus tertiam pacem componit.

## 2. EYSIMACHIDES.

Demosthenes suspectam habens recentem Philippi pacem, decreuit, ut naualia, & armamenta instituta intermitterentur, & pecuniæ in bellum impenderentur. Philippus bellum moliens Thebanos frustra de societate iungenda sollicitat, & traiectis Thermopylis Elatiam occupat. Quo metu Athenienses percussas pecunias omnes publicas militares fieri decernunt, & ad bellum per Demosthenem accensi, per eundem legatum Thebanos in belli societatem contra Philippum sibi adiungunt. Xenocrates philosophus in Academia Speusippo successit, scho

scholamque per annos XX obtinuit.

## CHARONDAS.

## Pugna ad Charoneam.

Philippo cum magnis copiis in Atticam irrupenti Athenienses, & Thebani cum occurrissent Charete, & Lyficle ducibus, ad Charoneam in Bœotia memorabili prælio fusi sunt, ex quo Demosthenes fugit. Athenienses, & Bœoti pacem à Philippo impetrarunt. Lyficlem, quo duce male pugnarant, accusante Lycurgo, capite damnarunt. Demosthenes in uros viuis refecit, cuius rei ergo Ctesiphon decretum scripsit, ut corona in populo donaretur. quo nomine Aeschines à Ctesiphonte multam petiit.

## PHRYNICVS.

Philippus in concilio Græcorum ad Corinthum imperator belli contra Persas declaratus, post numerum militum unicuique populo constitutum, in Macedoniam reuertit.

## PYTHODORVS, alias PYTHODEMVS.

## Alexandri Magni regnum.

Philippo per insidias à Pausania interfecto, ALEXANDER filius successit, qui Magnus appellatus est.

## EVAENETVS.

Philippi morte cum Græci omnes, tum maxime Athenienses agente Demosthene ad res nouas molientes erecti. Quos motus cum Alexander prudenter composuisset, Athenienses ad eum legatos veniæ petendæ causa miserunt. quorum Demosthenes sibi diffusus è medio itinere reuertit. Alexander à Græcis imperator aduersus Persas declaratus, Thebanos præsidium Macedonum è Cadmea arce deiicere ausos aggressus, urbem eorum euertit, & Demosthenem ceterosque rhetores causæ suæ infestos, quos sibi tradi postulauerat, Demadis legati oratione permotus, populo roganti condonauit. Aristoteles Athenas profectus in Lyceo docere cœpit, eamque scholam per annos XII obtinuit.

## CTESICLES.

Alexander translato in Asiam bello Satrapas Persicos ad Granicum in Phrygia vicit, & Miletum, Halicarnassumq; expugnauit.

## NICOCRATES.

Alexander Darium Persarum regem ad Issum in Cilicia prælio superauit.

## NICERATVS, alias ANICETVS.

Alexander Tyrum in Syria occupat, & Aegyptum ditioni suæ adiungit.

## ARISTOPHANES.

Antipater præfectus Alexandri Agidem regem Lacedæmoniorum, Arcadasque imperium detrectantes vicit. Alexander Darium regem in Arbels profli-gauit.

## ARISTOPHON.

Alexander Arbela, Babylona, Susa, & Persepolim occupat, & Persicū regnum excindit. Darius rex à Besso interfectus. Demosthenes Athenis Ctesiphontem de corona aduersus Aeschinem nobili, quæ extat, oratione defendit.

## CEPHISOPHON.

Alexander in Hyrcaniam mouit, & cum Thalestride regina Amazonum concubuit.

cubuit, & insidias ab amicis sibi paratas depulit.

CXIII.

## 1. EVTHYCRITVS.

Alexander Paromyfadis, & Sogdianis, & Scythis bellum intulit.

## 2. CHREMES.

Alexander victor in India reges alios euertit, alios constituit. Calanus philosophus apud Indos moriens Alexandrum appellat. Cum Harpalus Alexandri præfectus ingenti cum pecuniarum numero Athenas profugisset, eoque mortuo quaestio instituta esset, ad quos ea pecunia peruenisset, Demosthenes eo nomine postulatus, damnatusque in exilium profectus est.

## 3. ANTICLES.

Milites multi ab Alexandro in Asia dimissi cum ad Tanarum Laconia promontorium peruenissent, ducem sibi Leosthenem Atheniensem ascuerunt. Alexander in Cossæos mouit.

## 4. SOSICLES.

Alexander Babylona ingressus gentium omnium legatos audiuit.

CXIII.

## 1. AGESIAS.

Alexander veneno à suis interemptus est. Belli Lamiaci, quod gesserunt Athenienses, initia exarserunt. Demosthenes exul, quod ultro causam Atheniensium vna cum Polyucto Atheniensium legato in Arcadia contra Antipatrum Macedonem acriter defenderat, magna gloria à populo reuocatus est. Diogenes Cynicus philosophus, eodem die, quo Alexander, mortuus.

## 2. CEPHISODORVS.

*Bellum Lamiacum.***Antipatri dominatus Athenis.**

Mortuo Alexandro Regnum inter Macedones diuisum est. Macedonia Antipatri fratri, aut, vt aliis placet, Alexandro filio pupillo concessa, ita tamen vt Antipater administrationem haberet. Itaque cum Antipater, prout Alexander viuens statuerat, exules in ciuitates Græcorum reduceret, Athenienses, & Bæoti id inique ferentes ad bellum coorti, multis aliis pro Græciæ libertate in belli societate associatis, Antipatrum primum prælio in Thessalia ad Cranonem mense Metagitnone vicerunt, deinde Lamiam compulsam Leosthene duce acriter obsederunt. Leosthene interfecto Antiphilus suffectus est. Post autem Antipater Crateri auxilio Græcis depulsis, atque omni belli mole Athenas translata Athenienses diu obledit. Qui cum per Xenocratem, Demadem, & Phocionem pacem tandem petissent, deditioem hac conditione facere mense Boëdromione coacti sunt, vt democratia cederent, & obligarchiam instituerent, ac remp. penes eos ponerent, qui censum duum millium drachmarum haberent. quorum numerus nouem millium est inuentus, & præsidium Macedonum in Munychia acciperent.

*Oligarchia Tertia.*

Cum oratores Macedonum causæ infestos sibi Antipater postulasset, Demosthenes, & Hyperides profugerunt. quorum Hyperides in Aegina à satellitibus Antipatri captus, ab eo necatus est; Demosthenes in insula Calauria, ne in eius

manus perueniret, mense Pyanepsione venenum bibit. Demades, & alij Macedonum fautores Antipatro suaserunt, vt non solum Athenas, sed alias etiam Græcas ciuitates Atheniensium calamitate perterritas præsidio imposito deuictas haberet. Præsidium præfecto Menyllo in Munychia impositum die Boëdromionis vigesimo. Aristoteles cum in Chalcidem secessisset, moritur. Theophrastus scholam eius excepit.

## PHILOCLEES.

Arridæus corpus Alexandri Magni ex Babylone in Aegyptum sumptu magnifico deportauit.

Hic, & sequens annus apud Diodorum intercidit.

## APOLLODORVS.

Athenienses Phocione ad Antipatrum proficisci recusante, Demadem miserunt, petentes, vt præsidium, quod ille in Munychia imposuerat, educeret. Antipater, qui antea Demadem vnice dilexerat, litteris quibusdam, quibus ille Perdicam in se concitabat, inuentis, ab eo alienatus ipsum cum filio Demea trucidauit. & cum rerum administrationem Polyperchonti tradidisset, è vita decessit. Cassander Antipatri F. Chiliarchus à patre relictus, ante quam patris obitus Athenis enunciaretur, Nicanorè pro Menyllo præsidio Munychiæ præfecit. Polyperchon decreto lato omnes Græcorum ciuitates liberare iussit, vt Philippo, & Alexandro regnantibus fuerant.

## ARCHIPPVS.

*Cassandri Macedonis Regnum.*

Vt Macedones in duas factiones abierant, vnam Cassandri, alteram Polyperchontis, sic etiam Atheniensium ciuitas in optimates, & populares distracta, illa cum Cassandro, hæc cum Polyperchonte sentiebat. Nicanor à Cassandro Munychiæ præfectus ab Atheniensibus, præsidium è Munychia educere ex Polyperchontis decreto iussus, quod alienam à Cassandro voluntatem eorum perspexisset, Piræum furtim occupauit. Qua de re cum quererentur Athenienses, ab eo ad Cassandrum reiecti sunt. Cum autem Alexander Polyperchontis F. verbo, vt opem Atheniensibus contra Nicanorem ferret, re, vt Munychiam, & Piræum sibi vindicaret, in Atticam venisset, populus magistratus omnes abdicare iussit, atque alios ex maxime popularibus subrogauit. quiq; in oligarchia magistratus gesserant, alios morte, alios exilio, alios bonorum publicatione multauit. Inter quos fuit & Phociō, qui Antipatro viuente summæ rerum præfuerat. Hi vero ad Alexandrum profecti, cum Polyperchontem patrem eius litteris de salute sua, populus autem de Munychia, libertatēque ex eius decreto sibi restituenda legationibus fatigarent, Polyperchō mutata sententia, quantum ad res gerendas portus Piræi valeret, contemptus, de portu nihil respondit, Phocionem autem, ceterosque, qui pro Cassandro senserant, victos in curru Athenas remisit, qui omnes populi iudicio condemnati extremi supplicij pœnas dederunt. Cassandrum inde in Piræum ingressum Polyperchon è Phocione in Atticam profectus obsidere cepit. inde parte exercitus Alexandro filio tradita ipse in Peloponnesum aduersus Megalopolitanos Cassandri amicos progressus est. Interea Cassander Panactū Atticæ castellum cepit, Aeginetas sibi adiunxit, Salaminem obsedit.

*Cassandri dominatus Athenis.*



## Oligarchia III.

Tandem cum Athenienfes præfidium Cassandri depellere conati, non potuiffent, pacti cum eo sunt, vt ipfi haberent vrbē, agrum, vectigalia, & alia omnia, & socij Cassandri effent, Munychiā vero Cassander teneret; resp. vero penes eos esset, qui censum vsq; ad decem minas haberent, & vt curator ciuitatis, qui Cassandro videretur, imponeretur. Demetrius autē Phanostri F. Phalereus impositus est, qui dominatum in ciues suos liberis hominibus intolerandum exercuit. Hæc autem à Cassandro facta iam post Aridæum Macedonia regnum adepto scribit Pausanias in Atticis.

## 4. DEMOGENES.

Polemon philosophus in Xenocratis demortui locum Academiam obtinuit.

cxvi.

## 1. DEMOCLIDES.

Cassander oppidum in Macedonia Cassandream condidit, & Thebas ab Alexandro euerfas post annos xx restituit. (cui officio etiam Athenienfes seruiert, qui magnam murorum partem construxerunt,) ac præsidio in Cadmea imposito Thebanos sibi dicto audientes esse coegit.

## 2. PRAXIBVLVS.

## 3. NICODORVS.

## 4. THEOPHRASTVS.

cxvii.

## 1. POLEMON.

Antigonus Asia post mortem Alexandri præfectus cum exercitu in Græciam Polemonem ad Græcas ciuitates liberandas misit. Qui expugnato, traditque Bœotis Oropo, & Carystis ad amicitiam adiunctis, in Atticam processit. Athenienfes autem cum ad Antigonum clam de libertate misissent, castris à Ptolemæo Antigoni præfecto vrbis admotis, Demetrium Phalereum cum Antigono societatem inire coegerunt. Ptolemæus inde in Bœotiam regressus capta Cadmea, præsidioque Cassandri deiecto Thebas liberauit.

## 2. SIMONIDES.

Fœdus inter Cassandrum, Ptolemæum, Lyfimachum, & Antigonum ictum, vt Lyfimachus Thracia potiretur, Ptolemæus Aegypto, Antigonus Asia, Cassander præfectus esset Europæ.

## 3. HIEROMNEMON.

## 4. DEMETRIVS PHALEREVS.

Lyfimachus urbem condidit Lyfimachiam in Thracia.

cxviii.

## 1. CHARINVS.

Epicurus philosophus præesse scholæ Mytilenis cœpit, annos natus xxxii, eamque ad quinquennium obtinuit.

## 2. ANAXICRATES.

## Athenæ per Demetrium Cassandri dominatu liberatæ.

Demetrius Antigoni F. cognomento Poliorcetes, copiis à patre ad liberandas  
Græ

Græciæ ciuitates acceptis ex Epheso improuiso Athenas accessit, quæ à Cassandro per Demetrium Phalereum tenebantur; & Dionysio præsidij Munychiæ præfecto capto, & Phalereo vrbe pulso, & Piræco, Munychiæque receptis antiquas leges, libertatemque Atheniensibus reddidit. cuius rei ergo Athenienfes ei, & patri honores, Stratocle scribente, eximios decreuerunt; in primis autem tribus duas addiderunt, eaq; illorum nominibus insigniuerunt, Antigonidem, & Demetriadem, & ludos, pompas, ac sacra anniuersaria eis instituerunt, & eorum imaginem in Pælo Mineræ intexuerunt. & seruatores eos vocarunt, & pro archonte annuo sacerdotem seruatorum induxerunt, & senatum sexcentorum, centenis adiectis fecerunt. Demetrii Phalerei statua ad trécentas conflata. Lycurgo oratori mortuo honores Stratoclis decreto delati. Dinarchus orator Cassandri partium fautor Athenis aufugit.

## CORYBVS.

Antigonus Demetrii pater in Ægypto cum Ptolemæo bene pugnavit. qua victoria elatus ipse se regem appellauit. quo nomine post etiam Ptolemæus, & Seleucus, & Lyfimachus vsi sunt.

## XENIPPVS.

Demetrius Antigoni F. bellum Rhodiis infert. Hoc tempore philosophi omnes vrbe Athenarum excefferunt, Sophoclis lege lata, ne quis philosophus scholam haberet, nisi senatui, & populo placuisset. sin minus, morte multarentur. paullo post autem lege abrogata redierunt, cum Sophocles de violatis legibus à Phyllione damnatus esset. quod in Theophrasto prodit Diogenes.

## PHERECLES.

Demetrius Rhodum in potestatem adduxit.

## LEOSTRATVS.

Cum Cassander ad obsidendas Athenas accessisset, Demetrius, ab Atheniensibus aduocatus è regione Cassandrum fugauit; Phylam, & Panactum, quæ fuerant Cassandri in Attica propugnacula Atheniensibus restituit. Quibus rebus nouos, & supra omnem fidem ingentes ei honores exquisiuerunt, in primis autem latum, vt quod Demetrius iuberet, id fas, & iustum esset. Inde in Peloponnesum profectus Sicyonem, & Corinthum, atque Arcadiam totam præter Mantineam occupauit, eaque Cassandri dominatu liberauit. Epicurus Athenas venit, ibiq; scholam habuit.

## NICOCLES.

Cassander veritus, ne Demetrius, Antigonusque liberatis Græcis in Macedonia bellum transferrent, vbi Antigonum amicitiam suam respuere sensit, cum Ptolemæo, Seleuco, & Lyfimacho fœdus fecit, bellumque Antigono intulit. Demetrius vt mysteriis Cereris magnis, & paruis initiaretur, cum iis interesse multorum inter se mensium spatio disiunctis non posset, persuasit Atheniensibus, vt ritum patrium permutarent, eaque inter se continuatis mensibus celebrarent, atque inde ad patrem in Asiam, cui bellum à regibus erat commotum, se contulit.

Antigonus in prælio captus, & interemptus regnum hostibus tradidit. Demetrius filius cum parte peditum, equitumque è pugna elapsus Ephesum peruenit, eique Athenas vt in portum miseriarum cõtendenti, obuiam legati ab Atheniensibus missi, vt Athenis abstineret. nam neminem regem in urbem recipere se decreuisse. quo audito ille nauibus suis quibusdā ab eis acceptis ad Isthmum se recepit.

## Tyrannis Lacharis.

Demetrius filiam Stratonidem Seleuco Syriæ regi in matrimonium collocat.  
kk ipse

ipse mortua Deidamia coniuge Ptolemaidem Ptolemæi Ægypti regis filiam sibi despondet. Cum autem ab amicis esset admonitus, Lacharem Athenis in magna ciuium seditione tyrannidem occupasse, Athenarum recuperandarum in spem erectus, in Atticam exercitum duxit, & Eleusine, ac Rhamnunte occupatis Athenas accessit, easque obsidione cinctas ad extremam rerum omnium inopiam adduxit. Lachare inde ad Bœotios profecto, urbis potitus, & Piræeo, Munychiâque receptis, Musæum valido præsidio firmavit.

## Demetrii dominatus Athenis.

2. Demetrius Athenis profectus aduersus Lacedæmonios exercitum ducit, & Archidamo rege eorum prælio fuso, prope urbem castra admouit. atque altero secundo prælio facto, parum absuit, quin urbem ipsam ceperit. Arcesilas philosophus, qui mediâ Academiam instituit, floret Athenis.

3. Cassandro Macedoniae rege mortuo PHILIPPVS filius eius successit. quo haud ita multo post vita functo, ALEXANDER frater Philippi regnum excepit, quem cum Antipater frater Thessalonica matre natus per arma regno pellere conaretur, Alexander Demetrium ex Peloponneso, & Pyrrhum regem ex Epiro auxilio aduocauit.

4. Alexander cum Antipatro fratre auxilio Pyrrhi rem prospere gessit. nam Demetrius aliis rebus detentus in tempore adesse non potuit. Pyrrhus pro auxilij latitudine mercede magnam Macedoniae partem sibi assumpsit.

CXXI.

1. Demetrius post rem confectam ad Alexandrum in Macedonia venit.

2. Demetrius ab Alexandro e Macedonia decedens, cum ab eo insidiis peteretur, eum anteuenit. nam eo necato regnum Macedoniae arripuit.

3. ....

## Demetrii Macedoniae regnum.

Demetrius in Macedonia regnare incipit, primus ex hac familia, cuius genus in Perseo rege à Romanis victo, & necato defecit. Cum autem Macedonia, & Thessaliam, & præterea Athenas, & Megara, & plurimas in Peloponneso vrbes obtineret, Bœotos in potestatem adduxit.

4. Demetrius Bœotos à Cleonymo Spartano ad defectionem sollicitatos iterum uicit. atque oppida eorum omnia præsidis suis firmavit.

CXXII.

1. Thebæ iterum rebellantes ab Antigono Demetrii F. obsessæ. Pyrrhus, qui in Thessaliam inuaserat, à Demetrio repressus. Thebæ post longam obsidionem receptæ. Ab eodem Ludi Pythij Athenis celebrati.

2. Demetrius in Ætolos mouit. eorumque vastatis agris in Pyrrhum regem Epiri arma conuertit. Demetrius regionem Pyrrhi populatus est, Pyrrhus Pantauchum Demetrii ducem in Ætolia relictum magno prælio fudit.

3. Cum Demetrius Pellæ ægrotaret, Pyrrhus in Macedonia populabundus inuasit.

uasit. inde à Demetrio postquam magnam partem occupauerat, pulsus in suam regionem se recepit.

DIPHILVS.

4.

## Athenæ dominatu Demetrii liberatæ.

Cum Demetrium de paterno recuperando Asia regno cogitantem, bellumque parantem Lyfimachus, Seleucus, & Ptolemæus animaduertissent, assumpto belli socio Pyrrho, arma illi intulerunt; quorum Lyfimachus, & Pyrrhus Macedoniae adorti eum inde expulerunt, ipsiq; eam inter se diuiserunt. Demetrius tanta accepta clade cum in Græciam se recepisset, antiquam Thebanis remp. restituit. Athenienses autem in spem libertatis excitati, antiquæ gloriæ memores, duce Olympodoro Macedonas Athenis, & Musæo, quod ab eis tenebatur, expulerunt, & Piræeum, ac Munychiam receperunt, & Macedonas Eleusinem inuadentes, comparata Eleusiniorem manu prælio fuderunt. & archontem annum restituerunt, cum pro eo antistitem seruatorum in honorem Demetrii iam per aliquot annos crearent. Itaque Demetrius cōtracta classe Athenas obsessurus, Cratetis philosophi legati ad eum missi oratione permotus, dimissis Athenis in Asiam se aduersus Seleucum contulit.

XXX

CXXIII.

1.

### *Lyfimachi Macedoniae regnum.*

Lyfimachus Pyrrhum Macedoniae expulit. atq; ipse se regem declarauit. Seleucus capto in Cilicia Demetrio Syriae, & Asiae se regem appellauit.

2. XXX

3.

Straton Peripateticus hac olympiade successit Theophrasto in Lyceo, scholamque obtinuit annos xviii.

4.

CXXIII.

1.

### *Seleuci Macedoniae regnum.*

Ptolemæus Philadelphus Ptolemæo Lagi F. in Ægypti regno successit. SELEVCVS Antiochi F. victo Lyfimacho regnum Macedoniae sibi vindicauit.

2.

### *Ptolemæi Macedoniae regnum.*

PTOLEMÆVS Ceraunus Seleuco per insidias interfecto post septem menses regnum Macedoniae inuasit. Seleuci F. Antiochus Soter Syriae, & Asiae regnum obtinuit.

3.

Galli in Illyrium, & Macedoniae irrumpentes duce Bolgio Ptolemæum regem resistere conantem interfecerunt.

4.

### *Sostenis Macedoniae regnum.*

SOSTENES post necem Ptolemæi regis se Gallis opponens regnum Macedoniae occupauit.

### *Antigoni Gonatae Macedoniae regnum.*

GORGAS.

ANTIGONVS Gonata Demetrii Poliorcetae F. Antigoni N. patrium regnum Macedoniae

CXXV.

1.

kk 2 Macedoniae

Macedoniæ recuperavit. Demostheni oratori mortuo honores magni petente Demochare decreto populi delati.

2. ANAXICRATES.

Galli duce Brenno in Græciam irruperunt. cum iis ad Thermopylas debellatū à Græcis est, cum ob veterem dignitatem eius expeditionis principatum Athenienses duce Callippo obtinerēt. Antigonus rex item auxilia, præfecto Aristodemo ex Macedonia miserat, & Antiochus ex Asia, Telefarcho. Eisdem Gallos deinde, cum fanum Delphicum spoliassent, Phocenses accitis Aetolis, atque ipso prope Deo arma pro se capiente deleuerunt.

3. DAMOCLES.

Gallorum reliquiæ in Asiam traiecerunt, atque Ancyra Phrygum oppido occupata supra Sangarium amnem confederunt, atque inde Gallogræci vocati.

4. ....

Pyrrhus rex à Tarentinis aduocatus veris initio traiecit in Italiam contra Romanos. Achæorum ciuitates inter se conspirarunt, & communem remp. instituerunt Dyme, Pharæ, Patræ, & Tritæa.

CXXVI.

1. ....

Pyrrhus rex Romanos vicit in Lucania ad flumen Sirim P. Læuino consule pugnantes. C. Fabricius de redimendis captiuis ad eum missus.

2. ....

Pyrrhus vulnere accepto à Romanis Tarentum fugatus.

3. ....

Pyrrhus à Syracusanis aduocatus in Siciliam cum exercitu traiecit.

4. ....

CXXVII.

1. ....

Egium, Carynia, Bura se Achæorum concilio tyrannis expulsis adiungunt.

2. ....

Pyrrhus in Italiam reuectus à Manio Curio Dentato consule memorabili prælio superatus in Epirum recessit.

3. ....

Pyrrhus Macedoniam ingressus, magnam partem occupauit, Antigonumque regem se ad maritimas ciuitates recipere coëgit.

4. ....

Pyrrhus à Cleonymo Spartano, qui ab Areo in petitione regni superatus fuerat, inductus, specie, vt Græcas ciuitates Antigoni dominatu liberaret, re, vt sibi Peloponnesum adiungeret, in agrum Laconicum populabundus iniit. & absente in Creta rege Areo urbem Lacedæmonem oppugnauit. Tandem cum auxilium Antigono à Corintho accessisset, simulque Areus rex è Creta superuenisset, inde re irrita discedere coactus Argos accersitus ab Aristeo, qui cum Aristippo sentiebat, cui Antigonus fauebat, urbem ingressus tegulæ ictu concidit.

CXXVIII.

1. ....

Morte Pyrrhi multæ ciuitates Peloponnesi ad Antigonum regem defecerunt, aliæ proditione receptæ.

2. PUTHARATVS.

Epicurus philosophus mortuus. Lycō peripateticus successit Stratoni, & scholæ præfuit annos XLIII. Demochari mortuo honores Athenis decreti.

3. ....

Aristotimus auxilio Antigoni tyrannide Eleorum potitur, & post sex menses à Cylone occiditur

..... CXXIX. 1. 2. 3. 4. Antigonus à Ptolemæo Ægypti rege, & Spartanis bello petitur. quibus cum se Gallogræci adiunxissent, occisione occisi sunt.

Antigoni Gonatæ dominatus Athenis.

Antigonus Gallorum victoria elatus, & iam pridem Atheniensibus iratus, quod quondam à Demetrio patre suo defecissent & præsidium Athenis, & in primis Musæo, quod ille muniuerat, depulissent, bellum eis grauissimum intulit, atque Athenas maritimis, & terrestribus copiis oppugnauit. Atheniensium subsidio Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex Patroclum cum classe misit, vnde Patrocli insula nomen inuenit. Lacedæmonij etiam Areum regem sequuti non defuere, qui tamen parum eis ad salutem profuerunt. Nam Athenienses diu obsessi se dedere Antigono, & iterum in Musæo præsidium recipere coacti sunt, iidem tamen erga Ptolemæum grati tribum vnam ab eo Ptolemaidem nominarunt, vt aliquot post annis ab Attalo alteram Attalidem. Interim Alexander rex Epiri, regis Pyrrhi F. absente Antigono Macedoniæ fines populatus est.

..... 4. Antigonus è Græcia in Alexandrum Epirotam reuersus à militibus suis destitutus regnum Macedoniæ cum exercitu amittit. Demetrius autem Antigoni F. puer regnum recuperat, & Alexandrum Epiro eiicit.

..... CXXX. 1. Romani Ap. Claudio Caudice consule bellum Punicum primum inierunt. Alexander Epirota Arcadum auxilio in regnum restituitur.

..... 2. 3. 4. CXXXI.

..... 1. Perseus philosophus Stoicus Zenone Cittieo iam sene floret, Zeno ab Antigono rege aduocatus ætatis grauitate excusata, non iuit.

..... 2. 3. 4.

Athenæ dominatu Antigoni liberatæ.

..... CXXXII. 1. Antigonus rex præsidium Athenis è Musæo deduxit, & liberos Athenienses reliquit. Romani cum Pœnis iam nonum annum bellantes, cum Xæhippo Lacedæmonio Pœnorum duce acie dimicarunt, quo in prælio M. Atilius Regulus imperator captus est.

FINIS.

kk ; REGES

## Reges Lacedæmoniorum.



**L**ACEDÆMON IOVIS F. Rex I.

Eurotæ Laconia regi, cum sine filiis decessisset, Lacedæmon successit, ex eadem matre, qua Eurotas, genitus, præterea Eurotæ gener. Hic regionem à se Laconiam, & urbē, quā condidit, à nomine vxoris Spartæ, Spartā vocauit; cū Erichthonius Vulcani F. rerū potiretur Athenis.

**AMYCLAS** Lacedæmonis F. Rex II.

Hic oppidum Amyclas in agro Laconico condidit.

**ARGALVS** Amyclæ F. Rex III.

**CYNORTAS** Argali F. Rex IIII.

**OEBALVS** CYNORTÆ F. Rex V.

Hic ex Gorgophone Persei regis Argiui filia, Iouis nepte Hippocoontem, & Tyndareum genuit.

**HIPPOCOON** Oebali F. Rex VI.

Hippocoon victo Icatij ope Tyndareo fratre secū de regni possessione certante, regnum suscepit.

**TYNDAREVS** Oebali F. Rex VII.

Tyndareus pulso è patrio regno Herculis auxilio Hippocoonte fratre, post eum regnauit.

**CASTOR, POLLVX**, Tyndarei filij, Reges VIII.

Horum ætas Thesei regis Atheniensis regno responderet.

**MENELAVS** Atrei F. Rex IX.

Mortuis Tyndaridis sine filiis, Menelaus, quod Helena ducta Tyndarei gener esset, ad regnum peruenit. Hoc tempore Ilium expugnatum est. Id quod in annum primum Demophoontis regis Atheniensis refertur.

**ORESTES** Agamemnois F. Rex X.

Hic patrio Mycænarum regno pulsus Menelai foci sui filiis è serua natis exclusis regnum occupauit.

**TISAMENVS** Orestis F. Rex XI.

Regnante Tisameno Heraclidæ, duce Oxylo in Peloponnesum, vnde ab Eurystheo rege quondam pulsi fuerāt, reuerterunt, Cresphōtes, Temenus, & Aristodemus Aristomachi filij, Cleodæi nepotes, Hylli pronepotes, Herculis abnepotes. & cum Doriensium auxilio Messenem, Argos, & Spartam, earum inde pulsus regibus in potestate adduxissent, ea regna in sortem coniecerunt. Cresphonti Messene, Temeno Argi, Sparta Aristodemi filiis geminis, Eurystheni, & Procli, quod Aristodemus è vita iam decessisset, obtigerunt. Quo factum est, vt regnum Spartæ duobus duarum familiarum viris posthac mandatum sit. quarum vna fuit posterorum Eurysthenis, altera Proclis. Hæc autem in ea tempora inciderunt, quibus Melanthus Andropompi F. Messene ab Heraclidis pulsus Athenarum regnū sibi vindicauit.

**EVRVSTHENES** Aristodemi F. Rex XII. regnat annos XLII. **PROCLVS** Aristodemi F. Rex XIII. regnat annos . . .

Hi Reges Rempublicam, regnūque Lacedæmoniorum constituisse dicuntur.

**AGIS**, Eurysthenis F. Rex XIII. regnat annos L. **SOVS** Proclis F. Rex XIII. regnat annos . . .

Ab hoc Agide posterī omnes Eurysthenis Agide sunt vocati. Idem Ilotas subegere. & Arcadibus agri partem ademere. Sōus à Clitoriis obsessus fœdus fecit. Id est, agrestibus Lacedæmoniis ius æquabile per arma ademit. quod bellum Iloticum dictum est.

## Lacedæmoniorum Tempora.

**ECHESTRATHS** Agidis F. R. XIII. regnat annos XXXV. Hic Cynurense sedibus expulit.

**LEOBOTES** Echestrati F. R. XV. regnat annos XXXVII.

Huius tutorem fuisse Lycurgum legislatores scribit Herodotus. haud scio an vere. Idem bellum cum Argiuis Cynurensem causa gessit.

**DORYSSVS** Leobotis F. R. XV. regnat annos XXXIX.

**AGESILAVS** Doryssi F. Rex XVII. regnat annos XLIII.

Regnante Agesilao LYCVRGVS Eunomi Regis F. Prytanidis N. cum Charilai, filij Polydectis fratris, tutelam gereret, leges Lacedæmoniis scripsit. quibus illa Respublica postea mirifice creuit.

**ARCHELAVS** Agesilai F. R. XVIII. regnat annos LX.

Archelaus urbem finitimam Aegyn excidit, defectionem eius ad Arcadas metuens.

**TELECLVS** Archelai F. Rex XIX. regnat annos XL.

Lacedæmonij finitima oppida Amyclas, Pharin, Geranthras, quæ Achæi occuparunt, euerterunt. Teleclus rex Argiuos bello petiuit, & bellum Messeniis intulit propter virgines Lacænas in templo Messeniis, & Lacedæmoniis communi, in finibus sito violatas. in eò que ipse occubuit.

**ALCAMENES** Telecli F. Rex XX. regnat annos XXXVII.

Alcamene cum Theopompo regnante bellum Messenicum vicennale cum ob veteres, tum ob nouas causas geri cœptum. in quo Amphæa de Messeniis capta est. Iurarunt Lacedæmonij, se domum, nisi confecto bello non reuersuros. & remissa domum iniurata iuuentute, permissoque omnium feminarum promiscuo concubitu, prolem eorum propagarunt, qui Partheniæ dicti sunt. qui post annos xxx duce Phalanto Tarentum in Italia occuparunt.

**POLYDORVS** Alcamenis F. Rex XXI. regnat annos . . .

Polydorus item cum Theopompo regni partem traduxit, & bello Messenico

**EVRYPON** Soi F. Rex XIII. regnat annos . . .

Ab hoc posterī omnes Proclis Eurypontidæ appellati, qui ante Proclidæ dicebantur.

**PRYTANIS** Eurypontis F. Rex XV. regnat annos . . .

**EVNOMVS** Prytanidis F. Rex XVI. regnat annos . . .

Hic ciuili tumultu popinario cultro ictus occubuit.

**POLYDECTES** Eunomi F. Rex XVII. regnat annos . . .

Charilaus cum Argiuis, & Tegeatibus bellum gessit, & Archelaum in excidenda Aegy adiuuit.

**CHARILAVS** Polydectis F. Rex XVIII. regnat annos LXIII.

Charilaus cum Argiuis, & Tegeatibus bellum gessit, & Archelaum in excidenda Aegy adiuuit.

**NICANDER** Charilai F. Rex XIX. regnat annos XXXIX.

Nicandro regnante bellum cū Messeniis à Teleclo rege parum prospere gestum. Lacedæmonij duce Nicandro, adiunctis Asinæ Argolidem inuaserunt. Anno Nicandri regis XXXIII prima olympias inita est, vt scribit Clemens.

**THEOPOMPVVS** Nicandri F. R. XX. regnat annos . . .

Theopompum alij bello Messenico occubuisse, alij, quod verius est, bellum illud confecisse scribunt. Eundem sunt qui prodant magistratum quinque Ephorum instituisse, qui Regibus oppositi, regni opes imminuerūt. Eodem regnante inter Argiuos, & Lacedæmonios de Thyreatum finibus est dimicatum.



cum eo finem imposuit, Ithome Messeniorum arce excisa. post à Polemarcho homine Spartano necatus est. Polydoro tantum honoris habitum est, ut quæ publice obfignari necesse erat, ea Polydori imagine magistratus obfignarent.

**EVRYCRATES** Polydori F. Rex **ZEUXIDAMVS** Archidami F. Theopompi N. R. XXI. regnat annos . . . .

Hoc regnante Messenij æquo animo Lacedæmoniis paruerunt.

**ANAXANDER** Eurycratis F. Rex **ANAXIDAMVS** Zeuxidami F. R. XXIII. regnat annos . . . . XXII. regnat annos . . . .

Anaxandro, & Anaxidamo regnâtibz, archonte Athenis Tlesia Messenij à Lacedæmoniis defecerunt, anno, postquâ sub acti erant, & Ithome excisa erat, XXXIX. cuius belli dux fuit Tyrtæus poëta, homo claudus, ab Atheniensibus datus. Messenij Pelponneso exacti.

**EVRYCRATES** Anaxandri F. Rex **ARCHIDAMVS** Anaxidami F. R. XXIII. regnat annos . . . . XXIII. regnat annos . . . .

Lacedæmonij cladem à Tegeatibus acceperunt.

**LEON** Eurycratis F. Rex XXV. **AGASICLES** Archidami F. Rex XXIII.

Lacedæmonij item à Tegeatibus victi.

**ANAXANDRIDES** Leontis F. R. XXVI. regnat annos . . . . **ARISTO** Agasiclis F. Rex XXV. regnat annos . . . .

Lacedæmonij cum Tegeatibus melius pugnarunt.

**CLEOMENES** Anaxandridæ F. R. XXVII. regnat annos . . . . **DAMARATVS** Aristonis F. Rex XXVI. regnat annos . . . .

Cleomenes Argiuos prælio fudit, & ascito ex altera familia rege Damarato, adducto Athenas exercitu, Hippiam Pisistrati F. tyrannum Athenis eiecit, & Athenienses in libertatem primum restituit, deinde Isagoræ à Clisthene pulsî reducendi causa, eisdem bello aggressus est, in quo Orgadem etiam, agrum Cereri sacrum, est populatus. postremo Damaratum regem crimine obiecto regno spoliandum curauit.

**LEONIDAS** Anaxandridæ F. Rex XXVIII. regnat annos . . . . **LEOTYCHIDES** Menaris F. Argis N. Rex XXVII. regnat annos XXII.

Hic est, qui bello Persico Xerxis, trecentis assumptis sese Persis ad Thermopylas obtulit, atque ibi cecidit.

Hic pulso Damarato cum ex familia Eurypontidarum esset, ad regnum euectus, cum Xanthippo Atheniensi Persas ad Mycælem vicit, bellum contra Aleuadas in Thessalia gessit. ad extremum de maiestate postularus Tegeam in exilium abiit.

**PLISTARCHVS** Leonidæ F. R. XXIX. regnat annum I. **ARCHIDAMVS** Zeuxidami F. Leotychidis N. R. XXVIII. regnat annos XLII.

Huius tutor fuit Pausanias Cleombroti F. Anaxandridæ regis N. qui Mardonium Xerxis ducē ad Platæas vicit. deinde ad liberandas Græcas ciuitates missus, earum Xerxi prodendarū consilium habuisse conuictus est.

**PLISTONAX** Pausaniæ F. Cleombroti N. Anaxandridæ regis pronepos Rex XXX. regnat annos LXVII.

Huius

Huius tutor fuit Nicomedes Cleomenis F. qui auxilio venit Doriensium contra Phocenses.

Iloræ, & Messenij illato Lacedæmoniis bello, vbi Ithomen ab iis obsideri audiuerunt, bello decennali finem fecerunt. Lacedæmonij fœdus quinquennale, & alterum tricennale cum Atheniensibus percusserunt.

**PAVSANIAS** Plistonaëtis F. Rex **AGIS** Archidami F. R. XXI. regnat annos XLII.

Lacedæmonij cum Atheniensibus fœdus fecerunt in annos quinquaginta anno decimo belli Peloponnesiaci. Agis Rex bellum cum Eleis gessit. & cum Alcibiade exule Atheniensi, rupto quinquaginta annorum fœdere in Atticâ irrupit, atque ibi Deceliam communiuit, vnde bellum Decelicum appellatum. Idem cum exercitum Athenas adduxisset, fortiter repulsus est. Cum Lyfander dux Lacedæmonius Piræeum obsideret, Agis, & Pausanias reges in Atticam inuadentes Atheniensium populum ad graues pacis conditiones accipiendas, & remp. XXX viris committendam compulerunt. Lyfander tubætorum Atheniensium gloria elatus tentauit, regnum ab Agidis, & Eurypontidis ad omnes Heraclidas, aut, ut aliis placet, ad omnes Spartanos, ut ipse etiam in eius partem veniret, transferre. Idem in Bœotia assumptis Phocensibus bellum gessit, & ad Haliarthum occubuit. Pausanias rex criminibus oneratus in exilium Tegeam profectus est.

**AGESIPOLIS** Pausaniæ F. Cleombroti N. R. XXXII. regnat annos XLIII. **AGESILAVS** Archidami F. Rex XXX. regnat annos XLI.

Huius tutor fuit Aristodemus. Bellum gessit cum Argiuis, Mantineam cepit, & cum Olynthiis bellum pararet, mortuus est.

**CLEOMBROTVS** Pausaniæ F. R. XXXIII. regnat annos IX.

Huius tutor item fuit Aristodemus, Sphodriade duce, ut Piræeum inuaderet, inducto, fœdus vltimum cum Atheniensibus violauit, & pugnans cū Bœotis, & Epaminonda illorū duce in prælio ad Leuctra occubuit. cui etiam

Archidamus Agesilai tum regis filius interfuit. Hac clade Lacedæmoniorum opes accisæ sunt.

**AGESIPOLIS** Cleombroti F. Rex XXXIII. regnat annum I.

**CLEOMENES** Cleombroti F. Rex XXXV. regnat annos LXI.

**ARCHIDAMVS** Agesilai F. Rex XXXI. regnat annos XXIII.

Archidamus Phocentes bello sacro adiuuit, & cum auxilio esset Tarentinis, in Italia ad oppidū Mandonium à Messapiis eodem die interfectus est, quo ad Chæroneam ab Atheniensibus cum Philippo pugnatum est.

**AGIS** Archidami F. Rex XXXII. regnat annos IX.

Hic victo ad Issum Dario opem contra

tra



tra Alexandrum Magnum exercitu in Creta contracto tulit, & superato in Arbelis Dario res eius fouens bellum in Peloponneso cum Antipatro Alexandri præfecto ad Megalopolim gessit. in eoque occubuit. Secunda hæc fuit Lacedæmoniorum clades post Leucricam.

**EVDAMIDAS** Archidami F. Rex xxxiii. regnat annos...

Alexandro mortuo adhuc viuentem iniit.

**ARCHIDAMVS** Eudamidæ F. Rex xxxiiii. regnat annos....

Demetrius Poliorcetes liberatis Lacharis tyrannide Athenis Lacedæmona progressus cum Archidamo rege duobus præliis secundis factis, ferme urbem ipsam cepit. Tertia hæc Lacedæmoniorum clades numeratur.

**AREVS** Acrotati F. Cleomenis Regis N. Rex xxxvi. regnat annos XLIII.

Hic Cleomenis F. patrum suum secum de regno litigantem superauit. Iratus Cleonymus Pyrrhum Acacidæ F. in tra fines induxit. & propè urbem ipsam Lacedæmonem cepit. Idem Atheniensibus auxilio aduersus Antigonum Gonatam Macedoniæ regem affuit. ad Corinthum cecidit.

**ACROTATVS** Arei F. Rex xxxvii. regnat annos...

In prælio ad Megalopolim ab Aristodemo tyranno cæsus.

**AREVS** Acrotati F. Rex xxxviii. Hic mortuus est annum agens viii.

**LEONIDAS** Cleonymi F. Cleomenis regis N. Agesipolidis pron. R. xxxix. regnat annos....

**EVDAMIDAS** Archidami F. Rex xxxv. regnat annos...

**AGIS** Eudamidæ F. Rex xxxvi. regnat annos....

Hic è Mantinensibus finibus, & Pelenei, eiectus accitis Achæis, & eorum duce Arato. item in Megaride superatus.

**CLEOMBROTUS** Rex xl. regnat annos...

Agidi regi adolescenti Lyfandrum Euphorū ad legē de nouis tabulis, & agrorum diuisione ferendam impellenti, cum Leonidas rex senior restitisset, antiquata lege à Lyfandro regno pulsus est. in eius locum Cleombrotus gener rex factus est. Post autem cum Agesilaus Ephorus Agidem ad tollendas æris alieni tabulas impulisset, ac de diuidendis agris laturus esset, diuites, vt eorum actionibus resisterent, Leonidam à Tegea exulē reuocarunt, & iterum ad regnum euexerunt. Cleombrotus rex à Leonida focero exactus, Agis ab Ephoris in carcere necatus est.

**CLEOMENES** Leonidæ F. Cleonymi N. R. xli. regnat annos....

**EVERYDAMIDAS** Agidis F. Rex xxxvii. regnat annos...

**EPICLIDAS** Leonidæ F. Cleonymi N. Rex xxxviii. regnat annos...

Cleomenes rex Eurydamidam ex altera familia regem veneno sustulit, & fratrem suum Epiclidam, vel Euclidam in eius locū nouo exemplo substituit. primique ex eadem familia duo reges vnā regnarunt: Ephoros sustulit, & bonorum æqua

qualitate inducta veteres leges, ac temp. restituit: Achæis bellū intulit, & Aratum Sicyonium Achæorum prætorem Antigoni Macedoniæ regis eius, qui Philippi tutor fuit, opem implorare coëgit. Achæi prælio ad Sellasiam Cleomene victo, duce Arato Lacedæmonem expugnarunt. Epiclidas in pugna cecidit. Cleomenes cum in Aegyptum profugisset, ibi necatus est. Lacedæmonij regibus liberati sunt, paucis ante Annibalis in Italiam aduentum annis.



# INDEX RERVM ET VERBORVM MEMO-

RABILIVM, SED PRAE-  
CIPVE AD IVS PER-  
TINENTIVM.



Apag. 530. ad 638. habes ea quæ ex libris de rep. Athen. excerptimus. à pag. 640. ad calcem vsque, ea quæ ex libro de Athen. & Laced. temporibus.



<i>A nota absolutionis pag.</i>	468	<i>Accusatio duplex fuit, vna interrupta, altera perpetua.</i>	465
<i>Absander.</i>	643	<i>Accusatio quomodo facta sit.</i>	465
<i>Absoluendi formula.</i>	443. 468	<i>Accusatio per plures dies habita.</i>	466
<i>Accensi apparitores magistratuum.</i>	115	<i>Accusatio fuit longa &amp; perpetua oratio.</i>	465
<i>Accensi ferme liberti erant.</i>	115	<i>Accusationis quale oratorij artificium fuerit.</i>	465
<i>Accensi prætorum in vrbe.</i>	408. 411	<i>Accusandi ad populum ordo.</i>	510
<i>Accensi prætorum in prouincia.</i>	317. 326	<i>Accusabatur ad populum priuati, &amp; magistratus.</i>	510
<i>Accensi in militia qui.</i>	315. 316. 349	<i>Accusatio ad populum, qualis.</i>	366
<i>Acceptilatio, quid.</i>	405	<i>Accusatus est reus ad populum ter intermissis diebus.</i>	511
<i>Accretionis ius.</i>	446	<i>Accusatio quarta ad populum qualis.</i>	513
<i>Accusatio apud prætorem. vide nominis delatio.</i>		<i>Accusator ad populum diem producere potuit, &amp; incepto desistere.</i>	515
<i>Accusare nec quicumque, neque quemcunque potuit.</i>	456	<i>Accusationes in prouincia apud proconsulem, quales.</i>	329
<i>Accusatoris munus probrosam.</i>	456	<i>Accusationis reliqua quare, in Diem dicere, &amp; in Actione.</i>	
<i>Accusatio quibus esset laude.</i>	456	<i>Acestrides.</i>	648
<i>Accusationem sibi deposcentibus iudicium datum, quod diuinatio dicta est.</i>	456	<i>Acquisita sunt res aut singule, aut vniuersæ.</i>	403
<i>Accusatores multi, ex quibus primus accusator dicitur, reliqui subscriptores.</i>	457	<i>Acrotatus.</i>	676
<i>Accusator quomodo postulauerit, nomēque detulerit, lege in postulatione, &amp; hominis delatione.</i>		<i>Actio magistratuum, qualis fuerit.</i>	382
<i>Accusator nomine delato dies inquirendoriam criminum postulauit.</i>	459	<i>Actio, que &amp; iudicium, quid sit, &amp; qualis.</i>	415
<i>Accusator quomodo citatus sit.</i>	459	<i>Actio, i. iudicium, quomodo postulata sit, aut data.</i>	418. 420
<i>Accusator si ad diem non affuit, reus liberatus est.</i>	459	<i>Actiones multe petitori concessæ erant, quibus ius suum</i>	
<i>Accusator, ex lege dixit.</i>	465		

suam consequeretur.	419
Actiones alie in rem, alie in personam, alie mixte.	
415. alie legitime, alie honorarie 416. alie perse-	
quede rei, causa, alie poena, alie vtriusq; , alie in	
simpli, alie in duplum, alie in tripli, alie in qua-	
druplum, alijs solidu, alijs pars exigebatur. 416.	
alie ex contractibus, & maleficijs dominorum, &	
patriamfamilias, alie ex seruorum, & filiorum fa-	
milijs. alie stricti iuris, alie bonae fidei, alie arbi-	
trariae. pag.	417
Actio quod iussu.	417
Actio exercitoria.	417
Actio infistoria.	417
Actio tributoria.	417
Actiones noxae.	417
Actiones praediciales, quae.	429
Actiones de libertate, & ventre cognoscendo pro-	
prian habere doctrinam.	429
Actio de peculio.	417
Actio de in rem verso.	417
Actio uxoria, & de dote.	432
Actio familiae erciscunda.	416
Actio communi diuidendo.	416
Actio finium regundorum.	416
Actio praescriptis verbis.	405, 430
Actio vindicationis, lege Vindicatio.	
Actio Conditionis, lege Conditio.	
Actio quomodo ederetur.	419
Actio quomodo intenderetur.	422
Actionum intentiones singulae proprias formulas	
habuerunt. 422. lege intentiones.	
Actio quomodo intenderetur in hereditatem.	427
Actionum bonae fidei formulae. 432. earum intentio-	
nes.	432
Actionis translatio quid.	428
Actiones duae prima, & secunda natae ex comperen-	
dinatione, & ampliatione 451, 467	
Actio in iudicio publico quomodo intenderetur. le-	
ge nominis delatio.	
Actio in iudicio publico quomodo exerceretur. pag.	
455	
Actiones priuatae apud Athen. quae, & publicariam	
& priuatarum differentia.	586
Actoris excussio.	593
Actuarij limites.	264
Addico, pars iurisdictionis.	409
Addictio debitoris, qualis.	33, 445
Addictus quis. 4. 45. quid differat à seruo.	33
Adimantus.	648
Adoptio filiorum, qualis.	48, 49.
Adoptionis iura.	49, 50
Adoptio per mancipationem.	49
Adoptionis formula.	412
Adoptio pro arrogatione.	49
in Adoptione lex curiata adhibebatur.	49
Adoptati nomina adoptantium assequabantur. pag.	
50	
Adoptati etas.	49
Adoptati, & arrogati aliqui.	49
Adoptantis conditiones.	49
Advocatus, quis.	411
Aegeus.	641
Aegineticum bellum.	648
Aerarij qui sunt.	73
Aerarij à militaribus stipendijs repulsi.	119
Aerarij suffragio caruerunt.	74
Aerarium facere quid.	119
Aerarium Romanum quando ditissimum. 70. quan-	
do exhaustum. 78. apertum à Pompeio, & Ca-	
sare.	71
de Aere alieno leges.	196.
Aere dirutus miles.	66
Aes circumforaneum.	105
Aeschylus.	642
Aesimedes.	643
Aesculapius deus ascitus à Romanis quando. pag.	
40	
Aestimatio litis.	470
Aestimatum frumentum, quod.	261
Aetas militaris, quae. 58. apud Athen.	628
Aetas quaestoria, quae.	86
Aetas senatoria, quae.	86
Aetas iudiciaria, quae.	113
Agamemestor.	642
Agasticles.	674
Agastus.	642
Agathocles.	660
Ager Romanus qui sit.	7
Agri Rom. fines.	7
Ager Rom. diuisus in partes tres.	10
Agrorum genera quinque.	18
Ager Romanus etiam in Latio, & in Italia.	8
Ager Vaticanus suburbanus.	11
Ager Campanus quomodo diuisus.	72, 202
Agri diuidendi ratio.	194, 195
Ager aut priuatus, aut publicus diuidebatur. pag.	
194, 195	
Agri diuidendi modus in lege praescriptus est. pag.	
204	
Agri diuidendi limites in lege praefiniti.	204
Agrorum diuisio.	99
Agri diuisi pauperibus.	203
Agri diuisi peditibus, & equitibus.	203
Agri diuisi per curatores agrarios.	203
Agri diuisi à Cesare, Antonio, & triumuiris. pag.	
202	
Ager Gallicus, & Picenus diuisus.	196
Agrarij curatores quo numero crearentur, & or-	
narentur.	203, 204
Agrariae leges à quibus latae sunt. 195, 196, 197, 198	
Agricola, qui.	95
Agere lege quid.	407
Agere cum populo poterat magistratus omnis. pag.	
78	
Agendi ad populum comitijs centuriatis, & tribu-	
ris ordo.	664
Agefius.	673
Agefilus.	672, 675, 676
Agis.	675
Agepolis.	625
Agonotheta Athen.	36
Agnatio quid differat à gentilitate.	160

Agoanomi Athen.	611
Aia equitum.	316
Albano in monte feria Latina.	142
Albano in monte triumphabatur.	347
Albus differt à candido.	523
Album inuestimentum prohibetur in petendo.	494
Alcistenes.	658
Alcaeus.	653
Alcamaenes.	673
Alcmaeon.	642
Alexandri magni regnum.	663
Alexias.	655
Alligati testes, qui.	464
Amazonum bellum.	641
Ambaruale sacrificium.	8
Ambire quid	490, 492
Ambitus partes singulae, quae.	489
Ambitus leges.	494
Amici qui in petitione.	490
Amphryctyon.	640
Ampliatio in causa priuata.	468
Ampliatio in causa publica.	469
Ampliatio diuersa à comperendinatione.	470
Ampliatio in causa repetundarum sublata lege A-	
ciua, restituta Cornelia.	483
Amplius pronuntiatio, quae.	329, 468
Anaclyas.	672
Anaxias.	652
Anchises.	647
Anaxicrates.	666, 670
Anaxander.	674
Anaximander.	674
Anaxandrides.	674
Angustus clauus in figne equitum Rom.	93, 527
Angusticlauij.	527
Anomaduersio in causa publica, quae.	471
Anomaduersio in iudicio populi, quae.	518
Annulli distinguebant equites à plebe.	93
Annulus praetoris.	324
Annuli aurei ius quale.	93
Annulo aureo etiam libertini donati.	93
Anquisitio quid, & eius formula.	512
Anquisitio quid differat ab irrogatione.	513
Anquirere capitis, & pecuniae, quid.	508
Antigoni Gonata regnum. 669. dominatus A-	
then.	671
Anticles.	664
Antidotus.	650
Antigenes.	655
Antiochus.	651
Antigraphi.	616, 619
Antalcida pax.	657
Antepilani.	314
Antestatio quae.	418
Antipater.	657
Antipatri dominatus Athen.	664
Aphidas.	641
Apodete.	616
Apollochorus.	652, 662, 665
Apostolei Athen.	612
Aphespio.	648
Aqua, & ignis in nuptijs adhibebatur.	44
Aqua, & ignis interdictio, qualis.	449
Aquila praesse est toti legioni praesse.	314
Aratores qui.	95
Aratrum in colonia circumscribenda.	206
Arbitri quas causas cognouerint.	433
Arbitri etiam praetoris imperio subiecti.	444
Arbitrium quid differat à iudicio.	444
Arbitrium de libertate.	47
Arbitrij pronuntiandi formula.	444
Arbitriae actiones quae.	417
Arbitror respondebant testes.	463
agendi ordo apud Arbitros Athenienses.	602
Arbitrorum genera duo apud eosdem.	601
Arbitri qui, & quales, & quot apud eosdem.	600
Arbori infelici suspensio, quae.	519
Arcadium bellum.	659
Arcera, quid.	479
Archelaus.	673
Archidamus.	674, 675, 676
Archias.	651, 662
Archidemides.	649
Archestratides.	645
Archimedes.	643
Archippus.	642, 665
Archontibus nouem commissa Athen. resp. 548.	
eorum iura. 549, 607, 610, 635, 642. decennales.	
643. annui. 643	
Areopagus, 541. eius usus. 575. iudicium. 587. ordo	
agendi apud eum. 587. ἀπόφασις. 588. laudes. 589.	
quibus diebus conuenerit.	589
Areopagitarum lectio. 575. cognitio.	576
Areus.	676
Argalus.	672
Argentaria ars parum honesta.	105
Argentarij, qui.	104, 105
Argentarij feneratorum erant.	105
Argentariae tabernae in foro.	105
ad Argentariorum tabernas fiebant auctiones.	105
Ariphron.	642
Aristides.	647
Aristodemus.	645, 661
Aristo.	650, 653, 624
Aristophibus.	653
Aristomeneftus.	653
Aristophanes.	663
Aristophon.	663
Aristocrates.	656
Arrogatio filiorum, qualis.	49, 50, 403
Artificum ars sordida.	108
As usurarium quid.	106
Aspeudes.	651
Affertio duplex, decemuiralis, & centumuiralis.	
441, 442.	
Affiduitas in petendo magistratu ris qualis fue-	
rit.	491
Affidus, quis.	411
Asteus.	658
Astinomi.	620
Atheniensium regum tempora. 534. nomina. 534. po-	
testas in bello. 538. iura immunita cum archontes	

I N D E X.

pominari cepti. 538  
 Atheniensium regnum quando cōditum. 534. quale 536. virtutis opinione delatum. 536. hereditarium 537. democratia 643. principatus. 648. bellum sociale. 660  
 Athenarum vrbs. 535. liberata dominatu Cassandri per Demetrium. 666. Demetrii. 669. Antigoni. 671  
 Atheniensis populus de pace & bello agebat. 572  
 Athlotheta Athen. 635  
 Atrati erant Romani in luctu. 523  
 Attalus secundus Rex Pergami auctus regno à Romanis. 285  
 Attalus tertius Rex Pergami regnum Asiae reliquit Romanis. 286  
 Attellani histriones nec tribu mouebantur, & in legione merebant, vt honestiores. 61  
 Attica oppida duodecim. 535  
 Atticorum vna respublica Athen. collocata. 535. duplex. 540  
 Attributa pecunia. 347  
 Auctio, quae fuerit. 53  
 Auctio, quae fuerit. 53  
 Auctoris hasta. 53  
 Auctor pro venditore. 51. 53  
 Auctores patres fuerunt, quid significet. 317  
 Auctor an esset, rogabatur à petitorum possessor. 424  
 Auctoritas quod ius fuerit. 53  
 Auctoritas aeterna. 52  
 Auium inspectio ad quae comitia pertinuerit. 37  
 Auriculam tangebant, qui antestabatur. 41  
 Auspices in nuptijs. 44  
 Auspicia propria patriciorum. 37. 38  
 Auspicia propria magistratum. 78. 462. 463  
 Auspiciorum tria genera. 37  
 Auspicia singula quibus comitijs conuenerint. 37  
 Auspicia comitorum an eadem, ac militaria. 374  
 Auspicia procos. & propraetores non habuerunt. pag. 81. 392  
 Auspicium Imperatoris duplex. 335  
 Auspicium coactum, siue tripudij quale. 335  
 Auspicium perenne. 375  
 Auspicium ex acuminibus, quale. 336  
 Auspicia à praesidibus accipiebantur curiaticis comitijs. 367  
 Auspicia iudicia populi diuenerunt. 515  
 Auspicato colonia ducebatur. 207  
 Ausonibenes. 643  
 Auxilia sociorum, qualia. 317

**B**

Barba radebatur vulgo tempore Aemilianis. 515  
 Basilica, quae. 326. 440  
 Bellum comitijs centuriatis iubebatur. 81  
 Bellum Italicum, Marsicum, sociale ortum. 238  
 in Beneficijs deferre, quid. 347. 348  
 Benignitas in petendo magistratu, quae, & quotuplex. 492  
 Bion. 649  
 Blanditia in comitijs, quae. 491  
 Blande appellare, quid. 491  
 Boeoticum bellum. 646. 657  
 Boia vinculorum genus. 448

Bona fidei actiones. 417. diuersae ab arbitrarijs. pag. 433  
 Bona rei latitantis vendebantur. 419  
 Boni in rep. opponuntur multis. 130  
 Bonis opponitur plebs. 130  
 Bonorum possessio, quid. 403  
 Bonorum possessionis postulatio, & datio. 413  
 Bonorum possessiones quae, & quot. 413  
 Bonorum possessio secundum tabulas, & contra tabulas. 413  
 Bonorum possessiones octo ab intestato. 413  
 mittere in Bonorum possessionem quid. 413  
 Bonorum publica emptio, quid. 403  
 Boonae Athen. 696  
 Bruttiani qui. 116. 178  
 Bulla puerorum ingeniorum. 26  
 Bysantium bellum. 651

**C**

C. nota condemnationis. 448  
 in Ceritum tabulas referre, quid. 119  
 Calciamenta Romana calcens, & solea. 528  
 Calceus quis. 528  
 Calcei senatorum lunati, aut cum littera Rho, 528  
 Callias. 647. 650. 654. 655  
 Callimachus. 650. 661  
 Callimedes. 660  
 Callistratus. 660  
 Caluitur, quid in 12. tabulis. 418  
 Calumniatores, qui. 446  
 Calumniae iudicium in accusatore. 446. sublatæ lege Sylla. 487  
 Calumniam deiuurare. 457  
 Calumniae iusiurandum accusatoris. 339. 457  
 Calumniae intentio, qualis. 411  
 Calumniae poena. 471  
 Campestre sub toga, 528  
 Candidatorum ambitus, lege Ambitus partes. 523  
 Candidati praesentabant sine tunica, cur. 528  
 Candida toga, quae esset in petitione. 492  
 Candidati toga candida induiebantur in praesentando. 492. 523  
 Candidus color, quomodo differret ab albo. 523  
 Capitales causae, quae. 448  
 Capituli poena quae. 448. coniungi cum pecunia non poterat. 512  
 de Capite ciuis R. quomodo ageretur. 30  
 Capitalis cognitio in castris qualis in ciuem Rom. 334  
 Capituli iudicare, & anquirere, quid. 508  
 Capitecensis, qui. 19  
 Capite censi erant ex turba forensi. 112  
 Capite censi ex sexta classe. 19  
 Capite censi in legione extra ordinem conscripti. 61  
 Capituli diminutio maxima. 28  
 Capitulinorum collegium. 103  
 Carcer quis. 448  
 Carceris partes duae. 518  
 Carceris curam triumuiui capitales habebant. 518  
 Carceris custos commentariensis dictus. 448  
 in Carcere, quae supplicia sumpta. 518  
 Carnifex non ciuis R. 118. non in vrbe. 118

I N D E X.

Carnifex adhibitus ad strangulationem, praecipitationem, & crucem. 518. 519  
 Cassandri regnum, & dominatus Athenis. 665  
 Castrum quae sint. 192  
 Castor. 672  
 Causae publicae, & priuatae. vide iudicia. 447  
 Causae criminales vnde. 448  
 Causae capitales vnde. 448  
 Causae fuere quaedam priuatae, quas decemuiui & centumuiui cognouerunt. 441  
 Causae defendendae ratio, & tempus. 440  
 Causa cadere. 411. 422. 428  
 Causarum introductio apud Athen. 594  
 Causaria missio. 63  
 Cecrops. 640  
 Cecrops minor. 641  
 Celeres qui. 89. 90  
 Celerum tribunus quis. 90  
 Censendi institutum. 57  
 Censendi ius quorum magistratum fuerit. 57  
 Censebantur praesentes, interdum etiam absentes. 58  
 Censebantur ciues Rom. qui in vrbe, agro, & prouincijs erant. 58  
 non Censebantur pueri, nec mulieres, nec senes, neque opifices. 58  
 Censa sunt capita, & bona ciuium. 57  
 Censi, qui. 19  
 Censura iura. 57  
 Censura quam vim habuit. 57  
 Censura illata à Ser. Tullio rege. 57  
 Censurae quae opportunitates attulerit. 57. 68  
 Censurae ciuitatem secum attulit. 58  
 per Censuram quaesita ciuitas. 234  
 Censurae fortunarum quomodo factus. 59  
 in Censuram professio. 58  
 Censura in campo Martio fiebat. 59  
 Censurae classes distinguit. 19  
 Censurae ordines distinguit. 118  
 Censurae forma. 59  
 Censurae senatoria. 86  
 Censurae equestria. 91  
 Censurae plebs. 118  
 Censurae iudiciariae. 123  
 Censurae clandestinae. 58  
 Censurae à Augusto actus in toto orbe. 176  
 Censurae equitum tres à Romulo instituta. 89  
 Centuriae partes classium populi à Ser. Tullio instituta. 19  
 Centuriae aliae peditum, aliae equitum. 19  
 Centuriae duae fabrum. 19  
 Centuriae duae tubicinum. 19  
 Centuriae omnes centum nonaginta tres. 19  
 Centuriae in comitijs aliae praerogatiuae, aliae iure vocatae. 361  
 Centuriata comitia, quae centuriae inierunt, qualia lege comitia. 27  
 Centumuiui, quas causas, & quomodo cognouerint. 340. 478  
 Centumuiralia iudicia in quattuor consilia distributa. 341  
 Centumuiralia iudicia, tanquam Rota iudicialia. 341

**D**

Centumuiralis hasta quae. 340. 410. 434. 442  
 Centumuirales causae fuere, quae de iure, non de factis. 432  
 Centumuiralium causarum artificum oratorum. 442  
 Centuriae sexaginta in legione. 315  
 Cephisophon. 663  
 Cephisodorus. 659. 660. 662  
 Ceres Dea ascita à Romanis quando. 40  
 Charonenis pugna. 658  
 Chariander. 663  
 Charondas. 631. 638  
 Chabrias. 650  
 Charephanes. 646  
 Chalcidense bellum. 643  
 Charops. 648. 652  
 Chares. 623  
 Choragi. 659  
 Chio. 659  
 Charicledes. 664  
 Chromes. 673  
 Charilaus. 668  
 Charinus. 522  
 Chlamys, qualis. 66  
 Cibum stantem sianere militi ignominiosum. 364  
 Ciceronis leges num auctoritatem habeant. 528  
 Cinctus. 522  
 Cinctus Gabinus, quis. 522  
 Cinctura toge triplex. 528  
 Cinctui Cethegi quales. 459  
 Citabatur accusator, & reus à praetore. 560. 562  
 Citabantur iudices à praetore. 511  
 Citabatur reus ad populum ab accusante magistratu. 511  
 Ciuis Romanus, quis. 49  
 Ciuis R. optima lege. 4. siue ingenuus. 5  
 Ciuis Rom. perfectus, & imperfectus. 5  
 de Ciuis Rom. capite ne ageretur, lege sacra cautum. 30  
 Ciuis R. verberari non poterat. 73  
 Ciuis Rom. perfectus ius suffragiorum, & honorum habuit. 73  
 Ciues R. immunes portorum. 73  
 Ciues R. num artes operosas exercuerint. 109  
 Ciuis Ro. proprium ius, quod Quiritium est dictum. 57.  
 Ciuis R. duarum ciuitatum ciuis esse non poterat. 9  
 Ciuis Athen. duplex. 551. non in tribus. 556. excutuntur à popularibus. 557  
 Ciuitatis Athen. communicatio. 572  
 Ciuitas, siue ius ciuitatis quibus, & quomodo communicata. 5218  
 Ciuitatis communicandae arbitrium. 219  
 Ciuitas dabatur cum libertate. 27  
 Ciuitas eripi non poterat inuito. 27. 28  
 Ciuitas quaesita per migrationem, & censuram. 234  
 de Ciuitate Italicorum leges multae, lege Leges. pag. 235. 236  
 Ciuium Rom. colonia, quae. 107. 208. 209



Curia x x in Palatio.	18
Curiarum foci.	40
Curiarum sacra Romulus instituit.	40
Curiarum magistri.	493
Curiarum expertes municipales.	19
Curia templa.	19.76
Curia Athen. s. eorum iura. s. s. resp. separata.	558
Curia comitia, a curijs inita lege comitia.	
Curia lex. vide lex.	
Custodia libera que.	448
Custos accusationis, quis.	457
Custos carceris, quis.	448
Cybele Dea ascita à Romanis.	40
Cyprias.	672
D	
Damaratus.	674
Damasias.	644
Damnium, quid.	448
Danni iniuria dati actio, que.	
Damocles.	670
Dare, quid.	416
Dare pro reddere.	430
Debitorum trahantur, & pectebantur à credito- ribus.	33
Debitorum causa secessionem in montem Sacrum excitavit.	33
Debitorum nunquam ex lege secti.	33.34
Debitorum additi.	33
Debitorum necti desiti.	34
Decelicum bellum.	654
Decimatio pena militaris.	67
Decretum, quale.	326
Decernere, siue	
Decretum interponere, quid.	326.364.409.410
Decreta in provincia edebantur Latine.	327
Decreti scribendi ratio apud Athen.	570
Decumæ frumentorum genus vestigialis.	72
Decumanani limites, qui.	204
Decumanum frumentum, quod.	261
Decumanani publicani, qui.	95
Decumanorum colonia.	248
Decuriones coloniarum. 210. municipiorum.	222
Decuriones in militia qui turmas equitum duxe- runt.	316
Decuriatio populi.	494
Decurie iudicium.	
Decurie scribarian.	
Deditus an remaneat civis.	28
Defensio in causa priuata, pura, & coniuncta.	427
Defensio causæ priuata duplex, brevis, & longa.	
Defensionis ratio in causa publica.	466
Defensio per plures dies.	466
Defensionis causa ad populum ratio.	513
Defensor aut posebat testes aut exagitabat.	466
Delectus habendi ratio.	61.62
Delegatio quid.	440
Delphium.	542
Demarchi apud Athen.	606
Demetrii Macedonis regnum.	668
Demetrii dominatus Athenis.	668

Demetrius Phalereus.	666
Democratia Athenien. 546. eius tempus. 546. 641. prior que. 547. posterior. 550.	
Demophilus.	657
Demosstratus.	657
Democles.	666
Demogenes.	666
Demophoon.	641
Demotion.	648
Denarius, quantus.	65
Denarius diurnum stipendium militis.	65
Deos, quos Romani coluerint.	40
Deos, quos Romani asciuerint.	40
Deos novos qui priuatim coluerunt damati.	40
Depectus, quis dicatur.	446
Depositum, quid.	404
Dexihems.	657
Diacrii Athen.	540
Dicas scribere, & sortiri quid.	327
Dico, pars iurisdictionis.	409
Dies fasti, nefasti, intercesi.	409
Dies sessionum, & postulationum.	410
Dies status.	438
Dies perendinus.	438
Dies accusatori dati ad inquirenda crimina.	459
Dies ad iudicium veniendi.	459
Diem diffindere.	438
Diei ad populum dicenda ratio.	510.511
Diem rei capitalis dicere quid.	508
Dies iudicio ad populum quomodo indicta.	514
Diffarreatio quid.	45
Diocles.	654
Diogenetus.	647
Diotimus.	652
Diphilus.	651.669
Diophantus.	656
Diotimus.	660
Diotrephes.	657
Diplomata à pratoribus domi dabantur.	32
Diuinatio, de accusatore constituendo, qualis. pag. 456	
Diuisores, qui.	493
Diuortium quis primus fecerit.	47
Diuortium ex lege XII tabularum.	47
Diuortium quid differat à repudio.	47
Diuortij causa.	47
Diuortij formula.	475
Dixi, ponebant litigatores in fine orationis.	468
Dixisse litigantes pronunciabat prator.	468
Do pars iurisdictionis.	409
Dolus malus, quis.	432
Domicilium ad ius cuius Rom. pertinet.	59
Domicilium cui Rom. que commoda offerat.	5
Dominij actio quomodo intenderetur.	424
Dominium legitimum in sex rebus erat positum, hereditate, mancipatione, in iure cessione, vici- pione, sub corona emptione, auctione.	59
Doryssus.	673
Dos reddebatur in diuortio.	47
De dote actio.	432
Draco, & eius legislatio.	644

Bromocles.	648
Dux, quis.	367
Dysnicetus.	658
E	
Echestratus.	673
Eculeus torquendi instrumentum, qualis.	523
Eculeus extorquenda veritatis causa.	521
Eculeus cruciandi causa.	521
Eculeus torquebantur serui.	521
Eculeus extendebat artus cum dolore.	520
Eculeus cocleatus erat.	520
Eculeus ad foramen quintum adducebatur.	520
Eculeus remittebatur.	520
Edicta, que.	23
Edictorum duo genera.	77.362
Edictum perpetuum proponebatur à pratore initio magistratus.	406.407
Edicta perpetua duo.	406.407
Edicta pratorum repentina, & peculiaria.	331. 332
Edictum peremptorium.	439
Edicta translata.	407
Edicta pratorum, & adilium constituunt iudicia priuata.	406
Edictis vrbanis tenebatur prator in prouincia. pag.	325
Edicta pratoris in prouincia, qualia.	325
Edictum proponebat etiam prator peregrinus.	408
Edictio actionis, qualis.	411
Edictio iudicium, qualis.	460
Effectio rei, quid.	403
Eleorum bellum.	659
Eleusinum bellum.	640
Elpinus.	660
Emancipatio filiorum qualis.	48
Emancipationis formula.	412
Emeritis stipendijs, qui.	61
Epilogorum dies.	466
Emptio, quid.	404
Emptio continet omnes acquærendi dominij modos. 50	
Emptio bonorum publica, quid.	403
Emptio sub corona.	52
Emptium frumentum, quod & quotuplex.	261
Enochilus.	644
Enubere, quid.	43
Epagoge.	614
Epaminondas.	652
Ephetarum numerus, lectio, cognitio.	590
Epicidas.	676
Episcopi.	633
Epigraphæ.	616
Epistatæ.	607
Epulones.	624
Equites, & equestris ordo duplex, & vterque à Ro- mulo.	83
Equitum centurie tres à Romulo institutæ, Ram- nensium, Tatiensium, & Lucerum. 10. 11. 89. 90	
Equestris militia Athen.	629
Equestris militiae legendæ ratio.	316
Equitum decurie, alæ, & turmæ.	316
Equitis legitima stipendia, qua. 61. 65. apud Athen.	

Equites equo priuato spoliabantur à censoribus. 118	
Equestris ordinis rara olim mentio.	89
Equestris ordinis principia, & nomina.	89
Equites Ro. bella frequentarunt.	89
Equites Ro. equo publico meruerunt.	90
Equites Ro. subiecti censoribus.	90
Equites equo publico.	90
Equites Ro. militares.	90
Equitibus equus publicus à cenfore assignatus. pag.	90
Equus publicus, quid.	90
Equites Rom. magistratus non capiebant, eoque ca- pto equites esse desinebant.	91
Equites seminarum senatus.	85
Equites Romani etiam patricij.	89
Equites ex censu.	91
Equestris census.	91
Equites publicani.	94
Equites non omnes publicani.	96
Equites propter publicanos à senatu seimcti. pag. 97	
Equites à plebe in spectando secreti.	124
Equitum insignia angustus clauus, & annuli au- rei.	93
Equites Ro. in municipijs.	219
Eques vetus, quis.	92
Equites trabeati transuebebantur.	525
Equestri loco, familia.	83
Eques Ro. equestris ordinis.	83
Equitum nota, que.	118
Equites equo publico spoliabantur à censoribus. 118	
Ερωαβία quid.	96.328
Erechtheus.	640
Erichthonius.	640
Ericlides.	646.655
Eryx.	643
Euanetus.	663
Eucthonis periculum.	51
Euippus.	649
Eumomus.	673
Euoicum bellum.	650
Euclides.	652
Euctemo.	654
Euocati, qui.	61
Euocatio in militia, quid.	19
Euocatio rei ante fores.	616
Eurysthei bellum.	641
Euthyni.	621
Euthydemus.	650. 651. 652
Euthymenes.	651
Eubulides.	656
Eubulus.	662
Eucharisthus.	660
Eudamidas.	676
Eudemus.	660
Euristhenes.	672
Euryphon.	673
Eurycrates.	674

# I N D E X.

<i>Eurydanidas.</i>	676	<i>Flexumines, qui.</i>	89
<i>Euphemus.</i>	653	<i>Flora consecrata à Romanis.</i>	40
<i>Euthycrus.</i>	664	<i>Focus publicus à Vestalibus cultus.</i>	40
<i>Exceptio in iure, quid.</i>	427	<i>Focus priuatarum curiarum à curionibus seruatus.</i>	40
<i>Excusabatur reus ad populum aut morbo, aut exilio, aut funere.</i>	515	<i>Focus pagorum à sacerdotibus pagorum seruatus.</i>	40
<i>Exercitor quis.</i>	417		
<i>Exercitoria actio, que.</i>	417	<i>Foci priuatarum familiarum à priuatis patribus familias seruati.</i>	40
<i>Exercitus proconsularis ratio.</i>	333	<i>Fœdus quid.</i>	138
<i>Exercitus nouus quomodo conscriberetur. item lege Legio.</i>	334	<i>Fœderis ferendi formula.</i>	138
<i>Exercitus quomodo lustrabatur.</i>	334	<i>iurandum in Fœdere, quale.</i>	138
<i>Exhaurire plebem.</i>	112. 193	<i>Fœderum tria genera.</i>	139
<i>Exilium, quale.</i>	449	<i>Fœdus iniquissimum, quale.</i>	139
<i>Exilium quomodo scisceretur.</i>	516	<i>Fœdus æquius.</i>	139
<i>Exilij obeundi ratio.</i>	471	<i>Fœdus æquissimum.</i>	139
<i>Exules, qui.</i>	449	<i>Fœderis æquissimi formula.</i>	139
<i>Extæ, quomodo inspicerentur.</i>	336	<i>Fœdus Numantinum, quale.</i>	137
<i>Extæ auctæ, &amp; minuta quid significarent.</i>	338	<i>Fœderata oppida in Italia, que.</i>	229
<i>Extraordinarij in militia, erant copie sociorum. pag.</i>	317	<i>Fœderata opp. suam rempub. &amp; suas leges habuerunt.</i>	229
<i>Extraordinaria crimina, que.</i>	458	<i>in Fœderata oppida exilij causa ibant ciues Rom.</i>	229
<i>Extraordinaria causæ.</i>	460	<i>Fœderata opp. habuere consulem, dictatorem, præto-</i>	
<b>F</b>		<i>rem, censores, ædilem, &amp; questorem.</i>	229
<i>Fabriam æriarum collegium.</i>	108	<i>Fœderata opp. nihil magistratui Rom. dederit.</i>	230
<i>Facere, quid.</i>	416	<i>Fœderata oppida iure ciuitatis Ro. caruerunt.</i>	230
<i>Falsi crimen, quale.</i>	502	<i>Fœderata opp. ciuitate, i. suffragio donata sunt post legem Iuliam.</i>	233
<i>Falsi iudicium.</i>	446	<i>Fœderata oppida in prouincijs, que.</i>	261
<i>de Falso lex Cornelia.</i>	451	<i>Fœnus vnciarium.</i>	106
<i>Familia quid differat à gente.</i>	36	<i>Fœnus ex vnciariorum senunciariorum factum.</i>	106
<i>Familie multa patricie sanu, ac plebeie, &amp; causæ.</i>	39	<i>Fœneratio num honesta.</i>	109
<i>Familie eriscunde actio.</i>	416	<i>Fœneratio quid differat à versura.</i>	107
<i>in Familie eriscunde actione intentio.</i>	416	<i>de Fœnore ius dicebatur varie.</i>	107
<i>Familiarum foci. 40. sacra.</i>	40	<i>Fœnebres leges multa.</i>	106
<i>Far in nuptijs.</i>	45	<i>Fœrensis turba, que.</i>	112
<i>Farracia, que.</i>	45	<i>Forma censualis.</i>	50
<i>Fartor, qui.</i>	491	<i>Formule fœderum.</i>	139
<i>Fasti dies.</i>	409	<i>Formula prouinciæ.</i>	91. 260. 292
<i>Fax in nuptijs.</i>	44	<i>Formula sponsionis in amicitia.</i>	137
<i>Femina è castris remota.</i>	318	<i>Formule amicitie.</i>	268
<i>Ferie Latine, quales lege Latine.</i>		<i>Formula iurijurandi in fœdere.</i>	140
<i>Festi terminus agri R.</i>	7	<i>Formula immunitatis, libertatis.</i>	287
<i>Festucaria vis.</i>	423	<i>Formula præfecturæ.</i>	226
<i>Fetiales.</i>	76	<i>Formula prouinciæ.</i>	259
<i>Fex vrbis, que.</i>	112	<i>Formula dandæ libertatis, &amp; immunitatis.</i>	287. 288
<i>Fidei commissæ, quid, &amp; quot.</i>	403	<i>Formule in agendo, que.</i>	411
<i>Fidei iussiones, quid.</i>	404	<i>Formula adoptionis.</i>	412
<i>Fidei iussor, quid.</i>	404	<i>Formula emancipationis.</i>	412
<i>Fidei iussionis formula.</i>	404	<i>Formula nexi.</i>	51
<i>Fides consecrata à Romanis.</i>	40	<i>Formula manumissionis.</i>	413
<i>Fiducula in Eucleo, que.</i>	520	<i>Formula in iure cessionis.</i>	51. 411
<i>Fiducia, quid.</i>	405	<i>Formula nuncupandi testamenti.</i>	55
<i>Fiducie formula, que.</i>	405	<i>Formula fiducie.</i>	405
<i>Figulorum collegium.</i>	108	<i>Formule actionum bonæ fidei.</i>	457
<i>Filij quomodo adoptarentur, arrogarentur. 48. 49. emanciparentur.</i>	48	<i>Formula fidei iussionis.</i>	405
<i>Filij ut essent in potestate patris.</i>	48	<i>Formula diuortij, &amp; repudij.</i>	47
<i>Finium regundorum actio.</i>	416	<i>Formula vindicationis.</i>	411
<i>Firmam colonia.</i>	215	<i>Formula postulandi dominij.</i>	424
		<i>Formula vis sanuata in iure.</i>	423

# I N D E X.

<i>Formule actionum bonæ fidei.</i>	432	<i>Gentilitas quid differat ab agnatione.</i>	36
<i>Formule intendendæ litis in vindicatione.</i>	418	<i>Gentilitatis ius.</i>	35
<i>Formule intendendæ litis in conditione.</i>	430	<i>Gentilitas sacra.</i>	41
<i>Formule intendendæ litis in cæteris actionibus. 430. &amp; deinceps.</i>	430.	<i>Geræra.</i>	637
<i>Formule sponsionis faciendæ in litibus.</i>	425. 426	<i>Gladiatores dabantur à petitoribus.</i>	493
<i>Formula testis interrogandi.</i>	463	<i>Gladius prætoris insigne.</i>	408
<i>Formula iudicis postulandi.</i>		<i>Gladij ius, quod.</i>	80
<i>Formula iudicij dandi.</i>	328	<i>Glaucides.</i>	651
<i>Formula iudicis dandi in vindicatione.</i>	435	<i>Glaucippus.</i>	654
<i>Formula iudicis dandi in conditione.</i>	436	<i>Gorgias.</i>	670
<i>Formula iurijurandi iudicis.</i>	439	<i>Gruchij opinio de lege curiata improbatæ.</i>	352. &
<i>Formule iudicis dandi in reliquis actionibus singulis.</i>	436	<i>deinceps.</i>	
<i>Formule sententiæ ferendæ multa in singulis actionibus.</i>	443	<i>Gymnasiarchi.</i>	624
<i>Formula arbitrij pronuntiandi.</i>	444	<i>Gynæcocosmi.</i>	621
<i>Formula mandandæ questionis.</i>	450. 473	<i>Gynæconomi.</i>	621
<i>Formule deferendæ nominis.</i>	457	<b>H</b>	
<i>Formula pronuntiandæ absolutionis, &amp; condemnationis.</i>	469	<i>Hæsta auctionis.</i>	53
<i>Formule diei dicendæ ad populum.</i>		<i>Hæsta iurisdictionis.</i>	408
<i>Formula acquisitionis.</i>	512	<i>Hæsta Decemuirum, &amp; ceterumuirum.</i>	410. 434. 440.
<i>Formula irrogationis.</i>	512		442
<i>Formula rogandi populum, vt iudicet.</i>	516	<i>Hæsta pura dona militaria.</i>	69
<i>Formula intercessionis in reo ad populum.</i>	515	<i>Hæstan dare militi, ignominia.</i>	66
<i>Formula dimittendi rei ad populum.</i>	515	<i>Hæstati in legione, &amp; ordines eorum.</i>	314
<i>Formula dimittendi militis ignominiosè.</i>	66	<i>Helia. 543. 591. eius magnitudo. 591. Ordo agendi in ea.</i>	592
<i>Formula accipiendæ, &amp; antiquandæ accusationis ad populum.</i>	517	<i>Hellenotamie.</i>	616
<i>Formule in creando, &amp; confirmando magistratu diuersæ.</i>	354. 357	<i>Hercules.</i>	646
<i>Formula creandi magistratus, &amp; legendi imperatoris diuersa.</i>	80. 367	<i>Hæreditas, quid.</i>	50. 403
<i>Forum duo significat.</i>	193. 231	<i>Hæreditas iusta, quid.</i>	50
<i>Forum agere, quid.</i>	231. 324	<i>Hæreditas testamentaria, quid.</i>	403. 413. 414
<i>in Foris ius dicebatur.</i>	231	<i>Hæreditas legitima quid.</i>	403. 413. 414
<i>Fora ad ius municipij redacta.</i>		<i>Hæreditatem adire est ciuis Rom. proprium.</i>	50
<i>Forum dicebatur à pretore.</i>	323	<i>Hæreditas quomodo in iure petebatur.</i>	
<i>Fruentaria ratio quomodo exerceretur à pretore in prouincia.</i>	332	<i>Hæreditates cognoscebantur à centumuarijs.</i>	434
<i>Fruentiarum decumanam, emptam, æstimatam, honorarium.</i>	261. 332	<i>pro Hærede possidere, quid.</i>	415
<i>Fruentium datum militibus.</i>	65	<i>sui Hæredes.</i>	413
<i>Fundi populi, qui.</i>	146	<i>legitimi Hæredes.</i>	413
<i>Furtum.</i>	405	<i>Hiberna præsidium, qualia.</i>	339
<i>Furtum manifestum. 406. Nec manifestum.</i>	406	<i>Hibernacula que, &amp; quando instituta.</i>	339
<i>Furti actiones.</i>	430	<i>Hieronemmon.</i>	666
<i>Furtiua conditio.</i>	430	<i>Hieronemones.</i>	637
<i>Furti actio diuersa à cæteris.</i>	430	<i>Hipparchi Athen.</i>	632
<i>Fustigatio, qualis.</i>	67. 449	<i>Hipparchus.</i>	646. 647
<b>G</b>		<i>Hippomenes.</i>	643
<i>Genialis lectus.</i>	44	<i>Hippodamus.</i>	658
<i>Gens quid differat à familia.</i>	36	<i>Hippocoon.</i>	672
<i>Gentes due factæ à Romulo.</i>	35	<i>Histriones tribubus moti.</i>	119
<i>Gentes patriciarum iura.</i>	36	<i>Histriones in legione non merebant.</i>	61
<i>Gentium plebeiarum iura.</i>	36	<i>Histriones Attellani in legione merebant, nec tribumoueabantur.</i>	61
<i>Gentium maiorum, &amp; minorum patricij.</i>	38	<i>Honores, quid, &amp; qui.</i>	75
<i>Gentes Athen. 539. nomina. 554. iura.</i>	555	<i>Honores tantum patuerunt ciuibus.</i>	75
<i>Gentium curatores apud Athen.</i>	606	<i>Honorum ius qui habuit, plenissimo iure ciuis fuit.</i>	75
<i>Gentiles, qui.</i>	35	<i>Honores senatorum fuerunt.</i>	87
		<i>Honorarium ius, quod.</i>	23. 408
		<i>Honorarium frumentum, quod.</i>	262
		<i>Honorarium vinum, quod.</i>	332
		<i>Hora tertia lege agendo dicata.</i>	410
		<i>Hordeum pro tritico dare militi ignominia.</i>	67
		<i>Hybilides.</i>	647
		<i>Hymen in nuptijs canebatur.</i>	44
			mi m Ignobiles

# I N D E X.

<i>Ignobiles, qui.</i>	126
<i>Ignominia, quid.</i>	449
<i>Ignominia militares.</i>	67
<i>Imago, quid.</i>	125
<i>Imaginis ponende ius.</i>	125
<i>Imago nobilitatem affert.</i>	125
<i>Imaginum habendarum, &amp; efferendarum consuetudo.</i>	126
<i>Imagines in atrijs.</i>	127
<i>Immunes civitates, quae.</i>	261
<i>Inmunitas à populo Athen. data.</i>	573. 625
<i>Inmunuitatis dande formula.</i>	288
<i>Imperium, quid.</i>	81. 367
<i>Imperium duplex, magistratus, &amp; imperatoris.</i>	80. 363
<i>Imperium magistratus in tribus rebus positum.</i>	77.
<i>Imperium merum, quid.</i>	452
<i>Imperium non merum, quid.</i>	452
<i>Imperium non de tribunis pl.</i>	363
<i>Imperia diuersa praetoris urbane, &amp; prouincialis.</i>	381
<i>Imperium an sint extramurani magistratus.</i>	370
<i>Imperium pro potestate belli gerendi.</i>	80
<i>Imperium bellicum à lege curiata habetur.</i>	80. 308
<i>Imperium à lege.</i>	80. 303. 367
<i>Imperium lege Cornelia, quale.</i>	386
<i>Imperium bellicum quomodo differat ab imperio magistratus.</i>	80
<i>Imperium bellicum non in vrbe, sed extra vrbem habetur.</i>	80
<i>Imperium bellicum an in magistratu fuerit insitum.</i>	367
<i>Imperij bellici administratio, qualis.</i>	333
<i>Imperij bellici alia administratio, quam magistratus.</i>	368
<i>cum Imperio esse, quid.</i>	368. 394
<i>Imperium capiebatur, &amp; imitatur alio modo, quam magistratus.</i>	367
<i>Imperium cum mandatum est, rei militaris administratio mandata est.</i>	376
<i>Imperium mandatum est senatusconsulto, plebiscito, lege curiata, &amp; centuriata.</i>	308. 376
<i>Imperium quomodo prorogatum.</i>	81. 303. 304. 305
<i>Imperij prorogatio diuersa à continuatione magistratus.</i>	369
<i>Imperium eorum qui ex priuatis ad bella, siue in prouincias missi sunt, vnde.</i>	388. 389
<i>Imperium opponitur priuato, &amp; magistratu. quare duo significat.</i>	391
<i>Imperatoris nomen quomodo decretum sit, &amp; quid significari.</i>	339.
<i>Imperatoris nomen dabatur etiam legato praesidis.</i>	339
<i>Impetratio in iure quid.</i>	411
<i>Incensi poena, quae.</i>	28. 59
<i>Induciae quae, &amp; vnde dictae.</i>	138
<i>Infamia quid.</i>	469
<i>Infantium cura mandata censoribus.</i>	471

<i>Inficiatio, quid.</i>	427
<i>Ingenui qui.</i>	24. 25. 26
<i>Ingenuorum iura.</i>	93
<i>Ingenuorum puerorum insignia.</i>	26
<i>Ingenuus cuius R. quis.</i>	
<i>In integrum restitutio.</i>	444
<i>In iure cessio, qualis.</i>	411
<i>Iniuria, quid.</i>	406. 443
<i>Inquisitores Athen.</i>	617
<i>Insignia praetorium.</i>	408
<i>Institor, quis.</i>	103. 417
<i>Institutum, quod.</i>	21
<i>Intentio actionis, siue litis, qualis.</i>	422
<i>Intentiones litis quomodo fiant in singulis actionibus.</i>	428. 429. 430
<i>Intentionum formula in singulis actionibus. ibidem.</i>	308
<i>Intentio actionis perduellionis in causa publica.</i>	308
<i>Intercedebatur accusationi, &amp; citationi rei ad populum.</i>	512
<i>Intercessionis formula in liberando reo ad populum.</i>	514
<i>Intercisi dies.</i>	409
<i>Interdicta decreta de vi ad possessionem pertinente.</i>	414
<i>Interdicta formulis inclusa.</i>	414
<i>Interdictum actionis principium.</i>	414
<i>Interdicere, quid.</i>	414
<i>Interdictum dabat praetor cum in possessionem mittebat.</i>	414
<i>Interdicti postulatio, &amp; interpositio.</i>	414
<i>Interdictum praetoris.</i>	423
<i>Interdictorum genera, &amp; formulae singulorum.</i>	414. 422
<i>Interdicti vsus.</i>	423
<i>Interpres in prouincia, qui. 115. in Comitibus, qui.</i>	493
<i>Intestabilis, quis.</i>	462
<i>Intestatus, quis.</i>	403
<i>Irrogatio multa, poenaeq;.</i>	512
<i>Irrogatio quid differat ab acquisitione.</i>	512
<i>Irrogationis formulae.</i>	513
<i>Isagoras.</i>	647
<i>Isarchus.</i>	652
<i>Itrycles.</i>	646
<i>Iudices quomodo diuersi à magistratibus.</i>	120
<i>Iudicium genera multa, iudex, Arbitrator, Receptor, Centumuari.</i>	122
<i>Iudex, &amp; iudicium, quomodo postularetur.</i>	433. 434
<i>Iudex &amp; iudicium à quibus daretur.</i>	418. 434
<i>Iudex quomodo ferretur aduersario.</i>	434
<i>Iudex quomodo conuenire dicebatur.</i>	434
<i>Iudex dabatur qui conuenisset inter aduersarios.</i>	435
<i>Iudex postulabatur in verba sponsionis.</i>	435
<i>Iudex dabatur aut non dabatur pro arbitrio praetoris.</i>	435
<i>Iudices non omnes dari poterant.</i>	435
<i>Iudices dandi formulae.</i>	435
<i>Iudex iurauit.</i>	435
<i>Iudex stans cognouit.</i>	435

# I N D E X.

<i>Iudex iudicandi socios aduocauit.</i>	328. 439
<i>Iudices selecti.</i>	120
<i>Iudices Athen. 543. eorum sortitio. 593. sacramentum.</i>	594
<i>Iudicis officium.</i>	442
<i>Iudex iudicio falsi premebatur.</i>	439
<i>Iudex quomodo litem suam fecisse dicebatur.</i>	
<i>Iudices quaestionum, quales.</i>	453
<i>Iudices quaestionum an magistratus.</i>	453
<i>Iudex quaestionum creabatur inter adilitatem, &amp; praeturam.</i>	453
<i>Iudicium quaestionum munera.</i>	454
<i>Iudicium decurie à praetoribus confecta.</i>	121
<i>Iudices quomodo legerentur in iudicijs publicis.</i>	454
<i>Iudices aut forte legebantur, aut edebantur.</i>	460
<i>Iudices reiciebantur, &amp; sublegebantur.</i>	460
<i>Iudices ex censu.</i>	123
<i>Iudices ex aetate.</i>	123
<i>Iudices citabantur.</i>	460
<i>Iudices iurabant.</i>	460
<i>Iudices quomodo in consilium mittebantur.</i>	468
<i>Iudicium munera in iudicijs publicis.</i>	454
<i>Iudices dabantur etiam in prouincia, qui conuenissent.</i>	328
<i>Iudices postulabantur.</i>	328
<i>Iudicium princeps, quis.</i>	501
<i>Iudicandi potestas ad ius pertinet ciuitatis.</i>	123
<i>Iudicare pecunia. 508. capitis. 508. perduellionem.</i>	508
<i>Iudicatum solui.</i>	437
<i>Iudicia, quid.</i>	402
<i>Iudicia alia priuata, alia publica.</i>	402
<i>Iudicia priuata, quae.</i>	402. 120
<i>Iudicia priuata capitalia, quae.</i>	449
<i>Iudicia non honores erant.</i>	120
<i>Iudicia postulabantur ex edicto.</i>	327. 418
<i>Iudicia dabantur à praetore.</i>	327
<i>Iudicia dicebat praetor.</i>	422
<i>Iudicium quid differat ab arbitrio.</i>	432
<i>Iudicia priuata lege Iulia constituta.</i>	438
<i>Iudicium magistratus, quid.</i>	364
<i>Iudicium calumniae.</i>	444. 446
<i>Iudicium falsi.</i>	444. 446
<i>Iudicia omnia absolutoria fuisse, quomodo intelligendum.</i>	443
<i>Iudicia publica, quae. 120. 447. lege quaestiones publicae.</i>	
<i>de iudicijs publicis lex Memmia, Iulia.</i>	454. 455
<i>Iudicium publicum rei priuatae lege Latoria.</i>	447
<i>Iudicia publica, criminalia, capitalia.</i>	447
<i>Iudicium quomodo postulatum, lege Actio.</i>	
<i>Iudicij publici praetorij apparatus.</i>	451
<i>Iudicium quomodo factum sit.</i>	438
<i>Iudicij non faciendi causae.</i>	438
<i>Iudiciorum leges tabellariae Cassia, &amp; Caelia.</i>	511
<i>Iudicium calumniae, &amp; praeruaricationis.</i>	471
<i>Iudicium dilatum quomodo.</i>	459
<i>Iudicij differendi causa morbus rei.</i>	438
<i>Iudicia constituta praesidibus, &amp; comitibus eorum repetundarum, peculatus, maiestatis.</i>	348

<i>Iudicia tribus ordinibus quomodo patuerint.</i>	120
<i>Iudicia à quibus facta sunt.</i>	120
<i>Iudicia penes senatores lege Romuli. 121. penes equites lege Sempronia. 121. penes senatores lege Caeponia. 121. penes equites lege Sernilia Glaucia. 122. penes tres ordines lege Plautia. 122. penes senatores lege Cornelia. 122. penes senatores, equites, &amp; tribunos aerarios lege Aurelia. 122. penes senatores, &amp; equites, lege Iulia. 123. penes senatores, equites, &amp; centuriones lege Antonia.</i>	123
<i>Iudiciorum publicorum leges.</i>	472
<i>Iudicia populi, quae fuerint.</i>	506
<i>Iudicium priuatum factum à populo.</i>	506
<i>Iudiciorum publicorum factorum à populo exempla.</i>	507
<i>Iudicium quomodo à populo factum.</i>	516
<i>Iudicium perduellionis per duumuiros.</i>	517
<i>Iudicia populi de quibus criminibus facta sunt.</i>	506. 507
<i>Iudicia curiatis comitijs, qualia.</i>	508
<i>Iudicia centuriata de capite, tributa de multa fuerunt.</i>	
<i>Iudicium summum quid sit, &amp; quomodo mandetur.</i>	385
<i>Iudiciorum in prouincijs ratio.</i>	325. 326. 327. 328
<i>Iudicia publica quomodo in prouincijs facta sunt.</i>	327. 328
<i>Iudicia priuata in prouincijs, quomodo facta sunt.</i>	327
<i>Iudicij depulsio apud Athen.</i>	595
<i>Iudicij dilatio apud eosd.</i>	595
<i>Iumentum quid in lege 12. tab.</i>	419
<i>Iuniores, qui.</i>	20
<i>Iuniorum etas.</i>	61
<i>Iuridictio, quid.</i>	324. 365
<i>Iuridictio magistratum, qualis.</i>	362. 363
<i>Iuridictio in tribus verbis posita, Do, Dico, Ad dico.</i>	409
<i>Iuridictio per verbum Do.</i>	415
<i>Iuridictio per verbum Dico.</i>	415
<i>Iuridictio per verbum Ad dico.</i>	409
<i>Iuridictio urbana, quae.</i>	368
<i>Iurisdictionis partes duae, decretum, &amp; iudicium.</i>	77. 365. 409
<i>Iuridictio à praetore mandari potuit.</i>	407
<i>Ius dicere, quid.</i>	77. 407. 410
<i>Ius dixere reges, &amp; consules. 407. &amp; praetores. 407</i>	
<i>Iuridictio prouincialis, qualis.</i>	324. 325. 326. 368
<i>Ius dicebant praetores in prouincia hieme.</i>	322
<i>Iuridictio prouincialis mandabatur à praetore legato, non quaestio.</i>	331
<i>Ius non dicebatur liberis populis.</i>	324
<i>Iuridictio militaris, qualis.</i>	334
<i>Iuridici conuenius prouinciarum, Africa. 297. Syria. 293. Hispania. 271. Illyrici. 277. Asia.</i>	287
<i>Iure vocata tribus, quae.</i>	360. 361
<i>Iure, Non iure in sententijs ferendis vsurpatum.</i>	443. 469
<i>in Iure cessio, quid.</i>	52
<i>in Iure cessionis formula.</i>	411
<i>ex Iure manu confertum vocare.</i>	423
<i>Iura à populo R. accepta quattuor, ciuis Rom. Latij, Italian, &amp; prouincia.</i>	3

# I N D E X

<i>Iura civium R. unde sumpta.</i>	20.21	<i>Lacinia toga, quid.</i>	522
<i>Ius census.</i>	57	<i>Lacratides.</i>	647
<i>Ius civile à iurisconsultis compositum, quale.</i>	22	<i>Lana, toga eraffior.</i>	515
<i>Ius civile tantum inter ciues R.</i>	53	<i>Laniacium bellum.</i>	664
<i>Ius civile quod commodum afferat.</i>	53	<i>Lanina candentes in eculeo.</i>	520
<i>Ius coloniarum.</i>	207	<i>Larentia consecrata à Romanis.</i>	49
<i>Ius conubiorum.</i>	42	<i>Largitio in comitijs.</i>	495
<i>In ius eductio, siue raptio.</i>	418.419	<i>Latij ius, quid.</i>	208
<i>Ius gentilitatis.</i>	35	<i>Latij ius, in quo precipue.</i>	150
<i>Ius honorum.</i>	75	<i>Latinitas idem, quod Latij ius.</i>	136
<i>Ius honorarium, quod.</i>	21.407	<i>Latij ius commodissimum.</i>	136
<i>Ius Italicum, quale.</i>	175.176	<i>Latine colonie.</i>	208.209.210
<i>Ius iurandum in fœdere, quale.</i>	138	<i>Latine ferie, quales.</i>	148
<i>Ius iurandum petitoris de calumnia.</i>	439	<i>Latinarum feriarum dies additi, quot, &amp; à quibus.</i>	143
<i>Ius iurandum actoris &amp; rei apud Athenienses.</i>	596	<i>Latus clavus.</i>	517
<i>Iurare in litem.</i>	439	<i>Latus clavus à latitudine clavorum.</i>	87
<i>Iuris iurandi iudicij formula.</i>	439	<i>Lati clavi tunica senatorum insigne.</i>	87
<i>Ius iurandum accusatoris de calumnia.</i>	456	<i>Laticlavij, qui.</i>	517
<i>Ius latij, vel latinitatis, quale.</i>	145.146.208	<i>Laudatio reorum, qualis.</i>	466
<i>Ius latij datum transpadanis lege Pompeia.</i>	241.	<i>Laudatores in iudicijs, quot darentur.</i>	466
<i>242</i>		<i>Lectus genialis, qui.</i>	44
<i>Ius latij honestissimum in Italia.</i>	136	<i>Legare pro testari.</i>	54
<i>Ius legionis.</i>	60	<i>Legati quinque, aut decem ad faciendam provinciam mittebantur.</i>	261
<i>Ius legitimi dominij.</i>	50	<i>Legati proconsulum, aut propraetorum, quales, pag.</i>	311.312.318.
<i>Ius libertatis quinquepartitum.</i>	24	<i>Legatis iurisdictio mandabatur à pretore in provincia.</i>	331
<i>Ius militie.</i>	59	<i>Legatis non mandabatur questio, nisi speciali lege cautum esset.</i>	331
<i>Ius militie duplex.</i>	372	<i>Legati lictoribus utebantur.</i>	312
<i>Ius mancipij, &amp; nexi.</i>	50.51	<i>Legatus à pretore cum imperio relinquebatur.</i>	342
<i>Ius municipiorum, quale.</i>	219	<i>Legati in castris ius dixerunt.</i>	335
<i>Ius patrum, quale.</i>	48	<i>Legati Athen.</i>	614
<i>Ius postliminij.</i>	28	<i>Legio, quid.</i>	69
<i>Ius praefectarum, quale.</i>	226	<i>Legio quadrata.</i>	107
<i>Ius provinciale.</i>	262	<i>Legionis ius.</i>	60
<i>Ius Quiritium, quale.</i>	57.54.146	<i>Legio quot milites complexa sit.</i>	60.61
<i>Ius Quiritium iura priuata civium Ro. comprehendit.</i>	57	<i>Legionis numerus variatus.</i>	61
<i>Ius suffragiorum.</i>	73	<i>Legio tantum ingenuos habuit.</i>	61
<i>Ius testamentorum proprium civis R.</i>	54	<i>Legio ex iunioribus tantum.</i>	61
<i>Ius tularum.</i>	56	<i>Legio non habuit histriones.</i>	64
<i>Ius vrsarum.</i>	31.32	<i>Legionis premia.</i>	62
<i>Ius pro loco iurisdictiois.</i>	409	<i>Legionis conscribendae ratio.</i>	673
<i>In ius vocatio, qualis in iudicio priuato.</i>	418	<i>Leobotes.</i>	643
<i>In ius vocari qui potuerint.</i>	418	<i>Leocrates.</i>	674
<i>In ius non vocabantur è domo.</i>	419	<i>Leon.</i>	676
<i>In ius vocato imbecillo dabatur iumentum.</i>	419	<i>Leonidas.</i>	643.647.667
<b>K</b>		<i>Leostratus.</i>	674
<i>Kardines limites.</i>	204	<i>Leorychides.</i>	37
<b>L</b>		<i>Leges, quae.</i>	23
<i>Lacedaemon Iouis filius.</i>	672	<i>Leges opponuntur moribus.</i>	407
<i>Lacedaemonum bellum primum. 642. 658. secundum. 646. 658. tertium. 649. quartum. 650. sociale. 656. Beoticum. 657. Arcadicum. 658. cum eis fœdus. 650. 653</i>		<i>Legis actio quid.</i>	22.410
<i>Lacerna superponebatur toge.</i>	525	<i>Legis actiones, quae.</i>	36
<i>Lacerna per imbrem.</i>	525	<i>Legis actiones à quo divulgatae.</i>	407.410
<i>Lacerna in castris.</i>	525	<i>Lege agere, quid.</i>	411
<i>Lacerna duersorum colorum.</i>	525	<i>Lege agebatur ex formula.</i>	411
<i>Lacernati pro militibus.</i>	526	<i>Legis actionis formulae à quibus edita.</i>	458
<i>Lacharis tyrannus.</i>	667	<i>Legibus interrogare, quid.</i>	85.386
<i>Laches.</i>	656	<i>Legibus solui à senatu, quomodo licebat.</i>	Legis

# I N D E X

<i>Legis de imperio ferenda formula.</i>	80	<i>Leges de sicarijs.</i>	499
<i>Leges, quae.</i>	21	<i>Lex testamentaria nummaria.</i>	502
<i>Leges regiae, quae.</i>	21	<i>Reges de vi.</i>	502
<i>Leges regiae abrogatae.</i>	21	<i>Reges de aere alieno.</i>	106
<i>Leges sacrae quinque pro plebe.</i>	29.30	<i>Reges de fenore.</i>	197
<i>Leges 12. tabularum, quomodo, &amp; à quibus, &amp; qua occasione conscriptae.</i>	21	<i>Lex sacrae militaris.</i>	63
<i>Leges 12. tab. post sacras scriptae.</i>	21	<i>Leges tabellariae.</i>	34
<i>Legum 12. tab. laus.</i>	22	<i>Leges de peregrinis vrbe exigendis.</i>	235
<i>Leges 12. tab. ius omne priuatum, &amp; publicum, &amp; diuinum complexa sunt.</i>	21.21.406	<i>Leges de prouincijs.</i>	306
<i>Leges 12. tab. obscura.</i>	22	<i>Leges de publicis iudicijs, cur saepius relatae.</i>	472.
<i>Leges 12. tab. priuata iudicia constituerunt.</i>	406		473
<i>Leges 12. tab. post sacras, &amp; regias à quibus scriptae.</i>	21	<i>Leges iudiciorum priuatorum.</i>	406
<i>Lex cum dicitur, duodecim tabularum intelligitur.</i>	22	<i>Leges de limitibus.</i>	205
<i>Quae à legibus 12. tab. profecta legitima dicta, vt legitima hereditas, legitima tutela, legis actiones.</i>	22	<i>Leges Athen.</i>	570
<i>Legum 12. tab. auctoritas.</i>	22	<i>Lex de libertate, &amp; immunitate Thermenensium.</i>	287
<i>Leges 12. tab. ius civile produxerunt.</i>	22	<i>Lex Acilia de pecunijs repetundis.</i>	481
<i>Lex 12. tabularum de capite civis Ro.</i>	30	<i>Lex Acilia Calpurnia de ambitu.</i>	495
<i>Lex 12. tab. de secandis debitoribus addictis à magistratu nunquam seruata.</i>	35.444	<i>Lex Alliena de limitibus.</i>	205
<i>Lex 12. tab. de testamentis.</i>	25.54	<i>Lex Antonia de prouincijs.</i>	307
<i>Lex 12. tab. de mancipio.</i>	33	<i>Lex Antonia de iudicijs.</i>	123
<i>Lex 12. tab. de sacris priuatis perpetuis.</i>	41.42	<i>Lex Antonia de comitijs sacerdotum.</i>	77
<i>De vsucapione vxoris.</i>	45	<i>Lex Appuleia agraria.</i>	209
<i>De diuortio vxoris.</i>	47	<i>Lex Appuleia de maiestate.</i>	487
<i>De iure patris in filium.</i>	48	<i>Lex Aquilia de damno.</i>	406
<i>De abalienatione.</i>	51	<i>Lex Ateria, siue Tarpeia de multa.</i>	448
<i>De vsucapione.</i>	52	<i>Lex Atilia de tutelis.</i>	57
<i>De nexu.</i>	55	<i>Lex Atinia de tribunis pleb. senatoribus.</i>	89
<i>De tutela.</i>	55.57	<i>Lex Aufidia de ambitu.</i>	496
<i>De vsura.</i>	105.106	<i>Lex Aurelia de iudicijs.</i>	123
<i>De sodalibus.</i>	108	<i>Lex Babia agraria.</i>	198
<i>De furto.</i>	405	<i>Lex Babia Aemilia de ambitu.</i>	494
<i>De iniuria.</i>	405.433	<i>Lex Caecilia de pecunijs repetundis.</i>	474
<i>De hereditibus.</i>	414.415	<i>Lex Caecilia de vestigialibus Italiae tollendis.</i>	176
<i>De in ius vocatione.</i>	418	<i>Lex Calpurnia de pecunijs repetundis. 474. eadem de questionibus perpetuis.</i>	450
<i>De sponsore.</i>	421	<i>Lex Calpurnia de ambitu.</i>	495
<i>De vi festiuarum.</i>	423	<i>Lex Cassia tabularia.</i>	35.517
<i>De libertatis iudicio.</i>	429	<i>Lex Cassia de patricijs.</i>	36
<i>De iudicio falsi.</i>	446	<i>Lex Cassia agraria.</i>	195
<i>De talione.</i>	449	<i>Lex Catuli de vi.</i>	502
<i>De quaestoribus parricidij.</i>	450	<i>Lex Claudia de Senatoribus.</i>	87
<i>De testimonijs.</i>	463	<i>Lex Clodia de prouincijs.</i>	310
<i>De maiestate.</i>	486.487	<i>Lex Clodia de suffragijs libertinorum.</i>	113
<i>Leges de libertate.</i>	26.29	<i>Lex Clodia de Cypro publicanda.</i>	295
<i>Leges agrariae. 195. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 202.</i>	203	<i>Lex Claudia de ciuitate.</i>	235
		<i>Lex Calia tabellaria.</i>	517
<i>Leges de ambitu.</i>	489	<i>Lex Cornelia, Fulvia de ambitu.</i>	494
<i>Leges de ciuitate.</i>	235	<i>Lex Cornelia, Pompeia de vsuris.</i>	107
<i>Leges de colonijs.</i>	194.206	<i>Leges Corneliae de maleficijs, &amp; questionibus quatuor perpetuis.</i>	451
<i>Leges de falso.</i>	549	<i>Lex Cornelia de sicarijs, veneficijs.</i>	499.500
<i>Leges de maiestate.</i>	486	<i>Lex Cornelia de parricidij.</i>	501
<i>Lex de nouis tabulis.</i>	34.107	<i>Lex Cornelia de pecunijs repetundis.</i>	481.482
<i>Leges de parricidio.</i>	501	<i>Lex Cornelia de maiestate.</i>	487
<i>Leges de peculatu.</i>	485	<i>Lex Cornelia de prouincijs, &amp; imperio.</i>	305.309
<i>Leges de pecunijs repetundis.</i>	322.473.474	<i>Lex Cornelia de iudicijs.</i>	123
		<i>Lex Cornelia de tribunatu pl.</i>	32
		<i>Lex Cornelia de limitibus.</i>	205
		<i>Lex Cornelia agraria.</i>	201
		<i>Lex Cornelia de numero pontificum.</i>	76
		<i>Lex Cornelia de suffragijs Italicorum.</i>	240

I N D E X.

*Lex Cornelia de soluendo per senatum legibus.* 85.  
386.  
*Lex curiata de adoptione.* 49.  
*Lex curiata magistratum qualis ex Gruchij opinione.* 352. *item ex Sigonij opinione.* 356.  
*Lex curiata duplex, una ad confirmandos magistratus, altera ad imperium militare mandandum.* 356.  
*Lex curiata magistratus an à presente collega lata sit.* 372.  
*Lex curiata de imperio militari magistratum.* 80.  
308, 310, 362, 379, 381, 387.  
*Lex curiata de imperio consuli utilis fuit, non necessaria, quomodo.* 386.  
*Lex Domitia de comitijs sacerdotum.* 77.  
*Lex Duilia de vnciaria vsura.* 106.  
*Lex Fabia de numero sectatorum.* 495.  
*Lex Fabia de plagiarijs.* 28.  
*Lex Falcidia de legatis.* 54. 406.  
*Lex Flauia agraria.* 201.  
*Lex Flauia de limitibus.* 206.  
*Lex Fulvia de ciuitate.* 236.  
*Lex Furia de testamentis.* 496. 54.  
*Lex Fusia Caninia de manumittendis seruis.* 55.  
*Lex Gabinia tabellaria.* 35.  
*Lex Gabinia de maiestate.* 488.  
*Lex Gabinia de bello piratico.* 310.  
*Lex Genucia de vsura.* 108.  
*Lex Iulia agraria.* 202.  
*Lex Iulia de limitibus.* 205.  
*Lex Iulia de limitibus.* 205.  
*Lex Iulia Caesaris de ambitu.* 498.  
*Lex Iulia Augusti de ambitu.* 499.  
*Lex Iulia de Capua colonia.* 256.  
*Lex Iulia de iudicijs ordinum.* 123.  
*Lex Iulia de iudicijs publicis.* 455.  
*Lex Iulia de iudicijs priuatis.* 438.  
*Lex Iulia Caesaris de maiestate.* 488.  
*Lex Iulia Augusti de maiestate.* 488.  
*Lex Iulia de pecunijs repetundis.* 322, 347, 483.  
*Lex Iulia de peculatu, sacrilegio, & pecunijs restituis.* 486.  
*Lex Iulia Caesaris de vi.* 504.  
*Lex Iulia Augusti de vi.* 504.  
*Lex Iulia de spectaculis equitum.* 124.  
*Lex Iulia de ciuitate sociorum.* 239.  
*Lex Iunia de pecunijs repetundis.* 475.  
*Lex Iunia Penni de peregrinis.* 236.  
*Lex Labieni de comitijs sacerdotum.* 77.  
*Lex Latoria de licitoribus pratorijs vrb.* 408.  
*Lex Latoria de iudicio publico rei priuate.* 447.  
*Lex Licinia Sextia de vsuris.* 106.  
*Lex Licinia Sextia agraria.* 72.  
*Lex Licinia Mucia de ciuitate sociorum.* 237.  
*Lex Licinia de numero sacerdotum.* 76.  
*Lex Licinia de ambitu, & sodalitijs.* 497.  
*Lex Liua de iudicijs.* 122.  
*Lex Liua de ciuitate Italicorum.* 237.  
*Lex Liua de iudicijs.* 84.  
*Lex Liua de colonijs.* 201.  
*Lex Liua ne latinus in castris caderetur.* 148.

*Lex Mamilia de limitibus.* 32, 205.  
*Lex Manilia de imperio Pompeij.* 305.  
*Lex Martia agraria.* 201.  
*Lex Maria Porcia de numero occisorum hostium.* 346.  
*Lex Maria de ambitu.* 494.  
*Lex Memmia de iudicijs publicis.* 456.  
*Lex Numæ agraria.* 195.  
*Lex Numæ de potestate patrum.* 48.  
*Lex Ogulnia de auguribus.* 76.  
*Lex Papia de ciuitate.* 75, 235.  
*Lex Papia de peregrinis.* 240, 241.  
*Lex Papia Poppæa de comubijs libertinorum.* 44.  
*Lex Papiria tabellaria.* 35.  
*Lex Peducea de limitibus.* 205.  
*Lex Plautia de iudicijs.* 122.  
*Lex Plautia de vi.* 502.  
*Lex Pompeia de ciuitate, & latinitate.* 241, 263.  
*Lex Pompeia de iudicijs.* 123, 463.  
*Lex Pompeia parricidij.* 501.  
*Lex Pompeia de ambitu.* 498.  
*Lex Pompeia de vi.* 503.  
*Lex Ptelia de ambitu.* 494.  
*Lex Portia de pecunijs repetundis.* 473.  
*Lex Porcia de prouocatione.* 31.  
*Lex Romuli agraria.* 195.  
*Lex Roscia theatralis.* 124.  
*Lex Romuli de potestate patrum.* 48.  
*Lex Rupilia Siciliae data.* 324.  
*Lex Rutilia de tribunis mil.* 313.  
*Lex Aemilia Scauri de suffragijs libertinorum.* 113.  
*Lex Sænia de Patricijs.* 36.  
*Lex Seruilia Glauicia de pecunijs repetundis.* 471.  
476, 477.  
*Lex Seruilia Glauicia de iudicijs equitum.* 121.  
*Lex Seruilia Capionis de iudicijs senatorum.* 122.  
*Lex Seruilia Rulli agraria.* 201.  
*Lex Seruilia de ciuitate.* 237.  
*Lex Sempronia agraria.* 72, 197, de limitibus. 205.  
de colonijs extra Italiam. 263, de prouincijs. 304.  
de vsuris. 107, de ciuitate. 236, de tironibus. 61, de  
vestibus militum. 65, de iudicijs equitum. 122, 123.  
de capite ciuis R. 31.  
*Lex Siluani, & Carbonis de ciuitate.* 239.  
*Lex Sulpicia de ære alieno.* 107, de suffragio Itali-  
corum. 239.  
*Lex Terentia Cassia de frumento Siciliae.* 324.  
*Lex Thoria agraria.* 72, 198, 199.  
*Lex Trebonia de prouincijs Caesaris.* 305.  
*Lex Tullia de ambitu.* 496.  
*Leges Valeriae tres de prouocatione.* 29, 30.  
*Lex Valeria de ære alieno.* 107.  
*Lex Vatinia de imperio Caesaris.* 505, 310.  
*Lex Vatinia de colonia Nouocomensi.* 242.  
*Lex Varia de maiestate.* 487.  
*Lex Voconia de hereditatibus mulierum.* 54, 496.  
*Libelli formula in delatione nominis.* 458.  
*Liberi, qui.* 34.  
*Libertas, quid.* 34.

I N D E X.

*Libertatis dande formula.* 287.  
*Libertas inuito adimi non potest.* 27, 28.  
*Liberi verberari non potuerunt.* 28.  
*Liberi torqueri non potuerunt.* 28.  
*Libertatis actio, qualis.* 429.  
*in causa Liberali sponsiones.* 429.  
*Libertatis iudicium.* 429.  
*Liberi abj ingenui, alij libertini.* 24.  
*Libertini, qui.* 24.  
*Libertini ciues facti à Ser. Tullio Rege.* 26.  
*Libertinorum iura deteriora.* 112.  
*Libertini repulsi à tribubus rusticis.* 112.  
*Libertini stipendio caruerunt.* 113.  
*Libertinis honores non patuerunt.* 114.  
*Libertini non in senatum lecti.* 114.  
*Libertini donati annulo aureo.* 93.  
*Libertini è plebe.* 100.  
*Libertini appar uere magistratibus.* 114.  
*Libertini extra ordinem milites facti.* 114.  
*Libertinorum collegia.* 114.  
*Libertini contendunt, vt in tribus rusticis trans-  
ferrentur.* 113.  
*Libertini, vt sæpe in omnes tribus dispersi, & inde  
remoti.* 113.  
*Libertinorum filij cuius conditionis.* 26.  
*Liberalis causa duplex.* 429.  
*Liberalis causa vindicias, & vindicationem con-  
tinet, id est possessionis & assertionis postulatio-  
nem.* 429.  
*Libertus, quis.* 26.  
*Libertatis genus aduersus tyrannos.* 29.  
*Libertatis genus aduersus magistratus legibus de  
prouocatione constitutum.* 31.  
*Libertatis genus aduersus faeneratores, & credi-  
tores.* 33.  
*Libertatis genus legibus tabellarijs constitutum.* 34.  
*Libera ciuitates, quæ.* 260, 262.  
*Libertis populis non dicebatur ius.* 324.  
*Libra, & æs in mancipatione.* 51.  
*Libra, & æs in Nexo.* 51.  
*Libra, & æs in testamento.* 56.  
*Libra, & æs in emancipatione, & adoptione.* 412.  
*Libripens in mancipatione.* 51.  
*Lictores qui, & eorum munera.* 123. è plebe Rom.  
116.  
*Lictor adhibebatur ad percussione.* 518.  
*Lictoris officium in prouincia.* 326.  
*Lictores triginta an legem curiam de imperio ius  
seruunt.* 353, 355.  
*Lictores duodecim proconsulum.* 302.  
*Lictores sex pratorum prouinciarum.* 302.  
*Lictores duo pratorum vrbanoium.* 408.  
*Linum attingere sponsæ religiosum.* 44.  
*Lintes in agris diuidendis vrb.* 204.  
*Lintes diuisus, & assignatus.* 204.  
*Lintes Decumanæ, Cardines, prorsus, tranuersi, ma-  
ritimi, montani, subrincini, actuarij, linearij.* 204.  
*Limitum leges.* 204.  
*Limitatus Mamilius unde dictus.* 205.  
*Livius Iunius Canepanie unde fuit.* 153.  
*Lex priuam domesticum arbitrio committitur.* 418.

*Litis contestatio, quæ.* 438.  
*Litis intentio, qualis.* 422.  
*Litis estimatio.* 470.  
*Litem suam facere quid.* 446.  
*in Litem iurare, lege iurare.* 316.  
*Litare, quid.* 336.  
*Litato res agebatur.* 470.  
*Litis estimatio, quæ.* 470.  
*Litis mutua intentio apud Athen.* 596.  
*Liturgi.* 622.  
*Locatio, quid.* 404.  
*Locusta pratorio imperio pulsa.* 395.  
*Logista.* 621.  
*in Luctu atrati erant.* 523.  
*Luceres, qui.* 10, 11.  
*Luceres primi, & secundi instituti à Tarquinio  
Prisco.* 11.  
*Luperci.* 75.  
*Lustratio exercitus.* 334. Colonia. 207. populi qua-  
lis. 375.  
*Lyciscus.* 662.  
*Lycurgus.* 673.  
*Lysanias.* 649, 651.  
*Lysides.* 656.  
*Lysicrates.* 650.  
*Lysistratus.* 649, 658.  
*Lysibheus.* 649.  
*Lysimachides.* 650, 652.  
*Lysimachus.* 652.  
*Lysimachi Maced. regnum.* 669.

**M**  
*Magister in vendendis bonis.* 419.  
*Magister societatis.* 96.  
*Magistri curiarum.* 493.  
*Magistri collegiorum.* 109.  
*Magistratus quid.* 77. & vt in imperando iure di-  
cendo, agendo, auspicando positus fuerit. 77, 362.  
*Magistratus qui apud Athenienses.* 572, 603.  
*Magistratus quis apud eosd.* 604.  
*Magistratum genera apud eosd.* 604.  
*Magistratum probatio apud eosdem.* 605.  
*disquisitio, insignia, prouocatio, certa actus.* 605.  
*à tribubus & curijs editi.* 558.  
*Magistratus Athen. cur plerique deni.* 605.  
*Magistratus vrbij quomodo in temp. inducti.* 79.  
*Magistratus ordine petebantur, & lege.* 389.  
*Magistratus factus non lege, sed comitijs.* 80.  
*Magistratus comitijs mandabatur.* 367.  
*Magistratus aut creati, aut proditi, aut dicti.* 79.  
*Magistratus aliquando à senatu confirmati, ali-  
quando à populo, & quomodo.* 357.  
*Magistratus patricijs, & plebeij, maiores & mino-  
res.* 352.  
*Magistratus maiores & minores, quibus comitijs  
fiunt.* 354.  
*Magistratus capiebatur alio modo, quam impe-  
rium.* 367.  
*Magistratus imitatur alio modo, quam imperium  
368. quomodo imitus sit.* 368.  
*Magistratus aliter administrabatur, atque impe-  
rium.* 368.  
*Magi*

I N D E X.

Magistratus alio loco administravit, quam imperator.	370
Magistratus à iudicibus diuersi.	120
Magistratus continuatio diuersa à prorogatione imperij.	80, 369
Magistratus vocatio, & prehensio, qualis.	362
Magistratus iurisdiclio, qualis.	362
Magistratus actio, qualis.	362
Magistratus ad populum accusatus.	508
Magistratus auspicia, qualia.	362
Magistratum habere iudicium, quomodo intelligendum.	363
Magistratus spectio, & nunciatio.	78
Magistratus irrogatio.	366
Magistratus non habuit militare imperium insutum.	367, 372
Magistratus accusati sunt ad populum.	510
Magistratus quando in vrbe manserint, quado cesserint.	370, 371
Magistratus maxima potestas à summo S.C. & que ea sit.	384
Magistratum iura in verbis Ciceronis de legibus expressa.	363
Magnum, que.	338
Maiestas, quid.	486
Maiestatis partes.	507
Maleficia, que.	447
ex Maleficio, & quasi maleficio obligatio.	404
Manceps, qui.	94, 95
Mancipij ius.	51, 55
Mancipi, & nec mancipi res.	403
Mancipatio, quid.	51, 452
Mancipatio in testamento.	55
Mandatum, quid.	405
Manipulus, qualis.	314
Mantinerium bellum.	659
Manumissionis formula.	412
Manus iniectio qualis.	418
Manus conseruio ex iure.	423
Maritimi limites.	420, 4
Matrimonij renunciatio.	47
Materfamilias, que.	46
Matrona, que.	46
Mecades.	642
Medon.	642
Megarense bellum primum. 644. secundum.	645
Melanthus.	641
Menelaus.	672
Menesibens.	641
Meno.	648
Menander.	657
Mensarij, qui.	104
Mercatores, qui.	102
Mercatura, quam honesta.	102
Mercatores quid differant à negotiatoribus.	102
Mercatores mercurium coluerunt.	103
Mercatorum collegium.	102
Mercatorum dies festus.	103
Mercis institores.	103
ante Meridem causa vrgebatur.	440
Merx pecuniaria, que.	417

Mercurius à mercatoribus cultus.	102
Merum imperium quod. 452. & an mandari potuerit.	452
Metronomi Athen.	613
Metychium.	543, 591
Miagogi Athen.	636
per Migrationem quesita ciuitas.	234
Militia ius.	372
Militia pedestris Athen.	628
Militare sacramentum.	62, 375
Militaris lex sacrata.	63
Militum scribendorum ratio.	62
Milites non fiebant opifices.	110
Milites facti libertini extra ordinem.	111
Militum premia.	64
Militares corone.	65
Militibus præda diuisa.	65
Militibus pecunia diuisa.	66
Militibus frumentum, vestes, & arma data.	65
Militibus colonie data, que militares dicte.	247
Militum dimittendorum varia ratio.	63
Militis missio honesta, que. 63. necessaria.	63
Militares vacationes multe, & à censoribus cognite.	63, 64
Militum pena.	66
Miles ære dirutus.	66
Militaris pena decimatio. 67. fustigatio. 67. cruc.	67
Miles citatus multabatur.	62
Militaris res per æstatem tractabatur.	321
Miltiades.	643, 646
Missio honesta, & causaria.	63
Mista actio.	416
Mitylenæum bellum.	644
Mittere iudices in consilium.	468
Mittere in possessionem.	423
Mnesibides.	650
Molo.	659
Monitor quis.	491
Montani limites.	204
Moribus vis facta.	423
Mos, quis.	23
Multa, quid.	448
Multatio, qualis.	471
Multam dicere.	513
Multa irrogatio.	512
Multa militis.	62
Mulierum tutela perpetua.	57
Multi bonis oppositi.	330
Munera voluntaria apud Athen.	627
Municipes unde dicti.	218
Municipes, qui.	218
Municipij constituendi ratio.	219
Municipes domicilio, & curijs Rom. caruerunt.	221
Municipes sacris R. caruerunt.	41, 42, 221
Municipes duas patrias habuerunt, vnam natiam, alteram iuris.	221
Municipes ius Quiritium habuerunt.	221
Municipes censi sunt.	221
Municipes suffragium habuerunt, & ius petendum.	227

I N D E X.

rum honorum.	221, 222
Municipes magistratus in municipio, & Romæ gestulerunt.	221, 222
Municipes à censoribus in tribus coniecti.	219
Municipia fiebant lege.	219
Municipiorum iura diuersa.	219
Municipia sine suffragio.	219
Municipia cum suffragio.	219, 220
Municipia agros vectigales habuerunt.	223
Municipiorum singulorum nomina.	223
Municipiorum res.	222
Municipia decuriones, equites, & plebem habuerunt.	222
Municipia senatum, populumque habuerunt.	222
Municipia quos magistratus creauerunt.	222, 223
Municipia in Italia.	203
Municipia quid à colonijs differant.	219
Municipij ius habuit aliquando prefectura.	226, 235
Municipia prouinciarum.	263
Mutum, quid.	222
Myrrhichides.	651
Myrus.	647
Myfichides.	657
N	
Navalis militia apud Athen.	629
Naucrarij.	544
Nauticæ.	614
Navalis turba.	630
Nata ex populis conscripti.	630
Naxosmachus.	651
Naxosinus.	657
Nausigenes.	659
Necessarij, qui.	490
Necis genera.	508
Nefasti dies.	409
Negotiatores quid differant à mercatoribus.	102
Negotiatores in prouincijs iudices legebantur.	103
Negotiatores in prouincijs notiores mercatoribus.	103
Negotiatorum conuentus.	102
Negotiorum gestorum actio.	405
Nexus, & Nexum, quid.	51, 55
Nexi ius.	51
Nexi obligatio.	51
Nexi liberatio.	51
Nexorum ius proprium ciuis R.	50
Nexus, quis.	34, 445
Nicander.	673
Niceratus.	663
Nico.	657
Nicoteles.	657
Nicophemus.	659
Nicomachus.	662
Nicocrates.	663
Nicocles.	667
Nobiles, qui.	125
Nobilitas ex imaginibus, & magistratibus.	125
Nobilitas primum patriciorum, deinde plebeiorum.	125
Nobilitas ex virtute.	127

Nomenclatio, quid.	491
Nomenclator, qui.	491
Nomentian municipium.	224
Nominis delatio, que, & quomodo facta.	457
Nominis delatio voce, & scripto.	458
Nominis deferendi formula.	458
Nominis receptio.	458
Nomen recipi, & non recipi poterat à pretore.	458
Nominum obligatio.	404
Nomophylaces Athen.	620
Non liquere pronuntiabatur in causis etiam priuatis.	445
N.L. nota ampliationis.	468
Nota ordinum, que.	118
Novatio, quid.	405
Noua nupta rapiebatur.	44
Noua nupta flammeo caput obnubebat.	44
Nouæ nuptæ coma distinguebatur à marito.	44
Nouæ nuptæ limen attingere religiosum.	44
Nouæ nuptæ verba.	44
Nouæ tabule, que.	34, 107
Novi homines, qui.	126
Noxæ, que.	426
Noxales actiones.	417
Nuces spargebantur in nuptijs.	45
Nunmularij, qui.	104
Nundina, que.	16
Nunciatio augurum.	78
Nuptiæ. vide Connubium.	44
in Nuptijs aqua, & ignis adhibebatur.	44
in Nuptijs postes oleo vrgebantur.	44
in Nuptijs nucis spargebantur.	45
O	
Obligationum controuersie, que.	404
Obligatio quid.	404
Obligatio quotuplex.	404
Obligatio naturalis.	404
Obligatio ciuili.	404
Obligatio mixta.	404
Obligationes honoraria.	404
Obligatio nominum.	404
Obligatio re.	404
Obligatio verbis.	404
Obligatio litterarum.	404
Obligatio ex contractu.	404
Obligatio ex quasi contractu.	404
Obligatio ex maleficio, & ex quasi maleficio.	404, 406
Obligationes quattuor modis dissoluebantur.	404
Observatio de cælo magistratum propria in vrbe.	78
Observatio de cælo ad omnia comitia.	37
Observatio de cælo infirmauit comitia.	78
Occupationis ius.	403
Ostiani in colonias.	248
Oebalus.	672
Oenoptæ.	621
Olygarchia prima. 654. secunda. 655. tertia. 664.	n n quarta.

# I N D E X.

<i>quarta.</i>	666	<i>Partium studia optimates, &amp; populares induxerunt.</i>	130
<i>Olympiades instituta.</i>	642	<i>Pastores, qui.</i>	95
<i>Omina, quae.</i>	336	<i>Patibulum.</i>	519
<i>Opifices, artifices num ciues R. fuerint.</i>	109	<i>Paterfamilias qui.</i>	48
<i>Opifices, &amp; sellularij non militabant.</i>	109	<i>Patrum ius in liberos.</i>	48
<i>Opifices tributii immunes.</i>	110	<i>Pater ius habet filiorum vendendorum usque ad tertiam venditionem.</i>	48
<i>Opifices vltimis temporibus ciues fuere.</i>	110	<i>Patres pro senatu.</i>	83
<i>Opifices concitabantur à seditiosis.</i>	110	<i>Patres conscripti pro senatu.</i>	83
<i>Opifices à plebe.</i>	100	<i>Patres &amp; patricij à Romulo.</i>	35
<i>Opificum ars sordida.</i>	108	<i>Patricij vnde dicti.</i>	35
<i>Opifices Athen.</i>	540	<i>Patricij primum gentem habuerunt.</i>	35
<i>Opificum, artificumque collegia.</i>	108	<i>Patricij lege lata fiebant.</i>	36
<i>Oppida federata in Italia, quae, &amp; eorum iura, &amp; resp. 203. &amp; deinceps.</i>	127. 128	<i>Patricij à quibus lecti.</i>	36
<i>Optimates, qui.</i>	127	<i>Patricij cum plebeis iuncti.</i>	36
<i>Optimates, &amp; populares continuere remp.</i>	127	<i>Patriciorum senatus, &amp; respubl. tota sub Romulo.</i>	38
<i>Optimates, &amp; populares ciuitatem seditionibus vexauerunt, &amp; demum perdidit.</i>	130	<i>Patriciarum gentium iura.</i>	36
<i>Optiones in militia, qui.</i>	315. 316	<i>Patriciae familiae multae, quae &amp; plebeiae.</i>	39
<i>Opus esse quid significet.</i>	387	<i>Patricij ad plebem transibant.</i>	39
<i>Orator est patronus.</i>	459	<i>Patriciorum, &amp; plebeiorum connubia dirempta.</i>	43
<i>Ordines ciuitatis qui.</i>	82. 490	<i>Patricij soli auspicia habebant.</i>	37
<i>Ordinum nota.</i>	118	<i>Patricij nobiles.</i>	125
<i>Ordinum iudicia.</i>	120	<i>Patricij quomodo tribuni pl. facti.</i>	39
<i>Ordinum spectacula.</i>	120. 124	<i>Patriciorum proprii flamines Dialis, Martialis, Quirinalis, Rex sacrorum, &amp; Salij Palatini.</i>	76
<i>Ordines militares, quales.</i>	313. 314. 315	<i>Patricij maiorum gentium, &amp; minorum.</i>	38
<i>Orestes.</i>	672	<i>Patriciorum propriam prodere Interregem.</i>	38
<i>Orgeones Athen.</i>	636	<i>Patriciorum, &amp; plebeiorum seditiones.</i>	39
<i>Ornamenta prouinciarum, quae.</i>	309	<i>Patricij Athen.</i>	540
<i>Ostracismus.</i>	574	<i>in Patrimonio, aut extra patrimonium res quid.</i>	402
<i>Ouatio quid.</i>	345. 371	<i>Patroni, qui, &amp; eorum iura.</i>	16
<i>Ouatiouis causa.</i>	345	<i>Patroni coloniarum.</i>	211
<i>Oxyntes.</i>	641	<i>Patroni reorum, qui, &amp; quot simerentur.</i>	459
<b>P</b>		<i>Patronos nominandi consuetudo in causa repetundarum.</i>	456
<i>Pactio differt à federe.</i>	137	<i>Pauperies.</i>	417
<i>Pagi qui. 7. dedere nomina tribubus rusticis.</i>	13.	<i>Pausanias.</i>	675
14		<i>Pecuarij, qui.</i>	95
<i>Paganalia sacra rusticorum.</i>	19	<i>Peculatus, quis.</i>	485
<i>Pagorum foci.</i>	40	<i>Pecunia attributa, &amp; vestigialis, quae. 100. 340. 341</i>	
<i>Pagus Lemonijs, vide tribus Lemonia.</i>	13	<i>Pecunia ablata, capta, coacta, conciliata, auersis, quae.</i>	473. 482
<i>Palla togae genus.</i>	525	<i>Pecuniae residuae, quae.</i>	485
<i>Palladium.</i>	542	<i>Pecuniae publicae genera apud Athen. 614. varius vsus.</i>	618
<i>Pallium Graecorum proprium.</i>	523	<i>Pecunia signabatur in prouincia.</i>	342
<i>Pallium in Romano probrosim.</i>	523	<i>Pecunia iudicare, &amp; anquirere.</i>	507
<i>Palmata toga.</i>	524	<i>Pecuniae repetundae, quae.</i>	473
<i>Palmata tunica.</i>	527	<i>Pecunia militibus ante triumphum diuisa.</i>	66
<i>Paludamentum quid.</i>	320. 368	<i>Pedarij senatores, qui.</i>	88
<i>Paludatum exire, quid.</i>	319. 371	<i>Pedem struit, quid in x i i. tabulis.</i>	418
<i>Paludati exire iubebantur S.C.</i>	371. 524	<i>Pediens.</i>	650
<i>Pandion.</i>	640	<i>Pedici Athen.</i>	540
<i>Pandion minor.</i>	641	<i>Pedites ex tribubus Athen. conscripti.</i>	629
<i>Papiria tribus Tusculanorum.</i>	224	<i>Peloponnesiacum bellum.</i>	651
<i>Paralij Athen.</i>	540	<i>Peditis stipendium. 61. 64. 65. apud Athen.</i>	618
<i>Parabrystum.</i>	543. 591		
<i>Paredri.</i>	612		
<i>Parochi.</i>	323		
<i>Paret in iudicando quid significet.</i>	435		
<i>Parricidium, quid.</i>	499. 501		
<i>Parricidium serò vindicatum.</i>	501		
<i>Parricidij questio cum sicarijs coniuncta.</i>	451		
<i>Parricidarum supplicia.</i>	501. 502		

Penatibus

# I N D E X.

<i>Penatibus Lauinj à consueibus res diuina facta.</i>	40	<i>Plebeij patricijs oppositi à Romulo.</i>	35
<i>Penni lex de peregrinis.</i>	236	<i>Plebeiarum gentium iura.</i>	36
<i>Pensula, quid.</i>	526	<i>Plebeij auspicijs caesent.</i>	37
<i>Penula tunica superimponeretur.</i>	526	<i>Plebeij auspicia adepti, quae.</i>	37
<i>Penula itineris, &amp; pluuiae causa.</i>	526	<i>Plebeiorum agricultura sub Romulo vitare militiam.</i>	38
<i>Penula gauscipina.</i>	526	<i>Plebeij, quae propria habuerunt.</i>	38
<i>Peripoli Athen.</i>	628	<i>Plebeij magistratus non sunt minores magistratus.</i>	314
<i>Percussio per lictorem fiebat.</i>	518	<i>Plebis significatio.</i>	36
<i>Peregrinus homo verberari poterat.</i>	38	<i>Plebeis communicati honores.</i>	37. 124
<i>Peregrinus ager.</i>	38	<i>Plebeij quosdam honores nunquam ceperunt.</i>	38
<i>Perduellio crimen, &amp; poenam grauissimam significauit.</i>	489. 508	<i>ad Plebem transitiones.</i>	39
<i>Perduellionem iudicare, &amp; actionem perduellionis intendere.</i>	508	<i>Plebeij nobiles, &amp; ignobiles.</i>	36
<i>Perduellionis iudicium per duumuiros, &amp; populum.</i>	518	<i>Plebis ordo.</i>	32. 33
<i>Peregrinorum conquisitores apud Athen.</i>	633	<i>Plebis nota.</i>	319
<i>Perenne auspicium.</i>	375	<i>Plebs urbana, quae.</i>	32
<i>Peremptorium edictum.</i>	439	<i>Plebis urbanae partes.</i>	190
<i>Perfican bellum Xerxis.</i>	647. 648. 649	<i>Plebs Romana, quae.</i>	97. 98. 99
<i>Perfonarium controuersia.</i>	402	<i>Plebis concilium.</i>	74
<i>Petere, &amp; repetere pecuniam, multam, poenam.</i>	458	<i>Plebiscita, quae.</i>	23. 34
<i>Petitores magistratum. vide partes Ambitus.</i>	8	<i>Plebiscitum de libertate, &amp; immunitate.</i>	287
<i>Petuscium, quid.</i>	657	<i>Plebs iudicium Coriolani fecit primum extra ordinem. 509. lege Populus.</i>	39
<i>Phanostratus.</i>	548	<i>Plistarchus.</i>	674
<i>Phaedo.</i>	667	<i>Plistonax.</i>	674
<i>Pherecles.</i>	667	<i>Plus quattuor modis petitur.</i>	428
<i>Phanostratus.</i>	657	<i>Poenarium genera octo.</i>	448
<i>Pheippus.</i>	647	<i>Poenae irrogatio qualis.</i>	512. 513
<i>Philiscus.</i>	655	<i>Poenae militares.</i>	66. 67. 68
<i>Pheredus.</i>	642	<i>Poenae de quibus populus iudicauit.</i>	507
<i>Philombrotus.</i>	644	<i>Polemarchus.</i>	544. 611. 635
<i>Philippi Macedonis regnum.</i>	649. 657. 665	<i>Polemon.</i>	666
<i>Philocles.</i>	642	<i>Polyseus.</i>	659
<i>Phorbas.</i>	649	<i>Poliux.</i>	672
<i>Phrasicles.</i>	649	<i>Polydekes.</i>	675
<i>Phrasclides.</i>	658	<i>Polydorus.</i>	673
<i>Phocicum bellum.</i>	660	<i>Pomerium, quod.</i>	7
<i>Phratriarchi apud Athen.</i>	606	<i>Pomerium qui prolatarint.</i>	7
<i>Phreatium.</i>	542	<i>Pontes in comitijs.</i>	75
<i>Phrynichus.</i>	663	<i>Popellus tunicatus ex turba forensis.</i>	212
<i>Phylarchi apud Athen.</i>	544. 606. 632	<i>Populares, qui.</i>	127. 128
<i>Phormio.</i>	656	<i>Populus iudiciorum potestatem quando &amp; quomodo adeptus sit.</i>	509
<i>Picta toga.</i>	524	<i>Populi iudicia, quae.</i>	506
<i>Picannus consecratus è Romanis.</i>	40	<i>Populi Athen. 539. in tribus comitijs. 555. eorum iura.</i>	555
<i>Picus consecratus à Romanis.</i>	40	<i>Porca feriebat in federe.</i>	138
<i>Pignus, quid.</i>	404	<i>Portorium quid.</i>	71. 261
<i>Pileati serui.</i>	350	<i>Portitores, qui.</i>	71. 95
<i>Pilus &amp; pilani, qui.</i>	314	<i>Portoria exacta à regibus.</i>	71
<i>Pirata Cilices.</i>	289	<i>Portoria Italiae sublata.</i>	71
<i>Pisander.</i>	653	<i>Portorium immunes ciues Rom.</i>	72
<i>Pisistrati tyrannis.</i>	635	<i>Portus pro domo.</i>	463
<i>Pisistratidarum tyrannia.</i>	626	<i>Possessio vsim significat.</i>	414. 422
<i>Pise pro Liguria.</i>	190	<i>Possessionis adipiscenda, retinenda, recuperanda interdita.</i>	414. 415
<i>Plage crimen.</i>	447	<i>Possessionis actio praecedit dominij actionem.</i>	422
<i>Plagiarij, qui.</i>	28	<i>Possessionis actio quomodo inferretur.</i>	426
<i>Planum praetoris.</i>	408. 410	<i>Postulatio actionis, suae iudicij.</i>	420
<i>de Plano cognoscere.</i>	409. 410		
<i>Plebs à Romulo.</i>	35		
<i>Plebs, de plebe, plebeis, idem.</i>	33		

n n 2 Pofillaninj

Postliminij ius.	28
Postulationum dies.	410
Postulatio qualis in iudicio publico.	455
Postulatio ante nominis delationem.	455
Postulari non quicumque potuit, nec postulatio cui- cunque data est.	455, 456
Potestas differt ab imperio.	363
Rotarij, qui.	76
Prætores Athen.	617
Præcipitatio de rupe.	518
Præcipitatio de robore.	518
Præconum decuria.	116
Præconum munera.	115
Præcones liberi.	115
Præcones à cõsulis ex civibus R. legebatur.	115, 116
Præcones proconsulis.	317
Præcones ad hastam.	105, 115
Præcones in provincia.	326
Præda divisa militibus.	65
Prædes in multa ab reo dabantur.	511
Præfetti aquarum Athen. 620. operum publicorum.	620
Præfectura in Italia quæ.	193, 226
Præfecturarium origo.	226
Præfectura prima Collatia.	226
Præfecturarium ius.	226
Præfectura civitate donata municipium.	226, 227.
Præfectura à senatu decreta.	226
Præfecturarum conditio deterrima.	226
Præfectura formula.	226
Præfecturarum res.	227
Præfectura habuit pro senatu conventum.	227
Præfectura habuit equites Ro.	227
Præfectura habuit plebem.	228
Præfectura habuit magistratus alios Roma missos, alios in præfectura creatos.	228
Præfectura habuit ædiles, & quæstores.	228
Præfectura habuit quattuorviros, sexviros, & se- ptenviros.	228
Præfecturarium duo genera.	228
Præfecturarum singularum nomina.	228
Præfectura civitate, id est, suffragio donata post le- gem Iuliam.	244
Præiudicia in causis privatis à Decemviri facta.	442
Præiudiciales actiones quæ.	429
Præmia bene meritoriam apud Athen.	572
Prærogativa tribus, quæ.	360, 361
Præras, qui.	94
Præscriptis verbis actio, quæ.	405, 430
Prætexta qualis, & quorum fuerit.	524
Prætexta cur in pueris.	408, 523, 524
Prætextati qui.	524
Prætores Athen.	607, 612, 630
Prævaricatores, qui.	472
Prævaricationis iudicium in defensorem.	471, 472
Præventio in petitione, qualis.	492
Præxibitus.	666
Præxtergus.	648
Præxiteles.	651

Præbentio cum vocatione.	77, 78, 362, 363
Primo catu iudicare, quid.	385
Primus, & secundus pilus.	314, 315
Principes, & ordines eorum in militia.	314
Principia loci in castris, quis.	335
Privata sacra Romulus instituit.	40
Privati accusati sunt ad populum ordine.	510
Privilegia irrogari liceret, lex.	30
Probatio equestris apud Athen.	619
in Procinctu testamentum quale.	55
Proclès.	672
Procurator, qui.	194
Proedrie apud Athen.	573
Proedri.	607
Professio in censu.	57, 58
Professio puerorum Athen. apud curiales & popu- lares.	556
Proletarij, qui. 19. ex turba forensi.	112
Promagister societatis.	96
Pronuba collocabant sponsam in lecto.	44
Propinqui, qui.	490
Prorsus limites.	204
Prouocatio ad populum, quid.	366
Prouocatio adempta dictatorum ius constituit.	385
Prouocare ad magistratum, quid.	366
de Prouocatione leges Valeria, Porcia, Sempromia. vide Leges.	260, 389
Prouinciæ nomen tribus modis sumptum.	260, 261
Prouinciæ faciendæ ordo, & formula.	260, 261
Prouincia, quid.	260, 261
Prouinciæ singulae florenti populo Rom. quem admo- dum confecta.	292
Prouinciale ius.	261
Prouinciæ tractatae pro meritis.	261
Prouinciæ legibus privatae, & pretore, ac præside ornatae sunt.	260, 301, 302
Prouinciarum rectores ordinarij prætores.	302
Prouinciarum quæstores.	318
Prouinciæ pretoriæ octo quo anno.	306
Prouinciarum civitates alie vestigales, alie immu- nes, alie servæ, alie liberae.	261, 262
Prouinciarum colonie, & municipia.	263
Prouinciarum tradendarum diuersæ rationes.	302
Prouinciæ in senatus potestate.	302, 304, 305
Prouinciæ in sortem conijcebantur, aut compara- bantur à consulibus, & prætoribus.	302
Prouinciæ privatis extra ordinem dabantur à po- pulo.	305, 310
Prouinciæ date privatis etiam à senatu.	305, 310
Prouinciæ deponi poterant.	306
in Prouincijs imperium militare dabatur lege Impe- riorum.	307
Prouinciarum ornamenta decernebantur.	308, 309
Prouincialium sumptus in prætores coerciti.	325
in Prouincijs erant ciues Ro. aratores, pecuarij, pu- blici, negotiatores, conuentus ciuium.	263
Prytanès.	607
Prytaneum, 542. statuae & victus in eo.	573
Prytanis.	613
Ptolemæi Macedonis regnum.	669
Publica bonorum emptio, quid.	403

Publicæ

Publicæ res, quæ.	402
Publicani, qui.	94
Publicanorum ordo equitum Rom. ordinis consti- tit.	94
Publicanorum societates, quales.	96
Publicani vestigalia conduxerunt.	94
Publicani vltro tributa conduxerunt.	95
Publicanorum auaritia.	96
Publicanis Cæsar satisfecit.	97
Pueri imperfecti ciues.	75
Pueri suffragio caruerunt.	74
Pueri post prætextam suæbant togam virilem.	523
Pueri ingenui bullam ferebant in pectore.	26
Pupilli qui, & de eorum tutela.	56
Pupillorum circumscriptio lege Latoria.	447
Pupinia pars agri Romani, & tribus.	8
Pura defensio, quæ.	427
Pura toga, quæ.	523
Puteal Libonis.	439
Pylagoræ.	637
Pyrrhio.	657
Pythodorus.	651, 655, 662, 663
Pytharatus.	670
Pytheas.	657
Quadragesima viri Athen.	613
Quadringenti Athen. abrogati.	654
Quadruplatores, qui.	106
Quæstiones publicæ lege Iudicia publica.	
Quæstiones mandatæ à senatu.	450
Quæstiones mandatæ à populo.	450
Quæstionum mandatarum formulæ.	473
Quæstiones publicæ quales fuerint, & quomodo mandatæ vsque ad annum DCIII.	450
Quæstiones perpetuæ, quales.	450
Quæstiones perpetuæ constitutæ.	450
Quæstio de pecunijs repetendis perpetua facta.	474
Quæstio peculatus perpetua facta.	485
Quæstio de pecunijs residuis, quæ.	486
Quæstio ambitus perpetua facta.	495
Quæstio de falso perpetua facta.	499
Quæstiones in sortem conijcebantur à prætoribus. 450, 451	
Quæstiones etiam mandatæ extra ordinem sine sorte per legem.	451
Quæstio publica mandari à quæsitore alteri non potuit sine lege.	452
Quæstiones quomodo exercerentur.	461, 463
Quæstiones exercentur reges, consules, & præto- res.	450
Quæstor Athen. 544. deæ. 616, 618. militarum, theo- ricarum.	619, 632
Quasi possessio.	414
Quasi contractus obligatio.	404, 405
Quinta pars frugum soluebatur.	72
Quirinus consecratus à Romanis.	40

R

Rannes, qui.	10, 11
Rannes primi, & secundi instituti à Tarquinio Prisco.	11
Rapina quid.	405

Rapina actio.	437
Reptio in ius.	418, 419
Rationes quomodo referrentur à præsubibus, ad e- rarum.	347
Rationes deponerentur apud illas civitates pro- uincia.	348
Rationes reddebant etiam quæstores, & legati.	348
Rationum velatarum tabule.	464
R. R. quid significet.	464
Raudus, & Raudusculum, quid.	51
Recriminatio apud Athen.	596
Recuperatores qui, & quas causas cognouerunt.	433
Recuperatores dabantur in provincijs, & comuen- tu.	328
Recta tunica.	527
Redigere in formulam provincie, quid.	195
Referendi ius proprium magistratus.	78
Regium quid significet.	435
Religiosæ res, quæ.	402
Remittere nuncium.	47
Renunciatio matrimonij.	47
Repudium quid differat à diuortio.	47
Repudij formula.	47
Rerum controuersia.	402
Res singulae acquisite aut iure gentium, aut iure Quiritium.	403
Res sacræ, religiosæ, sanctæ, publicæ, quæ.	402
Res per vniuersitatem acquisite.	403
Res in patrimonio, aut extra patrimonio.	402
Res aut corpus habuerunt, aut eo caruerunt.	403
Res mancipi, aut nec mancipi.	403
Rem ratam haberi.	437
in Rem domini versum.	437
Respublica, quid.	4
Resp. Solonis, 549. Clisthenis, Aristidis, Pericles, 550	
Rerum publicarum genera.	4
Reip. Romane genus.	4
Reip. Romane mutationes.	4
Resecrare, quid.	515
Resignatum es, quid.	66
Restipulatio in sponsione.	425, 426
Reus, quis.	438
Reus quomodo fieret apud prætorem.	458
Rei mutabant vestem.	514, 567
Rei sordidati erant.	524
Reus die certa adesse iubebatur.	459
Reus in causa privata postulat aduocatum. 421. in publica querit patronum.	459
Reus citabatur.	459
Reus si citatus non affuit, damnatus est.	459
Rei ante confessionem, & post confessionem in qua vincula conijcerentur.	448
Reo ad populum quomodo dies diceretur.	514
Reus ad populum si citatus non affuisset, ante fores per cornicinem euocabatur.	516
Reus ad populum è Rostris citabatur per præco- nem.	511
Reus citatus ad populum excusari poterat.	511
Reus ad populum adductus sub Rostris stabat hu- milis.	512



I N D E X.

Reorum auxilia ad populi. § 14. si magistratus inter-	65
cessisset. § 14. si populus placatus fuisset. § 14. si	72
aut morbo aut exilio aut funere excusatus fuisset.	63
§ 15. si auspicia impedimento fuissent. § 62. si accusa-	63
tor diem produxisset, aut incepto destitisset. § 15	236
Reo ad populo citato, si non affuisset, exilium scisce-	402
batum. § 16	67
Rei dimittendi formula. § 15	427
Rei citatio apud Athen. § 92. accusatio, vocatio in	437
ius. § 92	328
Rex Athen. § 68. § 65	519
Rexina. § 65	204
Rhetores Athen. § 634	31
Rhetores in calceis senatorum. § 528	101
Rigores in limitibus. § 204	101
Robur pars carceris. § 518	101
Rogatio ad populum in accusatione quomodo ferre-	101
tur. § 516	100
Rogare in petendo magistratus quid. § 492	101
Romilia tribus prima inter rusticas. § 13	101
Rustici, qui. § 313	101
Rustica vita honestior urbana. § 16. § 17	102
Rustica rei studium apud Romanos. § 97. § 98	102
Rusticam rem coluere Romani ad extremum per	115
seruos. § 98	115
Rustica tribus, que lege Tribus. § 98	311
Rustica tribus pro plebe rustica. § 98	317
Rusticus Romanus. § 99	72
Rustici Athen. § 540	95
<b>S</b>	
Sacer homo, quis. § 29	490
Sacerdotia, quid. § 75	471
Sacerdotes varij. § 75	248
Sacerdotum que propria fuerint. § 76	644
Sacerdotum comitia, qualia. § 77	645
de Sacerdotibus leges. § 77	646
Sacerdotes in colonijs. § 211	130
Sacerdotes Athen. § 545. § 636	130
Sacra Minerva, Neptuni, Iouis, Cereris. § 44. Apol-	97
linis, Dionysij, Metacia, Apaturia, Thargelia,	669
Phyteria, Hephestia, Promethea, & Chalcea. § 45	408
Sacra ex Solonis lege. § 572	408
Sacrifici Athen. § 636	106
Sacra, aut publica, aut priuata. § 40	108
Sacra ciuiarium Romulus instituit. § 40	120
Sacra priuata Romulus instituit. § 40	83
Sacra priuata perpetua manserunt. § 41	83
Sacra familiarium, siue gentilicia, qualia. § 41	85
Sacra priuata hereditaria, atque hereditatis omnis.	85
§ 42	86
Sacra patriciorum alia, quam plebeiorum. § 42	86
Sacra mancipiorum, & coloniarum alia, quam ci-	86
uium Ro. § 41	84
Sacra municipalia non deserebantur. § 42	86
Sacra res, que. § 402	86
Sacrata leges. vide Leges. § 425. § 426	86
Sacramentum, quid. § 425. § 426	83
Sacramento querere. § 468	83
Sacramentum militare. § 375. apud Athen. § 628	84
Sacramentum in sponsione. § 425. § 426	84
Sacro sanctum quid. § 29	85

Sacro sancti tribuni pl.	85
Salis vectigal. § 72	87
Salutatores, qui. § 133	87
Sanctum bellum. § 632	86
Sanctes populi, qui. § 236	86
Sanctæ res, que. § 402	86
Sanguinis missio militi ignominiosa. § 67	84
Satisfactio. § 427	87
Satisfactiones in litibus, quales, & quot. § 437	86
Satisfactionis ratio in prouinciali iudicio. § 328	86
de Saxo præcipitatio, que. § 519	84
Scamna in limitibus. § 204	84
pro Scapulis lex. § 31	84
Scriba, qui. § 101	84
Scriba apparuerunt magistratibus. § 101	84
Scriba leges in manibus habuerunt. § 101	84
Scriba a questoribus mercedem acceperunt. § 101	84
Scriba è plebe. § 100	84
Scriba naualis minimus. § 101	84
Scriba in decurias diuisi. § 101	84
Scribarum decurie pretio emptæ. § 101	84
Scribarum ordo non honestus. § 102	84
Scribis patuit aditus ad honores. § 102	84
Scriba libertini filius. § 115	84
Scriba ingenui. § 115	84
Scriba prætorum. § 311	84
Scriba in prouincia. § 311. § 317. § 316	84
Scriptura genus vectigalis. § 72. § 95. § 161	84
Scriptuarius ager. § 95	84
Scribere dicam, quid. § 327	84
Seclatores, qui. § 490	84
Seclatores, qui. § 471	84
Secundani in colonijs. § 248	84
Seditio Atheniensis prima & secunda. § 644. tertia.	84
§ 45. quarta. § 646	84
Seditiones ab optimatibus, & popularibus consti-	84
tæ. § 130	84
Seditiones à patricijs, & plebeijs conflata. § 130	84
Seditiones ab ordinibus conflata. § 97	84
Seleuci Macedonis regnum. § 669	84
Sella curulis que. § 408	84
Sellam ponere, quid. § 408	84
Semis vsura. § 106. § 108	84
Selecti iudices. § 120	84
Senatores. § 83	84
Senatum instituit Romulus. § 83	84
Senatores primam patricij, post etiam plebeij fue-	84
runt. § 85	84
Senatores lecti ex equitibus. § 85	84
Senatores lecti qui questuram gesserunt. § 86	84
Senatores lecti à regibus, consilibus, & censori-	84
bis. § 84	84
Senator non legebatur ordine nisi qui magistratum	84
gessisset. § 86	84
Senator à censore legi debuit. § 87	84
Senatoris legendi ætas. § 86	84
Senatores lecti ex censu. § 86	84
Senatorum lectio varia. § 83	84
Senatorum lectio varia. § 84. § 87.	84
Senatus legendi rationes extraordinarie. § 84	84
Senatorum numerus auctus à Cesare. § 85	84
Senatorum numerus in S. C. faciendo. § 85	84

I N D E X.

in Senatum qui venirent non omnes senatores. § 88	840
qui in Senatu sententiæ dicendæ ius haberent non	633
tamen senatores erant. § 88	95
Senatores pedarij, qui. § 88	96
Senatores fuere tribuni pl. iure magistratus. § 88	96
Senator non potuit esse eques R. § 89	432
Senatorum insignia tunica lati clauis. § 66. calcei lu-	137
nati. § 528	262
Senatores alligati lege Scruilia. § 481. & Sempronias,	140. § 141
ac Cornelia. § 31	317
Senatus à populo in spectando secretus. § 124	317
Senatori questus omnis turpis. § 87	658
Senatores in petendis honoribus occupati. § 87	76
Senatorum nota. § 118	490
Senatu mouere, quid. § 118	498
Senatorio loco, quid. § 83	493
Senatus consulta, que. § 22	493
Senatus consultum de formula amicorum, & socio-	492
rum. § 262	528
Senatus consultum, videant, ne resp. detrimenti ali-	645
quid capiat. § 383. § 384	405
Senatus Athen. § 541. eius origo. § 558. usus, lectio.	438
§ 559. probatio § 560. iusiurandum, ingressus, offi-	621
cia. § 561. Sententiæ, decreti scriptio, suffragia. § 562.	523
de quibus consuli solitus. § 562. eius præmium. § 564.	327
Senes imperfecti ciues. § 75	460
Senes sexagenarij cur de ponte deicerentur. § 74	664
Senes sexagenarij suffragio caruerunt. § 74	662
Seniores, qui. § 20. § 74	669
Sententiæ ferendæ ratio in iudicio priuato. § 443. a-	672
puud Atheniensis. § 599. executio apud eosdem. § 600	650
Sententiæ ferendæ ratio in iudicio publico. § 466	124
Sententiæ ferendæ multa formula. § 440	124
Septemviri agrarij. § 203	124. § 125.
Septuani in colonijs. § 248	78
Sepulchrorum iura. § 41	78
Sepulchra alia hereditaria, alia familiaria. § 42	45
Sequestres, qui. § 493	44
Sergia tribus Sabinorum. § 225	446
Seruare de cælo quid. § 78	137
Serui, qui. § 24. quid differant ab addictis. § 33	137
Seruius iusta. § 24	137
Serui civitatem amittunt. § 27	426
Serui publici apparuere magistratibus. § 118	426
Serui torquebantur. § 461	428. § 429
Seruitus quomodo inducta fuit per venditionem	328
magistratus. § 518	596
Seruitus pena, que. § 508	339
Seruitus rei. § 403	326
Seruitus prædiorum. § 403	326
Sessionum dies. § 410	65
Sextani in colonijs. § 248	61
Sibyllini sacerdotes vario modo. § 76	628
Sica, que. § 499	61
Sicarij, qui. § 499	61
inter Sicarios crimen. § 499	261
de Sicarijs leges. § 499	404
Signiferi. § 315	518
Simonides. § 666	652
Sinus toga, quid. § 522	204
Sistere se, quid. § 422	204
Sitona Athen. § 640	204
Sitophylaces Athen. § 633	Sub
Socij publicanorum, qui. § 95	
Societates, que. § 490. publicanorum. § 96	
Societatis magister, & promagister. § 96	
actio pro Socio. § 432	
Societatis iura tria. § 137	
Sociorum formula. § 262	
Socij, & socij nominis Latini. § 140. § 141	
Sociorum auxilia. § 317	
Sociorum præfecti. § 317	
Socratides. § 658	
Sodales Titij. § 76	
Sodalitates sacrorum, que. § 490	
Sodalitia, que. § 498	
Sodalitia in comitijs, que. § 493	
Sodales in comitijs, qui. § 493	
Sodalitates ad ambitum pertinebant. § 492	
Solea, que. § 528	
Solonis resp. § 549. legislatio. § 645	
Solutio, quid. § 405	
Sonticus morbus, quis. § 438	
Sophonista. § 621	
Sordidati in reatu. § 523	
Sortiri dicas, quid. § 327	
Sortitio iudicum, qualis. § 460	
Soficles. § 664	
Sofigenes. § 662	
Sostenis Macedonis regnum. § 669	
Sons. § 672	
Sosistratus. § 650	
Spectacula ordinum. § 124	
Spectacula primo promiscua, inde secreti ordines	
§ 124. § 125.	
Spectio, & nuntiatio magistratum. § 78	
Sponsa. vide Noua nupta.	
Sponsa cingulum soluebatur à sponso. § 45	
Sponsa collocabatur in lecto à pronubis. § 44	
Sponsalia, que. § 446	
Sponsio genus societatis. § 137	
Sponsionis formula. § 137	
Sponsio differt à federe. § 137	
Sponsio in iudicio priuato, quid. § 426	
Sponsionis faciendæ formula. § 425. § 426	
Sponsiones in rebus incorporeis. § 428. § 429	
Sponsionum ratio in iudicio prouinciali. § 328	
Sportule Athen. § 596	
Statua præsidium, qualia. § 339	
Statuendi locus basilica. § 326	
Statuendi partes. § 326	
Stipendium quando meruerint Romani, & quan-	
tum. § 65	
Stipendia legitima equitis, & pedis, que. § 61	
Stipendium peditem Athen. § 628	
Stipendijs emeritis, qui. § 61	
Stipendiariæ ciuitates. § 261	
Stipulatio quomodo facta. § 404	
Strangulatio per laqueum, quomodo. § 518	
Stratocles. § 652	
Strige in limitibus. § 204	
Subbruncini limites. § 204	
Sub	

# I N D E X.

Subscriptores in accusando, qui.	457
Subscriptio in delatione nominis.	458
Suburana tribus prima inter urbanas.	13
Suffragiorum ius.	73
Suffragio caruerunt pueri, senes sexagenarii, & a-	
rarij.	74
Suffragiorum ius imminuit Casar. 75. restituit Au-	
gustus.	75
Suffragatores, qui.	492
Suffragatio, quæ.	492
Superstites testes in 12. tab.	423
Supplicatio quomodo decerneretur præfidi.	340
Surculum defringere, quid.	468
Sylla non sustulit legem Semproniam.	32
Sylve prouincia consularis.	395
Symmorie Athen. 625. earum principes & cura-	
tores.	626
Syndici Athen.	618, 633
T	
Tabella quomodo libertatis vindex.	34
Tabellariæ leges quæ, & quot.	34, 35, 517
Tabellæ iudicium.	468, 469
Tabellæ populi.	517
Tabernæ argenteæ veteres, & novæ in foro.	105
de Tabulis disputatio.	464
Tabule dati, & expensi.	464
Tabule auctionariæ.	464
Tabule argentariarum.	464
Tabule passionales.	464
Tabule pro litteris, & syngraphis.	464
Tabule rationum relatarum.	464
Tabule nouæ, quid.	34
Tabularum questionum obstinatio.	464
Tabularum apud Athen. obstinatio.	598
Talis, qualis.	449, 471
Tatienses, qui.	10, 11
Taxiarchi Athen.	632
Tegeatum bellum.	659
Teleclus.	673
Terminus Deus.	40
Testamentorum ius.	54
Testamentorum ius ex lege 12. tabularum.	54
Testamentorum tria genera, calatis comitijs, in pro-	
cinctu, per æs, & libram.	55
Testamentum per æs, & libram factum, & solu-	
tum.	55, 56
Testamenti nuncupandi ratio.	56
Testamenta à Centumuiris cognoscebantur.	434
Testimoniorum ratio.	461
de Testibus disputatio.	462
Testes, qui.	462
Testium conditiones.	462
de Testibus lex 12. tab.	462
Testes alij inuiti, alij sponte testimoniū dixerunt.	462
Testes interrogabat accusator, & defensor.	463
Testes iurati respondebant.	463
Testium interrogatio accusationem præcessit.	463
Testes post causam dictam dati.	464
Testes per tabulas dixere testimonium.	464
Testes alligati, qui.	464
Testimonij denunciandi mos.	437
Testimoniorum ratio apud Athen.	597
Testimonium mulieris auditum in conuentione.	488
Theagenidas.	649
Themistocles.	647, 661
Theodorus.	657
Theodoros.	651
Theophilus.	661
Theophrastus.	662
Theopompus.	654, 673
Theori Athen.	637
Thersippus.	643
Thesens.	641
Thesmotheta apud Athen.	607, 608
Thestius.	642
Thessalus.	661
Thymætes.	641
Tiberinus consecratus à R.	40
Tibicinum collegium.	108
Timarchides.	650
Timosthenes.	648
Timocles.	611
Timocrates.	659
Tisamenus.	672
Tirones, qui.	61
Tlesias.	643
Tlepolemus.	649
Toga, quid.	521
Toga lanea, & semicircularis.	521
Toga nuan quadrata.	521
Toga tunica superior.	522
Toga ad talos fluxit.	522
Toga aperta fuit.	522
Togæ partes laciniæ, & sinus.	522
Toga pacis insigne.	523
Toga pura, siue virilis alba fuit.	523
Toga pura, quando daretur pueris.	522
Toga candida in petitione.	492, 521
Toga brachium cohiebat.	523
Toga pulla, quæ.	521
Toga picta, siue palmata, qualis, & quorum fuerit.	324, 524
Toga Romanorum propria.	523
Togati Galli, & Hispani, qui.	521
Togata Gallia, quæ.	168, 90
Tormenta in questionibus.	461, 462
Torquendi ratio in eculo.	519
Trabea qualis, & quorum.	525
Trabearum genera.	525
Trabeis vsi reges, consules, & equit. R.	525
Traditio quotuplex.	403
Translatio actionis, quid.	428
Translationes in iure raræ.	428
Transpadanis ius Latij datum lege Pompeia.	241, 242
Transpadani de ciuitate impetranda egerunt.	242
Transpadani ciuitatem à Casare habuerunt.	243
Transpadani in senatum lecti à Casare.	243
Transuersi limites.	204
Triarij, & ordines eorum.	314
Tribunal prætoris.	326, 408
Tribus nomen multis modis sumptum.	9

# I N D E X.

Tribus pars vrbis.	9, 10
Tribus pars ciuitatis.	9
Tribus ius ciuitatis.	10
Tribus vnde dictæ.	10
Tribus à Romulo institutæ tres, Ramenses, Tatienses, Luceres.	10, 11
Tribus à nominibus Sabinarum appellatæ falso tradit Asconius.	10, 11
Tribus totidem, quot centuriæ equitum.	10, 11
Tribus tres auxit Tarquinius Priscus, sub iisdem nominibus.	11
Tribus auxit, & diuisit Ser. Tullius, quo numero, & quibus nominibus.	11
Tribus urbanas, & rusticas instituit Ser. Tullius.	11
Tribus locales fecit Ser. Tullius.	11
Tribuum mutandarum quæ causa fuerit Ser. Tullio.	11
Tribus vrbane Palatina, Suburana, Esquilina, Colima, vnde dictæ.	12
Tribus Claudia vnde dictæ.	12, 13, 14, 17
Tribus 20. quo anno.	12, 13
Tribuum rusticarum nomina.	13
Tribuum urbanarum nomina.	12
Tribus vrbane vnde nomina acceperint.	13
Tribus Romilia, Læmonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, vnde.	13
Tribus aliquot ab illustribus familijs appellatæ, vt Cornelia, Papiria, Aemilia, Sergia, Fabia, Horatia, Menenia, Veturia.	14, 17
Tribus Clustianina, Veientina, Stelatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, vnde dictæ, & quando additæ.	13, 14
Tribus Pomptina, & Poblilia, Mæcia, & Scaptia, Ventina, & Falerina, Aniensis, & Terentina, Velina, & Quirina, vnde dictæ, & quando additæ.	14, 15, 16
Tribus Pappia, Camilla præter 35. tribus.	15
Tribuum 3. numerus quando expletus.	15
Tribus Lulia, Flauia, Vlpia, quando, & à quo nominatæ.	15
Tribuum urbanarum, & rusticarum differentia ex locis prima.	15, 16
Tribuum urbanarum, & rusticarum differentia alia inuicta, & rustica nobiliores factæ vrbis.	16
Tribus Suburana prima ex vrbis.	13
Tribus Romilia prima ex rusticis.	13
Tribus Arniensis vltima spatio locorum.	14
Tribus vrbane libertinis relictæ.	17, 18
Tribus rustica ingenuis date.	17
Tribus rusticas tenuere patricij, & nominauere.	17
Tribuum rusticarum honos à censoribus auctus.	17
Tribus vrbane quando ignominiosæ haberi ceptæ.	18
Tribubus vrbis sacra attributa Compitalia dicta.	19
Tribubus rusticis sacra attributa Paganalia dicta.	19
Tribus seminarium ciuitatis R.	20
Tribus qui non habuit suffragio caruit.	74
Tribus vrbane complexæ sunt turbam forenses.	112
& libertinos.	112
Tribus pro populis Italiae.	235
Tribu mouere, quid.	119
Tribus iure vocatæ, & prærogatiuæ, quæ.	360, 361
Tribuum curatores apud Athen.	606
Tribus decem apud eosdem. 554. earum nomina, partes. 554. iura. 555. respublica separata, vsus ad multas res. 558. quattuor.	538
Tribuni Celerum.	79
Tribuni pl. instituti.	79
Tribunatum pl. non capiebant patricij, ex legibus sacris.	30
Tribuni ple. præhensionem tantum habuerunt ex sacris legibus.	29
Tribuni ple. sacrosancti facti.	29
Tribuni pl. comitijs tributis egerunt. 509. & centuriatis permissu prætoris.	510, 514
Tribuni æriarij, qui. 100. è plebe, 100. antiquus ordo. 100. iudicia adepti lege Cotta.	101
Tributorum ius. 68. finis. 78. definitio. 68. genera tria in capita. 68. ex censu. 68, 69. tenerarium.	70
Tributum ex censu quomodo imperaretur, & quantum.	69
Tributum impeditum à tribunis ple.	69
Tributum remissum. 69. solito grauius imperatum. 69. annuum.	70
Tributum ordinarium, & extraordinarium.	262
Tributa noua imperabantur à prætoribus in prouincia.	332
Tributa in capita, in ostia, & in iudicijs.	333
Tributum conferebatur in tribu, classe, & centuria.	71
Tributum prouinciarum duplex.	261
Tributa alia in agros, alia in caput instituit prouincijs Augustus.	176
in Trierarchijs variata consuetudo.	626
Trierarchi.	624, 632
Trigonum.	543, 593
Triundinum observatio in accusando.	513
Tripudium proprium erat imperatorum in bello.	37, 79
Triremes sacra.	633
Triumphus disputatio.	343
Triumphus quomodo postularetur.	343
Triumphus pompa qualis.	343, 344
Triumphantium insignia.	343
Triumphantis ingressus in urbem, ascensus ad Capitolium, vota, conuiuium.	344, 345
Triumphus duplex.	345
Triumpharunt in magistratu, & cum imperio.	346
Triumphantium iura.	346
Triumphus à senatu, & à populo.	346
Triumphus ex quibus victorijs.	347
Triumphus in monte Albano.	347
Triumphare an sine exercitu liceret.	371
Triumphantibus cur lex de imperio lata sit.	372
Triumphantium conuiuium, quale.	372
Tripudij auspicium, quale.	38, 335
Troia	00

# I N D E X.

Troia quando capta.	641	Vestigal Gallia agrarium, & stipendiarium.	273
Tullianum pars carceris.	518	Vestigalis pecunia.	341
Tunica, quid.	526	Vestigales ciuitates, quæ.	260
Tunica plures.	526	Veneni questio.	500
Tunica mensura.	526	Venditio liberi hominis, quomodo.	518
Tunica talares.	526	Venditio bonorum, quomodo.	419
Tunica manicata.	526	Venditores Athen.	615
Tunicati iuuenes in campo.	526	Veneficij leges.	499
Tunicatus popellus.	512, 526	Venenum malum, quod.	500
Tunica clauata senatorum, & equitum.	527	de Ventre à Decemuiris, & Centumuiris cognitum.	441
Tunica lati clauu senatorum.	87, 527	Verbera, quæ.	449
Tunica angusti clauu equitum R.	527	Verberatio, qualis.	471
Tunica palmata, & picta.	527	Versura, quæ, eademque lege vetita.	106
Tunica recta.	527	Vesta à quo consecrata.	40
Tunica non est vsus Cato estate.	528	Vestales.	75, 76
Tunica non sunt vsi candidati petitores.	528	Vestes datæ militibus.	65
Turba forensis, quæ.	111	Vestem mutabat reus.	459
Turba forensis ad seditionem apta.	111	Veterani, qui.	61
Turba forensis agris inhians.	111	Veterani in coloniis militares.	248
Turba forensis sex ciuitatis.	112	Vexillum in coloniis deducendis.	206
Turba forensis in quatuor tribus vrbanas coniecta à Fabio.	112	Vie tres in Galliam Togatam ab vrbe, Cassia, Aelia, Flaminiæ.	190, 191
Turba forensis quos homines comprehenderit.	112	Via Appia.	232
Turba equitum.	316	Via Aurelia.	232
Tutelarum ius.	56	Via Claudia.	231
Tutela, quid.	56	Via Flaminiæ, Semilia.	118, 187, 188, 232
Tutores, qui.	56	Via Domitia in Gallia.	273
Tutoris dadi ius proprii civis Ro. è lege 12. tabul.	56	Viarum curatio censoria in Italia.	232
Tutor legitimus.	56	Viarum curatio prætoria in prouincijs.	313
Tutor à patre testamento datur.	56	Viatores, qui, 16. 116. à consulibus legebatur.	116
Tutor à magistratu datur, consule, prætore, tribuno pleb.	56	Viatores etiã consulum erant, vt etiã lictores.	116
Tutela mulierum perpetua.	57	Viatorum decurie.	116
Tutoris postulatio, & datio.	413	Viaticum presidium, quale.	309, 387, 388
de Tutelis lex Atilia.	57	Viaticum locabatur.	387, 388
Tyndareus.	672	Vicesima vestigal, quod.	71
Tyranni Athen. exacti.	646	Vici, quid.	192
Tyranni triginta abrogati.	656	Videtur fecisse formula condemnationis.	443
<b>V</b>		Vinculorum gratia.	448
Vacationes in militia militæ.	64	Vindex, qui.	421
Vacatio perpetua à militia senibus, & sacerdotibus.	64	Vindicationis formula.	411
Vacationes militares à censoribus cognitæ.	64	Vindicationis actio.	416
Vadatio, qualis.	421	Vindicatio possessionis, & dominij postulatio.	422
Vadationis ratio in iudicio prouinciali.	328		425
Vades in re capitali dabantur.	551	Vindicte, & possessio, & res possessa.	422
Vas quis.	421	Vindicta cum virga.	25
Vadimoniam dicere.	422	Vindictæ manumissio.	25
Vadimonij conceptio.	421	Vinum honorarium.	332
Vadimonium promittere.	421	Virgarum ius.	35
Vadimoniam differre.	421	Virgis vsi magistratus.	449
Vadimonium qui deserebant, litem amittebant.	422	Viriplaca Dea.	47
Vestigal, quid.	68	Virtus Iulia Colonia.	275
Vestigalia quomodo locarentur.	73, 94	Vis publica, & priuata.	504
Vestigalium genera, portorium, decumæ, scriptura.	71, 260	Vis vera, & simulata.	415
Vestigal salis.	72	Vis armata, & inermis.	415
Vestigal prouinciarum aut certum, aut incertum.	260	Vis simulata, & civilis.	424
Vestigalia noua imperabantur à prætoribus in prouincia.	332	Vis moribus facta.	423
Vestigalia sublata ab Augusto.	176	Vis simulata, quomodo facta.	423
		Vis civilis, & festiuarum.	493
		Vis in comitijs.	315
		Vitis centurionum insigne.	315

# I N D E X.

Vitro tributa, quæ, & vt conducebantur à publicanis.	95	Vsucapio in lege Manilia, quinque pedum.	50
Vnciaria vsura.	106	Vsura femiunciaria. 106. vnciaria. 106. senia.	106, 108. centesima. 106. 106, 106
Vnciaria lex.	107	de Vsura leges.	106
Vndecimviri Athen.	622	Vsu matrimonium, quale.	45
Vndecimviri in colonias.	248	Vsurpatio, quid.	50, 424
Vngule in Eculeo.	520	Vsurpare ex iure civili, quid.	424
Vocatio in ius, qualis.	418	Vxor vnde dicta.	44
Vocari in ius non omnes potuerunt.	418	Vxorum duo genera.	48
Vocatio magistratum, qualis.	362, 363	Vxor tribus modis habebatur, vsu, sare, coemptio- ne.	48
Vocatio iuriam habuit præhensionem.	77	Vxor rei cautiones, quando cepta.	47
Vota presidum, cum vrbe paludati exhibant.	319	Vxorij delicta, quæ, & quomodo plecterentur.	46, 47
Vrbis Ro. pomerium.	6	Vxoriam vsucapio.	45, 46
Vrbis Ro. magnitudo.	7	Vxoriam actio, qualis.	432
Vrbis Ro. mœnia qui prolatarunt.	6, 7		
Vrbs Romana quæ intellecta sit.	6	<b>X</b>	
ad Vrbes esse, quid.	343	Xanthippus.	628
Vrbs in iudicio.	468	Xenippus.	667
Vsucapionis ius.	50	<b>Z</b>	
Vsucapio vxorian.	45	Zeuxidamus.	674

## Index Magistratum, & Sacerdotum P. R. Quæ vero ad Athenienses & Lacedæmonios pertinebant, ea in priorem Indicem congestimus.

<b>A</b>	<b>E</b>	
Aediles curules instituti.	79	Consules quomodo confirmati.
Aedilium curulium iurisdictio.	79, 410	Consules ius dixere.
Aediles cur proponebant edictum, vt prætores.	408	Consules prouocationem habuere.
Aediles curules tribuitis comitijs egerunt.	509	Consules non iure magistratus præesse exercitui potuerunt.
Aediles curules quibus comitijs creati.	74	Consules iubendi tantam potestatem habuerunt.
Aediles pl. instituti.	79	Consules accusarunt comitijs centuriatis.
Aediles in colonijs.	211	Consules, cum summo S. Cornati sunt, quo imperio affecti sunt.
Aediles in municipijs.	223	Consules imperium militare institui non habuerunt.
Aediles in præfecturis.	228	Consules non quia comitia centuriata habuerunt, & imperium militare habuerunt.
Aquilifer in exercitu, qui.	315	Consules lege curiata imperium militare acceperunt.
Aruspices, qui.	76	
Auques, qui.	76	
Auques nunciationem tantam habuerunt.	78	
<b>C</b>		
Censores instituti.	57	Consules quomodo legem curiatam sibi tulerint.
Censores, qui.	59, 79	Consul designatus quomodo collegam dixerit.
Censores confirmabantur lege centuriata. Censores notabat ordines senatorum, equestrem, plebeum, & quomodo.	118	Consules quomodo delectam habuerint.
Censores saepe libertinos tribubus rusticis eiecerunt.	113	Consules quomodo belli dices.
Censores legebant senatores.	87	Consules prouinciarum ordinarij rectores.
Censores dabant equum publicum.	90	Consules parare exercitum, & habere imperium iniussu populi non possunt.
Censores locabant vestigalia.	94	Consules qui in magistratu, aut ex magistratu bel- lian gesserunt, aut in prouincias profecti sunt, unde de imperium acceperunt.
Censores non quia lustrarunt exercitum, propterea imperium militare habuerunt.	375	
Censores adimebant equum publicum.	118	Consules ex consulatu in prouinciam euntes legem curiatam desiderarunt.
Censores in colonijs.	211	
Censores in municipijs.	223	Consules profecti paludati votis nuncupatis.
Census qualis, lege primam Indicem.		Consulares prouincia, sylua, & calles.
Centuriones in exercitu, qui.	313	Curiones, & Curio maximus.
quomodo, & quo numero lecti.	314	
Centurionum insigne vitis.	315	<b>D</b>
Centurio primi pili.	315	Decem primi municipiorum.
Consules qui, & quomodo instituti.	79	Decemviri stilibus iudicandis, qui.
Consules quomodo creati.	357	Decemviratus litium, quando capiebatur.

\* & coegerunt. 441  
 Decemviri litium hasta. 440  
 Decemviri litium quas causas cognouerint. 441  
 Decemviri litium de libertate, & ventre cognouerunt. 443  
 Decemvirum litium iudicia praedicialia dicta. 442  
 Decemviri consulares creati ad leges scribendas leges xii tabularum scripserunt. 21  
 Decemviri agrarij. 203  
 Dictator quomodo institutus. 79  
 Dictatoria potestas, qualis. 385  
 Dictator dictus ab imperrege, aut consule. 79  
 Dictatori quid attulerit nominatio consulis. 377  
 Dictatores a lege curiata imperium militare acceperunt. 376, 377  
 Dictator institutum imperium militare non habuit. 373  
 Dictator sine lege curiata imperium militare non habuit. 373  
 Duumviri Sibyllini. 76  
 Duumviri in municipijs. 223  
 Duumviri in colonijs. 211  
 Duumviri quales quale imperium habuerint. 375  
 Duumviri perduelliones, qui, & quomodo iudicant. 509, 517

**E**

Epulones, qui, & quando instituti. 76  
 Fetiales. 76  
 Flamines, qui, & quot, & singulorum nomina, ac diversitates. 76, 77  
 Flamines maiores patricij tantum fuerunt, id est Dialis, Martialis, Quirinalis. 77  
 Fratres Aruales. 75

**I**

Imperatores lege Imperium in primo indice. 81, 338, 367  
 Imperator, quis. 81  
 Imperator, vel lege curiata, vel plebiscito. 81  
 Imperator alio modo inuit, quam magistratus. 81  
 Imperator alio modo, & loco administravit, quam magistratus. 81, 370  
 Imperator cur non in vrbe. 371  
 Interreges, qui. 79  
 Interrex prodebat, a patricijs. 38, 79  
 Iudices quaestionum. 453

**M**

Magister equitum, quis. 79  
 Magistratus, & que ad eum, lege primum Indicem. 21

**Q**

Quinquaginta mensurij, qui. 104  
 Quinquaginta agrarij. 203

**P**

Pontifices, & eorum numerus. 76  
 Pontifex maximus. 76, 77  
 Pontificis maximi comitia. 77  
 Praefectus vrbi, quis. 79  
 Praefectus castrorum. 317  
 Praefectus euocatorum. 317  
 Praefectus fabricum. 317  
 Praefectus socium. 317  
 Praefectus equitum. 316  
 Praefecti in castris ius dixerunt. 335

Praefecti praefecturae. 226, 227. eorum duo genera. 226, 227  
 Praetor, qui, & quando institutus. 372  
 Praetores quomodo in remp. inducunt. 79, 407  
 Praetorum numerus annuus. 452  
 Praetor urbanus, & peregrinus iurisdictiones duas sortiebantur, urbanam, & peregrinam. 407  
 Praetorum insignia praetexta, sella, lictores, hasta. 408  
 Praetor urbanus duos habuit lictores. 408  
 Praetor urbanus, & peregrinus proponebant edictum in albo. 408  
 Praetores urb. & peregrinus ius dixere. 408  
 Praetores ius de favore dixere varie. 107  
 Praetor alteri mandare iurisdictionem potuit. 408  
 Praetoria cognitio duplex. 323  
 Praetoria cognitio domestica. 323  
 Praetoria cognitio popularis. 323  
 Praetores mandabant accenso, vt inclinaret horam tertiam. 410  
 Praetores non habuerunt imperium militare insuam. 374  
 Praetores non quia ius comitorum centuriarum habuerunt, etiam imperium habuerunt. 374  
 De praetoribus, qui & quaesitores erant criminum. 459  
 Praetores quaestiones ex lege sortiti sunt. 450, 451  
 Praetores quaestiones ex lege exercuerunt. 451, 452  
 Praetores dabant postulationem nominis, & recipiebant delationem pro arbitrato. 455, 457  
 Praetores citabant reum, accusatoremq;. 459  
 Praetores legebant iudices. 460  
 Praetores citabant iudices. 460. eosdem retinebant, & dimittebant. 467  
 Praetorum in exercenda quaestione officia. 467  
 Praetor reum condemnaturus praetextam ponebat. 469  
 Praetor gratificari potuit reo. 468  
 Praetor quaesitor vrnas mouebat. 467  
 Praetor reum aut absolutum, aut condemnatum referebat in tabulas. 470  
 de Praetoribus provincialibus. 302, 303  
 Praetores provincia les prouinciarum, & lictores ordinarij. 303  
 Praetoria cohors praetorem sequuta. 64, 117  
 Praetores quomodo prouincias obtinuerint, lege Prouincia. 381  
 Praetores prouinciarum duplex imperium habuerunt. 381  
 Praetores prouinciarum sex lictores praetulerunt. 303  
 Praetoribus imperium dedit lex curiata. 381  
 Praetoris urbani, & prouincialis diuersum imperium. 382  
 Praetor prouincialis maius habuit imperium, qui habuit iurisdictionem, quaestionem, & militare ius. 482  
 Praetores in prouinciam exituri lege curiata imperium acceperunt. 482  
 Praetores, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in prouincias profecti sunt, lege

lege curiata lata imperium militare nati sunt. 381, 382  
 Praetores prouinciales quomodo ius dixerint. 326  
 Praetores recuperatores dabant in prouincijs ex conuentu. 328  
 Praetores causas aliquando Romam reiciebant. 361  
 Praetores quomodo iurisdictionem, & quaestionem exercuerunt in prouincia. 321, 322, 323. & deinceps. 332  
 Praetores quomodo in prouincia rem frumentariam exercuerunt. 332  
 Praetores quomodo tributa, & vectigalia noua prouincia imposuerunt. 332  
 Praetores saepe onera socijs remisissent. 333  
 Praetoribus honores habitus in prouincijs propter egyptiam administrationem. 333  
 lege Praesides, sive Praefides, & Propratores. 302  
 Praesides quomodo prouincias acceperunt. 302  
 Praesidium vota in Capitolio. 319  
 Praesides in prouinciam euntes ad portam salutati. 320  
 Praesides paludati exibant. 319  
 Praesides egressi aliquandiu ad portas vrbs fuerunt. 321  
 Praesides S. C. ire iussi, aut dirarum obnunciatione impediti. 321  
 Praesides quomodo alteri in prouincia successerint. 321  
 Praes aut accipiebat exercitum veterem, aut conscribere nouum. 334  
 Praesides quomodo ius dixerint. 321  
 Praesidium potestas. 321  
 Praes ius habuit rem pro arbitrato gerenda. 338  
 Praes consilium habuit. 338  
 Praesides quomodo ius in castris dixerint. 334  
 Praesides quomodo res capitales in castris exercuerunt. 335  
 Praesidium potestas in castris constricta legibus Cornelia, & Iulia. 339  
 Praesides auspicia duo seruabant, & litatorem gerebant. 336  
 Praesidium itinera per prouincias. 322  
 Praesidibus a socijs que ex lege darentur. 322  
 Praesides hieme ius dicebant, aestate rem gerebant. 321, 322  
 Praesidium comitatus, qualis. 311  
 Praesidibus, & comitibus eorum que iudicia constituta sunt. 348  
 Praes exercitum pro arbitrio dimittere non potuit. 373  
 Praesides quomodo de prouincia decesserint. 342  
 Praesides decedentes relinquebant rationes apud suas ciuitates. 343  
 Praesides nisi de triumpho cogitarent, deposito paludamento ingrediebantur urbem. 343  
 Praesides de triumpho cogitantes manebant ad urbem, & petebant triumphum. 343  
 Praesides referebant rationes ad ararium, & Comitibus in beneficijs deferebant. 347  
 Praesides quomodo triumphum egerint. 343, 344, 345

Praesides, & propratores idem erant ac praesides, sive praetores prouinciales. 323  
 Praesides, & imperatores quomodo idem, & quomodo diuersi. 396, 397  
 Praesides, & propratores an caruerint auspicijs. 391  
 Praesides, & propratores an magistratus sint. 392  
 Praesides, & propratores qui ex priuatis ad bella missi sunt, an, vt cum imperio, sic cum magistratu fuerint. 390, 391  
 Praesides duodecim lictores praetulerunt, propratores sex. 302

**Q**

Quaestores urbani. 79  
 Quaestorium urbanorum munera. 100  
 Quaestura capienda annus legitimus, vicesimus septimus. 86  
 Quaestores legi in senatum potuerunt. 86  
 Quaestores mercedem scribis dabant. 101  
 Quaestores urbani accusarunt comitibus centuriatis. 510  
 Quaestores magistratus patricius, sed ex minoribus. 79  
 Quaestores prouinciales. 318  
 Quaestor qua lege prouinciam acceperit. 315  
 Quaestorum potestas in prouincia. 100, 318, 340  
 Quaestores duo vni praesidi. 321  
 Quaestores prouinciales quomodo legerentur. 318  
 Quaestoris necessitudo cum pratore suo. 319  
 Quaestores scribas habebant, & lictores. 319  
 Quaestori saepe res frumentaria commissa, item olei, vini, frugum decimae exigendae in prouincia. 342  
 Quaestori quaestio, & iurisdictione mandata a pratore. 331  
 Quaestori imperium militare mandatum a pratore. 342  
 Quaestor cum imperio saepe relinquebatur in prouincia. 342  
 Quaestores quomodo decederent de prouincia. 343  
 Quaestores in municipijs. 223  
 Quaestores in praefecturis. 228  
 Quaestores, lege Praetores quaestores, Quaestores parricidij. 450  
 Quaestoris officia. 467  
 Quattuorviri in municipijs. 223, 243  
 Quattuorviri in praefecturis. 228  
 Quinquaginta agrarij. 204

**R**

Regum potestas. 79  
 Reges ius dixerunt. 407  
 Reges quaestiones exercuerunt. 450  
 Rex sacrorum tantum patricius. 77

**S**

Salij. 75, 76  
 Salij Palatini patricij. 76, 77  
 Septemviri agrarij. 203  
 Septemviri epulonum. 76  
 Sexprimi in praefecturis. 228  
 Sexviri in praefecturis. 228  
 Sodales Titij. 76

Tribuni

<b>T</b>	
Tribuni celerum.	79
Tribuni pl. instituti.	79
Tribunatum pl. non capiebant patricij.	30
Tribuni pl. prehensionem tantum habuerunt.	29
Tribuni pl. sacrosancti.	29
Tribuni pl. comitijs tributis egerunt. 509. & centuriatis permissu pratoris.	510, 514
Tribuni pl. sine imperio, sine magistratu. 363. 364.	165
Tribuni pl. fuere senatores iure magistratus.	88
Tribunorum pl. potestas immixta à Sylla. 12. restituta à Cotta, & Pompeio.	12
Tribuni pl. appellabantur in iudicio privato. 437. non item in publico.	459
Tribuni mil. quomodo creati. 196. in castris ius dixerunt. 3 s. constripserunt legiones. 61. quomodo in exercitu lecti sint.	312, 311
Tribuni mil. quattuor legionibus primis.	312
Tribuni mil. qui.	396
Tribuni mil. Rusuli, & Comitiatii.	312
Triumviri Nocturni, Capitales, Monetales, Agrarij.	79, 102, Mensarij, 104
Triumviri capitales interueniebant supplicijs suuendis.	518, 519
Triumviri reip. constituende colonias militares duxerunt.	251
<b>V</b>	
Vestales IIII cum Vestali maxima.	75
Vigintiui agrarij.	207

**Index Regionum, Urbium, & Populorum.**

ACERRAE colonia. 252. municipium. 224	Alpium diuisio, & situs.	254, 255
Achaia idem, quod Graecia.	Alpium populi.	254, 255
Achaia descriptio, fines, populi status ante Romanorum imperium.	Alpes maritimae, Cottiae, Graiae, Rheticae, Carnicae.	255
Achaia, & Aetoli in Graecia eminebant.	Alpina bella.	255, 256
Achaia concilium Graeciae cotraxerunt, quod Achaicum dicebatur.	Alpes maritimae subactae.	255
Achaia suspecti Romanis delati occasionem Achaiae, siue Graeciae provinciae faciende dederunt. 82, 283	Alpibus maritimis ius Latij datum.	255
Achaia provincia ab Achaeis dicta propter principatum eorum in Graecia.	Alpes Cottiae in potestatem redactae.	256
Achaia provincia uectigalis facta.	in Alpibus trophaeum Augusti.	257
Achaiae agri.	Alsum colonia.	215
Achaiae conuentus iuridici.	Anagnina municipium. 25. praefectura.	218
Aeduji socij secundi Romanorum in Gallia ulteriore.	Ancon colonia militaris.	250
	Arrennae colonia.	212
Aequi an Latini fuerint.	Antium colonia.	213
Aequicolae, qui.	Anxur colonia.	213
Aequorum oppida, bella, foedera.	Apta Iulia in Gallia.	270
Aesernia colonia.	Apuliae fines, & oppida.	164
Aesulum colonia.	Apulia duplex.	164
Aetoli in Graecia eminebant.	Apulorum bella, & foedera.	164, 165
Aetoli primi socij Rom. fuerunt trans mare.	Aquae Sextiae in Gallia conditae.	272
Aetolicum concilium, quale.	Aquileia colonia.	217
Aetoli victi à Romanis foedus accipiunt.	Aquileiae conuentus erat Galliae citerioris.	191
Africa descriptio, fines, & populi.	Aquinum colonia.	251
Africa bella tria.	Aquitaniae fines.	272
Africa victis tertio bello Carthaginensibus provincia facta.	Ardea colonia.	213
Africa tributum, & uectigal impostum à Ro.	Aricia colonia. 18. municipium.	224
Africa conuentus iuridici.	Arminum colonia.	215, 251, 51
Aesis fl. terminus Galliae citerioris.	Arminum pro Gallia sumptum.	190
Alba colonia.	Arpinum Volscorum, & Samnitium fuit.	153
Alba Pompeia.	Arpinum municipium. 225. praefectura, & municipium.	227
Albia cur dicta.	Arpinates in tribu Cornelia.	225
Albuanum Ingaunum.	Arretum colonia militaris.	249, 251
Albium Intemelium.	Arretini in tribu Pomptina.	245
Aleria colonia.	Asia fl. terminus vltimus Italiae.	253
Aletrium colonia. 252. in tribu Publilia.	Asculum colonia.	215
Allifae praefectura.	Asia descriptio, fines, & populi.	284
Allobroges, qui. 272. quando victi, & in provinciae formam redacti.	Asia dicitur tribus modis.	284
	Asia minor, quae	284
	Asia Attalica, siue Pergamena, quae	284
	Asia finibus ad distinguendum difficillimis.	284

Asia reges post Alexandrum Magnum ante Romanos.	284
Asia Pergamena donata ab Attalo Rege Romanis, & libera facta.	285, 286
Asia Pergamena provincia facta à Romanis.	286
Asia provinciae regiones.	286
Asiae leges datae ab Aquillio, & Mucio.	286
Asiae provinciae uectigalia imposta.	286
Asiae tributa extraordinaria imposta.	286
Asia conuentus iuridici, qui.	287
Asia liberae ciuitates.	287
Aestim in tribu Romilia.	245
Athenienses liberi relicti.	283
Atheniensibus Sylla pepercit.	283
Athenis libera in vrbe conuentus iuridicus actus.	283
Atinates in tribu Terentina.	245
Attella praefectura. 288. colonia.	252
Augusta ab Imp. Augusto conditae, aut deductae.	233
Augusti coloniae.	252
Augusta Taurinorum colonia.	233, 253, 256
Augusta Vagiennorum.	256
Augusta praetoria Salassorum.	254, 256
Augusta Emerita.	233
Augusti trophaeum in Alpibus.	257
Ausonium oppida, bella, & foedera.	153
Auximam colonia.	217
<b>B</b>	
Baleares insulae quae, & quando victae.	271
Belgicae fines, & descriptio.	272
Beneuentanum colonia.	215, 251
Bithyniae descriptio, fines, & populi.	293
Bithyniae reges ante R. Imperium.	293
Bithynia à Nicomede rege testamento relicta Romanis, & ab eis provincia facta.	293
Bithynia provincia cum Ponto coniuncta.	293
Bithyniae uectigal impostum.	295
Boiorum fines, & oppida.	184, 185
Boij Galli delati.	168, 187
Bononia colonia.	217, 252
Bononienses in Antoniorum clientela.	211
Bouianum colonia.	252
Bouillae colonia militaris.	249
Braccata Gallia provincia facta.	273
Braccati Galli senatores facti à Cesare.	274
Brixiani in tribu Fabia.	245
Brundisium colonia.	215
Bruttiorum fines, & oppida.	163
Brutij, unde dicti.	163
Bruttiorum bella.	164
Buti depressi.	178
Braccantum colonia.	216
<b>C</b>	
Cenina colonia.	212
Canomanorum fines, & oppida.	185
Carites sine suffragio municipes facti.	220
Carites quomodo municipes facti.	223
Carites post legem Iuliam in tribu Clustumina.	245
Calabria eadem, ac Messapia.	163
Calabrae oppida.	163

Calabrorum bella.	164
Calatia praefectura. 228. colonia militaris.	250
Cales colonia. 213. municipium.	225
Callacorum in Hispania fines.	270
Callaecia subacta.	270
Caneria colonia.	160
Campaniae fines, & oppida.	160
Campaniae partes.	160
Campaniae laudes.	160
Campanorum bella.	160, 161
Campanorum foedera.	162
Campani equites ciuitate donati.	224
Campanus ager saepe diuisus.	72, 202
Camuni victi.	255
Capena colonia militaris.	251
Capua praefectura asperius tractata.	227
Capua colonia militaris à Sylla deducta. 249. à Cesare.	250
Capua à tribunis reip. deducta.	251
Capua ab Augusto deducta.	253
Carnorum fines, oppida, bella, & foedera.	188, 189
Carni Venetiae attributi.	189
Carnicae alpes, quae.	255
Carsoli colonia.	214
Carthaginensium bella.	296
Carthago deleta, & consecrata.	297
Carthago colonia deducta.	263
Casilinum colonia deducta à Cesare.	250
Casilinum colonia militaris, deducta ab Antonio.	251
Casinum colonia.	214
Cassiterides insula, quando victa.	271
Castrorum portorium.	216
Castrum nouum colonia.	215
Caudium colonia.	252
Celticae fines.	272
Ciliciae descriptio, fines, & populi.	289
Cilicia qui potiti sint ante Romanos, & post Alexandrum Magnum.	289
Ciliciae bella.	289
Ciliciae pars vna provincia facta.	289
Ciliciae pars altera provincia facta.	289, 290
Cilices aliquot liberi relicti.	290
Cilicia complexa est Cilicianam, Pamphyliam, & Iauariam.	290
Cilicia tres conuentus iuridici.	290
Cilicia tribus diocesibus, ex Asia demptis, aucta.	290
Cilicia agros publicos habuit.	295
Ciliciae partes aliquot demum ab Imperatoribus in provinciam redactae.	295
Circeij colonia.	212
Cirtha colonia Numidia.	309
Claritas Iulia colonia.	275
Clusij in tribu Arniensi.	345
Comagene reges relicti à Pompeio.	292
Comata Gallia lege Galliae.	292
Comum colonia.	254
Corfinium Italicum vocatum.	238
Corinthus deleta à Mummio. 282. restituta à Cesare.	283

I N D E X.

Corfica bella.	267
Corfica provincia facta cum Sardinia.	267
Corfica colonia.	268
Corfis frumentum, & stipendium impositum.	268
Cortona colonia militaris.	249
Cossa colonia.	215
Cremona colonia.	215
Creta victa in provincie formam redacta. 299. & cum Cyrenaica iuncta.	299
Creta liberata ab Antonio.	299
Croto colonia.	216
Crustumerum colonia.	212
Cumæ præfectura. 220. colonia. 253. municipium. 222	
Cyprus quibus paruerit ante Ro.	295
Cyprus provincia facta per M. Catonem.	295
Cyprus adiuncta Cilicie provincie.	295
Cyprus prætoris provincie.	296
Cyprus data Arsinoæ à Cesare, post restituta populo Rom.	296
Cyrenaica fines, & oppida.	298
Cyrenaica relicta ab Apione rege populo R. & provincia facta, & cum Creta coniuncta.	298
Cyrenaica agrarium vectigal impositum. 298. 299.	
Cyrenaica conuentus iuridici.	289
D	
Debate in Illyrico victi.	276
Derthon colonia.	218, 251
E	
Ecetra colonia.	212
Eporædia colonia.	218
Etrurie descriptio, fines, populi, oppida.	154
Etruria cismarina, & transmarina.	155
Etruscorum bella.	155, 156, 157, 158
Etruscorum concilium ad Fanum Voltumne.	155
Etruscorum fœdera.	157, 158, 159.
F	
Fabrateria colonia.	218
Fasula colonia militaris.	248
Faliska colonia.	252
Fanum colonia militaris.	251
Fulvia Fanestris.	251
Ferentine lucus, ad quem conueniebant Latini, ubi.	142
Ferentines nouum ius tentarunt.	234
Ferentinum municipium.	225
Fidenæ colonia.	212
Florentia colonia.	251
Florentini in tribu Scaptia.	235
Fœdaturæ colonia.	252
Formiæ colonia. 252. municipium.	224
Formiani in tribu Aemilia.	221
Formio st. Italia terminus.	243
Fora Italiae, quæ sunt oppida, vnde manarunt. 231, 232. cur condita.	232
Forum Claudij, Cassij, Cornelij, Sempronij, Lini, Iulij, Appij, Flaminij, Aurelij vnde.	231, 232
Fossæ Mariane in Gallia.	273
Fregelle colonia.	213
Fregelle defecerunt.	236
Fregene colonia.	215

Frentanorum fines, oppida, bella.	166
Frisino præfectura.	228
Fulginum præfectura, & municipium.	228
Fundani in tribu Aemilia.	221
Fundi municipium.	224
G	
Gades quando victa, & quo fœdere.	271
Gallia citerioris fines, & summa. 178. populi 178	
Galli singuli quando venerint in Italiam, & ubi sedes posuerint, & quæ oppida tenuerint.	184
Gallorum Boiorum, Cenomanorum, Insubrium, & Senonum in Italia bella.	185
Gallia citerior provincia facta, & quibus finibus. 186, 189	
Gallia citerioris ius provincie datum.	191
Gallia citerioris conuentus.	191
Galli Cisalpini in auxilijs militarum.	211
Gallia diuisa in cispadanam, & transpadanam.	187
Gallia cispadanæ ciuitas data lege Pompeia.	241
Gallia transpadanæ ciuitas à Cesare data.	242
Gallia libertate donata à triumuiris resp.	243
Gallia citerior togata vocata, & variè sumpta. 186, 187, 190	
Gallia togata aucta.	189
Galliam citeriorem habitauerunt Romani.	187
Gallia citerioris conuentus iuridici Mediolani, Aquileia, Rauenna, Luca.	191
Gallicus ager in Italia diuisus, qui in Gallia citeriore Latine loquebantur.	168, 196, 187
Gallie vltioris descriptio, & populi. 272. bella. 273	
Gallia Narbonensis provincia facta.	273
Gallie Narbonensi vectigal agrarium impositum.	273
Gallia Comata, & Braccata provincia facta.	273
Gallie Comatæ vectigal stipendiarium impositum.	273
Gracchuris opp. conditum in Hispania.	269
Grauisca colonia.	217, 251
Gracia lege Achaïam.	
Græci quam partem Italiae tenuerint.	163
H	
Hadria colonia.	215
Heraclenses in Italia fœderati. 230. in Bithynia.	294
Hernicorum fines, oppida, bella, fœdera.	152
Hernicus ager Ro. vocatus.	9
Hippo colonia. 251. eadem quæ Vibo.	217
Hirpini.	173
Hispaniæ descriptio. 268. populi.	268
Hispaniæ bella.	268, 269
Hispania prima continentis provincia facta.	269
Hispania in citeriorem, & vltiorem diuisa. 270.	
Hispaniæ conuentus iuridici.	272
Hispaniæ colonia.	271
Hispaniæ frumentarium, & stipendiarium vectigal impositum.	271
Hispania frumenti vicesimas soluit.	271
Hispellum colonia militaris.	251
I	
Iapudes in Illyrico victi.	255, 257, 276

I N D E X.

Iapygia eadem, ac Salentina.	163
Illyrici descriptio, populi, oppida, fines.	274
Illyriorum bella.	274, 275
Illyrici pars maritima provincia facta.	276
Illyrici provincia non totum continebat Illyricum.	277
Illyrici pars Macedoniae provincie adiuncta.	279
Illyrici conuentus iuridici.	277
Illyrici colonia.	277
Inalpine, qui.	255
Insubres, qui, in Italia seruari.	187
Interamna colonia.	214
Isauria fines.	289
Isauria iuncta Cilicie provincie.	289
Istria descriptio.	275
Istria victa, & cum Illyrico provincia iuncta.	275
Istria ad Italiam adiuncta.	253
Italia variè appellata.	135
Italiae prisca incole.	149
Italia duplex natura, & iure.	135
Italiae fines à natura.	135
Italiae fines à iure.	136
Italiae populi.	136
Italiae iura tria.	136
Italiae pars vectigalis.	176
Italia pro meritis tractata.	136
Italia diuisa in oppida, vicos, & castella.	192
Italia diuisa in colonias, mancipia, præfecturas, oppida fœderata, fora, & conciliabula.	192
Italia inanimis tributorum ab Augusto facta.	176
Italiae adiuncta Istria.	253
Italiae finis primum Formio, deinde Arsia.	243, 253
Italicum ius, quale.	175, 176
Italici etiam Latini dicti.	140
Italici militabant in auxilijs Ro.	176
Italici magistratui R. non paruerunt.	177
Italici bello punico defecerunt.	177
Italicorum ob varia merita varia premia, & pena.	177
Italici in suas sedes redire coacti.	232, 233
Italici fraudes legi de ciuitate faciebant.	235
Italici, vt ius suum commodius redderent, bellum Italicum excitarunt.	238
Italici ciuitatem adepti lege Iulia.	239
Italici in tribus nouas coniecti.	239
Italici ciuitate spoliati à Sylla.	240
Italici in veteres tribus translati.	239
Italicum Corfinium vocatum.	238
Iudææ reges relicti à Pompeio.	292
Iulia fora vnde.	232
Iulia Derthona.	251
Iulia Fanestris colonia.	251
Iulia Felix.	251
Iulia Hispella.	251
Iulia Paterna Narbo.	274
Iulia Sutrina.	251
L	
Labeates in Illyrico victi.	276
Lanuvium municipium. 224. colonia.	250
Latium duplex antiquum, & nouum.	141
Latij vtriusque fines, & populi.	141

Latium nouum quale, & quando factum.	154
Latij ius, lege alterum Indicem.	141
Latij oppida.	141
Latinus ager descriptus.	141
Latini proprie, qui.	143
Latinorum fœdera singula.	143, 144
Latinorum bella.	144, 145
Latinorum concilium, quale.	145
Latinorum concilium omissum.	145
Latinorum multa, & premia.	144, 149
Latini etiam Italici dicti.	140
Latini quot modis vocati.	140
Latini nominis socij.	140
Latini militarunt in auxilijs Ro.	147, 148
Latinus cædi poterat in castris.	148
Latini quomodo suffragia Romæ habuerunt.	148
Latini ex vrbe exire iussi, quando.	149
Latini quomodo ius bonorum Romæ habuerunt.	149
Latinorum definitio.	141
Latinorum iura.	191
Latina colonia, quæ.	107, 108, 109
Lauici colonia.	213
Lauinium colonia.	226
Laus Pompeia colonia.	242
Lepontij in Alpibus victi.	216
Ligurum fines, & populi, & oppida.	179
Ligurum bella.	180, 181, 182
Ligurum fœdera.	181, 184
Ligures Comati, siue Capillati, Ligures Vagienni, Ligures Taurini.	254
Ligures Babiani, & Corneliani, qui.	185
Ligures in provincie formam redacti.	184
Liternum colonia.	216
Luca colonia.	217
Luca in Liguribus, inde Gallie attributa.	198
Lucanorum fines, bella, & fœdera.	162, 163
Lucani depressi.	178
Luceria colonia.	214
Lusitania subacta, & provincia facta.	279
Lycia libera. 283. vectigalis. 283. immunitate donata.	283
M	
Macedonia descriptio, populi, fines, bella. 277. 278.	
Macedoniae Philippus rex tributum dare Rom. coactus.	279
Macedonia victo Perse rege libera relicta.	279
Macedonia victo Andrisco provincia facta.	279
Macedoniae vectigal impositum.	280
Macedonia libera, quæ.	280
Macedoniae iuridici conuentus.	280
Mecium castrum, vnde tribus Mæcia.	15
Manerini ciues Romani.	266
Mariana Colonia.	263
Marsi bellum Italicum excitarunt.	238
Marsorum fines, & oppida.	171, 172
Marsorum bella, & fœdera.	171, 172
Massilienses primi socij R. in Gallia.	272
Mauritania descriptio, fines, & reges.	300
Mauritania provincia facta.	301

I N D E X.

Médullia colonia.	212	Pontus provincia retenta per Cesare.	294
Mediolani conuentus erat Gallie ceterioris.	191	Prænestæ colonia.	249
Messapia eadem, ac Calabria.	163	Præsidium Iulianæ colonia.	271
Messapiorum bella.	164	Priuernan municipium.	225
Minurnæ colonia.	214, 250	Priuernates erant in tribu Vsfentina.	224
Mineruium colonia.	218	Puteoli colonia.	253
Mutina colonia.	217	Pyrgi colonia.	216
Mutinenfes in tribu Pollia.	245		
	N		
Narbo colonia.	263, 274	Rauenna fœderata ciuitas.	230
Narbonensis provincia vnde dicta.	274	Rauennæ conuentus erat Gallie ceterioris.	191
Narbonensis Gallie oppidorum conditio.	274	Regium colonia. 251. Regium Lepidi cur dictum.	232
Nepes colonia.	213, 214	Rheti, qui, & quando victi.	255, 256
Nepesini in Sicilia Latine conditionis.	267	Rhegium, vnde.	232
Neptunia colonia.	218	Roma. lege vrbs Romana in altero Indice.	232
Nequinum colonia.	169	Rubicon Gallie ceterioris terminus.	190
Nola colonia.	218, 249		
Norba colonia.	212, 213		
Norici victi.	257		
Novum Comum à Cesare deductum.	243		
Novum Comum Latij iure donatum.	243		
Nonocomensis casus à Marcello.	244		
Nuceria colonia.	251, 253		
Numidia descriptio, fines, populi.	299		
Numidia provincia facta.	300		
Numidia colonie.	300		
	O		
Ocriculani sponsione amici.	169		
Olusippo colonia.	271		
Oscorum fines, oppida, & fœdera.	153		
Osti sedibus pulsi.	153, 154		
Ostia colonia.	212		
	P		
Padi florigo.	254		
Pæstum colonia.	215		
Pamphylie pars provincia facta.	289		
Parma colonia.	217		
Patavinorum in Venetia seditio.	189		
Patavium Gallie oppidum.	191		
Pax Iulia colonia.	271		
Pedum municipium.	224		
Pelignorum fines, & oppida.	166		
Pergami reges.	284		
Picentium fines, & oppida.	166		
Picentium bella, & fœdera.	166, 167		
Picenus ager diuisus.	167, 196		
Picentini vnde venierunt, & qui fuerint.	166, 167		
Picentini depressi.	178		
Pise colonia.	217		
Pise pro Liguria.	190		
Pisaurum colonia.	217, 251		
Placentia colonia.	215		
Pollentia colonia.	217		
Pompeij colonia.	249		
Pompeopolis condita in Hispania.	270		
Pontia colonia.	214		
Ponti descriptio, fines, populi.	293, 294		
Ponti reges ante Romanos.	293, 294		
Pontica bella.	293, 294		
Pontus provincia facta à Pompeio, & Bithynie iuncta.	294		

I N D E X.

Sicilia ciuitates nonnullæ depreste.	266	Thermes in Asia liberi.	287
Sicilia vectigal frumentarium impositum.	266	Thurij colonia.	216
Sicilia tributa extraordinaria.	266	Trebula municipium.	225
Sicilia iuridici conuentus.	267	Tuder colonia.	252
Siculi in priuatis controuersijs præcipuo iure fuerunt.	267	Tudertes in tribu Clustianina.	245
Siculi latinitate à Cesare, ciuitate ab Antonio donati.	267	Tusculani in tribu Papiria.	224
Signia colonia.	212	Tusculum municipium.	224
Simuessæ colonia.	214		
Sipontum colonia.	216		
Sora colonia.	214		
Spoletum colonia.	215		
Suessæ colonia.	214		
Suessula colonia.	249		
Sutrium colonia.	213, 251		
Sutri in tribu Velina.	245, 246		
Syriæ descriptio, fines, populi.	291		
Syriæ reges ante Romanos.	291, 292		
Syria provincia facta à Pompeio excepta Comagene, & Iudæa, quibus reges relictæ.	292		
Syria vectigalis facta.	292		
Syria conuentus iuridici.	292		
Syria à quibus prætoribus administrata.	292		
	T		
Tarentum colonia.	218		
Taurini, qui.	254		
Taurinorum Augusta colonia.	251		
Teanum Sidicinum municipium.	225		
Teanum colonia.	252		
Telesia colonia.	252		
Tempa colonia.	216		
Thessalia in provincia formam redacta.	279		
Thracie populi aliquot Macedoniae provincie adiuncti.	280		
	V		
	215		
	276		
	155, 156		
	250		
	212		
	252		
	188		
	188, 189		
	189		
	190		
	214, 251		
	242		
	245		
	171, 172.		
	173		
	15		
	217		
	245, 246		
	213		
	252		
	168		
	169		
	248, 250, 252		
	150, 151		
	142		
	228		

F I N I S.

L V G D V N I  
Excudebat Ioannes Tornæsius Typographus  
Regius, anno CIO. IO. LXXVI.